
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
32 - B
14
ROMA



REVERENDI ET AMPLISS. DN.

IOHAN. GROPPERI, QVONDAM COLONIENSIS ECCLESIAE ARCHIDIACONI, ET S. R. E. CARDINALIS DESIGNATI,

De Veritate corporis & sanguinis CHRISTI in Eucharistia,
De Asseruatione Eucharistiæ,
De CHRISTO in Eucharistia adorando,
De communione alterius speciei, & alijs quibusdam lectu dignissimis, aduersùm hęreses & sectas hodiernas,

OPVS REVERA INSIGNE, NVNC DEMVM optima fide integrè Latinè redditum per F. Laurentium Surium Carthusianum.

CVM INDICE LOCVPLETISS.





Iohan. VI.
Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus.

Coloniæ apud Hæredes Iohannis Quentel & Geruinum Calenium,
M. D. LX.

CVM gratia & priuilegio D. Ferdinandi Imper. Ro. ad Decennium.

EXIMIO SPECTA-
TAEQVE INTEGRITATIS I. DO-
CTORI, D. IOHANNI GROPPERO IVNIORI,
apud D.Gereonē Scholaſtico benè merito, Dño
& Patrono ſuo reuerenter obſeruando,
S. P. D.



N habes hîc, celeberrime D. Scholaſtice, opus præclarum & admirabile clariſſimi & eruditiſſimi viri, non ità pridèm piè in Christo defuncti D. Iohannis Gropperi, patrui tui, mea opera latinè cõuerſum. Quod etſi iam antè è Germanicis Latinũ fecerit vir optimus, & mihi de meliori nota iampridèm cõmẽdatus Christophorus Caſſianus, tamen ea verſio vſq;adeò permultis nõ ſatisfecit, vt ego quoq; apud pleroſq; eo nomine non parùm malè audiam, quòd illi verſioni præfationẽ meam ad Lectorem præfixerim. Sũt enim, quibus admodùm diſplicet, illum interpretem ſcripturę diuinæ & S. Patrum ſententias non raro ſuis verbis reddidiſſe, & quædã alia, quæ ego cõmemorare nolim. Certè quòd ad me attinet, mallem ego alium hanc nõ parùm moleſtã deintegrò transferendi prouinciã ſuſcepiſſe. Neq; enim ego ea eruditione ſum, vt idoneum aliquid præſtare queã: nec mihi

per monasticas occupationes integrum est multũ temporis & operæ in eiusmodi reb' ponere. Cùm autẽ intelligerem esse permultos, qui aliam versionem vehemẽter optarent, illorũ voluntati morem gessi, planè mihi persuadẽs, priorem interpretem eo esse candore & integritate, vt nõ ægrè laturus sit etiam alios illo tam insigni conuertendo opere, catholicæ Christi ecclesiæ & pijs omnibus velle gratificari. quanto aũt labore mihi constiterit, vt ipsa Patrum verba ex innumeris citata locis, in ipsis fontibus inuenirẽ, dicere nihil attinet, cùm id nulli obscurum esse possit, nisi qui planè bardus & bliteus sit. Sed laborem illum meũ nõ mediocriter consolatur fructus vberrimus, quem indè ad lectores rediturum spero. Habẽt enim illa Sanctorũ Patrũ verba suam quandã emphasin & mirabilẽ energiam, quã, si vel paululùm mutata sint, facilè amittunt: & quanuìs ea ab huius Operis authore studiosissimè & appositissimè Germanicè expressa sint, fieri tamẽ vix potest, vt in alieno idiomate eam habeant gratiam, quã in suo. Quô fit, vt ego non dubitẽ Latinã huius operis editionem longe maiorẽ Christianæ Reip. allaturam vtilitatẽ, q̃ Germanicam: atq; vtinàm author ipse q̃ Germanicè scripserat, etiam Latino sermone edere voluisset: quod quidẽ illũ cœpisse qñdoq; didici, sed vt absolueret, occupationes grauissimæ non patiebantur. Nemo facilè crediderit, q̃ multiplex huius operis vsus sit & oportunitas, tametsi quibusdam alicubì in citandis patribus Author prolixior esse videatur. Sed næ illi

haud

haud animum aduertunt, eiusmodi hîc tractari argumentum, de quo pro dignitate nihil vnquàm satis dici queat: tum verò scelestos quosdam & importunissimos tenebriones, hauddubiè ab ipsis malis dæmonibus impulsos, in eam curam tota mente omniq́ue animi impetu, & quod dici solet, remis velisq; incũbere, vt id ab Ecclesia penitùs profligent & auferant, sine quo nulla potest esse Ecclesię salus, quodq; si ablatũ sit, religionẽ quoq; Christianam funditùs perire necessè sit: videlicet celsissimũ, augustissimũ ac diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum. Quorum impijssimis ac sceleratissimis conatibus cùm nemo sit, qui non debeat quacunq; possit ratione ire obuiàm, efficereq; pro sua virili, vt quod illi volunt, nũquàm impetrare queant, quãto iustiùs vir doctissimus, idemq; tot præclaris animi dotibus egregiè ornatus, quanta maxima dicendi scribendiq; vi potuit, illorum impotentes impetus frãgere, vires elidere, machinas omẽs, quas illi adhibent ad Ecclesiam euertendam, dissipare, tanti tamq; suspiciendi, reuerendi, adorandi Sacramenti tam atroces, horrendas, inauditas iniurias, cõtumelias, blasphemias feruentis fidei & flagrantissimæ charitatis zelo persequi, profligare, vindicare debuit? Qua in re si quis paulò sit copiosior, cui mirum videri queat, nisi in quo fides iam planè mortua sit & extincta charitas? Atq; vtinàm pluribus res ista pro eo

atquè par esset doleret, nec tam impunè sinerētur isti teterrimi nebulones in hoc sanctissimum Sacramentum, cui ipsi quoquè angelici spiritus, vt ait Chrysostomus, tanto cū horrore adstant, immò in quod nec oculis possunt prospicere, teste Hesychio, tot iactare conuicia, & blasphemias nullo pacto ferendas. Et quāuìs illi eiusmodi ferè omnia & dicant & scribant, quæ non orationis verbere iam, sed omnibus supplicijs coërceri vindicariq; debeant, tamen ad ea stabiliēda cumulatìm ex scriptis diuinis & S. Patrum monimētis sententias, sed vel non integras, vel malè detortas ac perperàm interpretatas proferunt, quibus sua mēdacia fucare conantur, atq; id plerunquè efficiunt proh dolor apud incautos & imperitos, vt omninò verum dicere videantur: itaque fit, vt illorum putentissimis mendacijs ipsa incommutabilis veritas, quam in scripturis veneramur, & sanctissimorum patrum sanctissima scripta suffragari ac patrocinari cogātur. Verùm vt omnes intelligerent neq; scripturas diuinas, neque Patrum monumenta pro illis, sed vel maximè contra illos facere, D. Gropperus incredibili studio & maiori quàm credi possit labore aliquammulta ex sacris literis, & innumera ex patribus loca collegit, quę istorum nefando dogmati adeò nihil fauēt, vt illud etiam euidentissimè condemnent ac euertant. Vbì sanè copiosior vt esset, res ipsa non hortabatur modò, sed flagita-

In Actis Apost. cap. 9 Hom 21.

In Leuit. lib. 2. cap. 8.

bat

bat etiam, quò omnibus in prospectu foret, quòd isti scripturas & Patres tanquam ipsis fauentes allegant, id eos sacrilega quadam & impudentissima vanitate nec absque insigni scripturæ diuinę & sanctorum Patrum contumelia facere. Porrò in adserendis Patrum testimonijs satìs superque ipsus sese prodit, quàm multę & propè incredibilis lectionis, quàm tenaci memoria, quàm infatigabili animo, quàm voluptatum negligens fuerit. Nisi enim tempus omne lectioni impendisset, fieri vix potuit, vt tot authores euolueret ac lectitaret, nec id perfunctoriè tamen, sed diligenter & accuratè, vt eius libri probant, quorum non paucis ego hoc in opere transferendo vsus sum, illorum copiam mihi faciente Dignitate tua, spectatissime D. Scholastice, cui illa eius omnibus libris instructissima bibliotheca ab ipso D. Groppero testamento relicta est. Nec dubium quin hac legendi assiduitate id ille assecutus sit, vt fœdissimas carnis voluptates, quibus iam permultos etiam sacris initiatos turpiter subiacere videmus, planè respueret, conuenienter illi Hieronymianę sententię: Ama scientiam scripturarum, & vitia carnis non amabis. Itaque quòd multa etiam in clero habemus turpissimarum libidinum mancipia, indè adeò accidit, quòd cum tempus omne orando, legendo, scribendo, alijsque id genus pietatis exercitijs transigere deberent, ipsi contrà comessando, potando, ludendo, ociando illud transmittunt, & pessima de seipsis exempla probent laicis, quibus ipsorum tam dissoluta vita fit odor mortis in mor-

mortem & incitamentum ingens propensiùs in hæreses ruendi. Atq; vt cordati omnes facilè conijciunt, malorum omnium quæ hodiè iusto Dei iudicio patimur, vel præcipua causa est impura & sordida vita cleri. Quicquid in hæreticis virium, quicquid roboris inesse videmus, indè nimirùm proficiscitur. Sunt certè permulti etiam apud sectarios, qui si nos illis studijs addictos, illis moribus prẹditos cernerẽt, quibus meritò deberemus, facilimè ad catholicam Ecclesiam reuerterentur, ptæsi videlicet acerbissimæ dissensionis, qua sectarum architecti alij ab alijs distrahũtur, & inuicẽ se hẹreseos condemnant. Iam verò dum sic plerique viuimus, vt pudor sit dicere, plures indiès ab Ecclesia deficiunt, & in hostium suorum veniunt potestatem, nostris corruptissimis moribus offensi. O miseram & omni lachrymarum fonte deplorandũ horum temporum Ecclesiæ statum. Nunquàm importunissima illa belua, Martinum Luterum dico, tam pudenda, execranda, impia apud Christianos dogmata spargere ausa fuisset, nisi illi rei optimè gerendæ, & quicquid voluisset haud difficulter efficiendi spem maximã subministrâsset Cleri vita mala, & heu multùm nimìs ab illa sua prima integritate mutata. Quis enim illud immane ac teterrimum monstrum vlla ex parte ferre potuisset, nisi pmissu Dei in nostra peccata iustè animaduertentis, permulti ab illo fascinati,

& oculis

& oculis pariter atque mente capti, cùm eum ceu lupum rapacissimum & totum Christi ouile dissipare conantem fugere deberent, haud secùs atquè Christi Apostolum, immò Christum ipsum amplexi essent? Nihil ille crepabat aliud quàm Euangelium, & vt alia præteream, quô populum in Pontificem & alios oẽs qui in clero numerantur, concitaret, mirè apud vulgus exaggerabat, inuidia Pontificum ablatum laicis calicem contra expressum Christi mandatum. Et tamen idem ipse qui Christi mandatum tantoperè vrgebat, ausus est scribere, prò nefas, nescio qua satanica arrogantia & impotentia: Quinetiam si quo casu Cõcilium statueret, minimè omnium nos vellemus vtraque specie potiri: immò tunc primùm in despectum Concilij vellemus aut vna, aut neutra, & nequaquàm vtraque potiri, & planè eos anathema habere, quicunque authoritate talis Concilij potirentur vtraque. Hæc ille, ô scelus, ô portentum, ad solas terras deportandum. Eccè tibi quinti Euangelij nouum præconem, dignum quem mundus admiretur, suspiciat, colat. Sed vt dixi, tam execrabili & importuno homini nemo vnquàm sanę mentis assentiri potuisset, nisi nostris peccatis nimiùm offensus Deus, hominum pectora fascinari permisisset, adeò vt illi fidẽ commodare mallent, licèt absurdissima & impijssima proponenti, quàm Ecclesiæ sponsæ suæ, in qua etsi

In libro de formula Missæ.

praui mores inerant,non tamē aberat fides vera.Indè porrò accidit,vt cùm ille primùm pro DEO coli cœpisset,etiam alij existerent, qui eius tam audaci facinore prouocati,auderēt ipsi quoq; aliquid cōminisci. Itaq; Sacramentariorū mox exorta est factio, qui V. Sacramētum penitùs auferunt. Quanuìs autē Luterani hac in parte paulò modestiores sint, vt qui non negent Christū in Eucharistia pſentem esse, cùm ea sumitur, vtriq; tñ hac in impietate pares sunt,ꝙ ab Ecclesia tollunt iuge sacrificium,atque ità etiam omnem pariter Christianam religionem. Ablato enim sacrificio,vnà ipsa religio collabascit:atq; cū Christus ipse fidelibus suis in ipsorum consolationem pollicitus sit se cū eis futurum,hauddubiè in V.Sacramēto, vt Patres interpretantur, omnibus diebus vsq; ad consummationē seculi,isti tāto solatio priuant Christianos, & Christū mendacē efficere nitunt̄. Qua tñ in re id inprimìs admirandum est,vt cùm nihil ferè nisi fidē crepēt, nihil tñ minùs ꝗ fidem ipsi se habere prodant. Christus em̄ disertis verbis dicit,Hoc est corpus meū, Hic est sanguis meus: vbì cùm simpliciter oporteat credere, nec dubitare, quin ità sit,vt ipsa summa veritas suis verbis affirmat, tamen isti vastissimas pectoris sui tenebras tam immensæ luci anteponentes,ingenij sui planè ficulneis rationibus niti mâlunt, ꝗ verbis Christi fidem indubitatā adhibere. Nihil enim ferè ista hoīm

fæx credit, nisi quod ratiōe possit compræhendi. Sūt inter catholicos, qui ità sentiāt nouos istos dogmatistas duo q̄dam p̄cipuè velle abolita & prorsus à Christiano orbe eliminata, ipsum videlicet præstantissimū Eucharistiæ Sacramentū, & sanctorū inuocationem, inprimìs aūt intemeratę illius ac illustrissimæ Virginis Mariæ MATRIS DEI. Quorum sentētia si paulò diligentiùs expendatur, veritati oīnò consentanea cōperieť. Quātoperè enim Eucharistię p̄stantissimū sacramentum, isti detestabiles homunciones p̄scindant & insectenť, nemo ignorare poteſt, q alicui⁹ sit lectiōis. Porrò sacratissimę virginis MATRIS cultū oēm & venerationē eos ferre molestissimè, nimìs q̄ manifestū est. Sed quarè tandē, aut quā ob causam? Si Christ⁹ ipse tm̄ detulit MATRI, vt subdit⁹ esset illi, tu indignā arbitraris, cuius fidē nos miseri imploremus, cuius preces ambiamus, quā nos ità vt decet DEI MATRĒ, officiosissimè veneremur? Non vis à nobis honorē haberi MATRI, quā Christ⁹ ipse summis & amplissimis honorib⁹ decorauit, ità vt licèt tibi hęretice ilia rumpanť, ferre tñ cogaris, eā non ab herì & nudiustertiùs sed iam olim à tota Christi ECCLESIA dici cæli reginā, mundi Dñam, vitam, spem & aduocatam nostram? Esto, tibi id doleat, sed impedire tamen non poteris. Velis, nolis, audies ex illis antiquissimis & sanctissimis Patribus Basilio & Chrysostomo, vt alios omittā, eam etiam in publicis

 litur-

liturgijs crebrò inuocari, appellariq́; super oẽs benedictã & gloriosam Dñam nostrã. Audies dici ab illis: Precibus sanctissimę Deiparę, Seruator, serua nos. Patieris quoq; tot in toto orbe Christiano in matris Dei honorẽ extructa cõspici pulcherrima tẽpla, ex quibus permulta etiã ipsa antiquitate sunt admiranda, tot per anni circulũ eius festos dies & solennitates celebrari, multaq́; alia ab vniuersa Ecclesia, q̃ latè patet Christiana Resp. in eius venerationẽ religiosissimè ac studiosissimè fieri: q̃ posteaq̃ Germania cœpit fastidire ac respuere, in eas calamitates incidit, ex qb9 vix vnq̃ emersura videatur. Vos quidẽ hęc mirè execramini, sed nisi dati essetis in reprobũ sensum, non id faceretis. Verissimè ẽm dixit Augustinus: Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ità faciẽdum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est. Maiores nostri non tã stupidi fuêre, vt nescirent quid agerent. Olim cũ in Germania catholica religio vigeret, quam vos Papisticã vocatis, lõgè alia erat Germaniæ facies, q̃ hodiè sit. Sed iusto Dei iudicio fieri videmus, vt q à matre vestra catholica Ecclesia defecistis, iã nec inter vos vlla ratione concordiã tueri possitis, sed in tot fœdas sectas alij ab alijs distracti sitis & dissecti, vt mirũ sit nõ vestrî pudere vosmetipsos, cùm tñ iam etiã vulgus à vobis miserè euersum, stultitię vestrę pertęsum sit. Verùm hęc dum cũ hæreticis ago, humanissime D. Scholastice, à T. D. digres-

Epist. 118.

digressus videri possim. Sed nō dubito, quin etiā T. D. admodùm malè habeat, quòd ꝑter Sacramenta, maximè verò summū illud & tremendum Eucharistiæ Sacramentū, videmus vsq; adeò exhibilari ab istis nouis hoībus inuocatiōem Sāctorum & ipsius quoq; nunq̄ pro dignitate satìs honorandę matris Dei. Quā multi immò innumeri doctrina quoq; & sanctitate ꝓstantes viri, patrum nostrorū, immò nostra quoq; memoria, post Deum ꝑcipuo in honore semper habuêre, & qui se sceleribus oppressos nouerāt, aduersùs desperationem, q̄ plurimos in supremo spiritu cōstitutos perdit, nullum ferè ꝓsentius remediū adhibendum putauêre, q̄ vt ad Dei clementissimam matrem confugerent, illi quotidianū piarum precum & aliarum sanctarū exercitationum pensum aliquod persoluerent: nec sua eos spes fefellit, vt potest multis grauissimis & certissimis exēplis doceri. Rectè eñ dixit Bernardus, cui isti quoq; hæretici nō parùm tribuere coguntur: Si criminū immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperatiōis abysso, cogita Mariā. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariā inuoca. Hęc ille tantus vir, cui nos multo tutiùs fidem cōmodamus, q̄ istis leuissimis homuncionibus, qui nec sibijpsis vlla in re satìs cōstāt. Et vt magìs illi in sua perfidia tabescant, & pij oēs ad veneratione Virginis Homil. 2. super M. S. fui est.

matris tanto ardentiùs inflamment, libet adhuc aliā
Sermo. in Natiuitate Mariæ. eiusdē sanctissimi viri sententiā adscribere. Altiùs ergò intueamini, inquit, quanto deuotiõis affectu à nobis eā voluerit honorari, q toti⁹ boni plenitudinē posuit in Maria: vt ꝓindè si quid spei in nobis est, si quid gratię, si qd salutis, ab ea nouerimus redūdare, q̃ ascendit delicijs affluens. Totis ergò medullis cordium, totis p̄cordiorum affectibus, & votis oĩbus Mariam hãc veneremur: quia sic est volūtas eius, qui totū nos habere voluit per Mariam. Verùm his in honorem tantæ virginis, & vt plures inuitētur ad eius amorē & venerationē, licèt fortassis extra rem, non tñ temerè dictis, vt ad T.D. mea se referat oratio, spectatissime D. Scholastice, equidem illā nõ meo duntaxat, sed bonorū oĩm noĩe rogatā velim, vt q̃nquidē nedùm in nomen, sed etiā in locum & functionē Ecclesiasticā patrui sui D. Gropperi successit, id modis oĩbus agat, vt hęc insignis diœcesis non noĩe dūtaxat, sed etiā re ipsa alterū se Iohannem Gropperum obtinuisse gratuletur. Qui enim apud D. Gereonem Scholastici dignitate & officio fungit̃, idem ipse os cleri vocari solet. Eum verò, qui os cleri nõ iniuria appellari velit, dubium non est haud vulgari eruditione ac pietate p̄ditū esse debere. Talē fuisse patruū tuū, cū q huius author est operis, nõ obscurū est illis q cū ꝓbè cognitū habuêre. Nec ignorãt, quotquot hisce in locis degūt, qualē ille se p̄buerit

erga tuendã in tota hac diœcesi catholicã religionẽ, q̃ imperterritus eo noĩe multis etiã periculis vltrò ipsus sese obiecerit, quantũ eã in curã incubuerit, vt mores tũ cleri, tũ populi in melius reformarent. Ego ipse cũ apud D. Gereonẽ adolescentulꝰ agerẽ in ædibꝰ illius multis noĩbus colendissimi D. Georgij Lũdensis Archiepiscopi, q ꝓ pietate exul hîc degebat, cuiusq; cõuictor ego tũ erã, multa in eo vidi laude digna. Mẽsa illi, vt T. D. meliùs nouit, etsi honesta & liberalis erat, tñ ad eã nihil ferè nisi de scripturis diuinis ab illo ꝓferebat, quas etiã inter edendũ ex Patrũ monumẽtis ea gratia interpretari solitus erat, vt mihi priuatìm quidã vrbis huius nõ infimus dixerit, se libẽter centũ illi aureos numeraturũ, vt liceret vel anno vno quotidiè illius mẽsæ assidere. Et quanuìs totus esset in libris, nisi aliò eũ, id quod identidẽ accidit, seria negocia auocarẽt, tñ propè assiduus in tẽplo fuit, cũ illic ꝓ more diuinarum laudũ pensum ꝑsolueretur. Et vt cęteris eius virtutibus ꝑtermissis, rem in pauca cõferam, talẽ ille se ꝓbuit intereà dum Colonię vixit, maximè in hęreticis ab hac tota diœcesi arcẽdis, vt eũ non immeritò patrẽ patriæ huius appellare possimꝰ: & certè dolet nõ mediocriter pijs oĩbus, eũ virum relicta Colonia in Italiã cõmigrâsse, & illic immatura ꝓpemodùm morte diẽ obijsse suũ. Sed ea tñ calamitas tolerabilior fit, dũ sibi pleriq; pollicent, fore vt in T. D. alterum Gropperũ vt
nomine

nomine,ità & re ipsa habeamus. Quod vt magis etiã conniti velis,Reuerẽde D.Scholaſtice,magno tibi incitamẽto eſſe poteſt etiam vtriuſq; parentis tui haud vulgaris pietas & integritas,patrui quoq; tui D.Caſpari celeberrimi viri,qui iam Romę moraẽ,ſpectata virtus & haud vulgaris eruditio:quorũ pietatem imitari tę decet,nè,quod abſit, non ſolùm nullo honori,ſed maximo etiã dedecori ſis familię Gropperanę. Quãquàm hæc ego T.D. fortaſsis liberiùs ſcripſi,quàm me deceat:feci tñ aĩo certè candido. Sed nè longior ſim, quicquid hoc in opere bona fide Latinè transferendo à me ſudatum eſt,id totum ego T. D. obſeruãdiſſime D.Scholaſtice, dñe & patrone ſingularis,nuncupatũ eſſe volui,vt vel hoc ipſo T.D.haud obſcurè poſſit intelligere, me familię veſtrę, cuius prӕclara extant in Chriſtianam Remp.& hanc pcipuè diœceſin merita, ità vt par eſt,eſſe addictiſſimũ, nihilq; me optare magis,q̃ vt quales hactenùs habuimus Gropperos, tales deincèps quoq; ſemper habeamus. Deũ oro,vt T.D. vnà cũ Godefrido fratre tuo D. Doctore & Maioris ædis Canonico,itẽq; patre D. Doctore viro integerrimo,& matre honeſtiſſima ac religioſiſſima matrona,totaq; veſtra familia,in annos multos ſua benignitate ſeruet ac tueatur incolumem. Data Coloniæ in Cellula mea 14.Calend.Septembr.Anno 60.

T. D. addictiſſimus F.Laurentius
Surius Carthuſianus.

AD

AD ORNATISS. DOCTISSq; VIRUM D. Godefridum Gropperũ LL. professorẽ cõsultiss.

Gerardi Hutingij Dotinchemensis carmen προσφωνητικόν.

INTER tot fratris mœstissima fata querentes,
En ego, mi Doctor, sum, Godefride, simul.
Si Mecœnates quondàm deflere poetas
Addecuit, mutos nos minùs esse decet.
Haud etenim frater nobis tuus infima dona
Præstitit, & nostram fouit amore Domum.
Hoc satis ostendit nostræ legata Iuuentæ,
Perpetuo durans lectio sacra die.
Vt taceam, quotiès nos ad sua prandia secum
Duxerit, & multis iuuerit vsquè modis,
Adde quòd & fidei commiserit omnia nostræ
Instituenda probè pignora chara tua.
Quorum pars frugem magnam nunc attigit, amplum
Gymnasio nostro progenitura decus.
Pars disciplinæ nostræ modò castra sequendo,
Exhibet in cunctis spem studiosa parem.
Ingratos igitur nos possent saxa fateri,
Si dolor iste nihil nos cruciaret atrox.
Ast vtinàm liceat nobis properantia luctu,
Quo decuit, fratris plangere fata tui.
Haud mea ritè satis tantum deflere Camœna
Nouit, & impediunt cura grauisq; dolor.
Sed faciant alij grauiora poemata: nostrum
Non puto despicies, fautor amice, rude.
Obtulerat paruum paupercula fœmina munus,
Econtrà vanè grandia Scriba tumens.
Sed tamen à Christo plus fœmina laudis habebat,
Quàm quiuis alius maxima dona ferens.
Haud opus est etenim, sed mens pensanda: facultas
Omnibus haud æqua sorte tributa datur.
Dij faciant, possis tetrum superare dolorem:
Vt mea soletur te quoquè Musa, rogo.
Nec fas est adeò lachrymis tabescere pectus:
Planctibus ex tumulo nemo redire potest.
Et quia tam prauis totus scatet actibus orbis:
Qui moritur, citiùs nónne beatus erit?
Ergò tuus frater celebri post fata relicto
Nomine, iam lætus cælica regna colit.
At tibi iam fratris chari vice maximus æuo
Gnatus Ioannes constituendus erit.
Id similes mores, probitas, industria, v[illegible]tus,
Atque Scholasteris munera clara iubent.
Quarè depona[illegible] luctus, & ἀχρόσιχα nostra
Accipias vu[illegible] candidiore, precor.
Si poterunt vires, aliàs tibi plura canemus,
Qualia sint meliùs nomine digna tuo.
Id porrò longè meliùs præstabitur olim,
Hæc si quo videam grata fuisse modo.
Fac tamen intereà valeas, clarissime Doctor,
Vtq; facis, semper perge fauere tuis.

IN MORTEM REVERENDI
ET MAGNIFICI VIRI D. IOANNIS GROPPERI LL. DOCTORIS CLARISSIMI, AD S. GEREONEM Scholaſtici, Eccleſię collegiatę Bonnenſis Prępoſiti, Colonienſis Eccleſię Archidiaconi digniſſimi, & Cardinalis deſignati, Elegia ἀκροςιχίς.

O Triſtes elegos, qbus hoc ego tẽpore iuſſus
Bruta necis cogar pandere fata trucis.
OBIIT In mentem Muſas lętiſſima quęq; daturas
Iam mihi ſperâram carmina ſæpè meam.
Tu modò mors aliud nobis inuiſa miniſtras:
Res ità diſpenſas improbitate tua.
Ergò chelyn, citharam Muſæ ponantque ſuperbas
Veſtes: hoc ratio temporis ipſa iubet.
E viuis ſiquidem ſummus Patronus earum
REVERENDVS Raptus, in externæ parte quieſcit humi.
Ergò ſic etiam mors nos comitatur acerba?
Nullibì vitari meta ſuprema poteſt?
Ducite Teutonicæ querulos de pectore triſti
Verſus Pierides, ducite. flere decet.
Scilicet ille iacet confoſſus arundine mortis,
AT Ex cuius ſequitur veſtra ruina nece.
Tam fuit inſignis ſtudij defenſor, & omnes
Mirifico doctos mentis amore tulit.
Aedes illius doctis patuêre quibuſq;:
Grandibus ornauit muneribuſq́; Scholas.
Non Agrippinæ tacet hoc Academia, florens
MAGNIFICVS Inprimìs eius ſedulitate graui.
Fecit vt hîc auibus longè melioribus artes
Ingenuas tradant, erudiantq́; Scholæ.
Crebris externam Sophiam ſudoribus auxit:
Vt ſatìs hoc ipſi ſcripta dicata docent.
Scripta dicata docent, quanto flagrârit amore,
Vt ſtudijs merces, & ſimul eſſet honos.

Id

Id quod & obtinuit: quarè post secula cuncta
Regia facta Viri gratus Apollo canet.
Ducite Vuestphalicæ Charites suspiria crebra:
Omnibus æqualis debet hic esse dolor.
Mortuus est etenim, quem vos peperistis alumnũ,
In patriæ lumen, Teutonicię; soli.
Non modò iam factus Musas tractabat adultus
Vir, sed & à puero penè fouebat eas.
Suscipit è patria generosa Colonia missum,
In cuius studijs instituendus erat.
O felix studium, mirè celeremque laborem
Ad tituli merito dona ferenda suo.
Nam per Aristotelis magni decreta vagato,
Non ità pòst longè summa corona datur.
Excedunt annis alij fortasse puellum,
Sed cunctos superat dexteritate sua.
Grandia post Musæ facilis complexus honores,
Rectè proposuit voluere iura sacra.
Omnibus hîc itidèm de se miracula quædam
Præbuit, & celebres claruit ante viros.
Pontificum sanctos Canones, legesq; prophanas
Edidicit magno laudis honore breuì.
Redditur hîc etiam post debita tempora Doctor,
Vtraque cum magno Iura stupore docens.
Sic eius clarè celeberrima gesta fatentur,
De quibus vt scribam non elegia finit.
Eloquij miram venam natura benigna
Contulit, & verbi gratia magna fuit.
Isocratem Græcum placido sermone fluentem
Myrmidonum tellus vndiquè tota vehit:
Ora diserta sui Ciceronis vbiquè Quirites,
Qua possunt laudis cum grauitate, crepant:
Verùm Gropperi cui sat facundia constat,
An non iam victum dicet vtrunq; diù?
Rhetora vix illi Germanica nostra secundum
Terra dedit, dubitas credere? clara loquar.

VIR
DOMINVS
IOANNES
GROPPERVS
DECIMO
QVARTO

Orator Cleri florens vtriusq; disertus,
Dextera profudit nec nisi verba rata.
DIE Id,cùm percelebri Gereonis in Aede Scholaster
Esset,commissum semper habebat onus.
Multa fuit (multi nôrunt) incommoda passus:
2 Ast indefesso pectore semper erat.
MARTII, Recta secutus enim potuit contemnere vulgus:
Ter fortis,nihili scommata falsa putans.
Iam quotiès verbis Collegia multa disertè
In varijs tuitus sit,numerare sino.
Ah nouit,certè nouit sacer ordo, patrono
ANNO Nunquàm se simili fidere posse satìs.
Non vllas igitur lachrymas sacer ordo profundet?
Ordo sacer,lachrymis exprime damna tua.
M. Moribus & vita cunctos præcessit honestè:
D. De tot vix aliquis par fuit vllus ei.
V Lux fuit in toto Clero,quid singula narrem?
L Vah quòd lux tenebris clara sepulta iacet.
Iam tamen in cæli nitida præstantiùs arce,
Ingenti circun- lumine -cincta, micat.
IIII. In terris pariter nunquàm peritura vigebit
Illius in quouis cognita fama loco.
Nec tibi quæ tractas Oracula sancta Corona,
A fletu meritò temperet vda gena.
NATVS Te siquidem fermè lapsam reparauit amussìm:
Vt modò tam vigeas,vnus hic auctor erat.
Sumptibus haud modicis posuit certamina primus,
Legitimè certo conficiunda die.
L Vtilius nihil est,cùm sic abstrusa venena
V In lucem videant prodita ritè rudes.
I Admonuit multos etiam, commissa talenta
Nè sinerent turpi tecta latere situ.
ANNOS, Nec frustrà monuit:cùm iam pleriq; talenta
Obtulerint Domino multiplicata suo.
Solus in hoc totus fuit,vt Germania nostra
Rectam seruaret mordicùs vsquè fidem.

Ob

Ob quam rem varios sumptus, conamina quęuis,
　　Multijugo subijt sæpè labore lubens.
Addite vos ergò funebria carmina Nymphæ,
　　E quibus Eloquij profluit vnda sacri.
Huc quoq; Gymnasium Montis concedito, Fautor
　　Optimus occubuit morte nocente tuus.
Nónne tuos semper promouit amore Magistros
　　Omnes præcipuo? munera nónne dedit?
Reuerà viuens tibi commoda præstitit ampla:
　　Illorum nunquàm non meminisse decet.
Fallor? an & moriens stipendia larga reliquit
　　In studij verè commoda magna tui?
Credo: nam primùm voluit pietate Iuuentam
　　Excultam contra sparsa venena vagam.
Sumptibus ex proprijs Christi sanctissima gesta
　　Exponi, viuus iusserat antè diù.
Pòst autem subitò fato correptus, anhelis
　　Verbis perpetuò iussit id esse ratum.
Lectio Gropperi nullo moritura sub ęuo
　　Te decorat, Montis non peritura Domus.
Vidit vir prudens quantos Ecclesia fructus
　　Sentiat, vt sacris casta Iuuenta studet.
Cumprimis tutor fortis pietatis auitę
　　Vixit, Apostolicę Relligionis amans.
In fidei caussa veteris mordacia scripta,
　　Verbaq; mente pius vir patiente tulit.
Scribendis libris curas impendere sudor
　　Assiduus, tristes nec vetuère minę.
Nec referam quantus fuerit patronus egenis
　　Iugiter ex Christi, diuitijsq; suis.
Mille viri durant ęuo benefacta perenni,
　　Ad Christi miseri membra fouenda status.
Romani tantis moti virtutibus illum
　　Exoptant, placidis muneribusque fouent.
Quid, quòd Pontificis Summi clementia Bonnę
　　Vltrò Prępositum non sinè laude facit?


REQVIESCAT Indè nouis alijs (à nomine Cardine dictos
Eſſe reor) titulis condecorandus erat.
Sed mors quæ titulos nihili conſueuit habere
Conſpicuos, iuſtum ſurripit ante diem.
A patrijs laribus (ſic ſors fortaſsè volebat
Tunc noua) Romanum cœpit adire ſolum.
IN Inter cognatos, fratres, aliosque propinquos
Non fuit exiguus tunc (mihi crede) dolor.
Perueniẽs Romam, magno ſuſceptus honore
PACE A Patre ter ſancto, plebe ſtupente, fuit.
Contendunt alij tantum turbare fauorem:
Euincit probitas, ſibila falſa ſilent.
In palmis ſimiles videas exiſtere vires:
IN Nulla premunt apicem pondera magna licèt.
Conſtanter facias rectè, mendacia magni
Haud obtrectantis ſunt facienda tibi.
Reprimit ad tempus fortaſsè calumnia: verùm
CHRISTO, Iuſtitiæ nunquàm vis generoſa perit.
Sed cùm iam menſes aliquot degiſſet in vrbe,
Tam quoquè fulgeret ſplendida fama viri:
Occumbit lento tandèm cruciamine febris,
Cùm ſtudio ferret præmia digna ſuo.
CVI Vidiſſes hominis fortiſſima pectora magni:
Intrepidè mortis ſpicula dura tulit.
Graſſatur morbi per tabida membra tyrannis:
Laudes & preculas pallida membra ſonant.
GLORIA Omnibus exemplo iacuit ſub mortis agone:
Res ea tam ſancto pectore digna fuit.
Immoritur precibus: luctu tonat vndiquè Roma:
A fletu Papam continuiſſe negant.
Sed quid tu fratris comes hîc Caſpare fidelis?
Vix manet in toto corpore vita tibi.
SVMMA Mors tibi vix fuerat violenta propinquior vnq;
Mente tamen forti tam mala dura voras.
At datur intereà corpus venerabile terræ:
Defertur tumulo gloria magna pio.

Exactis

Exactis aliquot post tristia fata diebus,
Blanda coit facili turba Latina gradu.
Egreditur Summus Pastor velamine pullo
Tectus,& extollit nomen ad astra Viri. DEBETVR.
Vix pro differtis Rostris encomia Magni
Roma fuit Marco mota loquente magìs.
Auditor primùm Doctor Casparus ibidèm
Magnifico fertur dictus honore Rotæ.
En quàm sat meritos probitas amittere fructus AMEN.
Nesciat. æternùm fide Patrone vale.

IN EIVSDEM D. IOAN. GROPPERI IMAGINEM AD VIVVM DEPICTAM, ET IN VESTIBVLO TEMPLI D. GEREONI SACRI AFFIXAM parieti, iambicum Epitaphium, eodem authore.

PIctam vides viator hanc imaginem?
Gropperus hoc vultu fuit dum viueret
Pulchro,sed intùs dotibus pulcherrimis
Ornatus:illas pictor haud adpingere
Eualuit,at relicta fama prædicat.
Iuris Professor vtriusque splendidus,
Theologus æuo maximus suo fuit,
Pugil fideliter tuens Ecclesiam.
Castus sacerdos,atque tutor pauperum.
Orator vtriusque Cleri,præditus
Facundia mirabili:Scholasticus
Huiusce Templi diligens prænobilis,
Bonnensium Collegij dignissimus
Præpositus,atq; Cardinalis arduo
Honore designatus à Sanctissimo
Papa.mori Colonię decreuerat,
Sed fata Romę terminum pręfixerant.
Cùm quindecim iam præterîssent secula,
Lustraque decem nono ferè cum Martio,
Tunc pridiè vir clarus Idus Martias,
Romę relinquens triste seculum,petit
Cælum,sepultus laude magna postmodùm.



ALI-

ALIVD IN EANDEM ELEGIACVM, AVTHORE

Gerardo Matthisio Geldriensi, S. literarū professore.

ADspice, quem viuum docti pictoris imago
Scita refert, patrij spemq́; decusq́; soli.
Hac sacra Ioannes Gropperus in æde Scholaster
Claruit, innumeris dotibus ille micans.
Hunc Ius, hunc artes, hunc sacra volumina cunctis
O quàm mirandum proposuêre virum.
Hunc celebri fama tot iam commotus ab annis,
Ad se Romana præsul in vrbe vocat.
Offert, quos alij magno mercantur, honores
Diuinos, hominem sed nihil ista mouent.
Temnit decretos titulos, nil suspicit vnam
Præter virtutem, cui decus omne subest.
Tandèm seu fato, seu Petri sedis amore
Visendæ, Oenotriæ rura beata petit.
Non credas, quanto plausu, licèt æger, in vrbem
Delatus veniat: singula quæq; stupent.
Miratur Præses tremebunda voce loquentem
De varijs: Aegri tantus in ore lepos.
Cùm sit virtuti comes indiuulsus honestæ
Liuor iners, vitio hoc nō caret iste malo.
Fœda quid obijcient telluris pondera, mirum:
Mirum, quàm tristi suspicione grauent.
Scilicet id studio est, quô maxima præsulis ipsum
Supremi bonitas deserat atq; fauor.
Id licèt omnimodis conficto crimine tentent,
Nil iuuat: afflicto gratia maior adest.
Quid multis? tandèm Domini clementia fortem
E medio athletam tollit agone suum.
Hîc videas, quanta sacrum pietate redundet
Pectus, quàm flagret Relligionis amans.
Christe tuo pastus sacrato corpore, sacrum
Toto Ceroma pectore lętus auet.
In Domino moritur, totum victurus in æuum,
Heu fidei quantus cultor & auctor item.

PRAE-

PRAEFATIO

AVTHORIS E GERMANICIS REDdita Latinè per F. Laurentium Surium Carthusianum.



NTER omnes iam olim damnatas hæreses, quæ nostro hoc turbulētissimo seculo ab inferis reuocatæ, cumulatimq; in lucem editæ sunt, passim hodiè per ipsissima malorum dæmonum organa & ministros, omnis iustitiæ hostes, nēpe hæreticos, nulla tanta contentione, arte & calliditate, non absq; immani euersione & perniciali rudis plebeculæ defectione asseritur, atque execrabilis ille & cum summi Dei contumelia coniunctus error aduersùs celsissimum illud atq; sacratissimum longeq; diuinissimum veri corporis & sanguinis Dei ac Domini & vnici seruatoris nostri IESV Christi sacramentum. Quanuis enim versutissimæ ac perniciosissimæ vulpes istæ, hæretici, animarum parricidæ, in primario capite, ad veram ac substantialem Christi in Eucharistia præsentiam pertinente, bicipites esse videantur: attamen quòd ad institutum & propositum eorum attinet, caudis mutuò sibi cohærent, quandò omnis eorum conatus, studium, machinamenta eò destinata sunt, vt qua

Gen. 3.
2. Cor. 12
Act. 13.
Iudic. 15.

Genes. 3. ratione initiò serpens ille antiquus, cuius progenies sunt, cum primis generis nostri authoribus Adamo & Eua egit in paradiso, ipsi quoquè cum simplicibus apud vulgus imperitum fallaciosa clarißimi & sempiterni verbi Dei deprauatione, impiaque consonantißimæ sancti spiritûs inspirationis, qua dubio procul Catholica CHRISTI Ecclesia ad nos vsq; instituta & gubernata est, contemptione & exibilatione pro sua poßint agere libidine: putà, abducere miseros à vitali illo & salutari ligni vitæ, ad exitialem vetitæ arboris, humanæ curiositatis fructum, atque hac diuina, viuifica, & cum primis efficaci esca, præsentißima medicina, ac inæstimabili suæ salutis & futuræ beatitudinis pignore versuta calliditate priuare, atque ad extremum CHRISTI Ecclesiam, quæ illius corpus est, de carne eius & de oßibus eius, qui etiam, teste Apostolo, nutrit & fouet eam, à CHRISTO prorsus alienam efficere, penitusq; euertere ac profligare. Quod nimirùm (si qua futurorum præscij Danielis vaticinio, & Apostoli certißimæ affirmationi fides habenda est) inter certißima supremi diei, & quæ illum proximè antecedent, signa numerandum est. Licèt ergò hac in parte bicipites (vt dixi) esse videantur, dum alij, qui iam ferè vbiq; primas sibi vendicant, multigenis ijsdemq; pestilentißimis scriptis, ac irremissa vocis contentione maximoperè id agunt & moliuntur, miseræ vtì plebeculæ psuadeāt, ac idētidèm inculcēt, in præstantißimo longeq; sacratißimo altaris Sacramento verum

[Margin notes: Ephes. 5. (beside "pus est, de carne eius"); Dan. 12. (beside "rùm (si qua futurorum"); 2. Cor. 11. (beside "stoli certißimæ"); Zuingliani. (beside "vendicant, multigenis")]

verum Christi corpus & sanguinem, siue sumatur, siue non sumatur, substantialiter non adesse: alij verò, vt verbis prae se ferunt, fatentur quidem Christi corpus & sanguinem in sacramento coràm adesse substantialiter, manente nihilominùs panis & vini, sacramentali coniunctione, substantia, verùm id in sacramenti perceptione duntaxat, adeò vt extra illam, etiam post consecrationem, non nisi panis & vinum ibi sit & permaneat, vt antè fuerit: at verò vtrinq; in his summa impietate conspirant, panis viniq; substantiam in celsissimo hoc sacramento per consecrationem substantialiter non transferri & transmutari, neque sacramentum ipsum tum propter aegrotos, tum alios in sacris aedibus asseruari, neque circunferri, atq; multò minùs Christum in illo adorari debere: simul etiam vno animo irrident, exibilant, explodunt, tanquam quae Deum suffuretur, communionem sub vna specie, neq; cunctanter asseuerant pugnare eam cum expresso Dei mandato: acerbissimisq; conuicijs proscindunt Christi Ecclesiam, quòd ista hactenùs admiserit: immò verò pnicio sissima eorũ, qui pro demandata illis prouincia, apud Deum vel maximè tenebantur illorũ conatus reprimere, incuria, permissu ac dissimulatione, ad eam vsq; temeritatem & satanicam proteruiam deuoluti sunt, vt virulentas suas linguas nedùm in Christi catholicam Ecclesiam indignissimis iactãdis contumelijs & probris exacuãt, sed etiã ter execrãda sua ora aduersùs Deum in caelum ponere non vereantur; absq; vlla formidine viuentẽ Dei filium, quem nos

Luterani.

Psalm. 72.

Rom. 5. ex eius verbis, quibus falli non possumus, in sacramento substantialiter praesentem habemus, Baal, aut vitulum aureum in Bethel, vel Bethaua, vel multò etiam horribiliùs, quàm impij vnquàm ausi fuerint Iudaei, appellantes: quod certè non immeritò omnium horrescit auditus è religione Christianorum.

Atque tametsi complures pietate & eruditione, insignique erga domum & mysticum corpus DEI, Catholicam Ecclesiam zelo ac amore praestantes viri, tum superioribus, tum verò multò etiam auctiori numero nostro hoc seculo, aduersùm memoratos Dei & Ecclesiae eius hostes eorumq; patres, Berengarium, Vualdenses, Vuiclephum, homines execrabilis memoriae, praeclarè ac strenuè sese obijcere non dubitârunt, impotentesq; iuxtà àc impudentes Ephe. 6. Philistaeos istos gladio spiritûs, quod est verbum Dei, atq; omnium sanctorum Patrum, quotquot iam indè ab Apostolis fidissimos sese exercitûs Dominici propugnatores ducesq; praebuêre, praesidijs, adeoq; eorum ipsorum plànè incircuncisorum armis prosternere ac profligare, Deique populum ex illorum saeuissimis manibus magno studio vindicare conati sunt: quandò tamen illi plerique omnes scripta sua, quibus Ecclesiam propugnarent, Latinè ediderunt, atque ea re perparùm conferunt laicis, eius linguae imperitis, quorum hodiè magna pars suae incuriae ac oscitationis vitio imprudentes quidem, sed non absque immani suae salutis discrimine ab hostibus cinguntur & oppugnantur: quandò

quandò etiam scripta diuina, tanquàm ipsorum iudicio per se luculenta satis & illustria, vt eiusmodi introductionem poscere non videantur, vtplurimùm non adhibeant vel adducant, contenti propemodùm admirandæ illi Patrum omnium consensioni & conspirationi inhæsisse, quum hisce temporibus perplures non nisi luculentis scripturæ verbis edoceri velint: quandò prætereà authores isti catholici in suis lucubrationibus solùm illum primarium de substantiali Christi in sacrosancta Eucharistia præsentia articulum potiùs, quàm alios illi cohærentes, putà, de asseruatione sanctissimi Sacramenti, & de Dei ac Seruatoris nostri in eodem adoratione, sibi tractandum sumpsêre, atq; eum qui est de Communione alterius speciei articulum, contra aduersarios non ità, vt omnium stomacho satisfecisse videantur, expediant & absoluant: quandò deniq; in tres hosce articulos nostro hoc deplorato seculo illi qui sunt partis aduersæ, infestissimis animis incurrunt, quanquàm iam antè, quæ mea de his esset sententia, tum Latino, tum Germanico sermone, sed fortassè breuiùs quàm posceret rei necessitas, declarârim: at nihilominùs ea, quæ decet Christianum, ergà proximos fide & charitate adactus, tum verò vt cum cæteris catholicis viris pro mea virili, quoàd possem, ipse quoq; propugnandi partes mihi sumerem, quô præsertim in sancta hac Agrippinensi Colonia (quæ haud vulgari omnipotentis Dei beneficio præclaram eam laudem & gloriam in præsens vsque tuetur, quòd à semèl recepta CHRISTI fide &

 Catho-

Catholica religione defecerit) insidiosissimis ppetuisq; impostorũ horum machinatiõibus, multigenisq; perniciosis conatibus atq; cuniculis, quibus tantam huius Vrbis laudem & gloriam obscurare & labefactare nituntur, nullus præstetur locus, nulla detur opportunitas: equidem iam constitui antè dictos quatuor articulos, alios post alios ordine, idq; pingui Minerua pertractare: tribusq; prioribus expeditis, quartum, eumq; extremum de alterius speciei communione latiùs, quàm quidem ab vllo præstitum meminerim, suscipere explicandum: atque in his eam sequi rationem & institutum, vt pro inexpugnabili veritatis confirmatione, primò scripta diuina, subindè catholicam eorum intelligentiam, ex instinctu proculdubiò sanctispiritûs profectam, id est, admirabilem illam & consonantissimam Patrum consensionem & catholicæ Christi Ecclesiæ traditionem, vtì ea ab Apostolis per continuam ac indissolutam legitimorum Pontificum successionem, tanquàm per manus ad nos vsq; manauit, quatenùs diuina arriserit gratia, planè perspicueq; producam: nec tamen Patres immoderatiùs, sed ex ijs tum vetustissimos, tum probatissimos quosque, idq; vbì postulabit necessitas, in medium proferam: si qua tandèm ratione mea hac opella & studio non quidem eruditis, qui vt à me instituãtur, neutiquàm opùs habent, sed simplicioribus duntaxat, pieq; Christianis commodare queam, vtì nè quandoq; ex præcipiti quadam animi leuitate, et veritatis ignoratione, immani huic errori concedant: quin potiùs gladio spiri-

Ephes. 5.

tûs

tûs, & inuictissimis viuentis Dei exercitûs præsidijs freti, insidiosos dæmonum, eorumq́ satellitum incursus & impressiones fortiter repellant, atq; in agnitæ luce veritatis modis omnibus stabiles perseuerent. Optarem sanè, illos etiam, in quorum animis aduersæ partis fraudulenti sermones & scripta virulenta scrupulum & dubitationem reliquerunt, hinc antidotum, scrupulo & dubitatione reiecta, capere: immò eos quoq;, quos cacodæmon per suos iam iamq́; memoratos satellites, in suam planè redegit potestatem, atq; extra Dei domũ in suũ traduxit regnũ, postliminiò è tenebris ad lucem reuocari posse: Quod vtinàm Deus sua faxit gratia.

PRIMVS ARTICVLVS PRIMARIVS,

NEMPE,

VERVM ATQVE VIVENS CORPVS, ITEMQ; VERVM ET VITALEM SANGVINEM DEI AC DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM DIVINITATE CONIVNCTA, IN PRAESTANTISSIMO EVCHARISTIAE SACRAMENTO SVBSTANTIALITER ADESSE.



Ertè quisquis tum Dei verbo, tum Spiritui sancto, qui in Catholica CHRISTI Ecclesia semper locutus est, firmam adhibet fidem, (Iohã. 14.) nõ potest ille nõ fateri articulum hũc esse verissimum. quòd si quis diuersum affirmare velit, ille proculdubiò negat Dei verbum, nec sinè insigni blasphemia & Christo, (Iohá. 14. Iohá. 15.) qui est veritas sempiterna, & eius spiritui, qui mentiri non potest, mendacium conatur affingere. Quæ cùm ità se habeant, equidem initiò decreui clarissimum Dei verbũ, quo præsens articulus validissimè & irrefragabiliter adstruit, è scripturis Diuinis simplicissimè

cissimè adhibere: ac deindè consonãtissima sancti Spiritus testimonia, quę ille omnibus sanctis Patribus, & Catholicę Christi Ecclesię, cuius vnicus idem ipse & doctor & moderator est, iam indè ab Apostolis ad nos vsq;, semper & vbiquè summa cõsensione adspirauit & in lucem protulit, paucis producere & ob oculos statuere, ea quidẽ ratione, qua me facturum iam recepi. Iohan.16.

CLARISSIMA SCRIPTVRAE DIVINAE TESTIMONIA.

VErba illa Domini & Seruatoris nostri, quibus hic nititur Articulus, tam ab Euangelistis, quàm Paulo Apostolo adeò sunt luculenter expressa, vt mirum sit quorundam audaciam & temeritatem vsq; eò progredi non vereri, vt radiantissimo Soli caliginem offundere, & clarissimum Dei Verbũ, quod eatenùs obscurari se non patitur, cõmentitijs quibusdam, planeq; insulsis & à vero alienis, atq; etiam sophisticis & friuolis glossis ac interpretatiunculis obscurum efficere conentur: cùm tamen hac re nihil illi prorsus effecturi sint, nisi apud infideles duntaxat, quorum mentes Deus huius seculi & princeps tenebrarum excęcauit, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi. Quod vt perspicuum fiat, diuinam huius celsissimi Sacramenti institutionem sancti Euangelistę Matthęus & Marcus ijsdem penè verbis describunt hunc in modum: Cap.II. 2.Corin.4. Matt.26. Mar.14.

Cœnantibus autem eis, accepit IESVS panem, & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicẽ, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enĩ sanguis meus noui testamẽti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Eadem ratione diuinam hanc institutionem consimilibus propè verbis Lucas Euangelista & Paulus Apostolus describunt: Luc.22. 1.Cor.11.

Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur. Hoc

B facite

facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquàm cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum.

Quæ quidem Domini verba, perindè vt sonant, pro sua genuina ac propria significatione de vero ac substantiali Corpore, veraq; ac vitali carne & sanguine Chri simpliciter ac planè accipi debere, non autem metaphoricè vel tropicè, tanquàm dixerit Dominus, Hoc significat corpus meum: vel, Hoc est figura vel symbolũ corporis mei, quemadmodùm aduersarij ea verba impiè peruertunt ac deprauant ad suam ipsorum perditionem, id profectò tum ex ijsipsis, tum illis quæ antecedunt & quę sequuntur verbis, tum alijs scripturæ luculẽtis perspicuisq; locis & sententijs adeò fit certum & testatum, vt à nemine possit confutari: quod sequentia docebunt.

2 Pet. 3. Tit. 3.

Cap. III.

PRimò quidem verba mẽmorata in seipsis pro sua, vt dictũ est, vera germanaq; significatióe, prorsus dilucida & perspicua sunt, eius ore prolata, de quo scriptum legimus: Ipse dixit, & facta sunt. Itemq;: Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cælo & in terra: cuius voluisse & dixisse, fecisse est. Nec in toto Bibliorum opere vllum vsquàm Domini verbum extat, quod hisce opponatur verbis. Non possunt ea igitur, tanquàm à Deo dicta, nõ esse efficacia ad exhibendum, efficiendum præstandumq; continuò id quod significãt: adeò vt nos certissimè & credere & nósse debeamus, quæ Dominus hîc locutus est, ea re vera sic se habere vt ipse dixit, quandoquidẽ mentiri non potest, nec est apud eum impossibile omẽ verbum: quiq; vocat ea quę non sunt, tanquàm ea quę sunt. Impij hęretici summoperè in eam incumbunt curam, aliquem in scriptis diuinis vt possint inuenire sermonem, qui huic conformis sit, nec tamen pro sua genuina ac propria significatione, sed metaphoricè ac tropicè accipiatur: idque eo nomine illi faciunt, vt indè arrepta occasione, hæc Domini clarissima verba à vero germanoque sensu suo, ad metaphoricam quandam & figuratam, prorsusque exoticam callida quadam & sophistica ratione intelligentiam detorquere

Psal. 32. & 148. Psal. 134.

Christi omnipotentia & veritas hoc negocium absoluunt.

Rom. 3. Luc. 1. Rom. 4.

Aduersariorũ conatus.

quéant. Sed diabolico illi acti instinctu, hac quidem in re oleum perdunt & operam, frustraque conantur. Multa illi sanè eò congerunt, eamque in primis Apostoli sententiam, Petra autem erat Christus: illam quoquè, Semen est verbum Dei. Sed quis tam sit stupidus, vt in his sententijs non aduertat longè aliam esse dicendi rationem, quàm hoc loco, vbì Dominus ait, HOC EST CORPVS MEVM? Est enim id studiosè obseruandum, in illis sententijs res duas, quarum diuersa sit natura, quæ Latinè Disparata dicuntur, vt sunt Petra & CHRISTVS, expressè de se inuicèm dici. Iam verò nedùm genuina scripturæ intelligentia, sed naturalis quoquè dictat ratio, eiusmodi locutiones, non perindè vt verba præ se ferunt, sed metaphoricè & tropicè intelligi debere, putà, quòd Petra in deserto Christum designârit. Id enim disparatorum ratio postulat, quæ non sunt naturæ eiusdem. Atquì non eo modo Dominus de Sacramento locutus est. Non enim ait, Hic panis est corpus meum: vel, Hoc vinum est sanguis meus: sed demonstrando communibus his voculis vtitur, Hoc, & Hic, quarum ea vis & proprietas est, vt substantiam quandam demonstrent, nec tamen propriè satìs indicent, qualis ea sit, donec in propositione vel sermone exprimatur. Quod vbì expressum est, tum demùm potest intelligi, cuiusmodi ea res sit, quam illa vocula significabat: ità vt hæ communes voculæ, pro sua propria germanaque vi & significatione, non certam aliquam designent rem, quæ alterius sit naturæ, quàm id quod demonstrant, sed idem ipsum potiùs significent, quod demonstrant: Significent, inquam, vnum quid: quod idem quale quid sit, relinquunt explicandùm Prædicato. Quæso, lector amice, animum aduertas: Si quidem Iudas proditor in suprema illa cœna Domini verbis (quod faciunt Aduersarij) contradixisset, quibus ille ait, HOC EST CORPVS MEVM, dixissetque ità potiùs, Hoc est panis, ibì sanè in ipsis Iudæ verbis vocula illa (Hoc) non idem esset quod panis, cùm absurdum prorsus & fatuum sit dicere, Hic panis est panis: sed Iudas vocula illa (Hoc) id solummodò, quod Dominus porrigebat, demonstrare voluisse videretur, quemadmodùm ipse quoquè Dominus non aliud demonstrabat: ità vt non ratione voculæ huius HOC, sed illius potiùs, quod de hac vocula dicebat

Obiectio partis aduersæ.
1. Cor. 10.
Luc. 8.
Dilutio.

Non hic duo quædam de se inuicèm prædicantur vel dicuntur, sed vnum aliquid demonstratur, quod quid sit, à Deo exprimitur.

Voculæ, Hoc, & Hic.

rā inhærere potiùs, vtì posteà abundè declarabitur. Neq; sanè Christus DOMINUS absq; ratione & temerè, cū sit ipse Dei sapiētia, hac vocula EST vsus videri debet, sed vt hocipso indicaret, quod ipse porrigeret, hoc suum esse Verum & Substantiale corpus. Nam alioquì poterat ille nullo dixisse negocio, Hoc designat, significat, præfigurat corpus meum: Vel, Hoc est figura, exemplar & monimētum corporis mei: Vel, Hic panis est corpus meum. Atquì nulla harum dicendi ratione vsus est, vt iam dubium non sit, eius verba, perindè vt sonant, simpliciter intelligi debere: non verò vt ea Apostoli sententia, Petra autem erat Christus: in qua, perspicuum est, disparatum aliud de alio expresse enunciari. 1. Cor. 10.

Cap. IIII.

Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi.

SEcundò inter iam dictas duas illas sentētias, non verborū duntaxat vi, sed etiā ex causis vel ratiōe dicēdi, vndè sanè genuina dictorū intelligentia semper petēda est, plurimùm interesse probatur. Ea enim causa vel ratione adductus est Paulus, vt Christū diceret esse petrā, quô hoc ipso indicaret, petrā illam in Veteri testamento, in quo patribus omia in figura contingebant, Christum præfigurâsse, vt 1. Cor. 10. perspicuè videre licet. Eodem modo Christus eam ob rem semen esse dixit verbum Dei, quòd suis Apostolis parabolam, priùs populo recitatam, explicaret, vt luculenter satìs apud Lucam eo quo diximus loco, nempe cap. 8. annotatū videmus: ità vt genuina tam huius quàm omium eius generis aliarum sententiarum, quæ vspiàm in scriptis diuinis extent, mens atq; sensus ex causis atq; circumstantijs dicendi facilè deprachendatur. Hîc verò in Cœna sacrosancta harū causarum nulla est: quin diuersum potiùs hîc accidit, quādò Dominus veteris Instrumenti figuris terminum imposuit, easq; abrogauit, atq; in earum omnium locum sermone suo diuino, clarissimis apertissimisq; verbis nouum instituit sacramentum: neq; dixit tamen, Hæc est similitudo quædam, vel figura, vel symbolū: sed, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS. Itaq; causa vel ratio dicendi id exigit, vt hoc loco verba simpliciter, prout sonant, intelligantur: maximè cùm diuinæ scripturæ peritis minimè dubium sit, Verba, quibus aliquid diuinitùs iubetur, vel quibus sacramenta instituuntur, semper pro germano suo proprioq; sensu, non autem quouis modo metaphoricè,

Quandoquidem Christus V. Sacramēto instituendo figuras aboleuit, nō possunt eius verba figuratè accipi.

Verba quibus aliquid diuinitùs iubetur, vel sacramēta institu-

untur, semp. propriè & genuina significatione accipienda esse.

accipi oportere, etiamsi eiusmodi sensus rationem nostram longè excedat, aut illi insolés & absurdus planè videatur. Quod nisi ità sit, poterit quilibet improbè temerarius, cui Catholicæ Ecclesiæ senté-tia non satisfaciat, præcepta, instituta & sacramenta Dei, metaphoricis, tropicis atq; alienis interpretatiunculis, pro sui cerebri commentitijs somnijs prorsus conuellere: immò pro sua libidine irrisui ac ludibrio habere, quemadmodùm cordatus quisq; haud difficilè animaduertit.

Sententiæ illæ 1.Cor.10 & Lucæ 8 nullū poscūt tropū. 1.Cor.10.

Vt interìm taceam, duas illas quas diximus sententias, Petra autē erat Christus, &, Semen est verbum Dei: modò exactiùs & penitiùs expendantur, nullum poscere sensum metaphoricum. Non enī simpliciter ait Paulus sinè appositione aliqua, Petra erat Christus: sed, Spiritalis illa consequens eos petra: hoc ipso sanè perspicuè significans, non se de visibili illa deserti petra, quæ vtiquè non sequebatur illos, sed spiritali consequente illos petra, id est, Christo Dño, agere. Neq; etiam Christus ipse absolutè, nullo adiuncto ait, Semé est verbum: sicut apud Iohannem dicitur, In principio erat Verbum: vbì Verbum, Christi in diuinitate personā significat: sed, Semen, inquit, est verbum Dei: ijs verbis non seipsum substantialiter, putà, Verbū æternum, quod apud Deum & in Deo est & permanet, & est Deus: sed verbum Dei prædicatum, quod ipse doceret, volens exprimere: quod quidem, si propriè velímus loqui, verum est atq; diuinum semen, quod in cordibus hominum concionando seminatur, & fructū profert: vt etiam hoc dictum, sensum tropicum non magnoperè reposcat. Verùm vtcunquè sit, hoc sanè loco, vbì Dominus adeò luculentis disertisq; verbis sui Corporis & Sanguinis instituit sacramé-tū, secùs habere non potest, quàm vt verba simpliciter ità, vt sonant, absq; vllis glossis accipiantur, idq; ob eas quas diximus rationes.

Iohan.1.

Verbum Dei quod prædicatur, verum est semen.

CAP. V.

TErtiò, quò propiùs ad rem ipsam accedamus, nō solùm ait Dominus, HOC EST CORPVS MEVM: sed nè quis in dubium vocaret, quo pacto ea illius verba intelligēda sint, ipsus se latiùs explicat, his adiunctis verbis: Quod pro vobis datur, vel tradetur. Itidemq; non modò ait, Hic est sanguis meus, sed annectit, Qui pro multis effundetur. Nôrunt auté, Deo sit gloria, omnes è religione Christiani, dñm Christum non sui corporis figuram,

Christus idē corpus por-

ram, sed ipsum verum ac substantiale corpus suum cruci tradidisse: neq; etiam sanguinis figurã, sed ipsum verum preciosumq; sanguinẽ suum nostra causa in cruce fudisse. Quamobrem diuina illius verba nullam admittunt aliam intelligentiam, q̃ porrigere illum nobis in venerabili Sacramẽto idẽ ipsum corpus suum, atq; eundẽ ipsum sanguinem suum, quòd ad substantiæ veritatẽ pertinet, quæ pro nobis cruci suffixa, profusaq; sunt. rigit in V. sacramento, quod in cruce immolauit.

Quod sanè quisquis non credit, nempe in celsissimo Sacramento veram carnem & sanguinem Christi substantialiter contineri, idem ipse profectò non credit, Christum peccata nostra, quò nos illis absolueremur, pertulisse in vero corpore suo super lignum, quod tñ Petrus testatur: neq; etiam fudisse illũ verũ sanguinem suum pro nobis in remissiõem peccatorum: atq; ità etiamnùm hæret in peccatis suis: simul etiam mendaciũ affingere conatur beatissimis Apostolis, maximè dilecto illi discipulo Iohanni, affirmanti 19. cap. Euangelij sui, eum qui id viderit, quẽ se vult intelligi, testimonium perhibuisse: & verũ est, ait, testimoniũ ei⁹: & ille scit q̃a vera dicit, vt & vos credatis. 1. Pet. 2. 1. Cor. 15.

QVartò, vt hanc verborum Christi intelligentiam testatiorem efficiamus, in Græco idiomate, quo à sanctis Euangelistis conscripta sunt, sonant ea hunc in modũ: Hoc est illud ipsum corpus meũ, quod pro vobis tradetur vel datur: idq; ratione Græci illius articuli, τὸ, dictioni illi σῶμα adhibiti: cuius ea nimirùm vis est, vt veram ac propriam illius, cui iungitur, dictionis vel nominis significationem exprimat, vt nôrunt linguarum periti. CAP. VI. Græci articuli vis.

QVintò, Verba hęc Domini, quibus in sacrosancta Cœna vsus est, ea qua dictum est ratione necessariò intelligi oportere, Christus ipse apud Iohannem 6. cap. vbi se daturũ pollicetur id, quod in Cœna exhibet, verbis quæ quidem excogitari possint, clarissimis luculenter demonstrat, ità inquiens: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternùm. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Hìc, quod negare nemo potest, Christus perspicuis promittit verbis, se veram carnem suam nobis in cibum præbiturum: adeoque certiores nos efficit dum ait, CAP. VII.

panem

Christus bifariàm se dicit daturum carnem suã, putà in cibũ, & ad crucem.

panem quem daturus sit, suam esse carnem, eandem planè ipsam, quã pro mundi vita sit daturus. Est nanq; sedulò hîc obseruandum, secundùm Græci textûs veritatem, Dominum bis dicere, EGO DABO: primò quidem, dum ait: PANIS QVEM EGO DABO, CARO MEA EST: rursumq;, QVAM EGO DABO PRO MVNDI VITA. Cùm igitur hæc pollicitationis verba, quæ sunt apud Iohannem, cum verbis exhibitionis in Cœna, à reliquis Euangelistis & D. Paulo conscriptis conferuntur, quemadmodùm ea semper Verba, quibus aliquid prętatur & exhibetur, id est, verba datiua, per verba promissionis vel promissiua declarari ac intelligi debent: iam planè perspicuum fit, & cui refragari nemo possit, eadem ipsa illic apud Iohannẽ, & hîc apud cæteros Euangelistas verba, prorsus esse consimilia, & vnius eiusdemq; sententiæ: præterquàm quòd apud Iohannem promissionis, apud alios verò Euangelistas exhibitionis sint. Vt enim in Iohanne ait, PANIS QVEM EGO DABO, CARO MEA EST, QVAM EGO DABO PRO MVNDI VITA: ità consimilibus propemodùm, sed præstationis vtitur verbis in Cœna, HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS DATVR: tanquàm diceret: Iam antè pollicitus sum daturum me vobis carnem meam in cibum, & quidem eandem ipsam carnem meam, quam pro mũdi vita dabo; itaque quod tum promisi, iam præsto, præbens vobis corpus meum edendum, nec aliud sanè corpus, quàm quod luce crastina ꝑ vobis, id est, pro mundi vita, daturus sum. Quid tandèm possit dici luculentiùs ad demonstrandum Christum duas illas promissiones suas apud Iohannem, primam quidem, PANIS, QVEM EGO DABO, CARO MEA EST, in Cœna: alterã verò, QVAM EGO DABO PRO MVNDI VITA, in Cruce præstitisse? adeoq; idem illud corpus eius nobis in Sacramento præberi, quod pro mundi vita in cruce dederit? Id verò illius verum & essentiale corpus est, non inanis quædam aut mera figura, quemadmodùm aduersarij nostri, infideles Tropistæ, volunt.

Verba pollicitatiõis declarãtur verbis præstationis, & è cõuerso.

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Panis vocabulum Hebræis, idem quod cibus.

Atq; antè, quàm longiùs hîc nostra progrediatur oratio, Lectorem paucis admonitum velim, nè putet eo loco, vbi Dominus apud Iohannẽ dicit, PANIS QVEM EGO DABO, CARO MEA EST: dictionem illam, PANIS, nostro more pro cõmuni, qualem pisto-

res conficiunt, pane accipi: ità enim disparatum de disparato diceretur, quod est à vero alienum: sed iuxta Hebraici sermonis idioma, generatim pro cibo sumi, perindè vt plerisq; alijs scripturæ locis: verbi gratia, Luc.11. in precatione Dominica, itemq; Luc.14. vbi sic habes: Cùm introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panē, &c. Itaq; verus & genuinus verborum Domini in Iohanne sensus, non tropicus, sed iste est, Cibus quē ego dabo vobis: quæ verba hic emphatica sunt, vt per quæ Dominus nō vulgarem quādam, sed singularem, quam solus ipse præstare posset, escam velit exprimere ac significare, quę illius est, vt ibi sequitur, caro. Cuius equidem propterea Lectorem admonitum volui, vt exitiosa infidelium Tropistarū sophismata faciliùs possit retundere.

Verba Christi singulare quiddam hîc exprimunt.

CAP. VIII.

Si Sacramentum non nisi figura esset, iam non præstaret Christus promissa, sed promissionem aliā alij substitueret.

SExtò, si quidem verum suum corpus Christus Dominus nobis non substantialiter, sed typicè duntaxat & symbolicè in Sacramento præberet, quod nostri antagonistæ somniant, promissionem illam suam apud Iohannem, qua carnem suā, quam pro mundi vita dedit, nobis re ipsa se daturum recepit, in sacrosancta Cœna minimè præstitit, neq; etiādum præstaret solis cōferendis symbolis, vt aduersarij celsissimum vocant Sacramentum, sed ijs symbolis hoc tantùm significaret, ꝙ postmodùm quandoquè eam suam carnem nobis daturus sit, neq; id tamen substantialiter, sed spiritaliter duntaxat per fidem: putà, quatenùs symbola illa dignè nos acceperimus, ac mox per fidem in cælum vsq; ad dextram patris euecti, ibidèm ardenti illa fide nostra corporis Christi inibi in cælesti throno residens, non autem in Sacramento, vt ipsi aiunt, existens apprehenderimus. Hūc em̄ in modum quidā partis aduersæ hic loquuntur. Quòd si ea duntaxat Domini mens & intentio fuisset, vt ipsi secum comminiscuntur: nihil sanè ille ageret aliud, quàm quòd in hoc Sacramento promissionem aliam alij substitueret, putà, promissum per Sacramenti symbola, illi quam eius in Iohannis Euangelio verba continēt, promissioni: id quòd auditus certè perhorrescit. Quid enim hoc esset aliud, quàm à vitalibus illis pollicitationis suæ verbis & concione, quæ est apud Iohannem, nos in hoc Sacramento ad tacitam mutarum ac insensibilium creaturarū vocē & sermonē remittere? qui perindè, vt iam antè suę promissionis verba fecis-

ba fecissent, nobis quid etiamnùm faciendũ esset, & in Symbolis re ipsa vel actualiter minimè acciperemus, cómonefaceret, quasi longè acriùs & vehemẽtiùs sermone panis & vini, quorum loco Aduersarij Sacramẽtum habendũ censent, si ea nobis possent loqui vel concionari, q̃ vitalib⁹ ac salutiferis ipsius dñi apud Iohannẽ cap. 6. verbis ꝓmouendi essemus. Quid verò tam est dictu abominabile? Habet id ꝑfectò admirationis plurimũ, eò cæcitatis recidisse nostros antagonistas, vt illi non animaduertant discrimen quoddã inter præcedẽtem promissionẽ, & realem exhibitionem & pręstationẽ esse oportere, ità vt illud ipsum quod in pręcedente pollicitatione promittit, in præstatione re ipsa & actualiter exhibeat, nec denuò duntaxat promittatur: quẽadmodùm Aduersarij persuasum habent, Symbola (ità nãq; illi Sacramentũ vocant) significare tãtùm, nõ aũt exhibere Dñi corpus: quandoquidem illud tum demùm nobis prębiturus sit Christus, cùm fides nostra Symbolorũ admonitione & meditatione adeò flagrârit, vt cælos penetrans, absentem Dñm illic appræhendat, neq; id substantialiter tamẽ, sed spiritaliter duntaxat. Quid verò illis dñi verbis, quibus ait, *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum*, potest esse repugnantius? Ea enim verba luculẽter satìs & propriè indicant, Christum nobis præsens suum præbere corpus in Sacramento, non aũt nũc demùm remittere nos per fidẽ in cælũ ad absens corpus suũ: quanq̃ meritò quidẽ eò debemus erectis esse animis, qñ nõ nisi vnũ ideq; substãtiale corpus est in cęlis, & in præstantissimo Sacramẽto.

Christus in V. Sacramẽto re ipsa præstat nobis corpus suum, nõ autem id demùm indicat, vt per Sacramentum eius corpus obtinere possim⁹.

In summa, nusq̃ legimus dñm promissum illud suũ Iohan. 6. putà, *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*, alibì q̃ in sanctissima Cœna sua impleuisse. Vbì sanè si Apostolis carnem suam præbuit, neq; aliam q̃ illam ipsam, quam pro mũdi vita dedit, fit ominò consequens, in V. Sacramento nõ merum panem, sed illud ipsum eius verũ corpus esse substantialiter. neq; enim merus panis, sed verũ eius Corpus pro mundi vita datum, & in Cruce immolatum est.

Christũ promissum suum Iohan. 6. in sacrosancta Cœna sua re ipsa ꝑstitis.

CAP. IX.

Corpus Christi in V. Sacramento verus cibus ẽ, corpus & animã ad immortalitatem sustẽtans.

Septimò, Caro & sanguis Dñi, q̃ ille nobis præbet in V. Sacramẽto, verè est cibus, & verè est potus, qbus nõ aĩa tm̃, sed corpus simul & aĩa ad immortalitatem pascit, nutrit, confirmat ac viuificat, vt apud Iohannẽ 6. cap. ipse dñs testis est his verbis:

Qui mãducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinẽ,

habet vitam æternã:& ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro eñi mea verè est cibus, & sanguis me⁹ verè est potus. qui manducat meã carnẽ, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo ꝓpter Patrẽ: & qui mãducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis, qui de cęlo descẽdit. Nõ sicut mãducauerũt Patres vestri mãna, & mortui sunt. Qui mãducat hũc panẽ, viuet inęternũ.

Nemo quidẽ negare poterit, eum qui in V. Sacramẽto Christi corpus dignè edit, & sanguinem bibit, illius & manducare carnẽ & sanguinẽ bibere, ceu escã veram, potumq; verum, quẽadmodùm hęc Dñi verba Iohan 6. præ se ferunt & sonant: neq; id in fide tñ spiritaliter, sed iuxta Dñi promissum, quod in Cœna impleuit, etiã ore in V. Sacramento corporaliter. Quod qui facit, vt Christus ait, *habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die*: quibus verbis excellẽtissima cibi huius vis & efficacia declarañ, vt ꝙ ille nedùm aĩas confirmare nostras, sed etiã corpora immortalitati asserere, & in vitã æternam seruare possit. Non potest aũt quæuis corporis Christi figura, vtcunq; id adstruere quis velit, ꝓ eiusmodi vero haberi cibo, maximè qui illius sit virtutis & efficaciæ, vt nõ aĩas modò, sed etiam corpora afficiat immortalitate: sed eò verum ac substãtiale Christi corpus exigitur, cui Pater eius cælestis ob diuinitatis cum humanitate cõiunctionẽ & vnionẽ, vitæ ęternę pręstitit virtutẽ & efficaciam nõ modò habere in seipso, sed etiam vt credentibus omnibus ipsum sumentibus, vel ipso fruentibus eam impartiri & communicare queat. Vndè id nimirùm conficitur, in celsissimo Sacramento, nõ figuram tantùm, sed verum ac vitale Christi corpus, cuius virtute & efficacitate & animæ & corpora nostra possunt ad immortalitatem seruari, substantialiter adesse, & re vera porrigi ac præberi.

Christi corpus ore pariter & animo sumitur in V. Sacramento.

Iohan. 6.

CAP. X.

OCtauò, testañ Dñs apud Iohannẽ 6. cap. manna in deserto patrib⁹ datũ, non verũ cæli panẽ, sed sui tantùm corporis typũ figurãq; fuisse. *Amen amẽ, ait, dico vobis, nõ Moses dedit vobis panẽ de cælo, sed Pater meus dat vobis panẽ de cælo verũ.*

Obserua, q̃ dicit, VERUM, nempe, cuius manna typũ gesserit. Deindè vbi corpus suum ab illorũ manna distinguit, cũ in modũ loquit: Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quã ego dabo pro mundi vita. Tanquàm diceret: Manna nullam habuit in se vitalem efficaciam, vtì panis ille quem ego vobis daturus sum, sed eius duntaxat figura fuit. Neq; verò dubitare quisquã potest, manna Domini corpus præfiguràsse, non quidem tam propriè, quatenùs illud pro nobis in cruce obtulit, quàm quatenùs nobis in cibum promisit, & in Eucharistia cõtulit. Ità nanq; scriptum est Exod. 16. cap. Dixit aũt Moses: Iste est sermo, quẽ præcepit Dñs: Imple gomor ex eo, nempe manna, & custodiatur in futuras retrò generationes, vt nouerint panẽ quo alũi vos in solitudine, quandò educti estis de terra Aegypti. Filij autem Israël comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terrã habitabilem, &c. Quæ quidem figura minimè quadrat ad corpus Domini, vt est in cruce immolatum: exprimit autem idem conuenientissimè, vt in Sacramento asseruatur, nobisq́; præbetur. Sicut enim Moses iussus est seruare manna in Tabernaculo coram Domino, vtì memores forent filij Israël cibi illius, quo patres eorum vsi essent in deserto, donec ad terram promissam pertingerent: ità & Christi corpus ex eius institutione in Ecclesia illius, quæ eius est tabernaculum, eousquè asseruabitur, donec ad iudicium reuertatur, quò memores simus, cuiusmodi esca patres nostri ad nos vsque refecti sint, nosque & qui post nos futuri sunt, reficientur, donec ad illius aduentum in veram promissionis terram, i. regnum cælorum, introducamur.

Manna veri corporis Dominici, quatenùs illud nobis in V. Sacramento præbetur, typum gessit.

Apoc. 21.

Quòd si ità se res habet, vt manna corporis Christi, quatenùs in Eucharistia credentibus prębetur, expressa quędam figura & typus fuerit, de quo quidem corpore Dñs apud tres Euangelistas, & Paulũ Apostolũ ità locutus scribitur: *Accipite & comedite, Hoc est corpus meũ:* sequi-

Quandoquidẽ mãna corporis Christi in V. Sacramento figura fuit, necessè

ſequitur indè irrefragabiliter, Dñm in Euchariſtia nobis non merã figuram, ſed ipſiſſimam illam rem, quam Manna ſignificârit, cuiusq; illud typum geſſerit, id eſt, verum ac ſubſtantiale corpus ſuum, præbere. Nam alioqui nemo rectè dixerit mãna Euchariſtiæ typum geſſiſſe, ſed potiùs figuram aliam propter aliam eſſe datam, quod tamen à figurę propria ratione admodùm eſt diuerſum, cùm figura ſit corporis figura, & vmbra corporis vmbra, nec alia aliam porrò efficiat.

eſt corpus Chriſti in V. ſacramẽto nõ figuratè, ſed ſubſtãtialiter adeſſe.

Heb. 10.

Cap. XI.

Diſcrimẽ inter vetus & nouum teſtamentum.

NOnò, eſt id quidem in confeſſo, ſcripta diuina locis non paucis illud inter vtrunq;, putà vetus & nouũ Teſtamentum, docere ac indicare diſcrimen, quòd in veteri Patribus omnia in figura contigerint, in nouo autem figuræ omnes per Chriſtum abolitę ſint, vt per quem gratia & veritas facta eſt. Quamobrem etiam Apoſtolus ad Hebręos 10. cap. ait, legem quidem vmbram habere futurorum bonorum, non autem ipſam imaginem rerum, quam habeat nouum Teſtamentum. Si igitur manna in veteri Teſtamento figura fuit Euchariſtię in nouo præſtandę, itéq; ſi Chriſtus in nouo ſuo Teſtamento nõ iam vmbris agit, ſed re ipſa, vt eſt ſupradictum, neceſſariò indè colligitur, in nouo Teſtamento non iam vmbram nobis ſeu figuram corporis, ſed verum ac ſubſtantiale Chriſti corpus exhiberi.

1. Cor. 10. Iohan. 1.

Cap. XII.

Ex aduerſariorum ſententia, Patres in manna inſignius habuiſſent ſacramẽtũ, quàm nos in Euchariſtia: quod auditus perhorreſcit.

DEcimò, ſi quidem impia hæc Aduerſariorum ſententia & perſuaſio aliquid habeat ponderis, non poteſt indè non conſequi, Patres in deſerto ante Chriſti aduentum longè inſigniori etiamdum futuræ incarnationis & veri corporis Chriſti potitos figura, immò & præclariori magisq; admirãdo vſos cibo, quàm Chriſtus ipſe nobis in ſuo illo pręſtantiſſimo diuiniſſimæ Euchariſtię Sacramento reliquerit. Pro eiuſmodi enim Aduerſariorum ſententia in eo Sacramento, quod Chriſtus Deus & ſeruator noſter ipſius omnipotẽti verbo ſuo inſtituit, & ſanctiſſimis porrexit manibus ſuis, nihil aliud, quòd ad ſubſtãtiam attinet, quàm communem naturalemq; panem, primò quidem ex terra ortum, ac deindè hominum manibus confectum haberemus. Atquì fieri non poteſt, vt eiuſcemodi terrena creatura Chriſtum Dominum, panem viuum, ſecundùm diuinitatem è cęlis profectum, ſecundùm carnem de Spirituſancto in ſacratiſſimæ ſemperque virginis MARIAE vtero

conceptum, tam aptè propriéq; significet, atquè manna Patribus datum. Hac enim ratione Eucharistię panis (sic enim hęretici appellāt) terrenus erit, cùm tamen manna non terrenum fuerit, sed non absq; miraculo Deus illud pluuerit è cælo. Vndè etiam panis cæli, itemq; quòd angelorum ministerio, Deo id iubente, Patribus è nubibus missum sit, panis angelorum appellatur. Ecquid verò dici, immò vel cogitari potest abominabilius, quàm Patres illos in vmbra degentes, præstantiori ac insigniori vsos esca, magisque propria futuri Christi corporis in manna potitos figura, quàm nos in Testamēto nouo post ipsius Domini aduentū, in eius Sacramento ab ipsomet & instituto & nobis relicto potiamur?

Psal. 77. Ibid.

Ecquis ea est amentia & stupiditate, vt non facilè animaduertat, modò Aduersariorum, id est, Sacramenti hostium vel Sacramētariorum, vera sit sententia, iam quidē maiores illorum, putà Capernaitas, iustas habuisse suæ tentationis, murmuris & contentionis causas, nec iniuria Domino obiecisse, *Quod ergò tu facis signum, vt videamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est &c.* àc si dicerent: Eiuscemodi admirabilem panem è cęlo tu quidem nobis adhuc minimè præstitisti. Sed quàm crassus & immanis hac in parte fuerit impijssimorum error Iudæorum, quos sectantur hodiè nostri Sacramentarij, eodem toto capite multis verbis, vt partìm indicatum est, Dominus seriò admodùm declarat, adeoque certa asseueratione, ceu iuramento quodam confirmat, manna illud ei quem ipse daturus esset, pani, quem ille proculdubiò posteà in Eucharistia prębuit & reliquit, nulla posse ratione ęquiparari. Ex quo necessariò consequitur, quandoquidem Eucharistia, quòd ad figuram & externam speciem attinet, Mannæ anteferri non potest, eam ratione alterius cuiusdam longè excellentioris rei sub illa substantialiter cōtentę, Manna incomparabiliter superare: Id verò non potest non esse verum ac substantiale CHRISTI corpus, cuius typum olim Manna gessit. Nam alioquì figura veteris instrumenti, nouæ legis figurato minimè congrueret: id quod esse non potest ob causas suprà memoratas.

Si Sacramētariorum vera sit persuasio, Capernaitæ murmuris sui contra Dominū iustas habuere causas. Iohan. 6.

Manna nō significationis causa, sed propter ipsam rē nō potest V. Sacramento comparari.

Vndo-

CAP. XIII.

VNdecimò, Si ea Domini verba quibus in Cœna vsus est, de Sanctissimo corporis & Sanguinis sui Sacramento, nō nisi metaphoricè ac tropicè accipienda sint, eius quoquè suprà recitata verba, quæ Iohannis 6. cap. habētur, nempe, Panis quem ego dabo, caro mea est: non alium quàm metaphoricum sensum habebunt, præsertim quandò verba Cœnæ verbis illis Iohan. 6. respondent, perindè vt præstatio promissioni. Non possunt autem ea Iohan. 6. verba eum in modum vlla ratione accipi, táquàm hæc illorum mens sit & sententia, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, id est, figura carnis meæ. Si enim ea Dominus sic voluisset intelligi, non potuissent Capernaitæ ansam indè arripere tam immanis & fœdę offensionis & scandali, maximè cùm alioquì Dominum per mare, per terras, per montes & valles, illius permoti miraculis, tam diù essent insequuti, & ex quinque panibus hordeaceis comedissent. Quàm autem immaniter illis offensi fuerint verbis, Euangelista exponit: Litigabant ergò, inquit, ad inuicèm Iudæi, dicentes: Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

Cùm non debeāt verba promissionis Iohan. 6. tāquā figuratè accipi, nō possūt datiua vel præstationis verba, quibus in cœna Dominus vsus est, tropicū habere sensum.

Immò verò non illi duntaxat vulgares Capernaitæ, sed ipsi etiam Seruatoris discipuli, qui tamen illius iam antè tam multa conspexerant admiranda opera & signa, perpluresque ex illo audiērant obscuras parabolas & similitudines, quarum tamen nulla eis ob intelligentiæ inopiam vnquàm fuerat offendiculo, his nihilo minùs atquè cæteri, verbis offensi sunt, vt Euangelista testatur. Multi, inquit, audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo: & quis potest eum audire? & addit: Sciens autem IESVS apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Huius verò scandali nullam illi occasionem vel causam habuissent, si quidem Dominus memorata sua verba non nisi hac ratione voluisset intelligi, Panis quem ego dabo, figura erit corporis mei, quæ vobis meî memoriam refricabit. Quis enim mortalium non eodem modo suam possit præbere carnem? & cui tandèm durus hic possit sermo videri, eo modo cuiusquam carnem edere, id est, in illius tantùm redire memoriam? Quo autem pacto fieri potuisset, si Dominus illa

Pro Aduersariorum iudicio, discipuli Seruatoris nullā habūissent ex verbis eius scandali occasionem.

sua verba hâc tropica ratione accipi voluisset, vt ipsi etiam eius discipuli hanc illorum mentem & sententiam, per se alioquì facilè perceptu, ex prolixa illa Domini apud Iohannem 6. cap. oratione, neutiquàm apprehenderent & assequerentur?

Atq; etiamsi ea fuissent Discipuli ruditate, vt figuratā locutionem capere non possent, quî tandèm pijssimus Iesus, qui in hunc mūdum venerat docere & illustrare homines, adeoque cuius precipuus erat cibus, verbo suo diuino homines non à se repellere, sed ad se adducere ac lucrifacere, ea vti potuisset in humanitate nedùm erga Capernaitas, sed ipsos quoque discipulos suos, vt ex crasso illo errore, quod vel verbo vno poterat, illos nollet extrahere, cùm tamen alibì hac ad eos oratione vsus sit: Vobis datum est nôsse mysterium regni cælorum, ceteris autem in parabolis? Ille verò licèt non ignoraret dicta sua discipulis scandalo fuisse, non modò tamen illa ad sensum metaphoricum non est interpretatus, sed vt ea erat simpliciter prolocutus, ità illis, tam quòd ad verba ipsa, quàm sententiam attinet, constāter inhesit, immò etiam grauiori deincèps magisque seria oratione confirmauit; idq; adeò vt memorati eius discipuli sermonem illius tandèm vsq; eò absurdū, insulsum & intolerandum censerent, vt pleriq; ex illis abirent retrò, & iam non cum illo ambularent. Dixit ergò ad duodecim: *Nunquid & vos vultis abire?* in quibus tamen vnus fuit diabolus, vt textus habet: Huius autem murmurationis, contentionis ac defectionis nullam quidem Capernaite, ac longè etiam minorem discipuli occasionem habuissent, si verborum Domini non alia, quàm quæ antè dicta est, mens & sententia fuisset.

Iohan. 4.

Matt. 13. Luc. 8.

Iohan. 6.

Christus oēm hic discipulis præcidit occasiōem ad allegoricum sensum confugiendi.

Non rarum apud illos erat, Domino tam crebras adhibente parabolas, ad allegoricum dictorū illius sensum recurrere: atquì hoc loco Dominus omnem illis allegoriæ cogitationem præcídit, idq; inter alia his verbis: *Nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quibus ex dictis facilè illi poterant colligere, panem quem ipsis promitteret, plus aliquid quàm figuram esse oportere. Nanq; dubio procul nôrant illi, figure nullius eam esse vim & facultatem, æternam vt possit homini prestare vitam: cui rei argumento esse potest manna, cibus ille cælestis & eximius, quem id non potuisse in aperto est.

Quan-

Quanuis autem non sim ego nescius, ea Domini verba, *Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem,* &c. etiam rectè ac sanè de spiritali duntaxat, quę fit in fide, cõmunione accipi, adeoq; etiam infantes ipsos non nisi salutari expiatos lauacro, atque antè quàm celsissimum Corporis & Sanguinis Christi sacramentum percipiant, ex hac luce migrantes, viuificante eiusdem Corporis & Sanguinis Christi gratia non priuari: quandò tamen negari non potest, eadem ipsa verba rectè ac propriè de celsissimo quoquè Corporis & Sanguinis Christi Sacramento accipi debere, quod nobis Christus eodem loco se daturum pollicetur his verbis, *Panis quem ego dabo, caro mea est* &c. Capernaitæ autem & Discipuli Seruatoris id temporis necdùm possent intelligendo consequi, qua forma eiusmodi suum corpus, quod & corporibus & animis eorum vitam adferret, in cibum conferre posset: ex dictis illius, vtpotè quę nullum admittere tropum ipsi facilè animaduerterent, sese expedire non potuerunt; immò ex ipso dominicę orationis exordio, vndè totus reliquus sermo dimanat, nullo negocio Capernaitæ colligere potuêre, verba Domini non ad nudam spectare figuram. Initium quidem fuit eiuscemodi: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducâstis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* quasi diceret: Equidem non cibum vulgarem, qui corpus ad tempus sustentet, vobis præbiturus sum, sed qui vos in vitam seruet æternam. Nam tametsi illic Dominus in sui Sermonis exordio de spiritali duntaxat, non etiam sacramentali communione loqui videtur, cùm eo loco subijciat: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille:* attamẽ quandò ibidèm illis quę sequuntur, carnem suam nobis in cibum se daturũ pollicetur, Capernaitę autem ex iam dicto oratiõis illius initio iam animo presumpserant, cibum ab illo conferẽdum, duraturum in vitam æternam, haud difficilè illi sentire poterant non posse eum figuram esse: quę eis occasio fuit de illo cibo latiùs percontandi; sed cùm Dominus responderet suam ipsius carnem illum fore, id eis, vt antè dictum est, scandali materiam suppeditauit.

Ipsum sermonis dominici exordium argumento est, eũ nulla esse vsum figurata dicẽdi ratiõe.

DVodecimò, si crebrò memorata Domini verba Iohann. 6, non nisi pro figuratis habenda sint, consequens fit, promisisse illic Domi- Cap.14.

Si verũ esset quod Sacro

mẽtarij volũt, iã Dominus Ioã 6. q̃p. piã eiusmodi foret pollicitus, quod nihil haberet miraculi: quã tamẽ sententiã ipse Dominus ibidem acriter castigat.

Dominum Capernaitis eiusmodi aliquid, quod absque vllo miraculo esset eis exhibiturus: atque ea causa conuenienter satis Capernaitas obiecisse domino, patres ipsorum non sinè insigni miraculo prępotentis Dei, manna in deserto edisse, cùm ipse Christus non nisi cõmunem, eumque typicum eis panem in locum mannæ prębere constituisset. Atqui longè alitèr illi Seruatoris verba accepére, haud obscurè intelligentes, polliceri eum longè pręclarioris miraculi designationem, quàm Moses vnquàm patribus in deserto per mãnã exhibuisset, quod tamen necdùm sibi poterant persuadere, maximè quòd Dominus mannę illi in deserto præstito miraculi existimationem propemodùm detrahere velle videretur, si cum admirabili ac incompręhensibili sui Corporis esca, quam illis erat pollicitus, componeretur.

Sacramẽtarij Capernaitis stupidiores.

Qua ex re illud potest animaduerti, quàm crasso nostri Aduersarij in errore versentur, dum celsum illud stupendumq; Dei opus in Sacramento percipere nequeunt, quandò tamen rudes illi ac increduli Capernaitæ haud difficilè aduerterunt Christi promissum absq; insigni admodùm miraculo Dei pręstari non posse, eoq; longè maiori & excellentiori, quàm Moses vnquàm in deserto effecisset: quanquàm posse id Dominum, id temporis necdùm credere voluerunt.

CAP. 15.

DEcimotertiò, Si Dominus non alitèr sua voluisset dicta accipi, quàm quibus figuram tantùm sui Corporis se daturum reciperet, minimè illi fuisset necessarium tum, cùm & Capernaitas, & Discipulos suos ob crassum & carnalem illorum intellectum, (vt qui crederent illum corpus suum haud secùs, quàm aliam in frusta sectam carnem, ipsis cibi loco distributurum) tam acriter repræhenderet, vt ad dictorum suorum confirmationem suam adferret & allegaret omnipotentiam, eosque ad illius cogitationem & contemplationem remitteret, cùm alioquì ad exhibendam sui Corporis figuram non esset opùs illius omnipotenti virtute. Remittit autẽ hîc illos ad suam omnipotentiam, eoq; nomine illorum arguit incredulitatem, vt quos certos esse oporteret, quandoquidem omnipotens sit, nihil ipsi esse impossibile.

Quādoquidē Christus ad suam nos remittit omnipotentiam, ꝑ

Hoc vos scãdalizat? inquit, Si ergò videritis filiũ hominis

nis ascendenté vbi erat priùs? Spiritus est qui viuificat, caro nõ ꝓdest quicquã. Verba q̃ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidã ex vobis, q non credunt: &c. tanquàm diceret: Præsentem vos duntaxat meę humanitatis fragilitaté attenditis, neq; ex omnibus admirandis operibus & signis meis diuinitatem meam animaduertitis. Vbì auté videritis me diuinitatis meæ fretum potentia cælos repetere, vndè ad vos profect⁹ sum, nũ tũ quoquè credere dubitabitis posse me vobis verum corpus meũ in cibũ cõferre? Vos ità planè persuasum habetis, me de carne mea haud secùs, atquè de quolibet naturali emortui hominis corpore, loqui, quam vobis particulatìm in cibum prębere velim: sed hac ratione caro non prodesset quicquam. Atquì corpus meum iam tum nõ mortale, sed immortale, indiuiduum & spiritale erit, nulli deincèps miseriæ obnoxium. Vt autem illud iam vita plenũ est, quam habet ex patre, viuitq; propter Patrem: ità qui mãducat illud, viuet propter me. Itaq; Spiritus, quo corpus meum ob inseparabilé diuinitatis cum humanitate coniunctionem, plenum est, is, inquam, Spiritus est, qui viuificat: & verba mea spiritus & vita sunt, sicq; accipi debent, quòd vobis nõ corpus exanime, sed spiritale ac vitale corpus meũ omnipotenti virtute mea, eo modo, qui naturã superet, prębiturus sim. Sedebit enĩ tum filius hominis cum corpore glorificato ad dexteram Patris sui: omni & in cælis & in terra potestate prędìtus erit, & vt semèl descendit in inferiores partes terræ, ità tum supra cęlos omnes ascendet, vt adimpleat omnia. Nihil tum ei erit impossibile: poteritque verum corpus suum, plenum spiritu & vita, quanuìs in cælo permanens, tamen re vera & substãtialiter exhibere ac porrigere, vt ex illo tam corporum quàm animarum vitam hauriatis.

Sua sit ꝓmissa præstiturus, consequẽs est cum nobis in Sacramento verũ corpus suum, nõ autẽ nudã exhibere figuram.

Mar. 16. 1. Cor. 15. Ephe. 4. Matt. 28.

Hanc Dominicæ pollicitationis mentem & sententiam, cùm Dominus eam exposuisset, diuus Petrus incunctanter amplexus est, & intellectu proprio in captiuitatem redacto in Christi obsequium, deq; illius omnipotenti virtute, quodq; & hoc & omnia posset, & quæ pollicitus esset, etiam præstaret, nihil hæsitãs, Domino ex duodecim sciscitanti, num & ipsi abire vellent, his verbis respondit:

Dñe, ad quẽ ibim⁹? Verba vitę ęternę habes: & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. quasi diceret: In tuis verbis & tua virtute situm est, vitam nobis conferre sempiternam. Sermo tuus virtutem habet omnipotentem, qui nos fallere non potest: siquidem nos cognouimus, quia tu es Christus filius Dei, atque ea re credimus posse te, quicquid nobis pollicitus eris, abundè pręstare, quãtunuis etiam humanę rationi id absurdum & incredibile videatur.

Hoc igitur nostris deest Aduersarijs, quòd cum D. Petro nolunt Christi virtutem omnipotentem attendere: sicq; fit, vt fidem cõmodare non possint ijs, quę humanum illorum prorsusq; angustum excedant captum, itemq; naturalis Philosophię & Physicę regulas, quibus tamen virtus Christi omnipotens adstricta non est. Multa quidem hincindè ex Philosophia argumenta coaceruant, ad solam naturę facultatem pertinentia: sed ea omnia stultitia sunt apud Deum,
Rom. 4. Psal. 134. qui vocat ea quæ non sunt, vt sint, & tanquàm quæ sunt: & omnia quęcunque voluit, fecit in cęlo & in terra. Neque satìs hîc pensitant, id quod Apostolus ait 1. Corinth. 15, Christi Corpus, iam porrò spiritale ac viuificans esse corpus. Si est corpus animale, inquit,
Gen. 2. est, & spirituale, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem.

Equidem non semèl admiratus sum Aduersarios, quorum tamen plerique pro huius mundi ingenio & more non parùm acuti & perspicaces videri volunt, non posse animaduertere, Christum (vtpotè qui futuram illorum incredulitatem & impietatem haberet pręcognitam) hisce verbis, *Si ergò videritis filium hominis ascendẽtem vbi erat prius?* hac ipsa omnipotentis virtutis suę significatione præcipuum ipsorum argumentum omninò dissoluere, validissimè elidere, ac prorsus redigere in nihilum. Aiunt illi, Christum ascendisse in cælum, sedere ad dexteram Dei Patris omnipotẽtis, indè venturum ad iudicandos viuos & mortuos: multasq; eius generis sententias adferunt, quibus indicat Dominus se terras secundùm externam, corpoream, visibilem formam tantispèr relicturum, donèc ad iudicium

[Margin: Christus præcipuũ Sacramẽtariorum argumentum prorsus elidit.]

reuer-

reuertatur. Sed Dominus ſuo hîc illos, quod dici ſolet, gladio iugulat, ea videlicet, quam diximus, percontatione ſua: Si ergò videritis filium hominis aſcendentẽ, vbi erat priùs? quaſi diceret: Cùm aſcẽdero in cælum, ſubducta veſtris obtutibus viſibili mea ſpecie, ex hoc ipſo vos demùm certò cognoſcetis, poſſe me tum omnipotenti virtute mea, non obſtante, quòd ad Patris dextram & ero & permanebo, corpus meum vobis hîc in terris pro meo arbitratu, modoque mihi cognito, ſed tamen ſubſtantialiter impertiri: multoq́ue minùs indè anſam arripietis de verbis meis dubitandi, tanquàm qui id facere non poſſim.

Quanquàm autem me non lateat, incompræhenſibili huic & quę naturam excedat, Chriſti operationi, qualem eã ipſe in Iohanne pollicetur, nullam naturæ actionem vel efficiẽtiam propriè poſſe comparari, quòd illa immenſæ, hæc finitæ virtutis ſit: attamen in ſimplicium gratiam viſum eſt hoc loco paucis indicare, etiam Naturæ innumeras eſſe effectiones, quas humana intelligentia neutiquàm conſequi poſſimus, tametſi noſtros quotidiè ob oculos verſantur. Eccl. 8.

Craſſa quædã ſimilitudo, vndè colligi poſſit, præpotentẽ Dei filiũ, in cælo manentem nobis in terris verũ corpus ſuũ poſſe in cibum cõferre.

Sol viſibilis in cælo, non niſi mera eſt creatura, nec deificata, quẽadmodùm Chriſti corpus: & tamẽ naturales ſuas vires & proprietates toti terrarum orbi communicat, terreſtres creaturas omnes fœcundat, alit, recreat, corroborat atque ſuſtentat, ſui imaginem in illis omnibus, quæ eius capacia ſint, luculenter, exprimit: in exigua cryſtallo verũ præbet ignem: atq; vt paucis multa complectar, nemo eſt, Dauide teſte, qui ſe abſcondat à calore eius. Interìm nihilo minùs in cælo, vbì eſt, permanet, nullam ſentiens ſuæ vel naturæ, vel virtutis diminutionem. Et Chriſtus viuentis Dei filius, Solis ipſius cõditor, immò ipſe verus Sol, non poterit ſua omnipotenti virtute, verum corpus ſuum, cum præpotenti ipſius diuinitate inſeparabiliter coniunctum, modo quo ipſe nouit, re vera tamen & ſubſtantialiter nobis impertiri, idq; ob noſtras tum animas, tum corpora conſeruanda ac ſuſtentanda? Ecquid tandèm aduersùs illius virtutem omnipotentem, & verba luculenta, quibus veram carnem ſuam nobis in cibum pollicitus eſt, inſigniori cùm impietate vel dici, vel cogitari queat? Sed de hoc poſteà fuſiùs. Inpræſentiarùm ſatìs habeo, abundè (quod ſpero) teſtatum reddidiſſe, verba hæc Seruatoris in Iohanne, Pſal. 18. Malac. 4.

Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita: non tropicè neq; metaphoricè, sed perindè vt sonāt, (nempe, Esca quam vobis daturus sum, vera est & substantialis caro mea) intelligi oportere.

Quòd si ità se res habet, vt apud Iohan. 6. cap. Christus verum ac substantiale corpus suum se nobis daturum promiserit: facilè aduertit cordatus quisque, eodem modo hæc Domini, quibus in Cœna vsus est verba, *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, non posse figuratè accipi: nam alioqui nihil omninò promissioni congruēt & respondebunt, neque etiam Christo Deo & homini conuenient, vt qui antè pollicitus esset daturum se nobis, veram carnem suam, iam mera quadam figura nobis satisfacere niteretur: adeoque tum Capernaitas, tum discipulos suos eiusmodi pollicitationis suæ incomprehensibili maiestate & excellentia absq; vlla causa ea, qua dictum est, ratione perturbasse & commouisse videretur, si in locum promissæ carnis suæ non nisi frustulum typici vel figuratiui panis substituere deliberâsset: id quod sanè nihil esset aliud, quàm eorum expectatiõem frustulo panis frustrari. In summa, promissum & exhibitio eodem hîc debent modo accipi: & Christus Dominus, qui fidelis est in omnibus verbis suis, non potest minùs nobis præstitisse in sua Eucharistia, quàm antè nobis apud Iohannem pollicitus fuerit.

Si Sacramentarijs fides habenda sit, Christus discipulorũ suorũ expectationem frustulo panis frustrat⁹ est. Psal. 144.

Deniquè priùs quàm ex Iohanne longiùs progrediar, è prolixo illo Seruatoris apud Iohannem 6. cap. sermone, id studiosè obseruandum venit, in venerabili ac sacrosancta Eucharistia corpus & sanguinem Christi non per seipsa duntaxat, ceu ab eius anima & diuinitate separata coràm adesse, vt miseri quidā ab alijs euersi, nostro hoc calamitoso æuo persuasum habent ac impiè sentiunt, sed esse ibi veram viuamque carnem eius & sanguinem cum illius diuinitate inseparabiliter copulata, & vt ipsemet est, perfecta, integra, ac indiuisa, quemadmodùm ipse sibi eodem loco non paucis ijsque grauissimis ac identidèm repetitis verbis, testis est locuples: *Ego sum*, inquit, *panis vitæ*. Item: *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis mãducauerit ex hoc pane, viuet in æternùm*. eaque verba hac ratione absoluit:

uit: *Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Quibus sanè verbis id perspicuè affirmat & testatur, carnem suam, quam nobis porrigit in cibum, plenam esse vita & cum sua diuinitate coniunctam, quæ ipsam sumentibus adferat immortalitatem tam corporis quàm animæ: quod quidē caro & sanguis per se, præstare non possent, vt ille ijs quæ sequuntur verbis, quæ suprà memorata sunt, latiùs & apertiùs declarat, ità dicens: *Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam: Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt*: quorum ea mens est, vt antè diximus: Caro per se sola nihil prodest: atquì mea caro, quæ diuinitate & spiritu plena est, immortalitatē & vitā æternā illis conciliat & efficit, qui eā dignè percipiunt. Corpus Christi in V. Sacramēto, plenum est vitæ.

Miseri illi planeq; euersi, quos antè dictus nimium crassus error occupat, fidei suæ prorsus obliti esse videnī, cùm tamen in eius symbolo etiamnùm ore fateantur, vnicum Dei filium, conceptum de spiritusancto, carnem in virginis sacratissimæ Mariæ vtero assumpsisse, quam deindè nunquàm ne in ipsa quidem morte reliquerit. Vndè etiam porrò confitentur, eundem Dei filium mortuum & sepultum secundùm carnem: quæ nimirùm confessio hac vna verissima ratione nititur atque fulcitur, quòd quicquid diuinitas semèl assumpsit, id posteà nunquàm deseruerit. Indè adeò illa est idiomatum communicatio, quòd Christo homini attribuuntur, quæ propriè ad Diuinitatem pertinent: atq; è diuerso Christo Dei filio ea quæ humanitatis sunt, assignantur, vt ea ipsius Domini apud Iohan. 3. cap. verba probant, quibus ait: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cęlo, filius hominis qui est in cælo: itemq; illa Apostoli 1. Cor. 2. Si enim cognouissent, nēpe, Dei sapientiā, nunq̄ Dn̄m gloriæ crucifixissent. Carnē, quam diuinitas semèl assūpsit, nunq̄ postea deseruit. Communicatio idiomatū in Christum.

Quòd si quis diuersum affirmare velit, is planè diuidit Christū, i. vnitatem hypostaseos seu personæ Christi, quę cùm non nisi vna sit, ille plures nititur efficere personas, aut certè multas, easq; diuersas partes. Atquì ex Christi Apostolo Iohanne didicimus, eum, qui soluat Christum, nō alium esse q̄ ipsum Antichristum: quemadmodùm olim fecit execrabilis memoriæ Nestorius hæreticus: Vndè porrò Mahometica & Turcica abominanda impietas profecta est, à qua miseri isti miserè seducti, cum sua superstitione non longè absunt. Christus Iesus mundi lux illos illustret, Amen. 1. Iohan. 4. Mahometica secta vndè extiterit. Iohan. 8.

Verùm

CAP. XVI.

Si Christus in V. Sacramento nihil præter figurã præbere voluisset, agni paschalis quẽ cũ discipulis priùs ederat, figura contẽtus fuisset.

VErùm vt ad alios Euangelistas nostra sese referat oratio, pergamusq́; iam DECIMOQVARTÒ veritatem corporis Christi in Eucharistia asserere, plùs satìs in confesso est, nec quisquam inficiàs ire potest, Agnum paschalem veteris instrumenti (quem Dominus more Iudæorum immolatum, cum suis Apostolis edit priùs, quàm cellissimum sui corporis & sanguinis Sacramentum institueret) omninò consentaneam, expressam atque pulcherrimam fuisse figuram, olim singulari Dei mandato institutam, vt vnicum eius filium Iesum, qui absque peccato venit in carnem, nosque sua immerita morte & suiipsius immolatione ab æterna morte redempturus erat, præsignificaret, id quod eius antecursor & baptista Iohannes, suo eum digito demonstrans, præclarè testatus est, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi: quibus paucis verbis præcipua ille legis Mosaicæ & Prophetarum, maximè Esaiæ & Ieremiæ mysteria explicauit; ac deindè etiam S. Euangelista Iohannes cap. 19. itidem confirmat, asserens locũ illum Exod. 12. de agno paschali, Os non comminuetis ex eo, in Christi crucifixo corpore impletum, quandò milites ad eum venientes, cùm eum vidissent iam mortuum, non fregerunt eius crura. Si igitur Dominus in sua Cœna, non nisi meram voluisset figuram instituere, fuisset ille proculdubiò contentus agno paschali, ceu expressa & significante ac dilucida sanè figura, præsertim cùm illa tam præteritam, quàm futuram ipsius perpessionem referre ac designare potuerit; vtì & Paulus ait, Pascha nostrum Christum pro nobis esse immolatum, 1. Cor. 5. & Iohannes Apocalyp. 13. cap. Christum dicit agnum occisum ab origine mundi: multisque alijs eius libri locis, agnum vocat qui nos redemerit, Vide Apocalyp. 5. 6. 7. 14. 15. 17. 21. cap. Immò quantùm perspici datur, agnus ceu viuum, sensibile, innocens, humile, & morigerum animal, longè fuisset accommodatior Seruatoris morti significandæ, quàm sit insensilis creatura panis.

Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22. 1. Pet. 2. Heb. 4. & 9. Iohan. 1. Esaiæ 53. Iere. 11. & 51.

At verò Dominus pascha, vel agnum paschalem non solùm figuræ loco nobis minimè reliquit, sed etiam antè, quàm corporis & sanguinis sui Sacramentum sub panis ac vini speciebus institueret, figuram illam penitùs aboleuit, nè quis illa deincèps pro veteris legis ritu & consuetudine vteretur. Testantur hoc illa eius apud Lucam verba;

Lucæ 22.

ba: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequàm patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc nõ manducabo illud, donec impleatur in regno Dei:* perindè àc si diceret: Erit hoc extremum pascha, quandoquidẽ figura quam gerit, ea quæ propediem futura est, morte & resurrectione mea, quæ verum est phase, id est, transitus à morte ad vitam sempiternam, complebitur & finem habebit. Deindè verò corporis & sanguinis sui, tanquàm nunquàm deincèps desiturum, instituit Sacramentum: quod quidem nihil omninò necessè fuisset, si nihil illo aliud, quàm figuram nobis relinquere constituisset: quandò paschalis agnus, vt antè dictum est, ad nudam meramq; figuram non minùs aptum & opportunum, quàm panis fuisset.

Verùm Dominus duplex hîc nobis inter Pascha vel agnum Paschalem & venerabile sui corporis & sanguinis Sacramentum discrimen euidenter exprimit, eo ipso luculenter significans Agnum illum paschalem typum vel figurã fuisse illius, quod ipse nobis in Sacramento largiatur.

Christus duplicem inter pascha & V. Sacramẽtum differentiam expressè indicauit.

Primum discrimen est, quòd iam antè diximus, Agnum Paschalem tanquàm figuram deincèps antiquatum iri, sui verò corporis & sanguinis Sacramentum in regno Dei, quod est eius Ecclesia, neutiquàm desiturum, sed sanctè colendum, conficiendum, sumendum esse ad suum vsque reditum, vtì & Lucas & Apostolus commemorant. Alterum est, quòd longè aliud V. Sacramento nomen imposuit, atquè Paschati vel agno Paschali: qui tametsi mirè elegans & congrua sui corporis, quatenùs id pro nobis immolatum est, figura fuit, nihilo minùs non alio quàm Paschatis abolendi ac desituri vocabulo eum appellauit. Ea verò figura iam abrogata, celsissimum Sacramentum, quod paulopòst instituit, & deincèps sanctè seruandum præcepit, non quidem panem, sed rotundis, perspicuis, expressis verbis corpus suum, quod pro nobis datur, & sanguinem suum, qui pro nobis funditur, nuncupauit: qua ille gemina differentia id nobis manifestò indicatum voluit, Pascha non nisi preuiam quandam fuisse figuram: sed in dignissimo Sacramento & esse & porrigi, quod figura illa iam antè significasset, nempe, verum corpus & sanguinem suum. Nam alioquì duplex hæc, quam diximus, differentia siue discrimen non poterit consistere: tum etiam nullam ille, qui tamen ni-

hil vnquàm temerè aut frustrà egit, causam habuit figuram aliam amouendi, & aliam tantùm in eius locum substituendi, quæ tamen pro sua natura nihilo plùs posset efficere: maximè cùm figurarum vna hæc eademque ratio vel natura sit, vt significent tantùm.

CAP. XVII. DEcimoquintò, probè exploratum habent in scriptis diuinis versati, vbi in ipsis sacris literis controuersia vel dubium existit, num verba Scripturæ pro suo genuino sensu, & vt secundùm literam sonant, vel potiùs Metaphoricè aut Tropicè accipienda sint, tum nimirùm ea quæ eo loco proximè antecedunt & sequuntur verba, studiosè esse dispicienda, quòd ea mentem & sententiam illorum, quæ in controuersiam vel dubium reuocantur, facilè sint indicatura. Semper enim hac in parte id pro regula ac amussi obseruatum est, vbi verborum circunstantiæ sensum metaphoricum necessariò non exigūt, nullo pacto à germana significatione propriaque verborum mente & sententia esse deflectendum. Atqui hoc loco neque præcedentia, neque sequentia verba vllam omninò præbent ansam vel rationem, sensum Metaphoricum vel Tropicum adhibendi: immò verò nulla eum ratione admittunt. Quòd ad præcedentia attinet, iam diximus. Aliâs namque Dominus Pascha vel agnum Paschalem æquè suum corpus, itemq; vinum illud quod peracto iam Paschalis agni esu, ante V. Sacramenti institutionem, vt eo veteris Testamenti Cœnam clauderet & absolueret, inter discipulos, vt Lucas annotauit, diuisit, æquè suum sanguinem vocâsset, atquè posteà sacrosanctam Eucharistiam corpus & sanguinem suum appellauit. Sed vt dictum est, nihil ille minùs fecit. Neque eum patiuntur sensum vel intelligentiam verba sequētia, quæ sunt hæc: (Corpus) *quod pro vobis datur*. Item, (Sanguis) *qui pro vobis fundetur in remißionem peccatorum*: quibus id certò euincitur, verba Domini de illius vero ac substantiali corpore & sanguine necessariò accipi oportere, quod iam partìm in superioribus probatum est, & posteà latiùs demonstrabitur.

Cùm præcedentia & sequētia verba metaphoram nō requirūt, vt nō solùm eam non exigūt hoc loco, sed etiā ferre non possunt, tū ipsa verba perindè vt sonāt, accipienda sunt.

Luc. 22.

Porrò etiamsi sermonis circunstantiæ, & proximè tum antecedentia, tum subsequentia verba certam hanc ac indubitatam nō poscerent intelligentiam, quod tamen certissimè faciunt, eadem tamen

men

mens & intelligentia ex cõſonantiſſima illa verborum CHRISTI, quæ quidem & ſimplicia & rotunda ac luculenta ſunt, recitatione, in qua Euangeliſtæ cum Apoſtolo pulchrè conſentiunt, plùs ſatìs adſtrueretur. Tres quidem priores Euangeliſtæ & Paulus Apoſtolus vno affirmant ore, dixiſſe Dominum, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS: vel, HIC CALIX EST NOVVM TESTAMENTVM IN MEO SANGVINE, QVI PRO VOBIS FVNDETVR: neque prætereà vel verbulo vno, immò nec apice vno vllam præbuit occaſionem de ſenſu Metaphorico cogitandi. Conſonat illis & Iohannes, verbis quæ ſuprà attulimus, promiſſionis CHRISTI: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quã ego dabo pro mundi vita:* quæ nimirùm ad ſenſum metaphoricum trahi non poſſunt, vt ſuprà diximus. Iam ſi Domini Verba tropica fuiſſent, illorum recitatio non tam eſſet apud omnes conſentanea, ſed vt minimùm vel vnus ex illis, vnius aut plurium verborum ſubtractione id nobis ſubindicâſſet, tropicæ ſententiæ, non literæ, hîc habendam eſſe rationem, vti aliàs cùm Dominus parabolis eſſet vſus, feciſſe illos dubium non eſt. Immò vbi alij Euangeliſtæ id non ſatìs indicant, Iohannes tam id facit luculenter, vt cuiuis abſonæ intelligentiæ nullus omninò ſuperſit locus. Legimus apud illum ſecundo capite reſpondiſſe Dominum in hæc verba: SOLVITE TEMPLVM HOC, ET IN TRIBVS DIEBVS EXCITABO ILLVD &c. Meminerunt huius ſententiæ etiam Matthæus & Marcus in Paſſione Seruatoris, vt eam falſi teſtes illi obiecerint, neque tamen quid Dominus ea ſibi voluerit, ſatìs exactè indicant. Sed nè quis errori eſſet locus, ſanctus Iohannes id facit, qui ſuum Euangelium poſtremus conſcripſit, & quæ priores tres omiſerant, ſarcire conatus eſt. Eius verò hæc ſunt verba: ILLE AVTEM DICEBAT DE TEMPLO CORPORIS SVI. Sunt apud eundem ſeptimo capite id genus alia, quæ Domini Seruatoris verbis proptereà ſubiunxit, vt ea rectè intelligerentur: quanquàm & alij Euangeliſtæ plerunquè, ſi quid Dominus parabolicè eſſet locutus, id expreſsè ſatìs indicârunt, vtì videre licet Matthæi decimotertio, viceſimoprimo, viceſimoquarto, Marc. tertio, quarto, decimotertio, Lucæ octauo, decimoquarto, decimoquinto, 19. adeoq; ſi q̃d Dñs quodã loco obſcuriùs dixiſſet, alio id exponũt.

Apud Matthæum decimotertio,& Marcum quarto cap. obſcurè loquitur: *Qui enim habet,dabitur ei,& abundabit: qui autem non habet, & quod habet,auferetur ab eo.* Quibus verbis quid ſibi Dominus voluerit, alibì meliùs explicatur, putà Matt.25. & Luc.8. hũc in modum: Omni enim habenti dabitur,& abundabit:ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Ex quibus & id genus alijs locis teſtatum poteſt effici,nihil vnquàm Dominum tropicè aut parabolicè dixiſſe, quin id vel ex præcedentibus vel conſequentibus poſſit depræhendi:vel etiam id aut per ſeipſum, aut per Euangeliſtas ijſdem aliiſve locis indicârit. Quod tamen hîc minimè fecit. Qua igitur ratione (Deum immortalem) Metaphoras vel Tropos in hiſce Chriſti verbis captabimus,quandò ille neque per ſeipſum,neq; per Euangeliſtas vllam vſpiàm dedit ſignificationem,velle ſe hęc ſua verba ſecùs atquè ea protulerit,intelligi?

CAP.18. Lucæ 22. 1.Cor 11. Chriſtus fatetur & teſtatur ſe in V. Sacramento eum nobis, præbere ſanguinem, quo nouum teſtamentũ confirmetur: qui certè figura dici non poteſt.

DEcimoſextò, vt id fiat euidentius, diligenter inprimis conſiderandum venit, Dominum Seruatorem calicem non nudè ſuum appellare ſanguinem,ſed inſupèr adiungere, NOVI TESTAMENTI, vel,vt Lucas & Apoſtolus habet, NOVVM TESTAMENTVM IN MEO SANGVINE. Quod nihil à priori diſcrepat,idque ſibi vult, Dominum in ſuo V. Sacramento eundem ipſum præbere ſanguinem,quo Nouum Teſtamentum confirmatum eſt & conſignatum,quemadmodùm olim vetus illud hircorum & vitulorum ſanguine: atque ità in his ſuis verbis ſanguinem prioris Teſtamenti non alio quàm figuræ loco habere, comparatione ſanguinis noui Teſtamenti, tanquàm per illum alium deſignati. Quod idem & Apoſtolus facit Heb. 8.& 9. cap. quibus docet ſanguinem, quo vetus Teſtamentum confirmatũ ſit, hircorum & vitulorum fuiſſe:eum verò, qui ad noui confirmationem adhibitus ſit, proprium Domini ſanguinem fuiſſe, per quem ſemèl introiérit in Sancta,æterna redemptione inuenta. Vndè porrò ſequitur, CHRISTI verba de vero illius & ſubſtantiali ſanguine, quem in Euchariſtia largiatur, neceſſariò accipi oportere. Nam ſi ſecùs fiat, Domini illa non conſtabit collatio, qua ſuum, quem in Euchariſtia per ſeipſum præbet, ſanguinem, ceu rem veram opponit ſanguini prioris Teſtamenti, tanquàm figuræ: adeoque nihil corũ

hil eorum cõſtabit, quæ Apoſtolus adfert locis memoratis, putà, Nouum Teſtamentum non vmbra, ſed ipſo Chriſti ſanguine confirmari: itemq́; Chriſtum miniſtrum eſſe non vmbrę, neq; bonorum terrenorum aut terreni tabernaculi, ſed ſanctorum & tabernaculi veri: illud quoquè, Teſtamentum vetus non niſi circa exemplaria & vmbram cæleſtium verſari: Chriſtum autem melioris Teſtamenti factũ mediatorem, iuxta exemplar quod Moſi in monte monſtratum fuit. Quæ omnia nihil haberent vero conſentaneum, ſi Chriſtus in V. Sacramento ſuo non niſi vmbram quandam ſui Sanguinis præbuiſſet. Ità nanque etiam ipſe adhuc vmbrę ſeruiret, quodque contulit nobis, non poſſet dici ſanguis noui, ſed veteris potiùs Teſtamenti, quòd adhuc circa exemplaria verſaretur: cùm tamen ipſe ſit corpus illud, quò vmbræ omnes relatæ ſunt. Pſal. 39.

Et nè quis ſibi fortaſsìs perſuadere velit, collationem Sanguinis prioris Inſtrumenti cum ſanguine poſterioris, qua hoc loco vtitur Dominus, catenùs duntaxat de Chriſti ſanguine accipiendam eſſe, quatenùs is in cruce fuſus eſt, cuius Sacramentum ipſum non niſi ſymbolum ſit, vt Aduerſarij mentiuntur: magnoperè aduertendum eſt, quò his proferendis verbis Dominus ſpectàrit: non aliò ſanè, quàm vt in veteri Teſtamento (quod non niſi mortua imago & nuda quædam fuit Noui adumbratio) Moſes ſanguine hircorum & vitulorum omnem adſperſit populum, dicens: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum: ità eundem in modum ipſe quoquè hìc dixerit: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis fundetur in remiſſionem peccatorum:* eoipſo nimirùm indicans, ſe porrò illum ſanguinem, conferendo V. ſacramentum ſuum, Chriſtianæ Eccleſiæ ſuę, quô figura compleatur, re vera & efficaciter adſpergere, idq́ue in certum argumentum remiſſionis peccatorum. Itaque perſpicuum eſt, Chriſtum Dominum precioſum ſanguinem ſuum, quatenùs illum in V. Sacramento prębuit, non quatenùs poſteà in cruce fudit, cum priſci illius Teſtamenti ſanguine, quo Moſes adſperſit populum, contuliſſe. Quod cùm ità ſe habeat, non poteſt hic ſanguis Sacramenti non eſſe verus ac ſubſtantialis ſanguis eius, quo nouum illius Teſtamentum eſt confirmatum. Confirmatio enim fit ipſa Sacramenti diſpenſatione, per quod propitiæ erga Exod. 24. Heb. 9.

nos voluntatis suæ certiores nos efficit: idemq́ue Testamentum suum ipsius sanguine obsignatum nobis exhibet, facta nobis copia & potestate fruendi omnibus diuinis bonis illius, eius sanguine nobis partis & conciliatis: cùm ediuersò nuda figura illud eius Testamentum admodùm nobis infirmum & inefficax fuerit exhibitura.

CAP. 19.

DEcimoseptimò, constat dixisse Dominum: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis fundetur in remissionem peccatorum.* Non potest autem mera figura illius esse virtutis & efficaciæ, vt peccata expiet & expurget. Aliâs nánque hircorum & vitulorum in prisca lege sanguis, quem quidem dubium non est pulchrè congruentem gessisse typum veri sanguinis CHRISTI, eadem poterat esse virtute præditus, quod tamen neque fuit, nec esse potuit, ipso Apostolo affirmante, impossibile esse sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Itaque necessariò id indè consequitur, in præstantissimo Sacramento verum corpus & sanguinem Christi, vndè de peccatorum nostrorum abolitione certiores reddimur, nobis porrigi & exhiberi: Quanquàm ante eius Sacramenti perceptionem vera & digna agenda pœnitentia peccatorum veniam à Deo petere & impetrare debemus, nè indigni accedamus. Cumq́; ità nos gerimus, Sacramentum hoc longè celsissimum certa nobis securitas est, & ceu pignus quoddam & hypotheca impetratæ à Deo remissionis peccatorum.

Heb. 10.

Christus in V. Sacraméto est nobis præbet sanguiné, qui fusus est, idq́; vt certiores nos reddat de peccatorú remissione: quod nulla potest figura præstare.

CAP. 20.

DEcimooctauò, Quisquis hęc extrema ante illius obitum Domini verba, quæ non immeritò Testamenti & supremæ eius voluntatis instar habentur, non pro germano illorum sensu, quem luculenter præ se ferunt, accipit, sed ea pro humano iudicio ad commentitium quendam ac Metaphoricum sensum detorquere & trahere molítur: ille sanè nihil agit aliud, quàm vt, quatenùs quidem in ipso situm est, Dei ac Domini sui Testamentum & vltimam voluntaté, prorsus irritam faciat, peccans hoc ipso immanissimè. Cuius ea ratio est, quòd Dominus quidem disertis & luculentis admodùm verbis testetur se nobis thesaurum largiri longè preciosissimum, quo nos vnquàm possit donare, putà, sacratissimam

Sacramentarij supremi Domini voluntatem planè irritam faciũt

tissimam carnem & pręclarissimum sanguinem suum, vt illis ad salutem potiamur ac fruamur, donec ad nos reuertatur. Iam si quis ea sit temeritate, populo vt persuadere velit, Dominum illa sua verba non quemadmodùm sonant, de verò corpore & sanguine suo, sed de vmbra dũtaxat aut symbolo sui corporis accipi voluisse, quid ille affirmare videtur aliud, nisi Domini supremam voluntatem non in solida & constanti bonorum legatorum veritate, sed in mera tantùm illorum figura & monimento esse fundatam atq; constitutam? Ecquid verò maiori cum impietate dici queat?

Si quis id enim de cuiuslibet vulgaris hominis testamento vel extrema voluntate dicere velit, quis quæso laturus est? Quanto igitur minùs ferendum est, quandò de Dei ac Seruatoris nostri Testamẽto & vltima voluntate agitur?

Cui obscurum est, testatores omnes in suo Testamento, seu vltima voluntate id inprimìs cauere, nè qua ambigua vel obscura oratione, quæ secùs, atquè sonat, possit intelligi, vtantur, in eamque è diuerso curam summoperè incumbere, vt illam suam voluntatem clarissimis apertissimisq;, quorum quidẽ meminisse queant, verbis exprimant, nè si quid perperàm sit intellectum, illorum suprema voluntas suo frustretur effectu & fiat irrita?

Immò quis vnquàm audiendo consecutus est, hominem probum & integrum in suo testamento hęredes & legatarios suos tam turpiter elusisse, vt cùm ob ipsius Testatoris præclara & aperta verba nihil sperarent aliud, quàm se maximas facultates & ingentem thesaurum adepturos, vbì tamen hæreditatem adijssent, non nisi figuram tãtùm & vmbram offenderent?

Iureconsultorum sententia est, verba Testatoris non alitèr atquè sonant, & secundùm propriam significatiõem accipi debere, nisi planè constaret aliam illius fuisse voluntatem, quàm verba præ se ferãt: alioquì nemini fas esse, Testatoris verbis quicquam vel addere, vel demere. l. Non aliter. ff. de legat. 3.

Et nè quis dicat, prophanum hoc argumentum à nostro instituto esse alienum, quòd ex Iure ciuili in rebus diuinis nihil possit adstrui vel probari, vtitur illo Paulus ad Galatas tertio, vbì de promissione noui Testamenti Abrahamo facta, prolixè disputat, dicens

inter

inter alia: Tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. Hic iam vnusquilibet perpendat secum, vtì se Aduersarij hac in parte gerant, dum ex hisce luculentis & perspicuis verbis, & suprema filij Dei voluntate, nempe, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS, pro suo humano somnio & iudicio, audaci illa sua appositione & manifesta deprauatione hanc planè diuersam non dubitant sententiam efficere: Hoc non est re vera, sed significat tantùm corpus meum. Itemque: Hic non est verè sanguis meus, sed meum duntaxat sanguinem significat. Aut ità: HOC non est corpus meum, sed figura solùm corporis mei: Hic non est sanguis meus, sed illius figura tantùm. Hoc si non est humana temeritate addere ac detrahere quippiam Testamento Dei, equidem non video quid tandèm sit vel addere vel demere. Illi verò non modò & apponunt, & detrahunt, sed etiam deprauant, irrident, ac propemodùm penitùs irritum faciunt: neque interìm tamen cogitant, quàm horrenda ipsos supplicia maneant, longè quidem deteriora, quàm in illos olim constituta sint, qui eo pacto legem Mosis irritam fecêre, qui, vt Apostolus ait, sinè vlla miseratione duobus vel tribus testibus neci dati sunt. *Heb. 10.*

Si quidē Christus verba sua aliter atque sonāt, accipi voluisset, id ille indicāsset haud dubiò.

Adeóne persuasum habent homunciones isti, Sapientiæ Dei, & sempiterno Dei verbo conuenientia & apta defuisse verba, quibus mentem & sententiam suam, id est, vtì deincèps ad finem vsq; mundi à suis fidelibus, qui ab illius penderent verbo, ea accipienda forent, perspicuè declararet? Itáne fugere potuit CHRISTVM, qui est ipsum Dei verbum, quæ sit eorum, quibus homines inter se vtuntur, verborum significatio? & cùm sit ipsa Veritas, non potuit veritatem satìs significanter depromere? & cùm sit DEI Sapientia, credi potest aliud pro alio improuisò ac incogitanter dixisse? Deniquè ipsam omnipotentis Patris virtutem adeò quandoquè fuisse imbecillam, vt expressè satìs & luculenter proloqui & explicare nequiuerit, quidnam suis sibi vellet verbis? Ecquid dici potest absurdius?

CAP. 21. DEcimononò, verba Domini, non nudi cuiusdam hominis verba sunt, sed eius, qui & Deus sit & homo, ad quem propriè perti-

pertinet non nisi prçclara & admiranda tum dicere, tum facere: quiq; nihil vnquàm non inprimis admirabile siue dixerit, siue fecerit: id quod ex omnium illius dictorum factorumq; ab illius indè ortu ad ascensionem vsque in cælos, contemplatione perspicuum fit: de quo deniquè ipsi illius persecutores testati sunt, neminem sic vnquàm esse locutum, neque tam præclara operatum.

Matth 7. Marc. 7.

Iohan. 7.

Eum autē & dicendi & agendi morem suum non tum vel parciùs secutus est, vel intermisit, cùm hinc migrare constituisset. Ingressus est enim tum Hierosolymam admirabiliter, planeq; stupenda gessit in templo: cœnam non absque insigni miraculo apparari sibi iussit, duobus discipulis, Petro & Iohanne, missis ea causa in vrbem, nec tamen loco vbi pararent illis indicato, sed eo solo addito mandato, vt eum sequerentur, qui cum amphora aquæ ipsis esset occursurus, dicerentq; patrifamiliàs domûs, ostenderet ipsis cœnaculū magnū stratum, vbi Pascha cum discipulis manducaret, vt posteà factum est.

Quādò Christi dicta factaque semp admirabilia fuere, extrema quoquè eius verba, quibus perennem nobis sui memoriā reliquit, non possunt non esse admiranda: quòd tamen figuræ nō congruit.

Quinam igitur fieri potest, vt vbi paschatis esum absoluit, quò tamen non parùm multę adhibendæ erant cæremoniæ, & in quo multa inerant mysteria, multæ commonefactiones, deindè discessum suum mera tandèm figura clauderet, suisq; discipulis cunctisq; è religione Christianis non nisi panis frustulum in sui perennem memoriam relinqueret, & cùm in omnibus, quæ vel egit vel omisit, semper fuerit admirabilis, hîc ad extremùm à suis recessurus nihil tale ageret, quod admiratione dignum foret?

Sed quandò hæc absurda prorsus sunt & incredibilia, ipseque suis perpetuum suî monimentū relicturus, super creaturas illas, nempe, panem & vinum, quas in diuinas suas accepit manus, eiusmodi protulit verba, quæ secundùm propriam significationem suam, plùs satìs admiranda sint, captumq; excedant humanum: quęnam, obsecro, amentia est, vt ea illius extrema verba, repugnante licèt genuina illorum significatione, tamen allegorizando vi quadam libentiùs eò detorqueamus, vbi iam cæteris eius & dictis & factis admirandis nulla ex parte respondeant, nec illius persona digna sint, neque illam deceant, quàm vt pro germana illorum sententia vera fateamur fide, magnum Dominum etiam hoc loco ingentia quædam & dixisse & fecisse, quæ nullus omninò mortaliū vel dicere possit, vel efficere? eum

quoquè, cuius tam admirabilis eſt natiuitas, cuiusq́ue vita, ſermo, actio & conuerſatio ſemper cum ſumma admiratione fuêre coniuncta, etiam hîc extremam illam cœnam ſuam modo quodam admirabili abſoluiſſe: maximè quandò etiam Dauid rex ante aliquot annorum chiliades de illo, nullo dubitante, eiuſmodi edidit oraculum: Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius: Confeſſio & magnificentia opus eius. Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.

Pſalm. 110.

Vulgari fertur ſententia, & ea tamen vera, ſi quod incidat dubiũ, quo pacto alicuius verba intelligi oporteat, eo caſu eiuſcemodi illorum verborum eſſe ſententiæ inhærendũ, quæ perſona dicentis non ſit indigna, vel illi inconueniens ac indecens. Ea verò, quam Aduerſarij pro ſua temeritate CHRISTI verbis affingunt, ſententia, Chriſti Dei & hominis perſonæ neque apposita & congrua eſt, neque ea digna: vtpotè qui promiſerit quidem ſuis carnem & corpus ſuum, at tamen non niſi vmbram & figuram quandam ſui corporis illis præbuerit: quod certè abſurdum eſt de DEO dici. Rectum eſt enim, vt Dauid ait, verbum Domini, & omnia opera eius in fide. Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.

Si Sacramẽtarijs fides habenda ſit, verba Domini illi vt Deo & homini non congruent.

Pſalm. 32.

Deindè videmus hominum inter ipſos more comparatum, vt qui peregrè abituri, præcipuis amicis conuiuium valedicendi animo apparant, prudenti quadam modeſtia & vrbanitate cibos appoſitos non magìs verbis & prædicatione efferant, aut commendando longè eos præſtantiores ſplendidioresq́;, quàm alioquì re vera ſint, nitantur efficere. Nũ igitur Chriſtus magnus ille paterfamiliâs, idemq́; ipſe modeſtiſſimus atque humilimus, cibum illum ſupremæ planeque diuinæ cœnæ ſuæ adeò potuiſſet verbis extollere & amplificare, ſi nihil ille aliud præter ſimplicem figuram continuiſſet? Quid (oro) poteſt Domino attribui indignius & abſurdius?

Chriſtus factum ſuũ verbis nõ reddidit ſpecioſius & inſignius, quàm erat in ſeipſo.

CAP. XXII.

Aduerſariorũ allegoria, propterea quòd hæc Do

VIceſimò, ſi quidem ſtudio propenſiori ea, quæ Dominus identidèm parabolicè locutus eſt & docuit, expendere & obſeruare velímus, re ipſa ſanè id nuſquàm non comperiemus, eiuſmodi parabolarum ſenſum allegoricum, quid-

quiddam longè sublimius & augustius, atquè nudus exterioris literæ & sermonis sensus præ se ferat, in se complecti secumque adferre: Vt, verbi gratia, vbì Dominus parabolicè dixit, *Ego sum ostium*, neutiquàm certè vulgare quoddam ostium se voluit intelligi, sed ostium vitæ æternæ. Itemque, vbì se vitem veram ait, non vtiquè de communi id voluit vite accipi, sed de diuina quadam, cuius pater cęlestis agricola sit &c. Adeò nihil vnquàm Dominus protulit parabolicè, quod aliqua allegoria minuatur & extenuetur. Qua igitur ratione eò adducuntur Aduersarij, vt in his verbis, HOC EST CORPVS MEVM, &, HIC EST SANGVIS MEVS, allegoriam aucupari velint, cùm hoc ipso nedùm germanum verborum, quòd ad propriam significationem attinet, sensum reijcere, sed etiam pro vitali corpore & rutilante Christi sanguine, quæ ipsa secum luculenta verba adferunt, sua illa commentitia & è somnijs profecta allegoria, non nisi aridam quandam planeque mortuam nobis figuram obtrudere moliantur?

mini verba extenuat, vt minùs significent quàm præ se ferãt, nullo pacto admittenda est.

Iohan. 10.
Iohan. 15.

CAP. 23.

VIcesimoprimò, Non potest quisquam ire inficiàs (vt infrà multis planum faciemus) omnes religiosè Christianos, sanctamque Christi catholicam Ecclesiam, iam indè ab Apostolis, Christum in Eucharistia ceu inibì re vera & substantialiter præsentem, semper adoràsse: nulla re alia, vt id faceret, ipsam permouente, nisi luculentis illis & clarissimis Dei ac Domini sui Christi IESV verbis, quibus ille testatur in Eucharistia verum esse corpus & sanguinem suum.

Quod quidem si ità se non haberet, sed verba illius contra omnium è religione Christianorum persuasionem, metaphoricè de nuda quadam figura accipienda forent, certè ipse Dominus ea sua tam obscura oratione Ecclesiæ suæ magnam horrendæ idololatriæ occasionem præbuisse videretur: cuius tamen causa vltrò tum mortem oppetijt, vt ex impijs idololatris, ministros & cultores efficeret vnius veri Dei: nec posset nõ esse admirabile, æternæ illi Dei sapientiæ hoc illius consilium tam malè cessisse, atque vsque adeò crassum errorem sanctæ illius Ecclesiæ nunquàm deinceps per spiritumsanctum eius doctorem, ducem, aduocatum & paracletum innotuisse.

Si Christus in V. Sacramẽto verũ corpus suum, ità vt eius verba sonant, minimè præberet, Ecclesiæ suæ horrẽdæ idololatriæ author fuisset: quod asserere impium & blasphemum fit.

Dixit tamen ipse Christus Matth. 11. & Luc. 7. de seipso: *Iustificata*

est sapientia ab omnibus filijs suis. Et Matth. 16. & Lucæ 22. certò pollicitus est fidem veram Ecclesiæ suæ nunquàm defecturam, nec portas inferi aduersùs illam præualituras: itemq; Iohan. 14. missurum se illi paracletum Spiritumsanctum, qui eam inducat in omnem veritatem. Cui igitur vnquàm vel in mentem venire possit, Christum horum omnium nulla habita ratione, Ecclesiam suam tot iam seculis ad nos vsque in tam immani reliquisse idololatria, immò à suis & Apostolorum temporibus vsque in præsens nullã omninò Ecclesiam habuisse? Si verò pij omnes, qui Christum in Eucharistia perpetua temporum successione semper reuerenter adorârunt, pro idololatris haberi non possunt: necessariò indè conficitur, verum corpus & sanguinem Domini, immò Dominum ipsum, Deum ac hominem perfectè ac integrè in Eucharistia contineri.

CAP. 24.

Aduersariorũ cœna nihil admodũ à cõpotatiuncula differt: cùm tamen Apostolus cœnã Domini à cõmunibus Christianorũ conuiuijs lõgissimè separet.

Vicesimosecundò, Quisquis mente & ratione prǽditus est, nullo ille negocio animaduertit, Aduersariorum fractionem illã panis, (sic enim suum vocãt Sacramentũ) vtcunquè indè aliâs præclarè & magnificè loquãtur, re ipsa nihil esse aliud, quàm prophanum quoddam conuiuium, communisq; cibi ac potûs pro vulgari consuetudine familiarem perceptionem & compotatiunculam. Aiunt illi quidem, se eo ipso redire in Dominicę passionis memoriam, gratias agere Deo patri per dilectum eius filiũ Christum Iesum pro cunctis illius eximijs diuinisq; beneficijs, nobis ab ipso patre per Christum collatis, quæ etiam sibi hîc per fidẽ vsurpent, &c. Sed quæso te amice, faciúntne idem omnes probè Christiani, immò iuxta Pauli doctrinam facere tenentur, quotiès cibum potumq; capiunt? Aítne Apostolus 1. Cor. 10, *Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite? Itemq; ad Coloss. 3, Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum?* Quamobrem etiam Catholica illa nostra, eademq; vetus & vsitata à cibo gratiarum actio, ijs constat verbis: Gratias agimus tibi Domine Iesu Christe, pro vniuersis donis & beneficijs tuis, Qui viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum, Amen. Immò verò maiores nostri, vt quidam ex vetustissimis testatur, ea causa etiam vsitatũ panem reuerenter tractârunt, & molestè admodùm tulerunt, si ex negligentia decidisset in terram:

Tertullian.

vti

vtì hodéq; apud pios plerosque cernere licet, qui è terra leuatum exosculantur. Itaque quod iam antè dixi, repetere non dubitârim, si quidem duersariorum mens & consilium siue intentio probè & ad liquidum expendatur, illorum panis fractionem, quòd ad rei veritatem pertinet, non multùm à prophano conuiuio discrepare.

Porrò uàm multùm intersit inter prophana Christianorum conuiuia, & mensam Domini, Paulus loco memorato abundè testatur, dum ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?* Quam ego sententiam paulò pòst fusiùs adducam. Et rursus 1. Corinth. 11. vbi Corinthios indignè ad mensam domini accedentes, magno zelo apprimè reprahendit: *Conuenientibus*, inquit, *vobis in vnum, iam non est dominicam cœnam manducare. Vnusquisq; enim cœnam suam præsumit ad manducandum. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? et Ecclesiam Dei contemnitis? Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo, &c.* Moxq; adfert diuinam præstantissimi huius Sacramenti institutionem, vt ipse à Domino acceperit, adhibita etiam luculenta informatione, vt diuinam hanc escam à reliquis prophanis & vulgaribus cibis discernere debeamus, quemadmodùm iam iamq; latiùs commentabimus. 1. Corin. 10.

CAP. XXV.

Immanitas peccati & grauitas supplicij eorũ, qui Sacramentum indignè accipiunt, argumẽto sunt non nudam hic figuram haberi.

VIcesimotertiò, Loco illo, quem iam diximus, indicat Apostolus quàm illi peccẽt immaniter, quamq; graui sint pœna afficiendi, qui celsissimum hoc Sacramentum sumunt indignè: idq; adeò facit seriò & grauiter allatis etiam rationibus, vt verba illius, pro vero & proprio eorũ sensu, omninò non possint de mera quadam figura accipi, sed necessariò de vera & substantiali corporis sanguinis Christi in Sacramẽtò præsentia sint accipienda. Ait enim *Quicunq; manducauerit panẽ hunc, vel biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Quæ sunt planè perspicua & illustria verba, quib⁹ ille proculdubiò id significare voluit, eiuscemodi hominem nonminùs esse reum corporis & sanguinis Domini, quàm Iudam Iscarioten, & Iudæos ipsos, qui corpus & sanguinem eius prodere, crucifigere & profundere non dubitârunt. Et nè quis putaret, eum non nisi de symboli corporis & sanguinis domini indigna perceptione loqui, eodem loco nos porrò instituit & admonet,

net, quídnam agere debeamus, vtì nè rei efficiamur corporis & sanguinis Domini, idq; his verbis: *Probet autem seipsum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Sed quęnam tandèm illa probatio ſt, quam

Cuius probationem & explorationem Apostolus exigat.

hîc Apoſtolus exigit? Non vtiquè vulgaris quædam, ſed admodùm diligens ſuî exploratio & præmeditatio: & inprimìs hauddubiò, vt qui acceſſurus eſt, examinet ſeſe, num his Domini verbis, *Hoc eſt corpus meum*, fidem adhibeat indubitatam. Deindè, num ſe peccaſſe ex animo doleat, cùm ob illius expianda peccata, DEI filius ex amore erga genus humanum incompræhenſibili hoc ſuum corp neci tradiderit, vt ea illius teſtantur verba, *Quod pro vobis datur.* Tam etiam,

Rom. 8. vt idem ipſe intùs incaleſcat amore Dei patris, qui propri filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus illum tradidit: amore quoquè filij

Hebr. 9. & Spiritusſancti, per quem filius vltrò ſe obtulit patri ho am immaculatam, quod verba ſequentia innuunt, *Hoc facite in me commemorationem.* Deniquè vt ea ſe ſentiat pia erga Deum deu one præditum, vt corde contrito ipſe quoquè Deo ſe offerat, p tusque dedat & permittat, certoque ſtatutum habeat cum anim ſuo ac deliberatum, deincèps peccato emori, Deo viuere, & pr mis ſeruire, ſicut & Chriſtus ipſe nobis inſeruiuit, quemadmod n Apoſtolus 2. Corinth. 5. docet his verbis: *charitas CHRISTI v nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergò omn ortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: vt & qui viuunt, iam n ibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Ea nimirùm batio eſt, quã Apoſtolus hîc requirit, quamque verbis ad perſuad dum efficaciſſimis euidenter exprimit, ità dicens: *Quotieſcunqu m manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini ann bitis, donec veniat.* Itaque quiſquis antequàm accedat, eo pacto non probat & explorat, *reus erit*, inquit, *corporis & ſanguinis Dom* Quæ ſunt meo iudicio verba prorſus illuſtria & aperta, ex quib diſcimus, quàm immani ſe obſtringat ſcelere, quiſquis corpus & guinem Chriſti in Sacramento indignè accipit: nec poſſunt ea d ro ſymbolo accipi, ſed perindè vt ſonant, de corpore & ſangui Domini intelligenda ſunt, vt prudens quiſque facilè animadue.

Neq; tamen ſatìs habuit Apoſtolus peccati us oſtendiſſe grauitatem, ſed vt probè poſſet intelligi, ſimul eti pœnam & ſupplicium

cium explicat sanè quàm horrendum, quod indignè se ingerẽti certò sit expectandum. *Qui manducat*, inquit, *& bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*: hoc est, ipse sibi edendo & bibendo damnationem adsciscit, haud secùs atquè Iudas ille perditus in cœna. Quæ sunt certè verba terribilia.

Quæ pœna illos maneat, qui indignè accipiunt Eucharistiam.

At nè quis fortasſis ità secum cogitaret, Poterítne Deus quenquam tam atroci eoque sempiterno afficere supplicio, ea sola causa, quòd frustulum panis symbolici vel typici (quo loco Aduersarij habent V. Sacramentũ) indignè sumpserit, cùm tamẽ lege diuina sancitum sit, vt pro mensura peccati, sit & plagarum modus: mox adiungit rationem Apostolus, qua impiam hanc opinionem Apostolica sententia apertè condemnat, idq; ijs verbis: *Non dijudicans corpus Domini*: ac si diceret: Nequaquàm, vt tute persuasum habes, impie Sacramentarie, communis hîc panis accipitur, sed est hîc ipsum corpus Domini substantialiter, quod tamẽ tu à vulgari pane non dijudicas: quare non immeritò atrocissimo te reddis supplicio obnoxium. Quam quidem dictorum suorum mentẽ alibì idem Apostolus paulò apertiùs exprimit, his verbis: *Quantò magìs putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est?*

Deut. 25.

Apostolus aperta sententia sua Sacramẽtariorum impium damnat errorẽ.

Hebr. 10.

Immò nè quis impius & incredulus ea in cogitatione versaretur, Apostolũ sermone vti hyperbolico, & qua minas tantùm intentet, vt homines perterrefaciat, simul ob oculos ponit Corinthijs eas, quas id temporis non absque singulari Dei permissu & iudicio, quô alijs essent exemplo, aliquammulti suis in corporibus partìm dedissent, partìm etiamnùm darent pœnas, quòd indignè Sacramentũ accipiendo, in Deum peccâssent. *Ideò*, inquit, *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non vtiquè iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*. Hucusquè Apostol⁹. Cernis iam hæretice, Apostolum non ioco, sed seriò agere. Equidem nôsse velim, num qua ille vspiàm vsus sit terribiliori pœnarum grauissimarum cõminatione, idq; etiam cum adiuncta à præsentibus exemplis cõfirmatione: quæ tamen pœnæ eo tantùm nomine luendæ sunt præuaricatoribus, vt Apostolus docet, quòd in augustissimo Sacramẽto verũ Christi corpus

Corporales pœnæ eorũ, qui Sacramẽtum indignè accipiunt.

pus à cæteris eſcis non dijudicent: quemadmodùm noſtri quoquè Aduerſarij, qui ſanctiſſimum Sacramentum, panem ſymbolicum dicere, & meræ cuiuſdam figuræ loco habere non verentur. Quis verò compertum habeat, quā ob rem noſtris temporibus præpotens Deus in Germaniam alias ſuper alias clades & calamitates indeſinēter immittat? Ecquis dubitet haud mediocriter illi diſplicere, abominandam hanc Sacramentariorum impietatem, qua verum idemq́; ſacroſanctū corpus & ſanguis eius in celſiſſimo Sacramento, contra ipſius ſanctiſſimum verbum, tam immanibus & horrendis afficitur contumeliis & blaſphemijs, pernicioſa Magiſtratûs diſſimulatione & incuria, tanta vi paſsìm irrumpere ac propagari? Non eſt ſanè, quòd quiſquam ambigat, horrendam hanc impietatem, vtì etiam in præfatione attigimus, inter certiſſima inſtantis ac imminentis extremi diei eſſe ſigna numerandam: id quod ex ipſis Apoſtoli verbis poteſt colligi, dum ait, *Donec veniat*. Sed quorſum verbis opùs eſt? Quiſquis ità conſtitutus eſt animo, intelligere vt nolit, quid hæc Apoſtoli verba ſibi velint, quibus ait, *Non dijudicans corpus Domini:* neque ex ſupplicio ſanè quàm horrendo, in eos qui ſanctiſſimum Sacramentum indignè accipiant conſtituto, rei diuinæ ſub ipſo Sacramento contentæ maieſtatem animaduertit, illi fruſtrà nos hac de re verba facimus.

Cōmonitio piorū ac ſimplicium, vt ſibi caueant à Sacramētarijs.

Nè igitur in errorē induci te patiaris, quiſquis es è religione Chriſtianus, nec te perplexum reddat, quòd ſolent obijcere Aduerſarij, Paulum hoc loco Sacramentum identidèm *panem* appellare. Vt enim iam antè diximus, dictio illa (*panis*) Hebraico more non pro vulgari hîc & factitio pane accipitur, ſed pro eſca nobis à Domino in Sacramento relicta, eum in modū quo ipſe nos orare docet Matth. 6. ijs verbis; *Panē noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodiè.* Neq; etiam abſolute & ſimpliciter Paulus hic Chriſti corpus panem vocat, ſed cum articulo Græco, & pronominis emphaſi, τὸν ἄρτον τοῦτον, *Hunc panē*: hoc ipſo nimirùm ſignificans, non ſe hic de vſitato pane agere, ſed de illo cæleſti, quem Dominus Iohan. 6. nobis pollicitus eſt, & in cœna præſtitit: quanquàm non rarum neque inſolens eſt in ſcriptis diuinis, vt res etiam in aliud mutatæ, ſæpiùs priori ſuo appellētur nomine: ſicut

Exod. 7.

in Exodo legimus virgam Aaronis maleficorum Aegyptiorum virgas deuorâſſe.

Vice-

VIcesimoquartò, Meo quidem iudicio vix vllus est in scripturis validior locus, quo Aduersariorum in corporis & sanguinis Christi cellissimum Sacramentum blasphemia euidentiùs & apertiùs refellatur & condemnetur, atquè hic idem, quo Apostolus de illis agit, qui Christi corp⁹ & sanguinem indignè sumant. Aduersarij somnium suum quodam verborum lenocinio fucatum, proferunt hunc in modum: CAP. 26.

Fidei, inquiunt, ea virtus est & efficacia, vt absentia coram exhibeat. Quando igitur panis symbolicus nobis porrigitur, fide ad animum reuocamus, vt CHRISTVS semel pro nobis obtulerit corpus suum in Cruce, atque hoc ipso peccatorũ veniam, & vt filij ac hæredes Dei simus, nobis impetrauerit: modo vero sedeat in throno Maiestatis suę, & sit Aduocatus noster apud Patrem: sicq; fide nostra celos penetramus, atque illic eius corpus appræhendimus, ibidẽ substantialiter residens, & quãuis realiter absens sit, tamen per fidem nostram illud vt nobis pręsens sit, efficimus: atque hoc pacto edim⁹ & potamus verum eius corpus & sanguinem: non tamen nisi hac firma dũtaxat fide nostra, per externa panis ac vini symbola excitata & refricata: & ea ratione CHRISTI passionem & mortem, cum vniuersis illius beneficijs, donis & charismatis nobis vendicamus. Ea nimirũ est, vt ipsi aiũt, vera comestio & potatio corporis & sanguinis: non quod CHRISTI corp⁹ & sanguis realiter adsint, & ore corporis possint accipi: sed sola fide præsentia sint, atque eam ob rem neutiquam sumantur ab illis, qui eiusmodi eo non adferant fidem, neque illa, dum externa capiũt symbola, actu ipso & sensibiliter præditi sint.

Habes hîc, Lector Catholice, verba multa egregiè quidem phalerata & splendida, sed eò planè excogitata ac destinata, vt Aduersarij ijsipsis apud imperitos, leues & modicæ fidei homines veram de reali carnis & sanguinis Christi in V. Sacramẽto præsentia fidem prorsus euertant & eliminent, atque ad extremum thesaurũ hunc longè preciosissimum & præstantissimum Ecclesiæ catholicæ suffurentur. Verùm quisquis memorata Apostoli verba studio ꝓpensiori expẽdit, facilè is animaduertit, illos aut planè mẽtis inopes esse, aut certè immani quadã temeritate & arrogantia ꝑsuasum habere, se eiuscemodi cõmẽtitia & fucata oratione sua haud difficulter mũdo alioquì stolido ac stupido porrò imposituros, & à vera catholicaq; Ecclesia in suã factionẽ, atq; ad horrendã superstitionẽ & impietatẽ eũ traducturos.

G Sed

Sed si rem ipsam, & quo illorum opinio nititur, fundamentum ac rationē paulispèr cum Apostoli doctrina conferamus, quàm illi possint consistere, probè perspectum habebimus. Si quidem ità se res habeat, vt illi verbis & scriptis produnt, vera corporis & sanguinis Christi, cuius in Sacramento participes efficimur, præsentia non diuinæ virtutis & operationis, vel sanctissimorum Christi, quibus fit consecratio, verborum vi & efficacia, sed cuiuslibet priuata fide constabit atque nitetur: vt si ea fides tam sit firma, vt Christum quamuìs absentem, à patris dextris residentem, coràm possit sistere, tū demùm ibì sit Christi corpus & sanguis, nō tamen substantialiter, sed fide duntaxat.

Aduersarij essentiā V. Sacramenti in suo opere cōstituunt.

Non tum demùm cùm sumitur, fide sumētis fit corpus Christi: sed mox à prolatiōe verborū illius, verum eius corpus præsens adest.

Id verò quid est aliud nisi re ipsa dicere, sanctissimum hoc Sacramentum non vnius Christi potentia & virtute, sed nostro potiùs opere constare, neque Christum ipsum (quod tamen ex Christiana institutione & Catholica veritate didicimus) sermone suo diuino ac omnipotente ex terrenis creaturis corpus suum & sanguinem efficere, sed vnumquemlibet tum demùm cùm accipit, id sua fide conficere, perindè àc si Christo tantispèr expectandum sit, quandoquidem eius Sacramentum alioquì non possit confici? Equidem ità mihi persuadeo, neminem Christianum, in cuius animo vel vlla insit religio, eò amentiæ facilè adductum iri, vt Christo diuinam illius potentiam & virtutem, qua sola Sacramenta & re ipsa conficiuntur, & efficaciter consistunt atque nituntur, impiè detrahat, & sibi ipsi ac imbecillę fidei suæ, quę tamen vix vnquàm defectûs omnis expers est, eiusmodi diuinam operationē arroganter asscribat. Quid enim maiori cum insania & blasphemia coniunctum excogitari queat? Sed quid multis opùs est? Testatur hoc loco 1. Corinth. 11. Apostolus apertissimè atq; grauissimè, nedùm pios, sed etiam impios, qui indignè accedunt, verum Christi corpus in Sacramento substantialiter & re vera accipere, licèt ad suî damnationem, haud secùs atquè Iudam, eô quòd Christi corpus à reliquis communibus escis non dijudicent. Atquì in eiusmodi impijs non est firma, constans, viua & efficax fides, quę non nisi per charitatem, vt Apostolus docet, operatur: neque minùs tamen verum Christi corpus accipiunt: immò quandoquidem illud indignè sumunt, grauissimę & atrocissimę Dei omnipotentis vltioni se reddunt obnoxios, quæ non alia est, quàm damnatio sempiterna ani-

Mali æquè ac boni verum Christi corpus realiter accipiūt, quāquàm non in salutem, sed exitium.

Galat. 5.

mæ

mæ & corporis, à qua non possunt absque syncera & religiosa pœnitentia absolui.

Vbi sanè perspicuè videre licet, non sumentis hominis fidei efficacia Christi sacratissimum corpus præsens exhiberi, sed præcedentis consecrationis, quæ fit verbis Christi, virtute illud ipsum iam præsens esse substantialiter in Sacramento, priùs quàm Sacramentum accipiatur etiam ab indignis, quos indigna perceptio reos facit corporis & sanguinis Domini: quod cùm non dijudicent, etiam æternę damnationis iudicium sibi manducant. Quod quidem fieri nō posset, si symbolicus tantùm panis adesset, quo sumendo non facilè adeò se possent reos efficere sua incuria & negligentia.

Deindè ex his Pauli verbis certò depræhenditur, communionem Sacramentalem veri corporis Christi, non per fidem tantùm animo spiritaliter, sed etiam ore corporaliter fieri, adeoq; fieri debere: neque hoc interesse inter bonos atque malos, quòd mali verum Sacramentum non accipiant, vt volūt Aduersarij: nanque alioquì non diceret Apostolus, *Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, &c. non dijudicans corpus Domini.* Neque affirmaret eos, qui indignè sumunt, quandò Christi verum corpus non recipiunt, tāta seueritate plectēdos: sed id discriminis hoc locō Apostol' esse docet inter bonos & malos, q̄ boni Sacramentū nō ore duntaxat foris, sed corde etiam atq; animo spiritaliter & intùs accipiant, in salutis & vitæ incrementū: mali autem ore tantùm extrinsecùs & sacramentaliter, non spiritaliter & dignè, at tamen substantialiter & verè percipiant. Vndè rectè Catholica canit Ecclesia: *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ vel interitûs. Mors est malis, vita bonis: vide, paris sumptionis quàm sit dispar exitus.*

Christi verū corpus nō solùm animo per fidem, sed etiā ore corporaliter accipitur.

Quid intersit inter dignè & indignè cō municantes.

Deniquè hactenùs inauditum est, planeq; absurdum & cōmentitiū quiddam, quod hîc Aduersarij de fide adferūt, nempe absentia per eam præsentia illic effici & exhiberi, vbì tamen absentia & sint & permaneant, ità vt ea re vera porrigantur & accipiantur. Quis enim nesciat fidei obiectum adæquatum, certam & constantem esse veritatē, adeò vt fides non possit neq; debeat res alitèr appræhendere, q̄ quales re vera sunt: nec liceat illi quicquā reb' affingere, alioquì vana & mendax erit? Itaque absentia non alitèr atquè absentia, & præsentia haud

Fides nō alitèr res appræhendit, quàm quales verè sunt.

haud secùs quàm præsentia apprǽhendit. Ea enim veræ fidei germana indoles & proprietas est.

In fidei negocio nō est ludendū rhetoricis schematibus.

Rhetores Prosopopœia, Hypotyposi, alijsque id gen⁹ schematib⁹ vtuntur, suaque illa dicendi arte & eloquentia rem vel personam absentem tam graphicè depingere, & vel Lectori, vel Auditori adeò velut ob oculos statuere ac repræsentare nouerunt, vt eam sibi propemodùm coràm intueri videatur: neque tamen id efficiunt, vt siue res, siue persona absens, re vera præsens sit. Sed procùl id à nobis absit, vt Christianam fidem nostram in eiusmodi Rhetorum prosopopœijs & hypotyposibus constituamus, & exædificemus, eaque præsentia credamus, quæ tamen certò nouerimus procùl abesse. Abraham quidem longè antè præuidit diem CHRISTI, & gauisus est: atquì non nisi fide illum intuitus est, tanquàm futurum adhuc, non autem vt præsentem. Moses quoquè vidit Dominum, non tamen vt præsentem, sed vt quandoquè venturum, cùm diceret: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Aliâs nanq; non dixisset Christus Lucæ 10: *Multi reges & prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*, &c. Apostol⁹ quoquè Hebr. 11, vbì sanctos patres penè omnes indè ab Abel ordine enumerat, non hac vsus esset sententia: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, nō acceptis repromissionibus, sed à longè eas adspicientes & salutantes*, &c.

Iohan. 8.

Exod. 4.

Si CHRISTI corpus non nisi vno cæli loco esse potest, vt Aduersarij somniant, nō possūt illi sola fide sua illud absens præsens efficere.

Sin verò, quæ Catholicorū est sententia, corpus Christi in V Sacramēto præsens est, vt substantialiter illic adsit oportet

Iam si aduersariorum vera sit persuasio, Christi corpus non esse substantialiter in V. Sacramento, sed vno duntaxat cæli loco residere, nec posse Christum idem corpus suum nobis hîc quoquè in mysterio substantialiter impartiri, non possunt illi corpus hoc re vera, vt aiunt, absens, per fidem suam sibi præsens efficere, vel coràm sistere: multò etiam minùs reuerà sumere & porrigere. Opinari id quidem poterunt, sed ea persuasio & opinio, cùm sit vana & à vero aliena, ipsis proculdubiò imponet: Sin autem Catholica fides nostra vera est & integra, vt est hauddubiò, Dominum simul & in cælo residere in maiestate sua, & nihilo minùs absque vlla suî mutatione vel indè digressione, virtute sua omnipotente verum corpus suum, quemadmodùm in scholis loquuntur, realiter & substantialiter, etsi non quantitatiuè & localiter in cellissimo Sacramento verè nobis conferre, vt omnipotens illius verbum, HOC EST CORPVS MEVM,

HIC

HIC EST SANGVIS MEVS, à vero non discrepet, nec Apostolus mendacij arguatur, qui mentiri vtiquè non potest, atque ea causa verum illius corpus in Sacramento præsens nos habere, non possumus sanè suam illi substantiam, sinè qua corpus verum non esset, detrahere: sed cum Abrahamo curandum nobis est, vt in fide nō infirmemur, & intellectum nostrum planè imbecillum ac debilem, rebus in diuinis negligendum putemus, potiusque fide confortemur, nec in verbis Dei hæsitemus diffidentia, sed illi gloriam demus, plenissimè scientes, quia quæcunque dicit, etiam faciat, & iam præstò sint: q̃q́; vocat ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt, vel vt sint, vt videre est ad Rom. 4. cap.

Vicesimoquintò & postremò, duo adhuc clarissima Apostoli testimonia cum Domini Iesu extremis verbis, quibus ille iam iamq; in cælum abiturus, & sanctissimi corporis sui speciem visibilem discipulorum obtutibus subducturus, ad Apostolos vsus legitur Matth. 28, adferre constitui, vt, quæ dicimus, planiora testatioraque reddantur, atque ijsipsis ea quæ hactenùs ex clarissimis scripturis prolata sunt testimonia, inpræsentiarùm concludere. CAP. 27.

Prior quidem Apostoli sententia, quam iam antè paucis attigimus, hæc est, 1. Corinth. 10: *Vt prudentibus loquor: vosipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus: nam omnes de vno pane participamus.* Quæ quid sibi volunt aliud, quàm si dicat Apostolus? Equidem hortor & admoneo vos, vt ad verba mea magno studio attenti sitis, atque ità vt par est, iudicetis, quandò id rei propositæ maiestas & prçstantia summoperè flagitat? Iam antè vobis Corinthijs hac Epistola multa ex scriptis diuinis exempla proposui, non incomperta ijs, qui in scripturis vtcunquè versati sint. At nunc non alitèr vobiscum quàm cum prudentibus & intelligentibus loquar, vt qui in omnib' quæ Christianæ sint religionis, in omni verbo & in omni scientia, per gratiam vobis à Deo prçstitam diuites facti estis. Vosipsi ergò iudicate quod dico: Num obscurum vobis est? (puto autem id vos latére minimè, adeoque nihil vos habere exploratius)

Explicatio dictorum Apostoli.

1. Cor. 1.

quòd calix benedictionis, quem benedicimus, communicatio sanguinis CHRISTI est? & quòd panis quem frangimus, participatio corporis Domini est? quibus verbis id proculdubiò affirmat Apostolus, fractione & dispensatione exterioris Sacramenti, siue specierum panis & vini, verum corpus & sanguinem Christi, ceu bonum commune inter multos dispensari & accipi, ità vt quisquis Sacramento fruitur, idem ipse vero corpore & sanguine Christi perfruat.

Nè quis enim putaret, Apostolum hæc sua dicta de ea duntaxat communicatione, quæ fit secundùm spiritum per fidem, non etiam de vera ac naturali veri ac substantialis corporis Christi, quod nos celsissimi Sacramenti perceptione accipimus, participatione velle accipi, mox huius certam adfert rationem his verbis: *Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus: nam omnes de vno pane participamus*: tanquàm diceret: Omnes quidem nos iam antè per verbi Dei auscultationem, fidem & sacrum Baptisma vnum in CHRISTO secundùm spiritum effecti sumus: sed præter hoc in illo etiam corpus vnum efficimur, cuius idem ipse caput est, Christus IESVS: idque ea causa, quòd omnes vero eius corpore & sanguine reficiamur & alamur. Eam verò genuinam ac certam esse verborum Apostoli mentem & sensum, testatissimum fit altera eius suprà iam memorata sententia, quam his subiungimus:

Per Baptismi Sacramentũ spiritaliter vel secũdùm spiritum, per Eucharistiæ verò, etiã corporaliter Christo vnimur.

Habetur autem ea ad Ephes. 5. cap. vbì Apostolus hoc pacto loquitur: *Quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius.* Quod quid est aliud, quàm CHRISTVM communicare & impartiri nobis non solùm de suo spiritu, sed etiam de carne & ossibus suis, vt in illo nedùm spiritus vnus, verùm etiam corpus vnum efficiamur? Quod quidem velle Apostolum, nec de symbolico tantùm corpore agere, quo vera ac substantialis corporis Christi natura, quã nobis in sanctissimo Sacramento re vera & certò impartit, excluditur, satìs indicat, dum pergit mentem & sententiam suam hac adhibita similitudine explicare euidentiùs, docens quemadmodùm Heua ex Adami vera carne & ossibus cõdita est, ità & Christi Ecclesiam ex eius vera carne & ossibus procreatam. Adfert autem eò sententiam ex Genes. 2. cap: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Sacramentum hoc

Christiani nõ per charitatẽ duntaxat, sed etiam naturaliter huius Sacramenti vi & efficacia Christo coniunguntur.

ma-

magnum est. ego autem dico in CHRISTO & in Ecclesia.

Id verò sic se habere, putà, vt de Adamo & Heua scriptum est, quòd erunt duo in carne vna, sicut Adamus ipse ait, cùm DEVS ad illum Heuam adduceret: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* idque ea causa, quòd Heua ex Adami carne & ossibus facta esset: quòd itidèm CHRISTVS & eius sancta Ecclesia vna caro sint, idque similiter eam ob rem, quòd Christus vera carne & sanguine suo Ecclesiam suam verè pascat, nutriat & foueat: Hoc, inquam, vt verum esse intelligamus, eodem loco sic habet Apostolus: *Nemo enim vnquàm carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius.* Nec apud me vllo in dubio est, Apostolum illic Ephesijs suis duorum præcipuorum nostræ religionis Sacramentorum, nempè Baptismi, & Corporis ac Sanguinis Christi vel Eucharistię, vim & energiã, quatenùs quidem summa illa mysteria aperiri possent, simul explicare voluisse: Baptismi quidem, dum ait: *CHRISTVS dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentẽ maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* Sacramenti autem corporis & sanguinis CHRISTI, dum porrò subiungit: *Nemo enim vnquàm carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam, sicut & CHRISTVS Ecclesiam,* intellige propria carne & sanguine suo, quibus ipsa Ecclesia priùs quidem per spiritum in Baptismo nata, deincèps in vitam æternam reficitur, pascitur atque nutritur.

Paulus Ephesio. s. duorum præcipuorũ Sacramentorũ substantiã & energiam indicat.

Christi nos membra sumus, non solùm spiritaliter, sed etiam naturaliter, virtute V. Sacramenti.

Quò etiam superioris, nempè quarti, capitis eiusdem Epistolæ verba referenda sunt, quibus ait: *Vnum corpus, vnus spiritus:* vbi obseruandum est, non eum modò dicere, *Vnus spiritus,* sed etiam, *vnum corpus:* quandoquidẽ & Dominus venit, non vt animas tantùm nostras saluas faciat, sed corpora quoquè nostra suo conformet & configuret corpori, secundùm operationẽ virtutis suæ, qua etiam possit subijcere sibi omnia. Philip. 3. Sed & ea huc pertinent, quæ eodem 4. capite ad Ephes. his verbis referunẽ: *Qui descendit, ipse est & qui ascendit supra omnes cælos, vt adimpleret omnia.* Itemq; illa: *CHRISTVS est caput, ex quo totum corpus compactum & cõnexum per omnem iuncturam submini-*

ministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusq;. Vndè sequitur, credentia membra, Christi mẽbra esse. *Nescitis*, ait idem Apostolus 1. Cor. 6, *quoniam corpora vestra, membra sunt CHRISTI? Tollens ergò membra Christi, faciam membra meretricis? Absit*. Ex quibus omnibus facilè potest intelligi, Christum non solùm ea ratione esse in nobis, vt charitatem in nobis efficiat, sed etiam vt naturaliter sese nobis coniungat: quod proculdubiò fit per venerabile Sacramentum.

Quod nimirùm iam indè ab initio inter mysteria omnia, quæ vel Apostoli ipsi vnquàm tradiderint, facilè principem sibi vendicauit locum, vt ea quoquè Paulina indicant verba, *Sacramentum hoc magnũ est. ego autem dico in Christo & in Ecclesia*: vel quæ post Apostolos inter Christianos vnquàm extiterint: quæ etiam summo studio eos omẽs semp celare conati sunt, qui ea quæ Christianæ sunt religionis, necdùm probè haberent cognita, nec vndis salutaribus expiati ac renati essent. Quanquàm interdùm non adeò celare potuerũt, quin Ethnici eatenùs ea compererint, vt hoc eos nomine acerrimè insimulàrint, quòd in suis congressibus vel cœtibus, vt ipsi autumabant, humana carne & sanguine vescerentur. Cuius illi insimulationis nullá certè causam habuissent, si id temporis apud Christianos traditũ esset, V. Sacramentum non verum Christi corpus & sanguinem, sed horum tantùm figuram esse: quod quidem in Catholicæ Ecclesię testimonijs infrà fusiùs docebimus, contenti inpræsentiarùm memoratis sanè quàm luculẽtis, & quæ refellere nullus possit, Apostoli testimonijs & doctrina. Atquì vt eam Apostoli institutionem, cæteraque nobis antè commemorata scripturę testimonia, ipsius dñi seruatoris verbis concludamus, accuratè nobis attendenda venit illa vel maximè consolatoria eiusdẽ Domini promissio, quam ille extremo Matthæi cap. suis fecit discipulis his verbis: *Eccè ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationẽ seculi*. Quę sanè nõ debent de illius sola diuinitate accipi, quæ alioquì vbiquè est, & semper vbiquè fuit, quod etiã discipulos minimè latebat: sed quia id temporis malè illos habuit, quòd Christus non quidem diuinitatis suæ præsentiam, sed visibilem corporis sui speciem ipsis esset subducturus, cõsolatus est eos Dominus, quòd deincèps perpetuò apud illos futurus & permãsurus, nec eos vsque ad supremum mundi diem relicturus esset: hoc ipso

Ethnici quõdàm Christianos insimulàrunt communionis ergò, quòd humana carne vescerentur.

Christus in cælum ascensurus, aliam

ipso nimirùm aliam quandam magìs familiarem illis pollicens suæ personæ præsentiam, quàm per solam diuinitatem. Hanc verò præsentiam Christiani in celsissimo hoc Sacramento certò experiuntur, confirmati ipsius Christi verbis luculentis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis fundetur.* quādā magìs familiarē suæ personæ præsentiā suis promisit Apostolis, quàm cōmunem illā suæ diuinitatis.

Quibus illius diuinis planè verbis quisquis fidem non commodat, dignus non est, qui Christianus vocetur. Atque his quidem clarissimis scripturæ sacræ testimonijs aduersùs occæcatos Catholicæ Ecclesiæ & nostros Aduersarios, inpræsens finē imponimus: ad eaq; nunc porrò progredimur testimonia producenda, quæ spiritussanctus iam indè ab illo tempore, quo in Apostolos in linguis igneis cælitùs visibiliter delapsus est, per omnes sanctos Patres & Ecclesiæ doctores vbiquè & semper summa consensione & euidentia perhibuit: quæ sanè in illius Catholica Ecclesia, ceu vera & indubitata Dei vox, nunquàm non palàm insonuêre, atque etiamnùm, laus superis, locis omnibus, quib⁹ tamen hactenùs Tartareus cacodęmon necdùm planè rerum potitus est, palàm & apertè insonant.

IN SANCTORVM PATRVM ET
CATHOLICAE CHRISTI ECCLESIAE
CONSONA ET CONSENTANEA TESTIMONIA,
PRAEFATIO.

CAP. 28.

VIncentius Lirinensis, vir excellenti cùm pietate tum doctrina, qui ante mille floruit annos, temporibus Theodosij & Valentiniani Imperatorum, libellum conscripsit de Catholicę fidei antiquitate & veritate, aduersùs profanas omnium hęreseon nouationes. Qui est reuerà aureus libellus, dignus planè, immò & necessarius, qui ab omnibus accuratè legatur, his pręsertim nostris calamitosissimis & procellosissimis temporibus, quibus pestilentissimi hęretici, alios omnes superiorum ętatum hęreticos proiecta quadam ac impudenti audacia & arrogantia longè superantes, passìm grandi numero & magna vi increscunt. Nulli enim vnquàm hęretici Catholicę CHRISTI Ecclesię authoritatem, scriptis diuinis perspicuè fundatam, tanto odio, li- Vincentij Lirinensis libellus aureus aduersùs profanas hæreseon nouatiōes. Nostri æui hæreticorum odiū & audacia aduersùs Christi Ecclesiam.

uore & acerbitate oppugnârunt, neque item omnium sanctorum patrum & doctorum (qui quidem in Ecclesia iamindè ab Apostolis vitæ sanctimonia & doctrinæ integritate, pleriq; etiam ingentibus prodigijs & miraculis, Sancti spiritûs virtute in doctrinæ ipsorum confirmationem & approbationem per illos editis, claruêre: quorũ primi & vetustissimi germanũ scripturæ sensum à sanctis Apostolis acceptum, suis posteris bona fide tradiderunt, & magna ex parte sanguinis suiprofusione & martyrij perferendis cruciamẽtis testificati sunt) existimationẽ, pondus, authoritatem tanta immanitate & indignitate proscindere, despicere, irridere, habere ludibrio, contemptimq; reijcere ausi sunt, atquè ij nostrę ætatis hęretici impudentissimi faciunt: quibus ea omnia, quæ ab ipsis nõ proficiscantur, nõn nisi hominũ somnia, deliramenta, & fermentum pharisaicum sunt: suaq; dogmata planè virulenta, vana & exitiosa, in quibus tamẽ alij ab alijs mirè dissident, hunc in modum ad vnum omnes passìm ordiuntur, solam scripturam valere oportere: neque sic tamen, vt ea iam indè ab Apostolis intellecta, & à Patrib' exposita est, sed ità duntaxat, vt ipsi eam ob sua longè perniciosissima inuehenda atq; munienda schismata sectasque, fœdissimè deprauant & vulgo inculcant. Ità illi causa indicta, & necdùm pro eo atquè decet cognita (quam illi cognitionẽ reijciunt, & in suum commodum seipsos in causa propria iudices constituunt) iam victores euadunt. Indè verò in Germania tot penè videmus sanè quàm immanes extitisse hæreses, schismata & pugnantia dogmata, quot harum vulpecularum sunt capita: adeò vt vulgus iam miserandũ in modum aberret, & propemodùm omninò atheos efficiatur.

Hæretici nostri sibi solis scripturæ diuinæ intelligentiã vendicant, quã tamen de industria horrendũ in modũ deprauant.

CAP. 29.

Hæreticorũ impostura p quæ duo proprie possit agnosci.

Authoritas Ecclesiæ Ca-

AT verò memoratus ille Vincentius in suo, quem diximus, libello ex solidis scripturæ rationibus elegantissimè nos instituit, vtì hæreticorum exurgentium fraudes certò depræhendere, laqueosq; tutò vitare possimus, hac nimirũ ratione, *ut Domino adiuuãte fidẽ nostrã duplici modo cõmuniamus: Primò scilicet diuinæ legis authoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione. Hic forsitan requirat aliquis,* ait ille, *cùm sit perfectus scripturarum Canon, sibiq; ad omnia satis superq; sufficiat, quid opus est, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur*

gatur authoritas? Cui respondet: *Quia uidelicet scripturã sacram pro ipsa sui altitudine non uno eodemq; sensu uniuersi accipiunt, sed eiusdẽ eloquia aliter atq; aliter alius atq; alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse uideantur. Aliter nanq; illam Nouatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit: aliter Arius, Eunomius, Macedonius: aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus: aliter Iouinianus, Pelagius, Cælestius: aliter postremo Nestorius. Atq; idcirco multum necesse est propter tãtos tam uarij erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.*

tholicæ vur scripturæ authoritati necessario iungenda sit.

In ipsa item Catholica Ecclesia, porro ait, *magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim uere proprieq; Catholicum, quod ipsa uis nominis ratioq; declarat, quæ omnia uere uniuersaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur uniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem uniuersitatem hoc modo, si hanc unam fidẽ ueram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: Antiquitatem uero ita, si ab ijs sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos Maiores ac Patres nostros celebrasse manifestũ est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa uetustate omnium, uel certe pene omnium sacerdotum pariter & magistrorum definitiones sententiasq; sectemur.*

Tria quædam inprimis obseruanda.

Vniuersitas.

Antiquitas.

Consensio.

Quid igitur faciet Christianus Catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula, ab uniuersalis fidei communione præciderit? Quid itaq;, nisi ut pestifero corruptoq; membro sanitatem uniuersi corporis anteponat?

Salubre cõsiliũ, quid agẽdũ Christiano, quadã exgua portione ab Ecclesia deficiente.

Quid si nouella aliqua contagio non iam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam cõmaculare conetur? Tunc item prudebit, ut Antiquitati, id est, antiquorum patrum & antistitum Ecclesiæ sententiæ, inhæreat, quæ prorsus iam non potest ab ulla nouitatis fraude seduci.

Itẽ, quid contagiõe latius serpente.

Quid si in ipsa uetustate, duorum aut trium hominum, uel certe ciuitatis unius, aut etiam prouinciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati uel inscitiæ, si qua sunt, uniuersaliter antiquitus uniuersalis Concilij decreta præponat.

Itẽq;, quid ciuitate vna vel ꝓuincia iam olim lapsa in errorẽ.

Concilia. Quid dogmatibus, de quibus nihil antè definitum est, emergentibus.

Quid si tale aliquid emergat, ubi nihil huiusmodi reperiatur? Tūc operam dabit, ut collatas inter se Maiorum consulat interrogetq; sententias, eorum duntaxat, qui diuersis licèt temporibus & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione & fide permanentes, Magistri probabiles extiterunt: & quicquid non unus aut duo tantùm, sed omnes pariter uno eodemq; consensu apertè, frequenter, perseueranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit, id sibi quoquè intelligat absque ulla dubitatione credendum.

Hæc summa quædam est solidæ ac salutaris doctrinæ pijssimi viri illius, quam deincèps in libello memorato, magno studio & ordine confirmat & munit, atque ad extremum indè concludit, *illum uerum, & germanum, & Catholicum Christianum esse, qui ueritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cuiuspiam authoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam: sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus, stabilis permanens, quicquid uniuersaliter antiquitùs Ecclesiā Catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum credēdumq; decernit: quicquid uerò ab aliquo deincèps uno præter oēs, uel contra omnes sanctos nouum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potiùs intelligit pertinere.*

Quis sit germanè Christianus.

Hæreticis desertoribus scripturas cōtra Catholicā doctrinā adferentibus, cuius meminisse debeamus.

Quandò igitur aliquos Apostolica seu prophetica uerba proferre contra Catholicam fidem uiderimus, memores simus Euangelij, ubi scriptū est, diabolum Domino *scripturas opposuisse, cùm diceret, Si filius Dei es, mitte te deorsum: Scriptum est enim* &c. *& diabolum per eos loqui minimè dubitemus, nobisq; scripturas obijcere malè interpretatas, perindè ut Christo fecit tentandi gratia.* Hactenùs Vincentius Lirinensis.

Vincentij Lirinensis cōsilium, Apostolicæ doctrinæ cōsentit.

Hanc verò illius saluberrimam & parænecticam institutionem scripturis diuinis modis omnibus esse fundatam & subnixam, demonstratione longiori neutiquàm opùs habet. Apostolus eandem omninò doctrinam Galatis perquàm grauiter & seriò, id quod dictorum suorum iteratione testatum efficit, proponit: *Sed licèt nos,* inquit, *aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquàm quod euāgelizauimus vobis,*

Galat. 1.

anathema

anathema sit. Sicut prædiximus vobis, & nunc iterùm dico: Si quis vobis euãgelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.

Et contrà reclamant (ait Lirinensis) *aduersùm hanc Apostolicam tubam ranæ quædã, & cyniphes, & muscæ morituræ, & hoc Catholicis:* No*bis, inquiunt, authoribus, nobis principibus huius noui dogmatis, nobis expositoribus scripturæ diuinæ, damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis, reijcite antiquam fidẽ, paterna instituta, maiorum deposita, & recipite, quænam illa tandem?* Horreo dicere, &c. Sed hîc videat quilibet è religione Christianus, quid ipsi faciendum incumbat, modò nè velit apostolico plecti anathemate.

Hæretici, ranæ, cyniphes & muscæ morituræ. Hæreticorũ superbia & arrogantia. Quibus scripturis & qua doctrina contra hanc arrogantiã nos cõmunire ac tueri debeamus

CAP. XXX.

HVc etiam facit, quod Apostolus ad Ephe. 4. ca. scribit his verbis: *Qui ascendit super oẽs cælos, vt adimpleret oĩa* (donis suis) *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euãgelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum,* &c. *vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circunuentionem erroris.* Quam sententiam sanctus ille idemque vetustissimus Irenæus libro tertio cap. 40. aduersùs hæreticos, eosque omnes allegat, qui in fidei & religionis nostræ negocijs ad Ecclesiasticam doctrinam nõ refugiunt. *Vbi enim Ecclesia,* ait, *ibi & spiritus: & ubi spiritus* Dei, *illic Ecclesia, & omnis gratia. Spiritus autem ueritas. Quapropter qui non participant eum, neque à mammillis matris nutriuntur in uitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidißimum fontem: sed effodiunt sibi lacus detritos de foßis terrenis, & de cœno putridam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, nè traducantur: reijcientes uerò spiritum, ut non erudiantur, alienati uerò à ueritate, dignè in omni uolutantur errore, fluctuati ab eo, alitèr atque alitèr per tempora de eisdem sentientes, & nunquàm scientiam stabilem habentes.*

Irenæus. Qui germanũ scripturæ sensum ex matris Ecclesiæ vberibus non sugunt, ex alijs in alios labuntur errores.

Pertinent huc etiam ea Christi verba, quibus pollicetur se cum Ecclesia sua permansurum omnibus diebus vsq; ad consummationẽ seculi, missurumq; illi paracletũ, vt maneat cum ipsa in æternũ, spiritũ veritatis, qui omnem illam edoceat veritatẽ, & suggerat ei omnia quæcunq; Christus dixerit: atq; ea causa portas inferi nunq̃ aduersùs illam

Matth. 28. Christus Ecclesiã suã Catholicã, cum qua ipse & spiritus eius æternùm manẽt, errare nõ finit. Iohã. 14

Ecclesia firmamentũ veritatis.

Fides nostra initiò non Apostolicis & Euangelistarũ scriptis, sed ꝑdicatiõe viuæ vocis subnixa & fundata est.

illam præualituras. Vndè sanè ea manauit Apostoli sententia, 1. Timoth. 3, Ecclesiam Dei viui esse firmamentum veritatis, quæ primò non per scripturam, sed prædicationem, vt ibidèm docet, ædificata sit. Ait enim, *Prædicatum gentibus*. Indè verò Irenæus lib. 3. cap. 4. ità concludit: *Quid enim etsi qua de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nónne oporteret in antiquißimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod * rei liquidũ est? Quid autẽ si neq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nónne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias?*

* re

CAP. 31.

Tertullian.

NOn possum equidem committere, quandò id hisce temporibus cumprimìs necessarium est, quin ea quę in hanc sentẽtiam apud Tertullianum leguntur lib. de præscriptionibus aduersùs Hęreticos, huc adscribam, quô Christiani omnes, vtì sese erga nouorũ fabricatores dogmatum gerere debeant, bona fide doceantur & admoneantur. Ait ergò: *Nihil proficit congreßio scripturarum cum hæreticis, nisi planè ut aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri. Quid promouebis exercitatißime scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur ex diuerso: si quid negaueris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi uocem in contentione: nihil consequèris, nisi bilem de blasphematione. Ille uerò si quis est, cuius causa in congressum descendis scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad ueritatem an magis ad hæreses deuerget? certè de pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim iudicet. Ergò non ad scripturas prouocandũ est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta uictoria est, aut parùm certa. Nam etsi non ità euaderet collatio scripturarum, ut utranque partem, parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud priùs proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa, Cuius sint scripturæ: A quo, & per quos, & quandò, & quibus tradita sit disciplina, qua fiunt Christiani.*

Ex meris scripturis cũ hæreticis in disputationẽ ingredi, nedùm ociosum, sed summè quoquè perniciosum est.

Quibus de rebus primùm cũ hæreticis disputandum sit.

Christus IESVS Dominus noster, quid esset, quid fuisset, quam patris uoluntatem administraret, quid homini agendum determinaret, quandiù in

terris agebat, ipse pronunciabat siue populo palàm, siue discẽtibus seorsum. Ex quibus duodecim praecipuos lateri suo adlegerat destinatos Nationibus magistros. Itaq; uno eorum decusso, reliquos undecim regrediens ad patrem post resurrectionem, (nec ullũ ipse scriptũ suũ relinquens) iußit ire & docere Nationes, tingendas in Patrẽ & Filiũ & Spiritumsanctũ. Statim igitur Apostoli cõsecuti ꝓmissam uim Spiritussancti ad uirtutes & eloquiũ, primò per Iudaeam cõtestata fide in Christum Iesum, & Ecclesijs institutis, dehinc in orbẽ profecti, eandem doctrinã eiusdem fidei Nationibus ꝓmulgauerunt, & proindè Ecclesias apud unamquanq; ciuitatẽ condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinae, caeterae exindè Ecclesiae mutuatae sunt, & quotidiè mutuantur ut Ecclesiae fiant. Ac per hoc & ipsae Apostolicae deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Quid autem Apostoli praedicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic praescribam non alitèr probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando, tam uiua (quod aiunt) uo-, quàm per Epistolas posteà. Si haec ità sunt, constat proindè omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesijs Apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, ueritati deputandam, id sinè dubio tenentẽ, quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli à CHRISTO, CHRISTVS *à* DEO *suscepit: reliquam uero omnem doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra ueritatem Ecclesiarũ, & Apostolorũ, & Christi, & Dei.* Ac deindè vno vel altero interiecto folio, ait *haereticos persuadere solitos hominibus dogmata ipsorũ nõ noua, sed Apostolica & uetustißima esse. sed ijs respondendum est: Edant ergò origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinẽ episcoporum suorũ, ità per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, uel Apostolicis uiris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit authorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos* *deferãt, (id est, scire debẽt, qua ex Ecclesia Apostolica traxerint originem, atque eam talem agnoscere) *sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Polycarpum ab Iohanne collocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proindè utique*

Vera Christi doctrina quae sit, ab illis solis Ecclesijs discimus, quae suã originẽ ad Apostolos vsque referre possint.

Fraudi haereticorũ, dicentiũ ipsorum doctrinã vetustissimã & Apostolicam esse, vt sit occurrendum.

* referãt,

quę & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici: Tanquàm diceret: verùm illi id vt prę̄stent, consequi nunquàm poterunt. Hucusquè Tertullianus.

CAP. 32. Hieronym.

Sectæ, quæ à suis authoribus priuata sibi nomina fingunt, Antichristi sunt.

1. Tim. 3. 2. Pet. 2.

Diabolus scripturarũ peritus est.

Nucleus scripturarũ non in litera, sed vero intellectu situs est.

CONsentit huic D. Hieron. aduersùs Luciferianos ità scribens: *Breuem tibi apertamq; animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Sicubi audièris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, utputà Marcionitas, Valentinianos, Mõtenses, siue Campates, scito nõ Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso, quòd posteà instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciauit. Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis uidentur sibi affirmare quod dicunt, cùm & diabolus de scripturis aliqua sit locutus, & scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo.* Hæc Hieronymus.

De Ecclesiæ authoritate D. Augustini dictũ memorabile.

Nihil igitur admirationis habet, Diuum Augustinum lib. contra Epistolam Manichæi cap. 5, Hoc de seipso memorabile ferre testimonium, Ego *uerò*, inquiens, *Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas. Quibus ergò obtemperaui dicentibus, Credite Euangelio: cur eis non obtemperem dicentibus mihi, Noli credere Manichæo?* Ità Augustinus.

Cõciliorum nõ est paruipendenda authoritas.

In Concilijs generalibus ex instinctu spiritussancti sententia fertur de doctrina & moribus Ecclesiæ.

De authoritate Conciliorum generaliũ nihil hoc loco ex scriptis diuinis fusiùs neque adferam, neq; adstruam, donec ad extremum de Communione alterius speciei articulum ventũ erit, præterquàm quod ea à nemine vel paruipendi, vel in dubiũ vocari debeat: vtì nec de ea ambigere potest, quisquis accuratè legerit & pensiculârit Act. cap. 15: atq; ea pręsertim verba, quib⁹ Apostoli & Seniores Ecclesiæ in primi illius Hierosolymitani Cõcilij decreto vsi leguntur: in quib⁹ Iacobus Apostolus, qui id temporis ceu Episcopus Hierosolymitan⁹ Synodo pręerat, sententiã tulit his verbis: Propter quod ego iudico &c. id est, ęquũ & bonũ sentio & decerno. Itemq; Apostoli & Seniores omnes hũc in modũ: Visum est Spiritui sancto & nobis, &c. Quisquis pręterea obseruârit, quod eodẽ est annotatũ cap. quanto deindè studio & fide

Pau-

Paulus, Barnabas & Silas in cunctis ciuitatibus quas perambulabant, prędicantes verbum Dei, pręceperint custodire præcepta Apostolorum & Seniorum, & (vt sequenti habetur capite) tradiderint eis custodire dogmata, quæ erãt decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Hierosolymis.

Cõciliorum decreta vt vbiquè seruẽtur, præcipiẽdum est.

Itá nimirùm Vincentij Lirinensis iam antè memorata institutio & doctrina, luculentis scripturę diuinæ testimonijs, & sanctorum Patrum pulcherrima consensione & adstipulatione vndiquaquè fulcitur & confirmatur.

Quod cùm itá se habeat, non tam piorum causa, vtpotè quibus haud dubiò antè recitata & prolata ex scripturis diuinis de vera ac substantiali vel reali Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento pręsentia, abundè satisfaciunt, quàm propter Aduersarios nostros, & eos quos illi euerterunt, si fortaßis hinc illi poßint pudefieri, vt euidentius atq; testatius euadat, doctrinam hanc primò per ipsos Christi Apostolos Ecclesijs ab illis fundatis, ac deindè per eos qui proximi illis successerunt, & per horum quoquè successores sequentibus Ecclesię pręsulibus & pręfectis, ad nos vsq; perpetuo quodam ordine velut per manus traditam atq; commendatam esse, iam porrò certos huius rei & fide dignos testes producemus, non quidem omnes, sed plerosq; vetustißimos, pręcipuos ac celeberrimos Patres, qui iã indè ab Apostolis toto orbe in Oriẽte & Occidẽte, in Asia, Aphrica, Europa ceu fideles, strenui ac peruigiles pastores Christi Ecclesię pręfuerint, eáq; diuinę gratiæ freti auxilio piè ædificârint, propagârint, pauerint atq; cõseruârint ad hęc nostra vsq; tempora, doctrináq; suam vita & morte sanctißima, partìm etiam multis admirandis prodigijs, & proprij sanguinis effusione cõfirmârint. Subindè verò etiã id planum efficiemus, doctrinã hanc non modò horum, quos diximus, fidißimorũ Ecclesię Pastorum, Doctorũ & Antistitũ testimonijs, sed multorum etiam generaliũ Conciliorũ, è quibus duo in illis quatuor vetustißimis & celebratißimis numerantur, communi sententia & summa cõsensione esse approbatã. Ad extremùm generales quasdam catholicas obseruationes eorũ, in quibus catholicæ Christi Ecclesiæ summa semper cõcordia cõperta sit, ceu rationes solidißimas, & quas refutare nullus poßit, certißimaq; documenta adferã, ex quibus id

necessariò conficiatur, fidem hanc de vera, ac substantiali corporis & sanguinis Christi in Sacramento præsentia, veram semper ac indubitatam Catholicæ Christi ecclesię fidem fuisse, vti certum testatumq; euadat, eos omnes, qui execrabiles & blasphemas suas linguas aduersùm hanc impudenti quadam temeritate laxent, prorsus Anathema esse, conuenienter illi sententiæ Apostolicæ, *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, Anathema sit.*

Gal. 1.

BREVIS IN SEQVENTES PATRVM AVTHORITATES INTRODVCTIO.

CAP. 33.

VErùm priùs quàm Patrum producam testimonia, simpliciores quiq;, vt sana intelligentia ea & legant & percipiát, id vel maximè nôsse debebunt, quid sibi velit hoc Sacramenti vocabulum apud Christianos, vbi de veteris ac noui Testamenti Sacramentis agitur: ac deindè, quid inter Mosaicę & Euangelicæ legis Sacramenta intersit.

Sacramẽtum quid generatim significet.

Sacramenta veteris Testamenti, nouæ legis sacramẽtis paria sût, significatiõe, nõ efficacia.

Sacramenti quidem vocabulum, si velimus indè generatìm loqui, idem est, quod sacrum alicuius rei sacrę & mysticæ signũ, eamipsam rem nobis significans & innuens. Atq; hactenùs vtriusq; Testamenti Sacramẽta paria sunt, quòd eiuscemodi sacra signa sint. Vt enim Augustinus ait Epistola 22. ad Bonifacium Episcopum, Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, nõ haberent, omninò sacramenta non essent. Vndè etiam aliàs scribit, sacramenta veteris & nouę legis significatione eadem esse, atque hoc pacto posse intelligi quod Apostolus ait de Patribus, omnes eũdem quem nos, cibum spiritalem manducâsse, quãdoquidem manna tum eis idem significabat, quod nobis modò externæ panis ac vini species in Sacramento, nempe vitale Christi corpus. Quanquàm certum est, ea Apostoli verba Chrysostomo & plerisq; alijs Doctoribus longè alitèr, & citra dubium, Apostoli sententiæ accommodatiùs & cõuenientius accipi, putà, non ea ratione, quasi Apostolus hic affirmare velit, Patres illos eandem quam nos escam manducâsse, sed id duntaxat, quòd inter illos ipsos, cùm alij boni, alij mali essent, nullũ, quòd ad externum cibum attineret, discrimen fuerit: id quod sequentia Apostoli verba satìs confirmant, quibus ait: *Sed non in pluribus eorum*

De vtilitate pœnitentiæ, cap. 1.

Apostoli verba, de eadem esca, vt sint accipienda.

vum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto: subaudi, non obstante eo, quòd eandem omnes escam pariter sumpsissent. Nolumus tamen hac interpretatione Augustini expositionem vel reiectam vel condemnatam, quandò nihilo minùs verum est, quod iam diximus, sacramenta patrum nostris sacramentis significatione esse paria. Verùm hoc inter vtraq; interest, quòd prioris Testamenti sacramenta signa fuere rerum futurarum, quas tantùm significabant, non autem re ipsa conferebant: sed nouæ legis sacramenta non modò significãt, verùm etiam conferunt nobis omnipotenti Dei in illis operantis virtute, rem sacramenti, quã significant, vtì Augustinus testis est, in Titulũ Psalmi 73. Lex, inquit, *per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Si enim discernimus duo Testamenta, uetus et Nouum, non sunt eadem sacramenta, nec eadem Promissa, etsi eadem sint pleraq; Præcepta.* Et paulò pòst: *Sacramenta nõ eadem: quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittẽtia saluatorem. Sacramenta noui Testamenti dant salutem, Sacramenta ueteris Testamenti promiserunt saluatorẽ.* Et rursus post pauca: *Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora* &c. Quamobrem etiam Nouę legis Sacramẽta ità definiuntur, quòd sint visibiles formæ inuisibilis gratiæ, cuius imaginem gerant & causæ existant, intellige, ceu quædam instrumẽta Dei, per quæ Deus nobis præstat re ipsa vel realiter, quod verbis quibus ea instituit, pollicitus est. Idem discrimen Apostolus Heb. 10. luculenter exprimit his verbis: Vmbram habens lex futurorũ bonorũ, non ipsam imaginẽ (i. veritatẽ) rerum, quam nos in nouæ legis Sacramẽtis certò habemus, & sub externis signis realiter accipimus, vt est suprà in scripturæ diuinę testimonijs diffusè probatum.

Inter Sacramẽta vtriusq; Testamẽti quid intersit.

Sacramenta nouæ legis præstant reipsa salutẽ, & illud quod significant.

Sacramentorum noui testamenti definitio.

Hoc verò discrimine probè intellecto, nihil sanè vel remorari aut perplexum reddere te poterit, Patres interdùm celsissimum Sacramentum ἀντίτυπον, Figuram vel signum appellare: siquidem his nominibus solas illi externas volunt species accipi, quæ facta consecratione, certa signa & figurę sunt præsentis veri corporis & sanguinis Christi, quæ sub ipsis tectè continentur: vtì etiam ijdem Patres his vocibus nonnunquàm vtentes, satis id euidenter suis in monimentis declarant.

C. Hoc est quod dicimus, de Consec. Dist. 2. Altaris V. Sacramentum duobus conficitur.

Itaq; doctrina illa Augustini, q̃ in Prosperi sententijs habetur, ceu clauis loco erit, qua germana patrũ sentẽtia recludatur atq; patescat, q̃ quidẽ his verbis continetur: *Hoc est quod dicimus, quod omnibus modis approbare contendimus, sacrificiũ Ecclesiæ duobus cõfici, duobus cõstare, uisibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine: Sacramento, (id est, externo sacro signo) & re Sacramenti, id est, corpore Christi &c.*

Sacramẽti vocabulũ bifariàm accipitur.

Audis hic, Sacramenti vocabulũ à sanctis patribus bifariàm accipi: primò quidẽ pro tota Sacramenti substãtia, vtì ea constat speciebus externis, & simul etiã vero vereq; p̃senti corpore Chr̃i, sicut Augustinus ait Sacrificiũ Ecclesię his duobus cõstare. Deindè ità accipi, vt à latente illa vereq; diuina Re Sacramenti distinguit: hoc est, pro solis externis speciebus, q̃ sacrũ signum sunt pręsentis veri corporis Chr̃i, sub ipsis cõtenti. Vndè iam colligas oportet, quãdocunquè S. Patres pręstantissimũ Sacramentũ figurã vel signũ vocant, id eos nõ nisi de illis speciebus externis, non aũt de ipso Chr̃i corpore, quod illic non Typicè vel figuratè, sed realiter ac substãtialiter adest, velle intelligi.

Cõficere, q̃d Patribus significet.

Deindè id etiã animaduertis, quid Conficere, qua dictione Patres creberrimè vtũtur, illis ipsis significet, nẽpe, quandiù in panem & vinum aqua mixtũ diuina Consecrationis verba prolata non sunt, necdùm verum p̃sentis veri corporis Christi Sacramentũ ibì adesse: simul aũt atquè verba illa prolata sint, illorum vi & virtute mox cõfici Sacramentũ: i. *quãdò mixtus calix & fractus panis percipit uocationem*

Lib. 5. & lib. 4. cap. 34.

Dei, fieri (vt Irenę' ait) *sacrosanctã Eucharistiã, ex duabus rebus constãtem, terrena (quæ sunt externæ panis ac uini species) & cœlesti, (quæ est*

Tractat. 80. in Iohannem.

uerum Christi corpus:) vel vt Augustinus ait, vbì accessit verbũ ad elementũ, fieri Sacramentum: hoc est, vt ante Consecrationẽ elemẽtum non nisi quoddã signum fuit, ità nunc hìc confectum esse Sacramentum, in quo realiter adest hoc, quod verba consecrationis pro genuina ac propria sua significatione exprimunt, putà, verum Corpus & Sanguis Iesu Christi. Et hactenùs quidem de vocabuli Sacramenti significatione dictum sit.

Vide suprà in XXIIII Scripturæ testimonio.

Iam secundò id quoquè nôsse fuerit operępretium, quod iam antè in Scripturę Testimonijs attigimus, dictionem Panis, qua interìm

terìm sanctissimi Patres vtuntur,quandò de Sacramento ea ratione, qua etiam Apostolus,loquuntur,non de materiali aliquo siue triticeo,siue alterius generis pistorio pane,secundùm substantiam velle accipi,sed vel de solis externis sacris signis,id est,prioris panis externis speciebus facta consecratione illic permanentibus ad sacramenti constitutionem:siquidem absque eiusmodi externis speciebus, verum Christi corpus sacramentaliter,vt est antè dictum,illic esse non posset:sic vt quæ ex pane supersunt, panis appellationem obtineant: aut certè de supersubstantiali inuisibili pane cæli, qui nobis externis opertus speciebus in Sacramento reuerà prębetur,i. de vero Christi corpore,quod nobis illic in veram escam ipse impertitur: quẽadmodùm Iohan.6.idemipse identidèm panem se vocat, qui de cælo descendit:itemq; eodem loco ait,panem,quem ipse daturus sit, suam, esse carnẽ,quã pro mundi vita sit daturus. Non enim rarum id est vel insolens,nedùm in Hebraico,sed etiã Græco & Latino sermone,panis vocabulum non semper vsitatum panem pistoriũ,sed crebrò etiã omnis generis cibum,qualisqualis ille sit,siue terrenus, siue cęlestis, significare,vti id ex orationis circunstãtijs potest animaduerti:quod nos in ijs quæ sequuntur,Patrum authoritatibus suis locis ex sermonis circũstantijs subindè fusiùs docere conabimur.

1. Cor. 10. 11. Panis vocabulum quid interdùm patribus significet, vbi de V. Sacramento verba faciũt.

Ista nimirùm,priùs q̃ Testimonia Patrum aggrederer,pręmittere visum fuit,quô simplici lectori nonnihil adferrem opis ad Patres faciliùs capessendos,& Aduersarijs nostris,qui Patrum mentẽ & sentẽtiam commentitijs,fallaciosis & pestiferis suis glossis & interpretatiunculis in suam ipsorum perditionẽ malè peruertunt,promptiùs occurrendum.

CONSENTANEA S. PATRVM ET CATHOLICAE CHRISTI ECclesiæ Testimonia.

QVI nostra tempestate aduersùs celsissimi Sacramenti hostes calamum strinxerunt, secũdùm scripta diuina primò adferunt D.Clementis testimonium, qui discipulus & sectator fuit Petri Apostolorum Principis, idque ex

CAP. 34. Clemens.

eius Liturgia, itemq; secunda ad Iacobum fratrem Domini Epistola: immò & ipsorum Christi Apostolorum producunt testimonia, népe D. Andreæ ex illius passione per presbyteros & diaconos Ecclesiarum Achaiæ conscripta, quæ sanè nec Cypriano fuit incognita, vt ex eius de duplici Martyrio lucubratione constat, vbi eam ceu fide dignam adhibet historiam: Tum etiam Matthæi ex illius passione, & Iacobi fratris Domini ex ipsius liturgia, cuius fit métio in vetusto illo maximeq; celebri œcumenico Constatinopolitano Concilio, quod Sexta Synodus dicitur: itemq; in libello de Eucharistia Bessarionis Cardinalis Cóstantinopolitani. Citant prætereà D. Martialis testimoniú, vnius ex 72. Dñi discipulis, ex illi⁹ tertia Epistola: ac deindè quorúdá vetustissimorú Pótificú & martyrú Romanæ ecclesię, vt verbi gratia, Alexandri I. Pontiani & Antheri: ex quorú Epistolis q̃ promunt verba, Pontiani quidé ista, Sacerdotes ꝓprio ore corpus Dñi conficiunt, & populis tradunt: Antheri verò hæc, Qui corpus Chri sacro ore cóficiunt, etiá apud Damasum & Hieronymú legunt.

Andreas. Matthæus. Iacobus. Martialis. Alexander. Pontianus. Antherus.

Verùm quandò scripta memorata (tametsi ea in Christi catholica Ecclesia adhuc pro talibus habita non sunt, quæ fidem non mereantur) Aduersarij ceu apocrypha audacter & impudenter reijcere non dubitârunt, vt solent illi more suo execrabili quicquid ipsis aduersum est, quamlibèt illud antiquum & authenticum sit, magna temeritate contemnere, equidé inpræsentiarùm ea huc adferre & aduersùm eos in aciem producere nolo: sed ab illis exordiar testimonijs, q̃ ex antiquissimorum, adeoq; apostolicorum Patrum, qui ipsis Apostolis vsi sint magistris & doctoribus, certis probatisq; monimentis petita sint, quæ nullus possit vocare in dubium: principiò quidé duorum illorum illustrissimorum & planè apostolicorum virorum ac Christi martyrum DIONYSII AREOPAGITAE ET IGNATII, qui ambo sub Cæsare Traiano, alter in Gallijs, alter Romæ martyrij palmam insigni victoria retulerút. Et Dionysius quidem Pauli apostoli, quem in scriptis suis crebrò sanctum Pręceptorem, Patrem & Ducem appellat, discipulus fuit, & ab illo Athenis, vbi cum Christo lucrifecerat, creatus est Antistes: deindè verò S. Clemétis ordinatióe Galliarú factus est apostolus, vbi etiam (vt diximus) apostolatú suú sanguinis profusione confirmauit, vtì inter alios duo illi Græci Authores,

Aduersariorum temeritas & proteruia.

Dionysius Areopagita. Acto. 17.

thores, Suidas in Dictionario suo, & Michaël Syngel⁹ Presbyter Hierosolymitanus in Encomio illi⁹ testant̃, & in catholica credit̃ ecclesia. Ignatius aũt præcipuorũ illorũ Apostolorũ Petri & Iohannis egit discipulũ, & deindè Antiochię Episcopus tertius à D. Petro institutus est, atq; ob flagrantissimã & cõstantissimam prędicationẽ & confessionẽ Christi per mare, per terras Romam feris beluis obijciendus perductus est, vbì (vt dictum est) beato & memorabili potitus est vitæ fine, teste Eusebio Pamphili Histor. Eccles. lib. 3. cap. 22.

Horũ duorũ Patrum quæ adhuc extant monimenta, Apostolicũ planè resipiũt spiritum, quo illos abundè perfusos fuisse dubium nõ est, eaq; à vetustissimis & fide dignissimis Patribus vsq; eò approbãtur, vt nemo, nisi q planè pfrictę sit frõtis, possit illa quouis modo in dubium vocare. Nam prętereq̃ q̄ D. Dionysij scripta suũ satìs superq; testant̃ authorẽ, vtpotè q̃ vir ille sanctissim⁹ pleraq; charissimo Pauli discipulo Timotheo, nõnulla Tito & Caio, atq; etiã Iohãni Euãgelistę scripserit, asserunt̃ ea illi ipsi & adscribũt̃ ab Origene in diuersos, Homilia in principiũ Euangelij Iohãnis: Damasceno lib. 4. de orthodoxa fide, cap. 17. vbì eũ sanctissimũ & Theologorũ maximũ appellat: Suida, qui eius opera, vt à nobis habent̃, atq; adeò etiam illorũ capita ordine enumerat. Itemq; à Martino eius nõis primo Romano Pontifice in Synodo Romana cõtra μονοθελήτας indicta: Agathone in Epistola ad Synodũ sextã: Septima quoq; Synodo, in qua citat̃ sententia Dionysij ex cap. 1. Eccles. Hierar. Synodo quoq; octaua, & D. Gregorio Pontifice Homil. 34. vbi citat quiddã ex cęlesti Hierarchia. Prętereà à D. Andrea Cretensi, qui eum magnũ Angelum appellat, eiq; nondùm successisse parem ait: A quo etiam in eiusdem rei testes citãtur Methodius, Athanasius, Eugenius, Gregorius Turoneñ: quibus accedunt Iohannes Sycopolitanus, & Maximus Monachus, qui in eũ Scholia cõscripserũt: Ad hæc paulò suprà memorat⁹ Michaël Hierosolymitan⁹ & Georgius Pachymeres, q in totũ Dionysiũ cõmentat⁹ est, ambo Gręci: quorũ alterius cõmẽtarios in Dionysij Epist. recẽs vertit religiosissim⁹ iuxtà & doctissim⁹ Godefrid⁹ Tilman. Carthu. Parisin⁹. Porrò D. Ignatij scripta inter alios cõfirmãt beatissimus hic Dionysius, eius σύγχρονος, lib. de diuinis Nõibus, Origenes in Cãtica, Eusebi⁹ Eccles. Hist. li. 3. cap. 36. Hieronym⁹ in catalogo scriptorũ illu-

Scripta Dionysij suo vindicantur authori.

D. Ignatij lucubrationes asseruntur.

illustrium in Ignatio, Theodoritus Cyri Episcopus in Dialogo Polymorpho: qui omnes ex huius feruentissimi & admodùm spiritalis Ignatij Epistolis, præclaras quasdam & memorabiles depromunt sententias.

Nunc igitur Dionysij primùm testimonia proferemus, quibus verum Christi corpus in præstantissimo Sacramento realiter adesse, certum testatumq; fiat, maximè quandò ille veram hanc præsentiam non modò fortissimè asserit, sed etiam formam sacrosanctam, vel, vti nos dicimus, Agendam sanctissimi officij, dum ad communionem & synaxim Christiani essent collecti, (nos Missam appellamus) lib. de ecclesiastica Hierarchia toto tertio cap. in tres partes distributo, pijssimè atq; elegantissimè describit, non alitèr haud dubiè, quàm ipse eā formam à sanctissimo preceptore suo Paulo didicerat, eaque Apostolorum & eius temporibus in vsu fuit.

D. DIONYSII AREOPAGITAE TESTIMONIA.

CAP. 35. D. Gropperus in citãdo Dionysio vsus est versióe Ambrosij Camaldulensis.

ANtè quàm ad memoratū caput 3. Dionysius accedat, proximè præcedens cap. 2. quo de Baptismo agitur, his verbis concludit: *In fine autem omnium* Pontifex *ità perfectum*, (intellige, per Baptismū) *ad sacratissimam Eucharistiam uocat, atq; consummantium illi Sacramentorum communionem Deificam tradit.* Quibus expressè indicat, in hoc cellissimo Sacraméto eiusmodi rem diuinam substantialiter contineri, cuius participatione & perceptione nos deificemur, i. diuinæ naturæ per gratiam participes efficiamur, atq; ità perficiamur, quatenùs in hac vita possibile est. Qui sanè effectus non nisi vero ac viuificanti Christi corpori, minime autem figuræ, conuenit.

Hinc iam caput 3. mox sequitur, in cuius prima parte, quæ est introductio quædam in ea, quæ in sacra Synaxi geruntur, ait *dignissimum hoc Sacramentum sua præstantia reliquis Sacramentis longè antecellere, atq; ea causa illud meritò singulariter communionem appellari.*

Cur Eucharistia præ cæteris Sacramentis cōmunio vocetur.

Nam quamuis unaquæq; sacramentalis institutio (uel unumquodq; sacramentum) id agat, ut nostras uitas in plura diuisas, in unicum illum statum, quo Deo iungimur, colligat, at tamen huic Sacramento Communionis uocabulum

uocabulum præcipuè ac peculiariter congruere, quòd cætera sacramenta huius diuinis profectò consummantibusq; muneribus perficiantur. Neq; enim(vt porrò ait)fermè fas est, sacerdotalis muneris Mysterium aliquod peragi, nisi diuinum istud Eucharistiæ, augustißimumq; Sacramentũ compleat: quæ singula cùm peraguntur, & eius qui perficitur, collectionem ad unum illud unicum sacratius operetur, & diuinitus indulto Sacramentorum cælestium munere, ipsius ad Deum consortium peragat atq; perficiat. Eucharistia reliqua oĩa sacramenta & diuina mysteria cõplet & perficit.

Audis hîc vocare eum diuinum & augustissimum Eucharistię sacramentum. In summa, hęc illius S. Patris doctrina & sententia est, hoc vnum sanctissimum Sacramentum ea esse vi diuina præditum, vt nos cum Deo, quàm possit fieri, coniunctissimè & intimè copulet: atq; eam ob rem communionis vocabulum propter hanc suam pręcellentem efficientiam, ceu ex rerum effectu, pręalijs Sacramentis omnibus pręcipuè ac peculiariter ipsi conuenire. Quod cùm ità sit, ex hoc admirãdo planeq; diuino huius Sacramẽti effectu, causam efficientẽ diuinã, q̃ in illo re vera & est, & operaĩ, facile est aĩaduertere. Ex effectu p̃sens causa efficiẽs cognoscitur.

In altera tertij huius Cap. parte eleganti breuitate complexus est externam illam sacrosancti illius officij, quod nos Missam dicimus, formã, vel Agẽdam & ordinem, haud dubiè ex Apostolica Traditione acceptum, & ipsius ętate vsitatum. Inter alia refert, ob excellentissimam huius Sacramẽti sanctitatem, eos qui indigni fuissent hęc diuina spectare atq; percipere, extra delubrum & sanctam congregationem iussos abscedere: quo in numero erant catechumeni, i. necdùm baptizati, qui de ijs quę ad Fidem pertinent, instituebantur: Item Energumeni, i. qui licèt vndis essent tincti salutaribus, ob suã tamen animi inconstantiam, ab immundis spiritibus etiamnùm exagitabãtur & vexabantur. Tertiò Pœnitentes, i. qui ob perpetrata peccata pœnitentiam publicam necdùm absoluerant. Hos, inquam, omnes ait Dionysius ob pręcellentem Sacramenti huius sanctitatem ex tẽplo abire compulsos, antè q̃ pontifex (qui tũ temporis, si præsens esset, per seipsum sanctum illud peragebat officium) ad consecrationem vel confectionem illius accederet. Deindè subiungit: Formã Missæ Dionysius eleganter descripsit. Catechũeni. Energumeni. Pœnitentes.

At uerò Pontifex cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustißima mysteria conficit, & quæ antè laudauerat uenerãdis operta Consecratio.

Eleuatio. Communio.

& abdita signis, in cõspectũ agit: diuináq; munera reuerẽter ostẽdẽs, ad sacrã illorũ cõmunionẽ & ipse cõuertit, & reliquos ut cõmunicẽt hortatur. Sũpta demũ atq; oib' tradita cõmuniõe diuina, grãs referẽs, finẽ Mysterijs imponit.

Catechũeni, Energumeni & Pœnitẽtes olim à celebratione, cõtemplatione & communione V. Sacramenti exclusi: quod non fuissent, nisi corpus Christi reuerà esset in Eucharistia.

Principiò hîc obserua, tum Catechumenos, licèt de nostra essent fide instituti & edocti, atq; in Christum crederent, & vt Augustinus testat Tracta. 11. in Iohannem, iam crucẽ Christi portarent in fronte, eaq; se signarent: tum Energumenos, quanuis baptizati forent, & inuiti à malignis spiritibus diuexarent: tum Pœnitentes quoq;, tametsi se peccâsse ex animo dolerent, atq; ea causa pœnitentiã salutarẽ agere suscepissent, minimè tamẽ permissos sanctissimi huius Sacraméti celebrationi interesse: cuius ea sola ratio fuit, q indigni haberent, qui illic coràm adessent, vbi verum Christi corpus tractaretur, vtì posteà ex tertia huius cap. parte latiùs audies. Crede mihi, solius figurę causa, vel si cõmunio nihil esset aliud, q̃ credere certoq; persuasum habere, Christum absentem propter nos passum esse, quod Aduersarij somniant, nunquàm illi abscedere iussi fuissent.

Conficiendi vocabulũ id secũ adfert, à consecratiõe verũ Christi corpus in V. Sacramento realiter adesse.

Deindè obserua q ait, Pontificẽ, cùm diuina munera laude psecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria cõficere. Vbì vel vnica illa dictio, Cõficere, qua passìm Patres vtunt, satìs superq; adeoq; irrefutabiliter testatũ id efficit, à cõsecratione verũ Chri corpus sub externis speciebus substantialiter adesse. Vt em̃ suprà ex Augustino dictũ est, Cõficere, est oĩpotenti consecrationis sermone vel verbis ex terrenis creaturis efficere Sacramentũ, quod duobus cõstat, népe externis terrenis speciebus, ceu sacris signis, & re cælesti, i. vero Chri corpore, qui conuenienter verbis suis sese illic pręsentem exhibet.

Etiam Apostolorũ ætate V. Sacramentum à consecratione eleuatum est, vt hodieq; fieri solet.

Tertiò aduerte, etiam beatissimos Apostolos & eorũ discipulos, à consecratione augustissima Mysteria vel Sacramenta, q̃ hic diuina Munera vocant, in conspectũ egisse, & reuerenter ostendisse p̃sentibus illic ritè probatis & inculpatis Christianis, nõ aliam sanè ob causam, (id quod posteà docebimus) q̃ vt ea reuerenter adorarent.

Sacrificantes, ante omnes communicare debent.

Quartò, vides hîc eum q Missæ sacrũ perageret, sanctissimũ Sacramentũ, quod diuinã vocat cõmunionẽ, facta cõsecratione, ex diuina apostolicaq; institutiõe primò sumpsisse, ac deindè p̃senti b' porrexisse: cui' rationes infrà in aliorũ Patrũ testimonijs etiã ex scriptis diuinis adferent. Itaq; ex his oĩbus id perspicuè colligit, beatissimũ Dionysium

sysiũ realẽ in Sacramẽto pſentiã cõſtanter & credidiſſe & docuiſſe.

At porrò in tertia huius cap. parte, qua vir ſanctiſſimus ſublimem ac ſpiritalem eorũ oĩm, quæ in parte ſecunda de externa ſacroſancti officij forma & ordinę dixerat, ſignificationẽ & ſententiã ꝓlixè exponit: primò id explicat, quidnã ex religioſo ad hoc ſanctiſſimũ Sacramentum acceſſu conſequamur, idq; his verbis: *Verus ille ad ſacra percipienda & congruo captu firmatus acceſſus, id accedentibus tribuit, ut ex communione diuina ad Dei ſimilitudinem atq; conſortium tranſeãt.* Quod quid eſt aliud dicere, q̃ vt acceſſuri, iuxta Pauli doctrinam, priùs ſeſe probent, vt corpus Christi à prophano piſtorio pane religiosè nôrint dijudicare & diſcernere: quandò qui id agit, corporis Christi fit particeps, atq; p hoc ad Dei cõſortiũ trãſit & ſimilitudinẽ? 1. Cor. 11.

Deindè priuſq̃ memoratã aggrediat̃ explanationẽ, pijſſimè adorat ſubſtantiã vel rẽ diuinã ſub externis Sacramenti ſpeciebus contẽtã, eo quo ſequit̃ modo: *Sed ô diuinũ penitùs ſanctũq; Myſteriũ, obducta tibi ſignificantiũ operimẽta ſignorũ dignãter aperiẽs, nobis palã atq; apertè luceſce, noſtroſq; ſpiritales oculos ſingulari & apto tuæ lucis fulgore imple.* Dionyſius vt Euchariſtiam adorârit.

Quòd ſi nullus pter iſtum alius apud hunc ſanctiſſimũ virũ extaret locus, hac certè ille adoratione ſua, hîc luculẽter expreſſa, plùs ſatìs manifeſtè ꝓdidiſſet, ecq̃d in hoc celſiſſimo Sacramẽto contineat̃. Agnoſcit ille hîc planè diuinã pſentiam, orat vt ea nobis palàm atq; apertè luceſcat: vt in dubiũ vocare nullus poſſit, qn firmiſſimè crediderit Chriſtũ Deũ ac hoĩem hîc pſentẽ adeſſe. Poſteà iterùm appellat ſanctiſſimũ hoc Sacramentũ, diuinũ Synaxeos venerãdumq; Myſterium: itemq; Sacramẽti huius oblationẽ, Hoſtiæ ſalutaris oblationẽ vocat: ſimul rationẽ adferẽs, cur in Eccleſiæ primis initijs catechumeni, Energumeni, & Pœnitẽtes, vt iã antè cõmemoratũ eſt, ab illis oĩb⁹, q̃ in hoſtię ſalutaris oblatiõe gerunt̃ cõtuendis, & pcipuè à ſacratiſſimis rebus & adſpiciẽdis & ſumẽdis, Miniſtri officio & voce arcerent̃ ac ſepararent̃. Ait porrò: *Nã ſi diuinorũ uenerãda illa altiſſimaq; celebratio, eos quoq; qui in pœnitentia ſunt, quanq̃ ſui fuerint aliquãdo participes, reſpuit: lõge pfectò magis pphana & impura illorũ turba erit, q paſſibiliter iactãdos ſe fœdis uoluptatibus præſtãt, & ab agenda pœnitẽtia pcul abſunt.* Deindè ineffabilem Dei erga nos perditos bonitatem oratione ele- Euchariſtia venerandum eſt diuinũq; myſterium, & hoſtia ſalutaris. Diaconus alta clamabat voce, Catechumeni abſcedant: Sãcta ſanctis.

 gantiſ-

gantiſſima proſequitur, nempè vt ille prouidenter deliberârit nos per hoc ſanctiſſimum Sacramẽtum ceu medium quoddam ab hæreditario exilio & perditione in priſtinum ſtatum poſtliminio reſtituere. Verba eius hæc ſunt: *Inſuper prouidens, ut nos (qui per negligentiam noſtram atq; deſidiam, diuinis deſerti atq; deſtituti muneribus ſumus) paratis atq; ad id inſtitutis Bonis, in antiquum ſtatum dignitatemq́; reuocet: perfectaq; noſtrorum aſſumptione, exactiſsimam propriorum Munerũ participationẽ tradat, & tandem nobis Dei diuinorumq́; cõmunionẽ largiatur.*

Quæ quidem verba ſunt pręſtantiſſima & notatu digniſſima, quæ vir ſanctus poſteà repetit, & (quòd ipſiſſimus ſint nucleus illius, quę de hoc Sacramento & Cõmunione eſt, doctrinę) copioſiùs explicat: atq; hæc quidem illius ſententia eſt, quandoquidem omnes nos in primo parente noſtro Adamo anima & corpore perditi ſumus, & per peccatum ſtolidè in mortem prolapſi, neq; tamẽ ex morte ad vitam reuocari alitèr potuimus, q̃ vt filius Dei humanam naturam noſtram perfectè quidem, ſed abſq; peccato aſſumeret, eamq́; in ſeipſo deificaret, atque itâ deificatam nobis communicaret, ea cauſa hoc illum præordinâſſe ſanctiſſimum Sacramentum, vt in eo nobis eiuſcemodi ſua diuina munera largiſſimè impertiat reſtituatq́;, itàvt per illud à mortè tum corporis tum animæ abſoluamur, & diuinæ eius immortalitatis atq; naturæ per gratiam cõſortes efficiamur: quod poſteriores Patres ſic exprimũt, *Vt ad recuperandum primum noſtrum ſtatum accipiamus nos de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro.*

In V. Sacramẽto accipimus carnem Chriſti, quã ille à nobis aſſumpſit, in ipſo Deificatam, idq́ue in corporum & animarũ noſtrarũ recreationem & inſtaurationẽ. Vide, de ſumma Trinitate & fide catholica C. Firmiter, §. vna.

Poſteà his verbis vtitur Dionyſius: *Impoſitis ſancto altari uenerabilibus Signis, per quæ Chriſtus ſignatur & ſumitur:* vbì euidenter cernere eſt, Chriſtum externis præſtantiſſimi Sacramenti ſpeciebus nõ ſolùm ſignificari, ſed ſub illis etiam realiter & ſubſtantialiter accipi.

Sub externis ſacris ſignis Chriſtus ipſe ſumitur.

Tum porrò docet, quamobrem Pontifex cum ſacerdotum illic præſentium honeſtiſſimo ordine manus lauet, & quid id ſibi velit: *Eos enim,* inquit, *qui ad Sacramẽta cæleſtia conficienda procedũt, ea oportet eſſe munditia, ut ipſas quoq; animæ extremas imagines purgatas habeãt, ſicq; ad reuerẽda Myſteria (quantũ fas eſt) ſimilitudine puritatis accedere.* Audis hìc S. Virũ Sacramẽta hæc rurſus cæleſtia appellare Sacramẽta & reuerenda Myſteria, q̃ p̃cipuam quandã exigãt mũditiã ab ijs, q ea conficere

Manuum lotio in altari qd ſignificet. Sacramenta cæleſtia. Reuerenda myſteria.

conficere debeant, non solùm exterioris vitæ atque morum, sed etiam cogitatiōum, quas extremas animę imagines vocat. Ea verò tam singularis huc adhibenda puritas, satìs docere nos potest, quid hoc Sacramentum re vera vel substantialiter sit.

Indè vir sanctus, quod iam antè diximus, denuò vberiori, eaq; mirè eleganti oratione ineffabilē erga hominum genus bonitatem Dei ponit sub oculos, commemorans simul iam dictas pręcipuas institutionis celsissimi Sacramenti huius ratiões. Dictorum eius hæc fermè summa est: Quô Deus corruptam ac perditam naturam nostram, quę in Adamo lapsa, propter peccatum (quod nisi admisisset, vitā egisset immortalem) morti facta est obnoxia, ex peccato in priorem statum, & ex mortalitate ad immortalitatem reuocaret, Verbum æternum Christus Dominus mortalem naturam nostram absq; peccato & sinè vlla diuinitatis suæ immutatione re vera perfecteq; assumpsit, vt nos ediuersò vitalis ac immortalis naturę suę, huius celsissimi Sacramenti participatione consortes efficiat, & corruptioni ac morti obnoxiam carnem nostram, diuina eiuscemodi participationis & admixtionis suę virtute, immortalitate & incorruptione donatā, in vitam seruet sempiternam. Atque eam ob rem Pontifex peracta laude, qua diuinis adstans altaribus hanc immensam Dei bonitatem pro viribus prosecutus est, tum verò etiam ad sacra mysteria celebranda progreditur. Verba illius inter alia huiusmodi sunt:

Summa sententiæ Dionysianæ.

Quocircà reuerenter simul & ex pontificali officio, post sacras diuinorum operum laudes, quòd hostiam salutarem (quæ supra ipsum est) litet, se excusat, ad ipsum primò decenter exclamans: Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem. Deindè tanto ministerio ad imitationem Dei instituto dignus fieri postulat, & similis ipsi Christo pro uiribus euadere, ut & sacramenta sanctè conficiat, & castè distribuat: & qui ad communionē accessuri sunt, dignè participent: sicq; uenerandissima Mysteria cōsummat, & laudata oculis subijcit in signis sanctè propositis. Sanè opertum panem & indiuiduum aperit, in frusta concidens, & singularem calicem omnibus impartiens, unitatem signanter multiplicat atq; distribuit: inq; his consummat cæleste mysterium. Vnum enim illud & simplex atq; secretum Iesu diuini

V. Sacramentū est hostia salutaris, quæ supra nos est.

Eleuatio. Vnicus sanctus panis & singularis vel vnicus calix inter multos distri-

luitur & multiplicatur.

uerbi nostræ humanitatis assumptione, ad compositum atq; uisibile sinè immutatione sui, per summam clementiam benignitatemq; processit: societatemq; nostram qua sibi iungeremur, beneficentissimè excogitauit, nostra humilia diuinis suis excellentijs iungens, si quidem & nos illi tanquàm membra corpori congruamus, & per uitæ syncera ac diuinæ similitudinem compaginemur: nè corrumpentibus mortificati uitijs, ad diuina & sanissima membra incongrui efficiamur, ut qui hærere, eademq; uita uiuere nequaquàm ualeremus.

Tandèm, paucis interiectis, ità ait: *Describit enim in his, fermè sensibiliter in conspectum dans, Christum* IESVM *nostram spiritalem (ut in imaginibus) uitam, ex diuinitatis occulto (perfecta & inconfusa nostræ mortalitatis assumptione) clementissimè proprietatem ex nobis accepisse: atq; ad diuisibile nostrum, sinè immutatione sui ex unitate naturali processisse, perq; hanc beneficam clementiam, ad participationem sui suorumq; bonorum, inuitare genus humanum, si tamen ipsius sacratissimæ inseramur uitæ, ipsam quantùm fas est imitando: sicq; ueraciter consortes Dei, diuinorumq; participes efficiemur.*

Sunt hęc iam allata sanctissimi Patris verba, reuerà notatu dignissima. Primò Deum tremebundus inuocat, dignum ipsum efficiat & idoneum, qui hostiam hãc salutarẽ, quę supra ipsum est, litet & offerat: qua hostia dubium non est quin Christum ipsum, verã hostiam, in Sacramento pręsentem velit intelligi, quandò extra Christũ nulla pro peccatis hostia salutaris relinquitur, vt habes Heb. 10.

Quibus verbis Apostoli sacerdotes instituti sint.

Secũdò perspicuè docet, Christum in sua Cœna sacrosancta hisce verbis, *Hoc facite in meam commemorationẽ*, S. Apostolos suos sacerdotes instituisse, ijsq; demandâsse officium veri corporis sui, i. hostię salutaris in V. Sacramento perpetuis deincèps temporibus immolãde.

Eleuatio.

Tertiò, ait Sacerdotem venerandissima Mysteria eorum qui adsint, oculis subijcere in signis sanctè propositis: hoc ipso satìs indicãs, vtì se erga Christum inibi præsentem, quòd ad adorationem pertinet, qui coràm adsunt, gerere debeant.

Quartò, dum dicit, Opertum panem Pontifex aperit, in frusta cõcidens, & singularem calicem omnibus impartiens, vnitatem signãter

ter multiplicat & distribuit,inq; his cōsummat cęleste mysteriū &c. vtrasq; sacramenti partes indicat: Primò quidē externas species, dicens eū panem in frusta concídere &c. Ea enim partitio, & quicquid eius generis est, in solis externis fit speciebus, non in ipso Chrī corpore, nisi quòd ea ipsa nobis significatur, vtì propter nos Christus in cruce dilaceratus sit. Deindè & Rem Sacramenti, quę pars altera est, aperit & insinuat, dum ait tantoperè nos Christum dilexisse, vt hoc corpus suum, quod in cruce attritum, concisum & confixum pro nobis in precium dederit, iam inter nos in Sacramento indissectū nobis modo ineffabili impartiri velit. Hoc enim sibi volunt illa eius verba: Vnitatē signanter multiplicat & distribuit. quibus id innuit, tametsi externę panis viniq; species diuidantur, nihilo minùs sub qualibet parte totum permanere Christum, eumq; nō diuidi, sed inter multos multiplicari: quod nimirùm longè est supra captum nostrum: & ea causa Sacramentum ille vocat cęleste Mysterium.

Dum externæ V. Sacramēti species diuiduntur, corpus Christi manet indiuiduū, & qd ea externa partitio significet.

Quintò, affirmat eo potissimùm nomine institutum esse hoc pręstantissimum Sacramentum, vt eius perceptione nos Christo (qui vita nostra est, & per externas creaturarum species, quibus alioquì nostra sustentatur vita, significatur) ceu membra incorporemur, & arctissimam cum illo societatem obtineamus, atque demùm consortes Dei, diuinorumque re vera participes efficiamur. Quæ pulchrè cum illis Pauli dictis consentiunt, quibus asserit, nos mēbra esse corporis Christi, de carne eius & de ossibus eius: quemadmodùm alij pòst adducēdi Patres, ex his Apostoli verbis tradunt Christum proptereà nostram assumpsisse carnem, vt eam nobis conferat plenam vita, eandemq; nostræ mortali admisceat carni, quô eam immortalitati afferat semper victuram.

Præcipua instituta Eucharistiæ ratio est, vt eius perceptione nos Christo penitissimè concorporemur.

Ephes. 5.

Ex quibus omnibus perspicuè videre licet, facileq; animaduertere, ecquid prçclarissimus ac illustrissimus hic Pauli discipulus, idemq; insignis Christi martyr, de celsissimo Altaris sacramento & senserit, & docuerit: videlicet, in illo verum diuinumq; Christi corpus & preciosum sanguinē, adeoq; totū Christum, Deū ac hominem substātialiter pręsentem adesse, eūq; in eodem ab omnibus dignè accedentibus in sempiternam corporis & animę salutē accipi. Atq; hîc quidem gratæ studio breuitatis, proferendis huius sanctissimi viri

Testi-

Testimonijs finis esto: cùm alioquì ex memorato Ecclesiasticæ eius Hierarchiæ libro, totum cap. 3. de Mysterio Synaxeos in tres partes distributum, in horum confirmationem adduci possit. Verùm ad D. Ignatij Testimonia iam agè accedamus.

SANCTI MARTYRIS IGNATII TESTIMONIA.

CAP. 36.

Diuus Ignatius, (qui & Theophorus, quod vnicũ Deum & Seruatorem nostrum Christũ Iesum in corpore & corde suo perpetìm circunferret, dictus est) vir planè apostolicus, supra modum feruens, immò flagrans Christi amore, & in cunctis Dei donis & charismatis Dionysio Areopagita illius æquali nihilo inferior censendus, de vera ac substantiali corporis & sanguinis Christi in sacramento præsentia, planè consentanea Dionysio præbet testimonia.

Euseb. Eccle. Hist. lib. 1. ca. 36. Hiero. in Catal.

In ea Epistola, quam Romanis scripsit, cuius bonam partem Eusebius & Hieronymus citant, his vtitur verbis: *Non comedam escam corruptionis, neq; uoluptates huius mundi desidero: panem Dei uolo, panẽ cælestem, panem uitæ, qui est caro IESV Christi filij Dei uiui, (qui natus est in nouissimo ex semine Dauid & Abrahæ) & potum uolo sanguinem eius, qui est dilectio incorruptibilis & uita æterna.* Obseruandũ hîc est, in hoc viro spiritu feruẽtissimo, cùm hæc scriberet, iam Christum abundè habitâsse per viuam & efficacem fidem, atquì prætereà velle & cupere eum vesci vera carne, & potare verum sanguinẽ Christi, hauddubiò in præstantissimo Sacramento, vtì nè tantùm spiritaliter secundùm fidem, sed etiam substantialiter Christi corpus accipiat, & illi penitissimè concorporetur. Idem corpus in V. Sacramẽto vocat Dei panem, & panem cælestem, id est, non ex terra nascentem, sed cælitùs datum à Deo: panem quoquè vitæ, carnem Christi filij Dei viui, secundùm carnem ex Dauide & Abrahamo nati. Porrò calicem appellat eius sanguinem, in quo incorruptibilis erga nos Dei dilectio & vita insit æterna: haud aliter videlicet intelligens vir sanctus caput 6. Iohannis de sanctiss. Sacramẽto, atquè suprà in Scripturæ diuinæ Testimonijs explicatum est.

D. Ignatius caput 6 Iohãnis de Eucharistia accepit.

Quòd autem hîc de Christi corpore & sanguine in V. Sacramento loquatur, ex alio illustrissimo eius testimonio in Epistola ad Ephesios

ſios expreſſo, haud difficilè poteſt animaduerti, vbì ſic ait: *Feſtinatè ergò frequenter accedere ad Euchariſtiam & gloriã Dei. Quandò enim aßiduè hocipſum agitur, expelluntur poteſtates ſatanæ, qui actus ſuos conuertit in ſagittas ignitas ad peccatum.* Et ſub finẽ eiuſdẽ epiſtolęità habet: *Frangite panem, qui eſt medicamentũ immortalitatis, antidotum non moriendi, ſed uiuendi per IESVM Chriſtum in Deo: catharticum expellens malum ſit in uobis.*

En hîc vir ſanctus Corpus Chriſti in V. Sacramento, Dei gloriam appellat, quod epitheton vni Chriſto duntaxat cõuenit, qui id nulli neque figurę, neque creaturæ communicat. Vocat etiam Euchariſtiam, Medicamentum immortalitatis, Antidotũ non moriendi, catharticum expellens malum è nobis. Quibus nimirùm diuinos huius venerabilis ſacramenti effectus indicat, putà, ꝙ per illud diaboli, mortis & peccati vires frangantur, elidantur & profligentur: quibus ex effectibus præſens cauſa efficiens haud obſcurè poteſt deprehendi, q̃ eſt Chriſtus ipſe, qui ſolus peccatum, mortem & diabolum eneruat & deſtruit. Itaq; in his Ignatius cum Dionyſio mirè conſpirat & conſentit, vtpotè eadem, vt antè probatum eſt, docente, nempè Deum ea cauſa hoc prouidiſſe & inſtituiſſe ſacramentum, quô per illud perditam naturam noſtram è perditione, morte & ſatanę poteſtate ad vitam & ſtatum priſtinum reuocaret. Effectus V. Sacramenti.

In Epiſtola ad Philadelphienſes ſcribit hunc in modũ: *Rogo uos, ut inſtetis uni fidei, uni prædicationi, una gratiarumactione utentes: una eſt caro Domini IESV, & unus eſt eius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, unus etiam panis pro omnibus cõfractus, & unus calix totius Eccleſiæ.* Hæc verba tametſi ea ſummo opere Aduerſarij deprauare, & ad ſuas partes trahere ac detorquere nituntur, reuerà tamen totius Eccleſię ſententiam validiſſimè confirmant. His enim D. Ignatius verba ea Domini Iohan. 6, Panis quem ego dabo, caro meà eſt, quã ego dabo pro mundi vita, proprijſſimè exponit: hoc eſt, id docet, vt Dñs carnẽ ſuam duplici ratiõe in noſtrã ſalutẽ contulerit ac dederit, primò quidem viſibiliter & mortaliter in cruce, in redemptionem, vbì ſanguis eius pro nobis viſibiliter fuſus eſt: ſecũdò inuiſibiliter in myſterio ſacramenti, ſed tamẽ ſub ſpeciebus viſibilibus: docet, inquã, vt & hîc Chriſtus vobis carnẽ ſuã dederit, Ignatij interpretatiò. Vide ſuprà 5. Scripturæ Teſtimonium.

L non

non nisi vnum prębeat fractum panem,& vnum calicem,id est,vnicũ corpus & sanguinẽ suum,quę hîc quidem secundùm species externas distribuuntur,sed in seipsis indiuisa & indistracta,& vnus idéq; cęlestis panis itéq; calix permanent.Alioquì sanè si de vno terreno pane hęc accipere velímus,nó posset is nobis omnibus vlla ratiõe sufficere.Sed propter species externas vult fractum dici panem,quãdoquidem species franguntur:cuius fractionis ea significatio est,pberi nobis hîc idem illud vnicum corpus & sanguinem Christi, quę nostra causa semèl in cruce transfixa & profusa sint, idq; modis omnibus, vt & Dionysíus (quod antè ostendimus) indè locutus est, immò vt Paulus ipse innuit 1.Cor.10.vbì ait:Vnus panis & vnũ corpus multi sumus,omẽs qui de vno pane & de vno calice participamus: nó quidem vno terreno pane,qui nullo pacto satìs esset, sed vno corporis Christi pane cęlesti,qui inter nos per externarum specierum fractionem indiuisus multiplicatur,& cuilibet nostrûm totus, integer & indistractus(vt est prorsus indiuiduus)porrigitur.

In Epistola ad Smyrnenses,quę etiamnùm extat,inuenimus quidẽ docere virũ sanctum,nemini fas esse peculiari quadam,& proprio iudicio ac volũtate suscepta ratiõe vel modo,absq; legitimo Episcopo Eucharistiam offerre,vel Missas celebrare.Ità enim ait: *Firma Eucharistia reputetur,quæ ab Episcopo concessa fuerit.* Et paulò pòst: *Nõ licet sinè Episcopo neq; offerre,neq; Sacrificium immolare, neque Missas celebrare:* quod idem omninò cum illo est,quod D.Augustinus totiès repetit, sacrilegium esse,altare contra catholicę Ecclesiæ altare & aduersùs legitimum Episcopũ erigere:id quod nostri Aduersarij immani quadam temeritate passìm faciunt,(non absq; contemptu fidissimę planeq; Christianę admonitiõis sanctissimi Ignatij,qua tum in hac,tum præcedenti ad Philadelphienses epistola vtitur,dum à Catholica deficiunt fide,& aduersùs Catholicę Christi Ecclesiæ prædicationẽ & Eucharistiam,aliã prędicatiõem & Eucharistiã omniũ maiorum nostrorum prędicationi & Eucharistiæ,i.Missæ & Sacrificio iam indè ab Apostolis,prorsus contrariã,mera quadam petulantia & libidine, vt Christi scindant & lacerent Ecclesiam,temerè instituunt.

Missa sacrosancta,catholicæ Ecclesiæ sacrificiũ est.

Aduersariorũ temeritas taxatur.

Verùm his,quòd non ità propriè ad hunc nostrum pertineãt Articulum,diutiùs immorari nolumus:vnũ tantùm adhuc Ignatij locum, quem

quē ex alía eius ad Smyrnēſes Epiſtola, Theodoritus Cyrēſis Epiſcopus tertio Dialogo Polymorphi cōtra Eutychianos hęreticos citat, proferemus. Porrò Epiſtolā memoratam ſcripſit Ignatius aduersùs execrabilem hęreſiarchæ Simonis Magi ſobolē, putà, Saturnilum & Baſilidem, qui iam tum illius æuo contra Chriſti Eccleſiam exiſtentes, veram in Chriſto humanæ naturæ aſſumptionem negârunt, quēadmodùm noſtro ſeculo illorum deplorata progenies, nefarij Anabaptiſtæ eundē, ſanè abominandum, errorē ab inferis excitârūt. Verba Ignatij eiuſmodi ſunt: *Euchariſtias & oblationes* (hęretici) *nō admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiā eſſe carnem ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quę p peccatis noſtris paſſa eſt, quā pater ſua benignitate ſuſcitauit.* Hinc perſpici licet, vetuſtiſſimos patres p Euchariſtiā veram Chriſti carnē in V. Sacramento intellexiſſe.

Potuitne, quæſo te lector, apertiùs vir ſanctiſſimus indicare, eandem ipſam Chriſti carnem, quæ propter nos paſſa eſt, quamq; Pater cæleſtis mortuam excitauit, in V. Sacramento realiter adeſſe? itemq; Cerdonianos, & quotquot certò non credunt Euchariſtiam eāipſam eſſe verā Chr̄i carnē, quę ſemèl in cruce oblata eſt, iamq; in catholica Chr̄i Eccleſia in myſterio perpetuis tēporibus offertur, eſſe re vera & ſubſtātialiter, pro indubitatis & impijs habēdos hęreticis? Hîc iam Aduerſarij ſecū ipſi penſitent, quo loco ipſos nos habere debeamus.

Eſt verò inprimìs iucundū, duos hos cùm ſanctitate, tū antiquitate inſignes, planeq; apoſtolicos Antiſtites & martyres Chriſti, vt vno vixêre tempore, Chriſtumq; conſona & inuicta fide, ardenti charitate, eademq; ſpe, voluntaria quoquè ſanguinis ſui profuſione confeſſi ſunt: ità etiam mirè conſentanea perhibere teſtimonia de vera ac reali præſentia, itemq; diuina operatione vel efficiētia corporis & ſanguinis Chriſti in digniſſimo Sacramento. Senties hoc proculdubiò tum demùm, vbì ſcripta eorum inter ſe contuleris. Authoritatis Dionyſij & Ignatij conſenſio.

Atquì nos ab his iā duobus ſanctiſſimis Martyribus, ad duos alios planè apoſtolicos, & quib⁹ refragari nullus poſſit, teſtes digredimur: quorū quidē ea eſt vetuſtas, vt vterq; Iohannē Euāgeliſtā propemodùm videre potuerit. Ij ſunt Iuſtinus Philoſophus & Irenęus Lugdunen̄ Epiſcop⁹, Polycarpi, q Iohānis Apoſtoli in Aſia diſcipul⁹ fuit, auditor, vt Hieronymus in Catalogo teſtatur. Ambo iſti etiam inſignes Chriſti martyres fuêre, quorum teſtimonia vſq; quaq; prorſus conſentanea iam proferemus.

S. IVSTINI MARTYRIS TESTIMONIA.

CAP. 37.

Iustinus fortissimus Christianæ religionis propugnator.

Diuus Iustinus Philosophus, in Palæstina ortus, egregio erga deú zelo præditus, pro religione Christi, vt Hieronymus in Catalogo testis est, plurimùm laborauit, quô eam à vanis & insanis tum Iudæorum, tum Ethnicorum calumnijs & criminationibus vindicaret: idq; adeò, vt etiam ethnico Imperatori, Antonino Pio & filijs eius, non erubescés ignominiam crucis, Apologias duas mirè elegantes pro Christiana fide, cuius ergô tádèm etiã sacrum fudit cruorem, imperterritus obtulisse legatur. Nôrunt sanè, qui in historijs versati sunt, vt gentiles malorum dæmonũ suasu & impulsu in Christianos pleraq; immania & abominanda crimina, quę in suis cœtibus & congregationibus clanculùm perpetrarent, vtì Tertullianus multis locis, prę sertim in Apologetico cap. 7. testatur, falsò iecerint, eaq; ad Romanos Imperatores & illorũ præsides odiosissimè detulerint: atq; inter alia, quod iam superiùs in 25. scripturę diuinæ testimonio attigimus, quòd in suis sacrificijs infantulum enecarent, atq; in eius sanguinem, panem quo vescerentur intingerent. Huius tam horrendi criminis, Christiani potissimùm Iustini martyris ætate & aliquandiù posteà acerrimè atq; atrocissimè, falsò tamen, vt diximus, insimulabantur. Probat hoc etiam Eusebius Ecclesiast. Histo. lib. 5. cap. 1. scribens inter cætera, eorum quos antè memorauimus, Imperatorum Antoninorum temporibus cum alijs permultis sanctis martyribus, Blandinam martyrem in teterrimum carcerem coniectam, atq; hoc nomine ad quęstionem & tormentum abreptam. Cùm autem cruciarentur, in hæc eam verba prorupisse: *Multùm erratis, ô uiri, quòd putatis infantum uisceribus uesci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus utantur.* Nec dubium est, vt & suprà iam diximus, quandoquidem Gentiles curiosissimè Christianorum mysteria, & quid in cœtibus suis actitarent, perscrutabantur, tandèm percepisse illos, Christianis hoc ipsum confitentibus, quòd in suis mysterijs & sacrificijs carnem & sanguinem filij hominis immolarent, ac deindè eadem in cibum potumque sumerent. Quod nimirùm argumento est, quidnam tum temporis Christiani V. Sacramentum esse censuerint: quandò huius causa apud Gentiles in eam venêre suspicionem, quòd infantem, vt dictum est, iugularent,

Ethnici temporibus Iustini christianis falsò impegerunt, q in suis cœtibus infanté necarét, & in eius cruore intinctum panem ederent.

Blâdina martyr.

In primis Ecclesiæ initijs christiani plerîq; oés carnibus abstinuerunt.

Ethnicorum accusatio argumento est,

rent,& deindè pane in eius sanguinem intincto vescerentur.

Christianos v. sacramentũ ꝑ vero Christi corpore semper habuisse.

Quanuìs autem Consecratio, oblatio & communio sanctissimi huius Sacramenti, illis temporibus ceu præcipua & sacrosancta mysteria, apud Christianos summo studio celarentur, prorsusque indignum haberetur sanctum dare canibus, & margaritas ante porcos mittere: at nihilo minùs vt falsam hanc suspicionẽ & malignas criminationes à Christianis charissimis fratribus suis, eo nomine apud Ethnicos immeritò acerrimo odio laborantibus, & in maximum vitæ discrimen adductis, amoliretur: committere noluit Iustinus beatissimus, quin memoratis Imperatoribus in altera sua Apologia rem omnem, vt sese pro certo haberet, quæq; in Christianorum cœtibus & congregationibus gereretur, & quo loco illi suum sacrificium haberent, verissimè explicaret: quod tamen ille mira verborum breuitate, quantaq; fieri potuit cautela & parcitate facit, nec prodit latiùs, quàm susceptæ excusationis & defensionis necessitas postularet.

Matth. 7.

Iustinũ quid permouerit, vt Eucharistiæ veritatẽ ethnicis Imperatoribus aperiret.

Et quia sub finem alterius huius Apologiæ sacri baptismi mysteria & exposuerat & propugnârat, deindè etiã Corporis & sanguinis Christi mysteria, quę ea tempestate, vt hodieq;, in Christianorũ cœtibus consecrabantur, offerebantur & sumebantur, his inter cætera verbis explicat: Nos *autem posteaquàm ità abluimus, expiauimusq; (putà, per Baptismum) eum qui credidit & assensus est, eum ad eos qui fratres dicuntur, ducimus eum in locum, quò conuenerunt comprecãdi causa contentis animis & pro se, & pro eo qui illustratus est, omnibusq; alijs qui ubiquè sunt, ut & ueritatis discipuli, & re ipsa bonæ sanctæq; uitæ cultores, & præceptorum custodes possimus inueniri, ut æternam salutem adipiscamur. sub finem precum nos inter nos osculo salutamus: deindè ei qui præpositus est fratribus, (id est, Episcopo uel Sacerdoti) panis offertur, & poculum aqua & uino temperatum: quæ cùm accepit, laudem & gloriam omnium Parenti, Filij Spiritusq; sancti nomine tribuit, gratiasq; diù agit, q ab eo his dignus sit habitus. Quibus ritè perfectis, precibus & gratiarum actioni populus omnis qui adest, benedicit, dicens: Amen. Amen autem Hebraico sermone idem, quod fiat, significat. Posteà quàm & is qui præest, gratias egit, (hoc est, Eucharisticum sacrificium peregit) & populus omnis*

Obserua deuotionem Christianorũ illius temporis, precesq; cõmunes pro omnibus.

Baptismus initiò illustratio dicebatur

Osculũ pacis.

benedixit, ij qui apud nos diaconi dicuntur, dant unicuiq; eorum qui adsunt, percipiendum panem, uinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos qui absunt, perferunt. Atq; cibus hic apud nos Eucharistia nominatur, qua nemini alij participare licet, nisi ei qui & uera esse credit quæ nos dicimus, & expiatus est lauacro, quod in remißionẽ peccatorum regenerationemq; datur, & ità uiuit, ut Christus tradidit. Neq; enim hæc ut communem usitatumq; panem, usitatamq; potionem capimus, sed quemadmodùm per Dei uerbum homo factus Iesus Christus conseruator noster, & carnem & sanguinẽ pro salute nostra habuit: sic etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, & quo sanguis carnesq; nostræ communione aluntur, Iesu Christi eius qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse accepimus. Apostoli enim in commẽtarijs suis, quæ Euangelia dicuntur, ità sibi Christum præcepisse tradiderũt, eum accepto pane cùm gratias egisset, dixisse: Hoc facite in memoriam mei, Hoc est corpus meum: *dixisse etiam accepto poculo, cùm egisset gratias,* Hic est sanguis meus, *sibiq; solis dedisse.* Hactenùs ille.

Nota Eucharistiæ asseruationem.

Verbis diuinæ consecrationis caro & sanguis Christi in V. Sacramẽto tam verè efficiũtur præsentia, q eadem ipse Dei filius in sua incarnatione verè assumpsit.

Id verò illustre cumprimìs est testimonium viri huius & vetustissimi, & planè apostolici, præclariq; martyris, quod apud nos tanto plus debet habere momenti ad confirmandam atq; probandam veri corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentiã, quòd vir sanctus etiam apud Ethnicos Imperatores tanta libertate & euidentia illud tribuere non dubitauit. Si enim ille celsissimum Sacramentum non nisi corporis & sanguinis Christi figuram putâsset, quod nostri faciunt Aduersarij, poterat nullo negocio lenire atq; placare animos impiorum gentilium, ob eas quas diximus, falsas delationes iam erga Christianos mirè exacerbatos, hac ipsa indicanda metaphora, quam Aduersarij verbis Christi affingere nituntur: nec vlla eum adigebat necessitas, hac sua tam luculenta oratione (quæ non poterat illis non esse magno horrori & abominationi, vtpotè quòd Christiani Dei sui corpore & sanguine vescerentur) eos exulcerare magìs. Verùm quandò necessariò illi Christianorum cœtuum erat reddenda ratio, non potuit vllo pacto subterfugere, quin ipsissimam rei veritatem liberè ediceret ac profiteretur, quod sanè alioquì fecisset inuitus.

Si Christi verba, Hoc est corpus meũ, metaphoricôs accipiẽda forent, Iustinus non perindè apud ethnicos testatus esset, nos eius verã carnẽ & sanguinem in V. sacramento accipere.

Eam autem veritatem hoc pacto exposuit, quòd sicut Dominus Iesus Dei filius, per Dei verbum ex sacratissima virgine Maria verus homo factus est, ità & hunc cibum, vbì per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, veram eius carnem & sanguinem effici: idque ea ratione, quòd Christus omnipotenti sermone suo testatus sit & dixerit, HOC EST CORPVS MEVM, &, HIC EST SANGVIS MEVS, vtì id Apostoli in suis Euangelijs tradiderunt: atque eam ob rem nemini his tantis bonis participare licere, nisi qui antè expiatus sit lauacro, & firmam his dictis fidem accommodet. Quo testimonio quid tandèm possit esse illustrius ac euidentius?

In quo id vel maximè pensitandum est, virum sanctum eo argumento, quandoquidem filius Dei supra naturam captumque nostrũ per Dei verbum veram potuit carnem & sanguinẽ ex virgineo corpusculo assumere, sicut & re vera assumpsit, ceu solidissimo & irrefragabili docere atque probare fundamento, eundem in modum per diuinum illius sermonem, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS, verum corpus & sanguinem eius in V. Sacramento necessariò re ipsa adesse: siquidem sermo illius semp æquè omnipotens & verax est. Ea verò collatione vel similitudine Patres alij, quos deincèps adferemus, vt plurimùm ad huius rei confirmationem vtuntur: simul etiam docent, quisquis his verbis fidem non adhibet, eum non ab hoc duntaxat excludi cibo, quod Diuus Iustinus ait, sed ab omni prorsus salute excidere: vtì inferiùs latiùs dicetur. Vide specia-tim Hilariũ loco suo.

Deindè ex hoc Iustini loco sacrosanctæ Missæ ordinẽ discimus, vt illa in primis Ecclesiæ initijs celebrata sit. Iustinus paucis eũ ordinẽ cõplexus est, sed Dionysius (vt suprà annotatũ est) copiosiùs eum describit. Missæ ordo Dionysij & Iustini testimonijs adstruitur. Discimus quoquè, diuinæ consecrationi, q̃ post prolixam demùm gratiarum actionem & serias preces fit, panis & vini trãsmutationẽ adscribi, hoc est, facta consecratione, non iam ea vsitatũ panẽ & vinum, sed verũ corpus & sanguinẽ Christi esse, idq; secundùm ea Chri verba, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS: q̃ nimirùm nõ nisi de vna possunt accipi substantia, nẽpè corporis & sanguinis Chri: nõ aũt de duabus, pindè àc si vnà cũ corpore Canonicas preces intellige. Transsubstantiatio.

& san-

& ſanguine Chriſti,etiam panis & vinum permaneant & adſint. Et hactenùs quidem teſtimonium D. Iuſtini adhibuiſſe ſatìs ſit: nunc ad beatiſſimum Irenæum progredimur.

D. IRENAEI EPISCOPI ET MARTYRIS TESTIMONIA.

CAP. 38.

De Simone Mago ſic refert Theodoritus in cópédio hæreticarú fabularú: Iubebat auté eos qui in ipſum credebát, Prophetas nó attendere, nec legis minas p̄timeſcere, ſed eos tanq̄ liberos, facere quæ voluerit. Nó enim per bonas actiones, ſed p gratiam ſolã eos eſſe ſalutem conſecuturos &c. quod certè in Secta, quæ nunc miſerè diſcerpit Eccleſiam, prora eſt atque puppis.

Summa execrabilis hæreſeos impij Marcionis.

DIuus Irenæus, Polycarpi diſcipulus, Epiſcopus Lugdunẽſis in Gallijs, qui circa annos Dñi 175. ſub Imperatore Antonino Vero floruit, & eius ſucceſſore Cómodo, ſanguinario Tyranno ſanguinem ſuum Chriſti cauſa fudit, multa præclara, vt D. Hieronymus in catalogo teſtatur, conſcripſit volumina in Chriſtianæ fidei defenſionem, è quibus nos ſolos illos quinq; inſignes habemus libros, ab illo aduersùm execrabiles ſuæ tempeſtatis hæreticos, qui omnes ex antè memorato Simone Mago ipſorum patriarcha (quem D. Petrus execratus fuit) prodiêrant, (vt etiam horum temporum hæretici ex eadem ſentina proficiſcuntur) elucubratos: putà, Menandrum, Saturnilum, Baſilidem, Cerdonem, Marcionem, & eius generis peſtes, è quibus eo ſeculo Cerdó & Marcion ceu omnium pernicioſiſſimi, præ cæteris maiora accipiebant incrementa.

Vt autem & Irenæi ipſius, & Tertulliani quoquè, ac aliorũ Patrum ſubiungendæ authoritates rectiùs capiãtur, operæprecium fuerit immanes impij Marcionis blaſphemias, ab illo ex Platonica & Stoica Philoſophia hauſtas & extractas, quas vel auditus hominis Chriſtiani perhorreſcat, paucis commemorare: Earum autem hæc ferè ſumma eſt: Impius ille, vt & grandem ab Eccleſia defectionem, & ſuarum partium acceſſionem efficeret, in ſummam Dei contumeliam docebat duo eſſe principia & duos Deos: Vnum eſſe bonum ac clementem Deum, patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, eumq; neque Moſi neq; Prophetis cognitum fuiſſe. Alterum eſſe iuſtum & immitem, immò ſæuum & crudelem Deum, & hunc mundi & creaturarum eſſe opificem: non tamẽ hæc condidiſſe ex nihilo, ſed ex materia ipſi conſempiterna, quod & Plato docet. Hunc verò creatorem & immitem Deum, veteris eſſe Teſtamenti Deum. Atq; hanc ob cauſam idẽ illud Vetus Teſtamentũ, vnaque Patriarchas & prophetas, tanquàm malos & improbos & Chriſti doctrinæ aduerſos, ſatanica quadam

temeri-

temeritate & arrogantia reijciebat. Ait porrò, Christum Dominum, boni Dei filium, ea causa ad terras descendisse, vt in se credituros ex creatoris seruitute eriperet: non tamen veram illum nostræ carnis naturam sumpsisse, sed corpus habuisse phãtasticum, nec re vera passum esse, quòd homines falsò opinarentur. Negauit quoquè carnis resurrectionem, tanquàm nulla ratione possibilem. Solum deniquè Lucæ recepit Euangelium, sed ab ipso sceleratissimè truncatum ac mutilatum.

Aduersùs hos execrãdos errores inter alios etiam D. Irenęus martyr insignis scribit, euincitq; & probat contra impium illum validissimè, non nisi vnum esse Deum iuxtà bonum atq; iustum, creatorem cæli & terræ, & patrem Domini nostri Iesu Christi: eundemq; vnum esse & veteris & noui Testamenti Deum: itemq; vtriusq; Testamẽti non pugnantem, sed planè consonam esse doctrinam, immò Vetus Testamentũ ad Nouum remittere ac referre: atq; eam ob rem Christum Dñm in doctrina & institutionibus suis Veteri Instrumento identidèm vsum esse. Tum prætereà eundem Christum Dominum nostrum naturæ humanæ veram assumpsisse carnẽ, quanq̃ absq; peccato, nec reiecisse aut respuisse Dei cõditoris, patris sui cælestis creaturas, sed eis potiùs benedixisse, secundùm carnem verè pro nobis passum esse, verè mortuum, sepultum, resurrexisse à mortuis, ad cęlos ascendisse, atq; illis omnibus, qui per fidem & Sacramenta ipsi concorporantur, id præstitisse, vt & ipsi supremo mundi die secundùm carnem resurgant, & vitam cum illo viuant sempiternam.

Irenæus contra Marcionẽ qd asseruerit.

In horum autem confirmationem vir sanctus ceu rationem validissimam crebrò adhibet, certam, indubitatam, veram Corporis & Sanguinis Christi in sacrosancta Eucharistia præsentiam, quam nec Marcionitæ, vtpotè qui Euangelium Lucę, vt diximus, admitterent, negare ausi essent. Itaq; eius generis nonnulla tanti viri testimonia producemus.

Certa ac indubitata veri corporis Christi in V. Sacramento præsentia

Irenæus Marcionem prosternit.

Libro 4. cap. 32. probat, sacrificia & oblationes veteris legis non proptereà instituta esse à Deo, quòd Deus eiusmodi cultu haberet opùs, sed propter eos qui in ipsum credebant, vt illi per ea grates laudesq; ei agerent pro cunctis eius beneficijs, atq; è diuerso totos se illi dederent ac offerrent, suæ salutis cõsequendæ gratia. Docet quoquè,

Christum itidèm in nouo Instrumento, quemadmodùm Prophetæ antè prædixerint, nouam instituisse oblationem, suisq; Apostolis & eorum posteris, Deo patri vt eam perpetuis temporibus immolarēt, præcepisse, nō quòd nostri operis indigus sit Deus, sed vt nos eo ipso nostram salutem operemur. Et quantùm quidem ad susceptum pertinet argumentum, inter cætera his vtitur verbis: *Sed & suis discipulis Christus dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigēti, sed ut ipsi* (putà, Apostoli & eorū posteri) *nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in nouo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit: Non est mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus uestris: Quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum: Quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens: manifestißimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus* (Iudaicus) *cessabit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum.* Hactenùs Irenæus.

Christus diuino sermone suo panē & vinū in verum corpus & sanguinem suū mutauit.

Christus nouam noui testamēti oblationē docuit.

Malac. 1.

Incēsum, feruēs est oratio credentium: Sacrificium purum, verū Christi corpus in Eucharistia.

Hic planè Irenæus ait, Christum eam, quæ secundùm nos est, creaturam accepisse, atque hoc ipso aduersùs Marcionem testatum efficit, esse eū Dei creatoris filium, vt qui panem creaturā illius nō abiecerit, sed in summo suo mysterio illo vsus sit, sicut eius habēt verba, quibus ait, cum super pane gratias egisse, & deindè dixisse, HOC EST CORPVS MEVM: & calicem similiter, qui ex ea est creatura, quæ secundùm nos est, suum confessum esse sanguinem: & quandoquidem Dominus id dixerit & confessus sit, suum esse & corpus & sanguinem, ità quoquè re vera esse, & cum mutatione creaturæ simul quoquè nomen mutàsse &c. vt quæ priùs panis & vinum fuerint, iam sint & vocentur eius corpus & sanguis: eius nanque confessio-

Quod Christus asserit & confitetur, id non potest non esse verum.

fessionem esse ipsam veritatem, quæ nobis imponere non possit.

Quem etiam in modum idem vir sanctus huius ipsius quarti libri primo capite scribit: Si Dominus CHRISTVS, inquit, multos patres scisset & deos, (vt Marcion blasphemat) non appellasset Dominum cæli & terræ conditorem, patrem suum, nec præcepisset discipulis suis vnum scire DEVM, & hunc eundem solum vocare patrem: alioquì illis sua confessione & præceptione imposuisset, eosq; idololatras & transgressores reddidisset. Id verò non est magistri boni, sed seductoris, & qui suis discipulis veritatis inuideat notionem. Quod quidem de Domino Iesu, qui & DEVS sit & ipsissima veritas, ne cogitari quidem absque horrore possit. Ità ergò etiam nostro in negocio, si quidem sciuisset Christus post Sacramenti consecrationem etiamnùm panem & vinum adesse, non tam expressis ille verbis suis dixisset Apostolis, suum illic esse corpus & sanguinem, quod tamen fecit: Suum enim, inquit Irenæus, sanguinem confessus est. Alioquì sanè & Apostolos suos & nos omnes pessimè fefellisset, & in idololatriæ crimen impulisset. Si cui placet, videat suprà 21. scripturæ Testimonium: sed & Irenæus ipse infrà mentem suam luculentissimè explicabit.

Hic D. Gropperus paraphrasticôs citat Irenæum.

Si Christus sciuità consecratiõe panem & vinũ permanere, sua confessione malè nobis imposuit.

Immò verò hoc ipso loco apertè ille indicat, CHRISTVM his verbis perspicuè testatum esse, verum corpus suum in V. Sacramento substantialiter adesse, quandoquidem Apostolos suos nouã noui Testamenti oblationem docuerit. Si enim nihil hîc nisi panis & vinum & esset & permaneret, nullam hîc Christus noui Testamẽti sui nouam docuisset oblationem, quandò iam antè aliquot annorum millia summus sacerdos Melchisedech panem & vinũ Deo obtulit, Domini typum gerens: ex quo fit consequẽs, nouam noui Testamenti oblationem non iam panem & vinum, neque figuram tantùm, qualis fuit Melchisedechica, sed verum Christi corpus & sanguinem esse oportere: vtì etiam in catholica Christi Ecclesia, ex doctrina Christiana semper viuificans & incruentum & appellata & habita est sacrificium.

Cùm Eucharistia noui testamẽti noua sit oblatio, sequitur, re ipsa, plus illic q̃ panem & vinum haberi.

Estq; id notatu dignũ, Irenæum hîc aduersùs Marcionẽ prophetas non recipientem, testari, de hac noua Eucharistię in nouo Testamento oblatione prophetam Malachiam olim prædixisse, hoc est,

Malachias de mundo cor-

M 2 illum

poris Christi in Euchari-stia sacrificio vaticinatus est.

illam eius prophetiam non de quibuslibet spiritalibus sacrificijs, sed de munda corporis & sanguinis Christi in Eucharistia oblatione, necessariò accipiendã esse, cùm non, nisi vnum sit nouum purumq; noui Testamenti sacrificium, quod iam indè vsq; in vniuerso mundo vbiquè locorũ oblatũ est, hodieq; vbicunquè catholici degũt Christiani, ex Seruatoris mandato, Deo sit gloria, offertur, & deinceps ad Domini vsq; aduentum offeretur: quæ quidem Epitheta nulli alteri spiritali possunt hostiæ conuenienter tribui. Id verò ità se habere, atq; indè ab Apostolorum tempore hanc Malachiæ prophetiam de Eucharistiæ sacrificio ex Apostolica proculdubiò Traditione, celeberrimos quosq; Doctores meritò accepisse & interpretatos esse, testis locuples est etiam Apostolicus ille Iustinus, quem Irenæo sociũ adhibui, in Dialogo ad Tryphonem, vbì ait, Eucharistiam illud esse quod Malachias prædixerit sacrificiũ: itemq; alio loco iam suprà allato ex Apologia ad Antoninum, vbì Eucharistiã affirmat verũ esse Christi corpus & sanguinem. Et hæc quidem de primo Irenæi testimonio dixisse sufficiat: iã ad alia eius generis testimonia accedemus.

Iustini sententia de sacrificio Eucharistiæ.

Eodem 4. libro, cõtra hęreses, vt Marcionitas abominandi illius fortissimè cõuincat erroris, quo illi correpti blasphemis iactabãt vocibus, Christũ non esse Conditoris mundi filiũ, catholicã aduersùm illos de vera in Eucharistia corporis & sanguinis Christi substantia doctrinã profert, q̃ illius æuo in Christi Ecclesia versabatũ, & non ab orthodoxis modò, sed ab ipsis etiam Marcionitis, alijsq; eorum temporũ hęreticis, quantumuìs alioquì insanis & amentibus, pro certissima & habita est, & omniũ confessione probata. Cui rei id documento esse potest, ꝙ alio loco, nempè lib. 1. cap. 8. & 9. ab Irenæo refertur de hęretico quodam & mago, Marci vocabulo, qui vt homines ad se, tanq̃ alijs sacerdotibus sanctiorem, adduceret, arte magica effecit, vt vinum calici infusum, purpureum & rubicũdum sanguinis instàr appareret: qua ille nequitia sua nemini sanè imponere potuisset, si non ea tempestate passìm ab omnibus pro certissimo esset habitum, verũ corpus & sanguinẽ Christi in V. Sacramento cõtineri. Q̃n verò compertę huic & indubitatę veritati etiã Marcionitæ, ꝑmoti verbis Christi, quib⁹ apud Lucã vtũt, quẽ solũ recipiunt, fidẽ cõmodabãt, Irenęus ex ea ipsa aduersùm illos validissimè id ꝓbat, Chr̃m Cõditoris mũdi

Marcion & Marcus magus, quãtumuis amentes hæretici, tamen Christi corp⁹ in Eucharistia verè adesse crediderunt.

Lucæ 22.

esse

esse filium,& corpora nostra extremo die ad immortalitatẽ resurrectura. Eius hæc sunt verba lib. 4. cap. 34. *Quomodò autẽ constabit eis, cũ panẽ in quo gratiæ actæ sint,*(intellige, cõsecrationẽ) *corpus esse Domini sui, & calicẽ sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mũdi filiũ dicant, id est, uerbũ eius, per quod lignum fructificat, & defluunt fontes, dat primũ quidẽ fœnũ, pòst deindè spicã, deindè plenum triticum in spica?* Psal. 146. 147. Quorũ hæc sententia est: Marcionitę quidẽ fatentur verbis Dñi, vbi ea super pane & vino prolata sint, verum effici Christi Domini sui corpus & sanguinem. Qua autẽ ratione in hoc constare sibi, aut id credere possunt, nisi etiam credant Christũ esse filium & verbum creatoris, cuius virtute diuina, panis & vini creaturę quotidiè ex terra procreantur: quandoquidem alioquì Christus nulla aliena creatura, quæ neque Patris sui, neque sua foret, in suis sacramentis vsurus fuisset? Ideò, inquit, *cùm ei creaturam, quæ secũdùm nos est, offerunt, cupidum alieni ostendunt eum, & aliena concupiscentẽ.* Rursumq; libro eodẽ, cap. 57. *Quomodò*, ait, *iustè Dominus, si alterius patris existit, huius conditionis, quæ est secundùm nos, accipiens panem, suum corpus confitebatur, & temperamentum calicis sui sanguinem confirmauit?* &c. Vbi hoc solùm lector admonendus est, vt Irenæi dicendi modũ probè discat capere: vt cùm dicit Christũ confessum, panem esse corpus suum, perindè id accipiendũ nôrit, àc si dixisset, se panem in suum corpus conuertisse: Christus enim sua confessione & vocatione vocat ea q̃ non sunt tanq̃ sint, vel vt sint, & illius dixisse, fecisse est, vt suprà diximus. Et vt paucis multa complectar, Irenæus hîc Marcionitarum blasphemias om̃ibus nota & confessa corporis & sanguinis Christi in Eucharistia veritate confutat. Absq; hac enim neutiquàm sanè Marcionitę panis & vini creaturas pro illarum natura bonas esse putauissent. Tum etiam hinc certum testatumq; cõtra illos efficit, carnis futuram esse resurrectionem. Ait enim: *Quomodò autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere uitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? Ergò aut sentẽtiam mutent, aut abstineant offerẽdo quæ prædicta sunt. Nostra autẽ consonans est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostrã. Offerimus enim ei quæ sunt eius, congruenter communicationem & unitatẽ prædicantes carnis & spiritus.*

Nota calicis tẽperamẽtũ.

Quod Irenæus ait Christũ confessũ panem esse corpus suum, vt accipiẽdũ sit.

Etiã hæretici corpus Christi in Eucharistia pro Ecclesiæ sacrificio habuere.

Doctrina Ecclesiæ. De eisdem & datis, ait Ecclesia.

Quemadmodùm enim qui est à terra panis, percipiens uocatiōem Dei, iam non cōmunis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constās, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Hucusquè Irenęus.

Quæ sunt reuerà pręclarè dicta, plurimumq; facientia ad confirmandam validissimè catholicam fidem, qua credimus corpus Christi in Eucharistia re vera adesse. Nam primò quidem ridiculū planè foret & superuacaneum, D. Irenęum carnis nostrę resurrectionem indè solùm probare voluisse, quòd corpus nostrum vitali & viuificante carne & sanguine Christi alatur, tanquàm eorum virtute & efficacia caro nostra & immortalitati asseratur, si non etiam verum corpus & verus sanguis Christi in V. Sacramento realiter adesset: quādò ea propter diuinitatem in ipsis reuerà p̄sentem hanc ipsam inhabitantē in eis & viuificantem habēt virtutem & efficaciā, quæ in huius V. Sacramenti perceptione & sumptione Christianis communicatur.

Atq; hoc est, quod ea sancti Martyris verba sibi volunt, q̄bus ait, *offerre nos ei quæ sunt eius, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & spiritus:* hoc est, prædicantes atq; docētes Christi carnem cum eius diuinitate in personę vnitate esse coniunctā & vnitam, atq; ea re vitalē eam esse, & oīnibus iuxta eius institutionē corde & ore dignè eam sumentibus, vitam impertiri atq; cōmunicare immortalem. Quem in modū etiam Athanasius hinc loquitur, dicens verba illa seruatoris, Spiritus est q̄ viuificat, caro non p̄dest quicquā, ità intelligenda esse, ꝙ caro communis sinè spiritu nihil profit: Christi autem carnem plenam esse spiritu, i. diuinitate, ideoq; vitam conferre nobis: quemadmodùm infrà in eius testimonijs referetur.

Athanasius. Iohan. 6.

Transsubstātiatio.

Deindè verò quīnam vir sanctus de Transsubstantiatione panis in Christi corpus, vllum potuisset ferre clarius testimonium, quàm dum ait, *Eum, qui à terra est panis, ubi percepit uocationem Dei, iam non communem esse panem, sed Eucharistiam,* &c. His enim proferendis ad ea Apostoli verba, quæ ad Roma. 4. cap. leguntur, respexit haud dubiò, putà quòd Deus vocet ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt, vel, vt sint: perindè àc si accommodatè ad ea Apostoli verba dicere velit: Panem, ex quo Eucharistia consecratione efficitur, ante conse-

cratio-

crationem quidem non nisi panem esse: postquàm verò omnipotentem Dei percepit vocationem, confestìm verum esse Christi corpus, quod prius non fuerat. Quòd autem vocatio hęc de diuinis ijsdéq; efficacissimis consecrationis verbis accipienda sit, infrà ex ijs quæ subijciemus Testimonijs, maximè Chrysostomi & Ambrosij, copiosè discere licebit.

Panis vbi consecratur, percipit vocationem Dei.

Adeoq; Irenęus ipse, tam est luculentus suijpsius interpres, vt eius verbis aliam adhibere explanationem superfluum sit: præsertìm vbi ait, Eucharistiam à consecratione ex duabus rebus constare, quarum vna terrena sit: quę sunt externę species, id est, accidentia earum, quę antè fuerunt, creaturarum panis ac vini, quę facta cõsecratione symbola tantùm sunt. Altera cælestis, quę alia non potest esse, quàm verum Corpus & Sanguis Christi, quæ tum ob diuinitatem in ijs inhabitantem, tum quòd de Spiritusancto in sacratissima virgine Maria concepta sint, cęlestia vocantur. Porrò merum panem & vinum, cùm sint creaturę terrestres, nemo rectè cęlestes res appellârit. Atque hoc est, quod iam antè in Introductione illa in Patrum Authoritates, latiùs explicuimus, videlicet celsissimum hoc Sacramētum è duobus constare, putà, visibilibus externorum elemētorum speciebus, & inuisibili carne & sanguine Domini nostri IESV Christi. Et vt paucis absoluam, certum est, D. Irenæū sacrosanctę Eucharistiæ vim tribuere viuificandi tum corpus, tum animam, atque eam ob rem accipere eum de eadem verba illa Christi Iohann. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Ea verò diuina Eucharistiæ vis & efficientia, quam Christus veræ suæ carni tribuit, id certò testatur, ipsam Eucharistiam veram esse carnem Christi.

Eucharistia ex duabus rebus constat, altera terrestri, cælesti altera.

Irenæus cap. 6. Iohānis ad Eucharistiam retulit.

Effectus probat causam efficientem.

Id verò lōgè etiã euidētiùs vir sanctus libro 5. asserit, vbì sic habet: *Vani autem omnimodò, qui uniuersam Dei dispositionem contemnunt, & carnis salutem negant, & regenerationem eius spernunt, dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem, secundùm hæc uidelicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis eius est, neque panis quem frangimus, communicatio corporis eius est. Sanguis enim non est, nisi à uenis & carnibus,*

De secūda regeneratione dicit quandò filius hominis sedebit in sede maiestatis suæ. Matth. 19.

& à

Verbū caro factū est, i. sine sui immutatiōe naturā suscepit humanā.
Ephe 1.

& à reliqua quæ est secundùm hominem substantia, quæ uerè factum uerbum Dei, sanguine suo redemit nos, quemadmodùm & Apostolus eius ait: In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, & remissionem peccatorum. Et quoniam membra eius sumus, & per creaturā nutrimur. Creaturam autem ipse nobis præstat, solem suum oriri faciens, & pluens quēadmodùm uult: cùm calicem, qui est creatura, suum corpus confirmauit, ex quo nostra auget corpora. Quandò ergò & mixtus calix, & fractus panis percipit uerbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia. Quomodò carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est uita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & fit membrum eius, quemadmodùm & Apostolus ait in ea, quæ est ad Ephesios, Epistola: Quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius: non de spiritali aliquo & inuisibili homine dicens hæc: Spiritus enim neque ossa, neque carnes habet, sed de ea dispositione quæ est secundùm hominem, quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus consistit: quæ de calice, qui est sanguis eius, nutritur, & de pane qui est corpus eius, augetur. Hucusque Irenæus.

Nota, mixtus calix.
Ephe. 5.
Luc. 24.
Irenæus loca Pauli 1. Cor. 10. & Ephe. 5. de veritate corporis Christi in Eucharistia accipit.

Etiam hæc sanè maximi sunt momenti: in quibus id principiò obseruandum est, Irenęum eos potissimùm tres Pauli locos, (quorū primus est ad Rom. 4. *Qui uocat ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt, uel ut sint:* Alter 1. Cor. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne cōmunicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?* Postremus ad Ephes. 5. *Quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius*) de transsubstantiatione creaturarū in verum Christi corpus & sanguinem, & de illorū vera dispensatiōe & communicatione accepisse, idq; eum in modum, quo loca illa in I. & XXV. Scripturæ Testimonijs suprà explicata sunt.

Ex pane fieri Eucharistiā, qd sibi velit.

Agè iam impie Sacramentarie, in omnem te partem verses licet, nec tamē vnquàm verba hęc Irenæi, *Quandò & mixtus calix, & fractus panis percipit verbū Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi*, ad aliam sententiam detorquere poteris, q̄ panis viniq; substantiā, vbi per

Dei

Dei verbum consecrata est, in corpus & sanguinem Christi trãsferri. Id enim est, fieri Eucharistiam corporis & sanguinis Christi. Nã quæ panis & vinum permanent, vt tu ais, ea certè in carnem & sanguinem non transeunt, quod D. Irenęus affirmat.

Aduertendum etiã est, quàm lepida vtatur in hac describẽda trãssubstantiatione allegoria, dicens, Dñm solem suum (i. virtutem diuinam in verbis in creaturas prolatis) oriri facere, & ità pluere nobis, quemadmodùm ipse vult, (nos verò comprehendere non valemus) corpus suum: videlicet ad manna respiciẽs, quod Deus verbi virtute Patribus quondàm supernè pluit. Verùm huic corporis & sanguinis Christi pluuiæ Irenęus vim mortalia corpora nostra viuificandi attribuit: quòd Paulus dicens, Nos esse membra corporis eius, non de aliquo incorporeo spiritu, sed vero corpore loquatur, cuius nostra corpora per Eucharistiam vera membra efficiantur: quam quidẽ viuificandi vim manna certum est non habuisse.

Allegoria hæc mirè placuit Damasceno li. 4. de orthodoxa fide, cap. 14. de sanctis Christi mysterijs, vt suo loco videbitur.
Exod. 16.
Num. 16.
Psal. 77.
Sap. 16.
Ephe. 5.

Quòd autem his adiungit, carnis nostrę substantiã ex Eucharistię perceptione augeri & consistere, nõ sic accipiendũ est, quod Eucharistia instàr aliarum terrestriũ escarũ in corporis nostri substantiã, carnẽq; & sanguinẽ nostrum transeat, sed quod naturã suã & conditionẽ immortalitatis, nostrę carnis naturę & substantiæ impertiatur: atq; vt alij cibi in carnem & sanguinẽ nostrum abeunt, vt ea in vita hac temporaria sustentent: ità diuinæ Eucharistię virtute corpora nostra à corruptione in vitam æternam conseruari.

Carnis nostræ substãtiã Eucharistiæ sumptiõe augeri & consistere, vt accipiendum.

Quod quidẽ ità se habere, ipse mox seipsum interpretãs, hisce verbis declarat: *Et quemadmodùm lignum uitis depositum in terra, suo fructificat tempore: & granum tritici decidens in terram & dissolutum, multiplex surgit per spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deindè per sapiẽtiam in usum hominibus ueniunt, & sanguis Christi: sic & corpora nostra ex ea nutrita, & reposita in terram, & resoluta in ea, resurgent in suo tempore, uerbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei patris.* Audis hîc, quẽadmodùm Deus lignum vitis in terra depositum, & granum tritici in terra satum, virtute sua auget, & multiplicata producit: atq; vt ea deindè per Sapientiam in vsum hominibus veniunt, (quod equidem hîc accipio de illorum in Sacramento transmutatione, vbi per

Dei ſapientiam eius caro & ſanguis effecta ſunt) ità etiã corpora noſtra in terram repoſita & reſoluta, verbi Dei (quod calix mixtus & panis fractus perceperunt, & deindè in ſpiritalẽ nobis eſcam collata ſunt) potentia reſurrectura eſſe in gloriam Dei. Atq; hoc eſt, ꝙ nos indè, vt Irenęus loquit̃, nutrimur, augemur, continemur, ſiue ſuſtentamur & conſiſtimus. (intellige hoc loco, ad æternitatem.)

In ſumma, teſtatur hîc Irenęus clariſſimè, in ſacroſancta Euchariſtia, quę eſt, vt ipſe aït, corpus & ſanguis Chriſti, diuinã illam & viuificantem ineſſe virtutem, quæ nedùm animabus, ſed etiam corporibus noſtris reſurrectionem & incorruptionem impertiatur. Quo conſtat, eum verba illa Seruatoris Iohan. 6, Qui manducat meã carnem, & bibit meum ſanguinẽ, habet vitam æternã, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die: totũq; adeò caput illud de hoc præſtãtiſſimo accepiſſe Sacramẽto: qua re id ille perſpicuè teſtatum nobis efficit, in hoc celſiſſimo ſacramẽto verũ corpus & ſanguinẽ Chr̃i, cum illius diuinitate, quę ſola hoc præſtare poteſt, coniũcta, adeſſe ſubſtãtialiter. Atq; hîc quidem beatiſſimi Irenęi Teſtimonijs finem imponimus.

Non longè poſt memoratos hos duos virtutis Apoſtolicæ viros, duo alij claruère excellẽtiſſimi & ſcriptorum diuinorum callẽtiſſimi patres, putà, Septimius Florens Tertullianus, & Origenes Adamãtius, quorum iam Teſtimonia audiemus.

SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI TESTIMONIA.

CAP. 39. TErtullianus, qui ſub Seuero Imperatore floruit, perindè vt D. Irenæus, multa pręclara conſcripſit opera aduerſùs hæreticos, Iudęos & Gentiles, quibus Catholicam propugnat fidem, maximè contra deteſtabilem Marcionem: aduerſùs quẽ ijſdem ferè Apologijs vtitur, qbus Irenæus: atq; in ijſipſis eiuſcemodi præbet veritati Corporis & Sanguinis Chriſti in V. Sacramento teſtimonia, quæ Irenæi authoritatibus nihilo ſint inferiora. Et primò quidem lib. de Reſurrectione Carnis blaſphemiam Marcionis, aſſerentis Chriſtum non eſſe Dei creatoris filium, hac potiſſimùm ratione confutat, quòd Chriſtus ad ſua conficienda ſacramenta creaturis Dei conditoris vſus ſit: Eius verba hæc ſunt:

Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut & anima muniatur. Caro manûs impositionem adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi uescitur, ut & anima de Deo saginetur. Non possunt ergò separari in mercede, quas opera coniungit. Hæc ille, cuius ea nimirùm sententia est: Quádoquidem Marcion aiebat Christum non venisse in carnem, atq; eá ob rem etiam nostrę carnis resurrectioné negabat, idq; planè impia, philosophicaq; ratione, Tertullianus diuersum probat ex admiráda diuinorum virtute sacramentorum, nempè Deum tanto in precio & honore habere carnem nostram, vt absq; carnis cooperatione æternam beatitudinem animæ per veneranda sacramenta non conferat. Cócludit indè, ea simul ad beatitudinem cooperari, atq; idcircò etiam in mercede non separari. Orditur autem à Baptismo, & definit in sanctissimo Corporis & sanguinis Christi Sacramento, asserens carnem nostram vesci Christi corpore & sanguine, id est, Christi corpus & sanguiné edere ac potare, quô anima nostra indè saginetur. Quod si ità se habet, certè Christi corpus in Sacramento non fide duntaxat animæ spiritaliter, quod Aduersarij impiè opinantur, sed etiam ore corporaliter accipitur, quô anima & corpus, quę vnà operantur, etiá pariter mercedé capiant. Iam verò si Christi corpus & Sanguis in Sacramento re vera non essent, non posset ijs vesci vel frui corpus nostrum. Atquì illis caro nostra vescitur, non tamen vt cibo communi, cuius solum corpus est capax, sed vnà cum anima: sicq; corpus & anima hoc in opere, vt Tertullianus vult, non separátur, sed coniungútur. Quod nec ipsum quoquè esset, si sanctissimum Sacramentú non nisi panis foret. Ità enim corpus & anima hîc communé non haberét actioné, sed diuisam. Corpus náq; pro sua natura nó nisi corruptibili & seipso vesceretur pane ceu cibo suo, & anima tantùm in fide Chŕo frueretur, illius cómemoráda perpessióe. Verùm hoc pacto Tertulliani aduersùm Marcioné conclusio siue illatio nullius esset roboris, putà, corpus & animá in immortalitatis mercede nó posse separari, q̃ in perceptione incorruptibilis escæ, i. corporis & sanguinis Christi coniunctìm operentur: id quod cordatus quisq; facilè intelligit.

Baptismus. Chrisma. Confirmatio. Ordinatio. Eucharistia.

Corpus Christi & ore & corde accipitur.

Deindè quádò Marció, vt dixim⁹, duo principia vel Deos esse affir-

mabat, id est, iustum alterum, alterum bonũ: & iustum quidem illũ, non autem bonum, qui pater esset Christi, mundũ & creaturas cõdidisse, quę ex sua natura bonæ non essent, Tertullianus primo contra hunc teterrimum cacodæmonẽ Marcionẽ libro docet, hãc eius abominandam & pestilentem opinionem nullo posse modo consistere, idq; hac ratione: *Christus, inquit, panem nõ reprobauit, quo ipsum corpus suum repræsentat*, id est, præsens exhibet. Id enim propriè significat, Repræsentare: quibus ille verbis hoc sibi vult, si quidem corporalium cõditor creaturarum, etiam Christi pater non esset, itemq;, si creaturę natura malę essent, Christum sanè corporea panis creatura, vtpotè quæ neq; sua, neq; bona foret, haudquaquàm eò vsurum fuisse, vt sub illius specie corpus suum in V. Sacramento substantialiter præsens exhiberet, vel repræsentaret & porrigeret, quod tamẽ illum fecisse constat.

Christus sub panis specie corpus suũ pꝛæsens exhibet.

Vide infrà D. Hieronymi testimonium in 26. caput Matthæi, vbi eadem significatione verbo Repræsentare vtitur ad demõstrandã corporis Christi in Eucharistia veritatẽ: vti etiã Gelasius de duabus naturis in Christo, sub finẽ.

Ad hæc quandoquidẽ Marcion, vt antè dictũ est, veteris testamẽti legem vnà cum prophetis summa impietate reiecerat, asserens ea nõ ex instinctu boni Dei, id est, Christi genitoris, sed creaturarum cõditoris sæui & inclementis Dei promanâsse: Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, probat vetus Testamentum omninò ad Christum respexisse ac remisisse, illudq; sibi Christum haud secùs atquè suum vsurpâsse, & per Christum & in Christo completum illud esse: atq; eã causa inter alia docet illic, vt Moses Pascha ad Christum retulerit, dicens, Phase, vel Pascha Domini est. Ideò, inquit, *& affectum suũ ostendit: Concupiscentia concupiui Pascha edere uobiscũ, antequàm patiar. Nimirùm ueruecina illũ Iudaica delectaret? An ipse erat, qui tanquàm ouis ad uictimam adduci habẽs, et tanquàm ouis coram tondente, sic os non aperturus, figuram sanguinis sui salutaris (intellige eam quæ in agni paschalis nece præcesserat) implere concupiscebat? Et post pauca sequitur: Professus itaq; se concupiscentia concupisse edere Pascha ut suũ (indignũ enim, ut qd alienũ cõcupisceret Deus, i. ut ceu indigus alienũ mutuaretur panẽ, quẽ pater eius nõ fecisset) acceptũ panẽ & distributũ discipulis, corpus suũ illũ fecit.*

Paschalis agnus, figura corporis Christi in Eucharistia.

Exod. 12.
Leuit. 23.
Vide suprà 14. Scripturæ Testimoniũ.
Esa. 53.

Christus panem vertit in corpus suũ.

His verbis Tertullianus luculẽter docet, Pascha Iudaicũ Chri corpus, itẽq; Paschatis Iudaici esum vespertinũ, nñi cœnam prefigurâsse: eã ob rem ex animo desiderâsse Dñm, priùs q̃ pateretur, verũ Pascha,

hoc est,corpus suum edere cum Apostolis, ideoq; acceptum panem corpus suum illum fecisse,& discipulis suis distribuisse,vt præcedentem figuram non modò passione,sed etiam corporis sui comestione perfectè impleret.

Atq; tametsi Tertulliani mens & sententia in aperto est & manifesta,vix tamé quenquã ex veteribus illis Patribus cóperias,quo aduersarij tantoperè nitantur,atquè hoc ipso Tertulliano,idq; eo duntaxat, ꝙ memoratis illis verbis suis, *Acceptum panem & distributum discipulis suis,corpus suum illum fecit,* ista mox subijciat, *Hoc est corpus meum dicendo,id est,figura corporis mei.* Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Aduersarij Tertulliano quidem tueri se nitũtur,sed frustrà.

Verũ quisquis cõpendiariã illã nostrã in Patrũ testimonia introductionem probè animaduertere,atq; aĩo cóplecti velit,illi obscurum esse non potest,quàm turpiter hic sese fallos comperiant.Equidem in illa Introductione annotaui, Sacraméta nouæ legis duo quędam compræhédere,nempe externas visibiles species, quę,quod inficiari nullus potest,sacræ quędam & symbolicæ figuræ atque signa sunt:& pręterea,idq; pręcipuè,rem quandam diuinam, quæ potissimùm spectatur,sub eiusmodi externis specieb⁹ sacrisq; figuris,iuxta verborum Christi pollicitationem,contentam: Speciatim verò sanctissimum hoc Sacramentum his duobus confici, nempe visibili elementorum externorũ specie,& inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine:Sacramento, & Re Sacramenti. Fol.68. Nota cõfici.

Duas has V.Sacramenti partes,finè quibus nec esset quidem Sacramentum,Tertullianus hoc loco coniunctìm memorat, id quod nemo probus atq; cordatus negare possit. Quinam enim poterat ille de vero Christi corpore in V.Sacramento, adeoque de admiranda panis in Christi corpus conuersione loqui euidétius quàm dum ait, *Christum acceptum panem & distributum,suum corpus fecisse?* quæ nimirũ est res Sacramenti.Atqui dum porrò nullo penitùs interiecto verbo subiungit,*Dominum id fecisse,dicendo,Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei,* alteram indicat partem, Sacramétum tantùm,id est, sacrum illud externum speciei panis signum,sub qua specie corpus Christi, in quod panis diuina potestate conuersus est, continetur: quæ quidem externa species,quod nos quoquè libenter fatemur,figura Tertullianus simul agit de signo externo, & Christi corpore sub illo cõtento.

gura est præsentis Christi corporis, quod sub illa contentum Dominus ipse porrexit, hodieq; porrigitur.

Nè quis autem hanc verbis Tertulliani sententiam me è meo putet cerebro affingere, eius ego me authores habere confiteor Augustinum & Hilarium Romanum Pontificem, Leonis I. proximum successorem, qui Epistolas de fide Catholica, tres Synodos, Nicenam, Ephesinam & Chalcedonensem, contra Nestorium, Eutychetem & Dioscorũ cõfirmãtes, cõscripsit. Augustini quidẽ verba, vt ea habentur de consecrat. Distinct. 2. in Can. Verũ, eiusmodi sunt: Corpus Christi & veritas, & figura est. Veritas, dum corpus Christi & sanguis in virtute Spiritussancti, ex panis & vini substantia efficitur: Figura verò est, quod exteriùs sentitur. Quibus non admodùm absona sunt dicta Hilarij Papæ, quæ itidèm loco memorato recitantur. *Corpus Christi, inquit, quod sumitur de Altari, figura est, dum panis & uinum uidetur extrà: Veritas autem, dum corpus & sanguis Christi interiùs credit.*

Eucharistia visibiliter figura est, inuisibiliter autẽ verũ corpus Christi.

Anne tibi videre vidéris lector optime, ambos hos sanctos Patres eo pacto hac de re conscripsisse, perindè àc si calumniã Aduersariorũ nostrorũ de industria anteuertere, & Tertulliani sanã sententiã, modò ea sanè intelligatur, ab hęreticorũ vana & falsa deprauatione vindicare atq; tueri: tũ præstereà Christianos catholicos (qui vbì sacrosanctæ Missæ officio intersuêre, dicere solent, se ea die Dñm Deum nostrum in sacerdotis manibus vidisse) ab eorundem Aduersariorũ contumeliosis sannis & ludibrijs defendere voluerint, putà, ꝙ eiusmodi locutio nihil habeat vitij, quandoquidem externas viderint species, sub quibus verum Christi corpus substantialiter continetur? Et hunc quidem de V. Sacramento dicẽdi modũ semper apud Christianos in vsu fuisse, posteà ex alijs Patrib᷒, præsertim Chrysostomo, Augustino & Bernardo vberiùs perdisces.

Catholici Christiani nõ malè aiunt se Dominũ Deum in sacerdotis manibus vidisse.

Habes igitur iam genuinum eorum, quæ suprà attulimus, Tertulliani verborum, videlicet, Hoc est figura corporis mei, sensum atque sententiam. Vt verò ea quoquè, quę porrò adiungit, *Figura autem nõ fuisset, nisi ueritatis esset corpus*, accipienda sit, Chrysostomus docere te potest Homilia 83. in Matthæum, vbì fermè eundem in modum loquitur. *Quandò dicunt* (hæretici,) *Vndè patet immolatum Christum fuisse? & alia multa mysteria, hæc afferentes ora ipsorum consuimus: Si enim* Iesus

Quòd nos ex Christi mandato eius verũ corpus in V. Sacramẽto quotidiè in altari offerimus, certũ

Iesus mortuus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? quorũ hæc sententia est: Quandò Marcionitæ & Manichæi blasphemantes aiunt, Christum verum corpus humanum minimè assumpsisse, nec verè pro nobis in cruce mortuum esse, ora illis frænamus his verbis: Quid igitur? Anne Christus in sacrosancta Cœna sua nouam nos sui corporis oblationem docuit, nobisq; demandauit, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mũdo offert Deo quotidiè? Ea verò ánne imago, vel symbolum est sacrificij eius semèl in cruce peracti? quòd si illius symbolum est & imago, necessariò indè conficitur, Christum veram assumpsisse carnem, & eam pro nobis in cruce immolâsse. Oportet enim imaginis esse exemplar archetypum. Idq; adeò est, quod etiam Tertullianus hoc loco contra Marcionẽ inferre instituit his verbis: *Figura autem non fuisset, nisi ueritatis esset corpus.*

Signum est eũ semèl pro nobis verè mortuum.

Irenæus lib. 4. cap. 32.

Nam quòd ille de Christi corpore, non modò quatenùs nobis ab eo in cibum, sed etiam noui Testamenti sacrificium relictum est, loquatur, potest ex eius sequentibus verbis nullo negocio animaduerti, quæ sunt eiusmodi: *Sic & in calicis mẽtione testamentum constituens, sanguine suo obsignatum* &c. quibus ille innuit nouum Testamentum, nouo hoc sacrificio obsignatum atq; confirmatũ esse. Vt enim Apostolus ad Hebræos ait 7. cap. Translato sacerdotio, necessè est vt & legis translatio fiat.

Calix Cœnæ Dominicæ, est obsignatio noui testamenti.

Vt igitur Chrysostomus memoratis illis verbis suis, quibus asserit altaris sacrificium symbolũ esse sacrificij in cruce peracti, itemq; Basilius Magnus in sua liturgia, vt ea iam extat, idem sacrificium antitypum vocans: nihil derogant veræ seu reali veri corporis Christi in Sacramẽto præsentię, quam duo ijdem sanctissimi viri & iam dictis, & alijs innumeris locis, vt infrà partìm docebimus, clarissimè asserunt: ità & Tertullianus hisce suis (quæ diximus) verbis eidem nihil prorsus detrahit, cùm illa sit horum oĩm mens atq; sentẽtia, sacrificiũ Altaris exẽplar, imaginẽ & antitypũ esse sacrificij semèl in cruce pacti.

Vide C. Cùm frãgitur, qui est B. Augustini ex sententijs Prosperi, de Cõsecr. dist. 2.

Et quid multis opùs est? Si quod adhuc apud vllum de germano Tertulliani verborum sensu dubium residet, obseruet ille eius tum præcedentia, tum sequentia hoc loco verba, quibus poterit certior omninò fieri. Non enim vlla alia ratione ad eorum, quæ à quopiam

obscurè

obscurè dicta sunt, certiorem magisq; propriam & genuinam poteſt intelligentiam & notitiam perueniri, quàm vt & ea, quæ antecedunt & quæ sequuntur, verba expendātur: ſiquidem illa, ea quæ in medio poſita ſunt, explicare ac illuſtrare debent. Atquì præcedentia Tertulliani verba nullo pacto, vt iam antè diximus, vllū Aduerſarijs adferunt ſubſidium, cùm ille plano atq; rotundo affirmet ſermone, Dominum acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum feciſſe. Sed neq; ſequētia illis vlli adminiculo eſſe poſſunt, quæ ſunt eiuſmodi: *Non intelligit Marcion panem fuiſſe ueterem figurā corporis Chriſti, dicētis per Ieremiam: Aduersùs me cogitauerunt cogitatum, dicentes: Venite, conijciamus lignum in panem eius, ſcilicet crucem in corpus eius. Itaq; illuminator antiquitatum* (Chriſtus) *quid tunc uoluerit* (in propheta) *ſignificàſſe panem, ſatis declarauit, corpus ſuum uocans panem* (in Cœna ſua) *Sic & in calicis mentione teſtamentum conſtituēs, ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtātiam corporis cōfirmauit.* Et paulò pòſt: *Multò manifeſtiùs, inquit, Geneſis in benedictione Iudæ, ex cuius tribu, carnis Chriſti cenſus proceſſurus, iam tunc Chriſtum in Iuda delineabat. Lauabit, inquit, in uino ſtolam ſuam, & in ſanguine uuæ amictum ſuum: ſtolam & amictum carnem demonſtrans, & uinum ſanguinem. Ità & nunc ſanguinem ſuum in uino conſecrauit, qui tunc uinum in ſanguine figurauit.*

Ex præcedētib9 & ſequētibus Tertulliani verbis, certa eius ſentētia propriè depræhenditur.

Ierem. 11.

Panis in veteri teſtamento figura fuit, ſignificans corpus Chriſti in nouo.

Gen. 49.

Chriſtus in vini ſpecie ſuum conſecrauit ſanguinem.

Obſerua hìc Lector, quantoperè cauerit Tertullianus, nè quis ipſius dicta in Aduerſariorum damnatam opinionem perperàm detorquere poſſet. Vt enim antè audiſti, priùs quàm diceret, Sacramentum eſſe figuram, in ipſa ſermonis cohærentia hæc verba præmittit: *Chriſtus acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit.* Qua tandèm ratione ſuam de ſanctiſſ. Sacramenti re ſententiam apertiùs prodere potuiſſet? Deindè poſt ea verba, quæ perperàm interpretari quis poſſit, ſubiungit quæ iam antè commemorauimus, *Chriſtum in cœna ſua re ipſa ſatis declarâſſe diſcipulis ſuis, quid olim apud Ieremiam uoluerit ſignificare panem, corpus ſuum uocans panem, & illud ſub panis ſpecie illis porrigens:* adeò vt nemo, niſi qui planè impudens eſſe velit, aliud affirmare queat, quàm Tertulliani eam eſſe ſententiam, Chriſtum hìc idem illud præbuiſſe ſubſtantialiter, quod

antè

antè apud Ieremiam panis figura significârit: maximè cùm & alibì eundem ferè in modum hinc loquatur, nempè eo quem aduersùs Iudæos edidit libro, vbì inter alia sic habet: *Christus reuelauit, panem suum corpus appellans, cuius retrò corpus in panem Prophetes nunciauit.* Quorum hic sensus est, Panem olim apud Prophetam in vmbra corpus Christi futurum designâsse: at verò Christum vmbram & velamen amouisse, quandò panem appellauit corpus suum: eumq; deincèps non vmbram, sed id quod appellatio ipsa significat, id est, verũ corpus suum præbuisse: quandoquidem eius vocâsse & dixisse, fecisse est, vt iam antè tum ex scripturis, tum ex Irenæo docuimus.

Christus in sacrosancta Cœna sua veteris instrumẽti velamẽ amouit.

Eadem ratione, quandò Tertulliano cœnę Dominicæ calix est noui Testamenti obsignatio, eius facta sanguine, dubium non est, certò illum credidisse, in sanctiss. Sacramento verum Christi sanguinẽ abesse. Sola nanq; inanis figura non potest esse noui Testamenti obsignatio, vtì iam alibì, maximè in 16. Scripturæ testimonio, probatum est.

Nulla figura potest esse noui testamenti obsignatio.

At verò etiam illa eius verba omninò luculenta sunt, quibus ait, *Ità & nunc* (idem ipse in sacrosancta cœna sua) *sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc uinum in sanguine figurauit.* Quæ nullam admittunt interpretationem aliam, quàm eundem Christum, qui priùs in Testamento veteri vinum appellârit sanguinem, eum posteà in sacrosancta Cœna diuinæ consecrationis suæ id effecisse virtute, vt sub vini specie verus eius sanguis sit. Alioquì enim veteris Testamẽti figuram in illa Cœna consecratione diuina sanguinis sui non implêsset: quod tamen Tertullianus eum fecisse & testatur & docet euidentissimè.

Christus in Cœna sua veteris testamẽti figuram in patriarchæ Iudæ benedictiõe, re ipsa compleuit.

Ex quibus omnibus id sequitur, memorata illa Tertulliani verba, *Dominũ dixisse,* HOC EST CORPVS MEVM, *id est, figura corporis mei,* non alio sensu ab illo prolata esse, quàm perindè àc si dixisset Dominus: Hoc quòd foris videtis, & quod vestri vobis oculi renunciant, nempè, panis species, id figura est: sed sub hac panis specie ego vobis corpus meum præbeo. Siquidem ex pane feci corpus meum.

Interìm tamẽ nihilo minùs haud ingratis agnosco, immò cum reliquis omnibus sanctis Patribus non possum non liberè fateri, Ter-

Verba Christi hoc loco Tertullianus pro illorum germana & ppria significatione non interpretatur.

tullianum hæc Dñi verba, HOC EST CORPVS MEVM, pro illorũ germana significatione & sensu genuino, hoc loco neutiquàm interpretari, tametsi alioquì mens & sententia illius à vero non discrepat. Cùm enim diceret Dñs, HOC EST CORPVS MEVM, nó ea voluit ratione accipi, quasi dixisset, Externa species sanctiss. Sacramenti, quod hîc vobis porrigo, est corporis mei sub ea contenti figura: quandoquidem ijs dictionibus, HOC EST, non visibilem demonstrauit panis speciem, sed veri corporis sui substantiam, in quam diuina virtute sua panem conuertit. Etenim pronomen HOC, positũ hîc loco subiecti, vnum quid substantiæ significat, quæ explicatur in prædicato verbi Corpus: quod nos in primo Scripturæ Testimonio fusiùs explicuimus. Atq; eam ob rem nemo ex alijs sanctis patribus eum in modum, sed diuerso potiùs, hæc Dñi verba interpretatus inuenitur. Theophylactus quidem in cap. 26. Matth. ea exponens, *Porrò, inquit, dicens, Hoc est corpus meum, ostendit quòd ipsum corpus Domini est panis qui sanctificatur in Altario, & nõ respondens figura. Nõ enim dixit, Hoc est figura: sed, Hoc est corpus meum.* Itemq; Damascenus *lib. 4. de Orthodoxa fide cap. 14. Non est, inquit, figura panis & uinum, corporis & sanguinis Christi. Absit enim hoc: sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente, Hoc est corpus meum: non figura corporis, sed corpus: & non figura sanguinis, sed sanguis &c.* vt infrà fusiùs ex horum aliorumq; disces testimonijs.

Pronomen HOC, in verbis Domini, psentis corporis Christi substantiam demóstrat, nó autem panẽ, vel speciem externam.

Tertullianũ quid permouerit, vt eo pacto Domini verba interpretaretur.

Mos disputãtium.

Vt autem Tertullianus eo, quo diximus, pacto Domini verba hoc loco exponeret, ansam illi præbuit disputationis aduersùs Marcionẽ susceptæ certamen. vtì sanè rarum non est, eos qui in disputatione versantur, interdùm non adeò exactè propriam ac genuinam verborum significationẽ exprimere, sed plerunquè eum sequi illorum significatum, qui ipsis pro re nata magìs accommodus sit ad confutandum aduersarium.

Negabat hæreticus Marcion sceleratissimè, quod antè diximus, Christum verum corpus humanum assumpsisse. Huic tam immani blasphemię valẽter retũdendę ac subruẽdæ maximè tũ subseruiebat illa verborum Dñi, quam Tertullianus vsurpauit, expositio: tanq̃ dixisset Dñs: Hoc quod ego vobis porrigo, secũdùm externam speciẽ, figura

figura est præsentis corporis mei. Neque enim alia ratione Marciõis abominandã assertionem efficaciùs refellere potuisset. Nam si Sacramentũ à dño traditũ, secundùm externã specie, dñici corporis figura est, sequit indè irrefutabiliter, dñm verũ corp' humanũ assumpsisse: qñdoquidē sanctiss. sacramentũ figura corporis eius esse non posset, nisi idē illud verũ eius corpus extaret, cuius figura sit V. Sacramentũ.

Quòd si Tertullianus hęc verba pro ipsorum germana significatione propriè esset interpretatus hunc in modũ, Hoc quod præbeo vobis, est verum & ipsissimum corpus meum: potuisset Marcion pro sua falsa persuasione Tertulliani argumentum irridiculè eludere, dicendo: Equidem nõ id tibi assentior, Christum verum corpus humanum habuisse. Quale igitur corpus habuit, tale dedit etiam discipulis suis. Verùm hoc cauillum impudēs, hac quam diximus, verborum Christi interpretatione Tertullianus anteuertit.

Nôrunt qui in Patribus probè exercitati sunt, distinguendum esse inter ea illorum verba quæ ἀγωνιστικῶς, & ea quæ δογματικῶς, id est, quę disputandi, & quę docendi ratione siue dixisse, siue scripsisse legunt. Vbi enim aduersùm Iudęos, Ethnicos & hęreticos digladiantur, plerunquè certaminis æstu eò feruntur, vt non semper ipsam verborũ ἀκρίβειαν, & exquisitam significationem spectent, sed eam potiùs vsurpent, quæ magìs opportuna sit profligandis aduersarijs: modò id tñ obseruent, vti nè ea significatio, si sit probè intellecta, cum mēdacio vel errore cõiuncta videatur. At verò vbi Christianæ religionis dogmata tradũt, summo id agũt studio, nè quouis modo Scripturę verba alitèr, q̃ pro illorum propria significatione, adhibeãt & vsurpent. Id verò discriminis discere licebit ex Basilij Magni Epistola 64. ad pręcipuos in Neocęsarea, vbì eos reprehendit, qui D. Gregorij Neocæsarieñ verba, quibus ille aduersùs Aelianum ethnicum in quadam disputatione ad sacrosanctæ Trinitatis mysteriã declarãda vsus erat, calumniari, atq; ijsipsis teterrimam Sabelllj hęresim confirmare nītebanī. Hypostasis enim vocabulum non pro illius vero significatu, quo à Patribus catholicis passìm accipiī, nēpè pro subsistente Persona, sed pro οὐσία, hoc est, Essētia vel Substãtia cõtra gētilē vsurpârat. Nõ, inquit, *diciī uelut ex decreto, seu tanq̃ à præscribēte doctrinã, sed ut à cõtēdente, & à certamine occupato.* Et seqī: *Hellenē seu Ethnicũ psuadēs, nõ*

Discrimē inter ea Patrũ verba quæ δογματικῶς, & ea quæ ἀγωνιστικῶς vsurpant.

Hæc Basilij ità habentur Latinè etiam in exemplari Germanico.

 putabat

putabat exactam & absolutam diligentiam in uerbis deligendis adhibere, sed alicubi etiam concedere moribus eius qui inducitur, ut ne reluctetur ad principalissima. Hæc ille. Vt ergò Gregorius Neocæsarien dictione Hypostasi in suscepto cõtra ethnicum certamine secùs vsus est, quàm quisquam patrum cæterorum, vbì religiòis dogmata tradunt, quippe qui vno omnes ore affirment in sacrosancta Trinitate nõ nisi vnã οὐσίαν, id est, substãtiam, & tres ὑποστάσεις, id est, personas esse: ità & Tertullianus hoc loco aduersùs Marcionem eiusmodi quandam verborum Christi interpretatiõem explicauit, qualem nullus vnquàm Patrum protulerit, Sacramentum sanctissimum figuram vocans: quanquàm, quod suprà diximus, non eo pacto figurã appellat, quales fuêre veteris Testamenti figuræ, id est, vmbræ duntaxat rerum futurarum: sed vt Sacramenta nouæ legis secundùm externam speciem figuræ & signa sunt præsentis veritatis sub illis in mysterio latentis & velatæ. Quô fit, vt meritò quoquè Mysteria dicantur, quãdò sub externis conspicuis signis res diuina inuisibilis, sed præsens tamen verè & realiter continetur: sicut & Tertullianus ipse veram illam inuisibilem celsissimi Sacramenti rem & veritatem simul apertè indicat, dicens, Dominum acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illũ fecisse: itemq́;, Christum actu ipso declarâsse, quid olim in Ieremia panis significârit: & alibì, Christum reuelâsse, id est, velamen remouisse, panem corpus suum appellans: deniquè, sanguinem suum in vino consecrâsse, & calicem sanguinis noui Testamenti esse obsignationem.

Sacramẽta nouæ legis figura sunt pręsentis rei diuinæ sub ipsis contentæ ac velatæ: veteris autẽ legis sacramenta nõ nisi rerũ futurarum vmbræ sunt & figuræ.

Verùm enimuerò vt Tertulliani de V. Sacramento sana sententia nemini possit esse ambigua, equidem præter hoc præsens, & duo alia jam antè prolata illius testimonia, quorum prius est ex libro de Resurrectione carnis, quo ille, vt dictum est, asserit carnem nostrã corpore & sanguine Christi vesci, vt & anima de Deo saginetur: & in hac opera, vt ille vocat, corpus & animam coniungi: posterius ex primo aduersùs Marcionem libro est, quo asseuerat Christum corpus suum pane repræsentâsse &c. pręter hæc, inquam, eius viri testimonia, quędam illius adhuc alia ex locis alijs depromã, quę vsq; eò sint clara & illustria, vt nemo vllam eis possit caliginem offundere.

Libro de Oratione docet, vt ea Dominicæ orationis verba, Panẽ nostrum

nostrum quotidianum da nobis hodiè, non de vsitato terrestri pane, sed spiritaliter potiùs de ipso Chro intelligere debeamus, *Christus enim*, inquit, *panis noster est, quia uita Christus, quandoquidem ipse dicit, Ego sum panis uitæ*: Simul innuens, hac precatiúcula petere nos debere, vt Christi Domini in V. Sacramēto participes efficiamur: *Corpus eius*, inquit, *in pane cēsetur: siquidē ipse Dominus ait*, HOC EST CORPVS MEVM. quibus hoc proculdubiò sibi vult, censere nos planeq; persuasum habere ex memoratis Dñi verbis, sub specie panis verũ esse corpus Christi. Mox enim subiungit: *Itaq; petendo panē quotidianũ, perpetuitatem postulamus in Christo, & indiuiduitatem à corpore eius.* quæ de sanctissimi Sacramenti efficacia eundem ferè in modum dicta sunt, vt ab Irenæo, sicutì loco suo videri licet. Iohan. 6. Eucharistiam sumēdo, perpetuitatē in Christo expetimus, & nē ab illius corpore separemur.

Deindè in fine libri huius, vbì de Christianarum stationũ diebus agit, scribit his verbis: *Similiter de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interueniendum, quòd Statio soluēda sit accepto corpore Domini*. (quod equidē intelligēdũ puto, posteaq̃ Diaconus qoqulo discedēdi copiã fecit, dicēs: Ite, Missa est.) *Ergò deuotum Deo obsequiũ Eucharistia resoluit, an magis Deo obligat? Nónne solennior erit Statio tua, si & ad arā Dei steteris? Accepto corpore Domini & reseruato, utrunq; saluum erit, & participatio sacrificij, & executio officij*, (Stationis videlicet, vt ego arbitror). Cùm enim olim fierent Stationes ad oratoria & sepulturas martyrum, verisimile est eos ante meridiem indè non recessisse, & fortassìs etiam ad vesperam vsque ieiunos permansisse, atq; ea re dixisse Tertullianum, acceptũ Christi corpus (quod alioquì vtplurimùm ad tertiam diei horam & conficiebatur, & distribuebatur) nihil obfuturum Stationi, quò minùs illud ad ad finem vsq; stationis & sumeretur, & reseruaretur: atque ità pariter & communioni, & stationi fieret satìs: quanquàm locus hic obscurus est, quòd nos vetusti moris haud planè exactam notitiam habeamus. Stations apud veteres. Ite, Missa est. Eucharistia Deo nos obligat: & corpus Christi, sacrificiũ altaris, ex ara accipimus. Eucharistiæ asseruatio. Thelesphor. c. Nocte. de consec. Dist. 1.

Et hîc igitur videmus, vt Tertullianus suorũ temporũ Christianos adhortatus sit, nè statiõum diebus Eucharistię sumptionē intermitterent, quòd Eucharistia Deo nos obliget, & in ea accipiamus ab

ara corpus Domini,& sacrificij altaris participes reddamur &c. Quibus ille verbis satis superq; testatū efficit,in Eucharistia Christi corpus substantialiter adesse:præsertim quandò non sumpti duntaxat, sed etiam reseruati corporis Christi mentionem facit. Vt verò eiusmodi asseruatio illius ætate in vsu fuerit,posteà audiemus.

Luc. 15. Libro quoquè de pudicitia,quo illū de prodigo filio ex Luca tractat locum, ità habet:*Ille princeps huius æui præfecit eum* (filiū prodigum)*porcis, ut familiare id dæmonum pecus pasceret, ubi nec illi compos esset uitalis esca,simulq; alios uideret in opere diuino abundantes pane cælesti.Recordatur patris Dei, satisfacto redit*(nēpè per pœnitentiam)*uestem pristinam recipit,statum scilicet eum,quem Adam transgressus amiserat.Anulum quoquè accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ità exindè opimitate Dominici corporis uescitur*,Eucharistia scilicet.Hæc Tertullianus.En hîc quoquè audimus eum sanctissimum sacramentum vitalem escam,panem cælestem & opimitatem Dominici corporis appellare.Hæc enim omnia tribuit Eucharistię,cuius nos perceptione & participatione eundem testatur recuperare statum,quem ante Adami lapsum obtinuerimus.

Matt. 8. Mar. 5. Luc. 8.

Libro etiam 2.ad Vxorem,vbi eam accuratè hortatur, nè ipso defuncto alteri nubat, maximè gentili,huius eam potissimùm adfert rationem,nè corpus Christi, quòd tum ea nihilo seciùs libenter esset perceptura,ex mariti eius incredulitate contumeliam accipiat. *Non sciet*,inquit, *maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes*.Et si sciuerit panem,non illum credet esse qui dicitur,id est,corpus Christi, & panem cæleste,qui ex Dei vocatione,vt Irenæus ait,Christi corpus effectus est,& à fidelibus Christi corpus & dicitur & censetur.Quod aūt dicit, *Quid secretò ante omnem cibum gustes*,id nimirùm pro illorum temporum Ecclesiastico more intelligendum est. Tum enim Episcopi & presbyteri celsissimum Sacramentum religiosis probatisq; Christianis interdùm in mundo quodam panno lineo vel munda arcula ex altari secum domum absportandum dare solebant:vt illo ijs præsertim tēporibus,quandò vel ob imminētes gentiliū sæuas persecutiones,vel alijs de causis nullum publicitùs in Ecclesia sacrificium fieret,neq; Christiani cœtus agerētur,domi suæ pro sua quisque

Ethnicis incredibile visum est, Christum nobis in V. Sacramēto præbere corpus suū:qui tamen figuræ facilè fidē cōmodâssent.

quę deuotione ante omnem alium cibum communem frui possent. Qua de re illo quoquè libro, cui de Corona militis titulũ fecit, scribit hunc in modum: *Eucharistiæ sacramentum & in tempore uictûs, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus.* Quibus ille indicat, religiosos eorũ temporum Christicolas Eucharistiam accipere cõsueuisse, interdùm, idque vt plurimùm, modò adesset opportunitas, in Christianis cœtibus, interdùm quoquè intra domesticos parietes ante prandiũ, cùm non liceret publicos celebrare cœtus, quos ea tempestate ob immanissimas tyrannorum persecutiones etiam ante lucem nonnunquàm inire solebant.

Ex his ergò duobus iam recitatis locis perspicuè licèt animaduerti, gentiles credere non potuisse, Christianos in Eucharistia accipere id quod ea dicitur, hoc est, verum corpus Christi: itemq; Eucharistiã non nisi de præsidentium, id est, sacerdotum manibus sumptam esse, deniquè eam aliquandiù reseruari consueuisse.

Ad extremum lib. de Idololatria in quosdam Christiani nominis professores acerrimè inuehitur, qui sculpendi arte præditi, temporarij cuiusdam lucri & commercij causa Ethnicis idola effingebant. Vtitur autem oratione eiusmodi: *Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens, Christianum ab idolis in Ecclesiam uenire, de aduersaria officina in domum Dei uenire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum, his manibus adorare quæ foris aduersus Deum adorãtur, eas manus admouere corpori Domini,* (Rursus hîc loquitur pro supradicta suorum temporum consuetudine) *quæ dæmonijs corpora conferunt.* Prosequitur indè eã querimoniam, quòd hoc crimine non solùm quidã è vulgo, sed etiam nonnulli Ecclesiarum pręfecti sese obstrinxissent. *Adleguntur,* inquit, *in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Prô scelus. Semèl Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidiè corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ. Viderint iam, an per similitudinem dictum sit, Si te manus tua scandalizat, amputa eam. Quæ magis amputandæ, quàm in quibus Domini corpus scandalizatur?* Hucusquè Tertullianus: Vbi ille Eucharistiam rursus Christi corpus vocat, neque

Qui illicita sectantur cõmercia, & nihilo minùs Christi corpus accipiũt, nõ minori se

neque

obstringunt scelere, quo Iudæi, qui illud crucifixerũt.

neque id aliud sanè, quàm quod Iudęi cruci affixerunt: atq; ea causa pro illius iudicio, eos qui indignè illud accipiant & lacessant, vt ipse loquitur, non minori dignos supplicio, atquè Iudæos, qui illud crucifixerunt. Quæ certè ad meram figuram nulla possunt ratione accommodari. Equidem mihi persuadeo, pijs quibusque lectoribus cuncta hæc Testimonia, quantùm ad Tertulliani certam de veritate corporis Christi in Sanctissimo Sacramento sententiam perdiscendam attinet, abundè sufficere. Itaq; ad Origenem nostra procedet oratio.

ORIGENIS ADAMANTII PRESBYTERI TESTIMONIA.

CAP. 40.

Origenes, qui non ità longè à Tertulliano clarus extitit, diemq; suum obijt sub Valeriano & Galieno Imperatoribus, Anno Domini 261. consimilia tribuit testimonia verę corporis & sanguinis Christi pręsentię in venerabili Eucharistiæ Sacraméto. Homilia 7. in Numeros hęc eius verba legũtur: *Anteà in ænigmate (i. in figura) fuit baptismus in nube & in mari, nunc autem in specie regeneratio est in aqua & in Spiritusancto. Tunc in ænigmate erat manna cibus, nũc autem in specie caro uerbi Dei est uerus cibus, sicut & ipse dicit: Quia caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Sic ergò iam nunc Moses apud nos positus, & huic Aethiopissæ coniũctus, uel ipse ad nos, uel Deus ad ipsum nõ loquit in ænigmate, sed in specie.* In qua sententia allusit Origenes ad ea Apostoli verba, quæ sunt ad Hebræos 10. cap. nempè, legem habuisse vmbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerũ. Itaq; sacramenta veteris Testementi ceu vmbram confert cum sacramentis nouę legis, quę ipsam rei veritatem contineant: priscumq; illum Mosen cum eius Aethiopissa, qui omnia in ænigmate & figura locutus sit, cum nostro Mose, i. Christo & eius Aethiopissa, hoc est, catholica Ecclesia, qui non ænigma, sed rẽ ipsam exhibeat. Sub Mose, inquit, baptismus fuit, sed in ænigmate dũtaxat, rubro mari & nubis colũna baptismũ tantùm pfigurãtibus. Sub Christo autem in specie, id est, rei veritate est baptisma, cui certò psens adest Spiritusſãctus, per quẽ nos in aqua re vera regeneramur. Sub

Exod. 14.

1. Cor. 10.
Exo. 16.
Iohan. 6.

Collatio Sacramentorũ priscæ legis, ceu vmbrarũ, cũ sacramentis noui Testamenti, tãquàm res ipsas continentibus.

Sub Mose typicum manna fuit, sed Christus (ait) pollicetur Iohan. 6. daturum se nobis, vt etiam dat, in sacrosanctà cœna sua corpus & sanguinem suum in verum cibum: nec porrò in ænigmate ad nos loquitur, sicuti Moses, sed in rei veritate: adeò vt illa eius verba, *Hoc est corpus meum*, non iam tropicè vel figuratè, vt Mosis verba, sed verè & substantialiter accipienda sint, videlicet adesse illic veram carnem & sanguinem eius, quandoquidem neque ille ad nos, neque Deus ad illum deinceps in ænigmate, sed in specie & ipsa rei veritate loquatur.

Christus in sacrosancta cœna sua non loquitur nobis ænigmaticè, sed in ipsa rei veritate.

Qui verò potuisset Origenes hac de re loqui euidentiùs? vt qui hoc loco, sicut & alijs multis, verum Christi corpus appellat carnem verbi Dei, id est, carnem quam Christus sempiternum Dei verbum, in sua incarnatione assumpsit, & suam propriam fecit carnem, dicente Iohanne 1. cap. Verbum caro factum est. Vndè etiam Homilia 9. in Leuitici cap. 16. scribit hunc in modum: *Non hæreas in sanguine carnis, sed disce potiùs sanguinem uerbi, & audi ipsum tibi dicentem, quia hic sanguis meus est, qui pro uobis effundetur in remissionem peccatorum.* Nouit *qui mysterijs imbutus est*, (sacroq; tinctus Baptismate) *& carnem & sanguinē uerbi Dei. Non ergò moremur in his, quæ & scientibus nota sunt, & ignorantibus* (id est, ijs qui nec mysterijs imbuti, nec vndis salutaribus expiati sunt) *patère non possunt.* Immò hac de causa more suo allegorico Homil. 35. in cap. 26. Matthæi, sanctissimum Sacramentū vocat verbum nutritorium animarum. Eius verba adscribimus: *Panis iste*, inquit, *quem Deus uerbum, corpus suum esse fatetur, uerbum est nutritorium animarū, uerbū de Deo uerbo procedens, & panis de pane cælesti, qui positus est super mensam, de qua scriptum est: Præparâsti in conspectu meo mensam aduersùs eos qui tribulant me.* Quib⁹ verbis nihil ille de veritate corporis detrahit, vti nec Christus vbi ait, *Verba q̄ ego locut⁹ sum vobis, Spiritus & vita sunt. Spiritus est qui viuificat, caro nō prodest quicquā*, scilicet, p se sola, & si eo modo percipiat, quo putabant increduli Capernaitæ esse sumendam, vt est suprà in XIII. scripturæ testimonio declaratum, & posteà latiùs declarabitur.

Caro & sanguis verbi Dei.

Psal. 22.

Iohan. 6.

Nec tamen à vero alienum est, Origenem interdùm Domini verbum, doctrinam & prædicationem, nuncupare spiritalem sanguinē,

Origenes eã comestionem & potationẽ, quæ fit p fidẽ in verbũ Dei, distinguit à pceptiõe corporis & sanguinis Christi in V. Sacramento.

quem fide potemus ob animarum nostrarum vitam seruandã tuendamq;. At nihilo minùs distinguit ille eiusmodi sanguinẽ allegoricũ, qui fide duntaxat hauriatur, ab eo sanguine, quem credentes in sanctis. Sacramento bibunt: qui quid sit, vt ipse ait, soli nôrunt mysterijs imbuti & initiati. Quæ illi causa fuit in suis Homilijs ab vlteriori huius, qui in Sacramento adest, sanguinis declaratione abstinendi, nè sublimia tanti Sacramenti mysteria incredulis innotescerent: cùm tamen etiam propalàm illo de potu, qui nobis in Dei verbo per fidem porrigitur, prolixè loquatur. Homilia XVI. in Numeros his vtitur verbis: *Bibere autem dicimur sanguinem Christi, non solùm Sacramentorum ritu, sed & cùm sermones eius recipimus.*

Vbi perspicuũ est, expressis verbis secernere eũ potationẽ sanguinis Christi in V. Sacramento, quã soli initiati, id est, baptizati nouerunt, ab ea doctrinæ Christi potatione, q̃ per fidẽ tantùm fit pro spiritali quadã animę refocillatione: de qua primò quidem Moses, deindè verò etiam Dñs ipse sic locutus est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod pcedit de ore Dei. Sed agè prolixiora quædam, magisq; luculenta ex Origene testimonia proferamus.

Deut. 8. Matth. 4.

Homilia XIII. in Exodũ, qua Christianos omnes magnoperè hortatur, nè verbum Dei, quod semèl animo receperint, rursus indè excidere patiantur, hac ille oratione vtitur: *Volo uos admonere religionis uestræ exemplis: nôstis qui diuinis mysterijs interesse consuêstis, quomodò cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & ueneratione seruatis, nè ex eo parum quid decidat, nè consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim uos creditis, & rectè creditis, si quid indè per negligentiam decidat. Quòd si circa corpus eius cõseruandũ tãta utimini cautela, & meritò utimini, quõ putatis minoris esse piaculi uerbũ Dei neglexisse, quàm corpus eius?*

Ab Ecclesiæ exordio Christiani in Eucharistiæ honoré & reuerentiã ingẽti cura pseuebant, nè quid indè in terrã decideret: & si quis id neglexisset, eũ animaduersione dignam admisisse culpã sentiebãt.

Hac autem exhortatione post Origenẽ etiam Augustinus vsus est Homilia XXV. & recitatur in c. Interrogo vos. 1. q. 1. Quæ quidẽ si ità vt par est, expendaĩ, potest esse documento, à primis iam indè Ecclesiæ incunabulis apud Christicolas omnes nõ leuem eam fuisse culpã, si cuiusquam incuria vel parũ aliquid celsissimi Sacramenti in terrã dilabi contigisset: eamq; culpã, vtpotè quę negligentes & incuriosos, dominici corporis reos efficeret, pœna mulctatam fuisse, quam

sanè

ſanè Pius eius nominis primus Pontifex Romanus & martyr Chriſti conſtituit & expreſſit, vti in ſequẽtibus articulis docebimus. Vndè porrò conſequitur, Catholicam Chriſti Eccleſiam hoc ipſo teſtatum ſatis effeciſſe, ſe ſanctiſſimum Sacramentum non alio, quàm Chriſti corporis loco ſemper habuiſſe. Quod nimirùm ſi Aduerſarij noſtri itidèm ſibi perſuaſum & indubitatum haberent, neutiquàm illi ſuum Sacramentum, quod extra ſumptionem nullo in precio vel honore habent, tam impiè tractarent, nec pedibus cõculcarent ſuis, nec tanq̃ rem nullius precij horrendum in modũ profunderent, q̃ tamen apud illos crebrò fiunt. Videmus prætereà hoc loco Origené vt minimùm ter V. Sacramentũ Chriſti corp', diuinaq; myſteria, quæ rem quandam diuinam in ſeipſis contineant & conferant, appellare.

Aduerſariorũ impietas.

Ad hæc Homilia XIII. in Leuiticum, duodecim propoſitionis panes cum Euchariſtia confert, ità dicens: *In duodecim panibus duodecim tribuum Iſrael uidetur cõmemoratio ante Dominũ fieri, & præceptũ dari, ut ſinè ceſſatione iſti duodecim panes in conſpectu Domini ꝓponantur, ut & memoria duodecim tribuũ apud eum ſemper habeatur, quô ueluti exoratio quædam & ſupplicatio per hæc pro ſingulis fieri uideatur. Sed parua ſatìs & tenuis eſt huiuſmodi intercesſio. Sed ſi referantur hæc ad myſterij magnitudinem, inuenies commemorationẽ iſtam habere ingentis propiciationis effectum: ſi redeas ad illũ panem, qui de cælo deſcendit, & dat huic mundo uitam: illũ panem propoſitionis, quem propoſuit Deus propiciationẽ per fidem in ſanguine eius: & ſi reſpicias ad illam cõmemorationem, de qua dicit Dominus: Hoc facite in meam cõmemorationem, inuenies quòd iſta eſt cõmemoratio ſola, quæ propicium faciat hominibus Deum. Si ergò intentiùs Eccleſiaſtica myſteria recorderis, in his quæ lex ſcribit, futuræ ueritatis inuenies imaginem præformatam, &c.*

Panes ꝓpoſitionis verum Chriſti corpus in Euchariſtia ſignifcãrunt.
Iohan 6.
Rom. 3.
Cõmemorationẽ altaris ſacrificiũ. Deum hominibus cõciliat.

En vt hoc loco panes propoſitionis Iudæorũ, Origenes vix paruę & tenuis figuræ loco habeat, ſi cum Euchariſtia componantur, cùm tamen illi ipſi panes non minùs fuerint ſpectabiles, ſi quidem Euchariſtia non niſi figura eſſet corporis Chriſti. At eam Origenes dicit homini Deum propicium efficere, quòd nemo rectè figuræ tribuerit. Immò verò diſtinguit ille Eccleſiaſtica (hoc eſt, noui Teſtamenti) myſteria ab illis prioris inſtrumenti myſterijs, haud ſecùs

atquè veritatem & lucem à figura & vmbra. Adhibet autem eò etiam Pauli institutionem, præcipientis vt vnusquisque sese probet, & sic de pane illo edat, &c. Additq; causam, quòd sint sancta sanctorum. *Vides, inquit, quomodò non dixit sancta tantummodò, sed sancta sanctorum, ut si diceret: Cibus iste sanctus, non est communis omnium, nec cuiuscunq; indigni, sed sanctorum est*, id est, probatorum, religiosorumq; ac Dei amantium Christianorum.

1 Corinth. 11. Eadem Homilia.

Eucharistiam Origenes vocat sancta sanctorum.

Item Homilia 2. in Iesum filium Naue, sic habet: *Cùm uideris gentes introire in fidem Ecclesiæ, extrui altaria, non cruore pecudum respergi, sed precioso Christi sanguine cōparari: cùm uideris sacerdotes & Leuitas non sanguinem hircorum & taurorum, sed uerbum* Dei (id est, Christum) *per Spiritussancti gratiā ministrantes, tunc dicito, quia Iesus post Mosen suscepit & obtinuit principatū, non ille Iesus filius* Naue, *sed* IESVS *filius* Dei. Vbi sanè rursus in aperto est, sanguinem veteris Testamenti non alio quàm figuræ loco eum habere, collatum sanguini Christi, ceu ipsi rei & veritati, quo nostrum altare comparetur siue præparetur: itemque ministrationem verbi Dei non solùm prædicationem, sed etiam corporis Christi in V. Sacramento administrationem suo illo quem antè diximus, dicendi more eum velle accipi.

Sanguis veteris Testamenti, typū gessit sanguinis Christi in Eucharistia.

Atque nè quis hac in parte de eius sententia ambigendi relinquatur locus, Homilia 5. in diuersos Euangelij locos, in ea Centurionis verba, quæ apud Matthæū 8. capite legūtur, *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum*: ità scriptum reliquit: *Quandò sanctū cibū, illudq; incorruptū accipis epulū, quandò uitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem* Domini, *tunc* Dominus *sub tectum tuum ingreditur*, &c.

Eucharistia, panis vitæ.

Qua ille ratione apertiùs indicare potuisset, in Eucharistia verum nos Christi corpus, immò Dominum ipsum perfectè ac integrè ore simul & corde accipere? Vocat Eucharistiam panem vitæ, vti etiam in sanctiss. Missæ Canone de diuinis illis altaris donis, his verbis vtimur ad Dominum: *Per quem* (Christum) *hæc viuificas*, &c. itemque, *Panem sanctum vitæ æternæ* &c. quæ quidem de figura dici non possunt, quemadmodùm superiùs in Tertulliani prima allegata sententia fusiùs explicatum est.

Deniquè, libro contra Celsum octauo scribit hunc in modum: *Quocirca Celsus, ut Dei ignarus, gratias dæmonibus reddat: nos uerò conditori rerum morem gerentes, pro eius collatis in nos beneficijs ubi & gratias diximus, oblatis panibus uescimur, qui utiquè ex oratione & precibus in sanctius quoddā corpus conflantur, quod sanè sanctiores hos reddit, qui mente integriore hoc ipso utantur.* *Placet prætereà Celso, ut & primitiæ dæmonibus offerantur: nos uerò iubenti illi, Germinet terra herbam uirentem, afferentem semen iuxta genus suum & speciem suā, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen in seipso secundùm genus suū in terra, oblaturi primitias sumus. Vbi uerò has obtulerimus, huic & uota submittimus: pontificē nacti ut magnum, ità & cælum pertranseuntem, Iesum filium Dei, spei nostræ teneamus, quandiù superstites sumus, confeßionē, cùm sint erga nos, cùm Deus, tum eius filius, clementiores, qui utiquè Deus in Iesu nobis innotuit.* Eodem libro docens, vti nos erga Deum, per quem & conditi sumus, & cuius prouidentia ducimur, gratos nos declarare debeamus opperiendo quæ ab illo sperātur, ità ait: *Panis prætereà Eucharistiæ ille, bona gratia nuncupatus, argumento est nobis, quemadmodùm gratias Deo agamus.*

Oblatus panis efficitur corpus Christi, sanctificās ipsum sumētes.

Gen. 1.

Hebr. 4.

Eucharistia, bona gratia.

Audimus hic Origenē V. Sacramētum nuncupare primitias, quas Deo offerimus, cuius iussu terra germinat herbam virentem, & fructum adfert: idq; nos facere, quòd Iesum nacti simus pontificem, cælos penetrantem. Itemq; eam oblationem esse corpus sacratissimum, quod ex oblatis panibus per orationē & preces confletur & conficiatur: atq; illud ipsum corpus sanctiores efficere ipsum sumentes: deniquè nuncupari bonā gratiam, hauddubiò, vt D. Bernardus ait, ob excellentiam gratiæ in illo contentæ: siquidem in illo totius gratiæ fons porrigitur & sumitur.

Sermone in cœna Domini.

Verùm hîc iam Origenis testimonijs finis esto, atq; à Tertulliano & eodem ipso Origene, ad sanctissimos Episcopos, Cyprianū etiam martyrio illustrē, qui Tertullianum suum solitus est appellare magistrum, & Athanasium Alexandrinum, præclarissimū catholicæ Ecclesiæ heroem, nos conferamus.

SANCTI MARTYRIS ET EPISCOPI CYPRIANI TESTIMONIA.

CAP. 41.

DIuus Cyprianus sub Valeriano claruit, & Christi causa sanguinem suum fudit, anno salutis 249: idemq; realem & verã Christi in V. Sacramento præsentiã præ patribus hactenùs allatis euidentiùs asserit. Et primò quidẽ hæc eius sententia est in Sermone de cœna Dñi: *Panis iste, quẽ Dominus discipulis porrigebat, nõ effigie, sed natura mutatus, omnipotẽtia uerbi factus est caro: & sicut in persona Christi humiliatus uidebatur, & latebat diuinitas, ità Sacramento uisibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.*

Omnipotencia Dei, panis in corpus Christi natura mutatur.

Hiscè verbis clarissimè docet vir sanctus, Eucharistiæ V. Sacramẽtum, vtì & cætera Sacramenta, his duobus constare, nempè, externa specie quæ permaneat, & interna occultaq; re Sacramenti, quam species externa designet, id est, vera Christi carne, in quam panis non effigie, sed natura mutatus sit. Immò sicut ipse ait, non est hîc simplex quædam vel nuda caro, sed caro Christi cum diuinitate coniuncta, adeoq; certò nos credere debere Christi diuinitatem simul cum humanitate in hoc adesse V. Sacramento, vt sunt in ipsa Christi persona.

In V. Sacramẽto est Christus Deus & homo.

Aduersarij mirè hîc se torquent, vt aliquam possint cõminisci interpretatiunculam, qua tum hanc, tum eius generis alias sanctorum Patrum de panis in Christi corporis substantiam mutatione authoritates apud imperitos eleuent. Verùm quandò illi Cypriani hæc verba, *Non effigie, sed natura mutatus*, corrumpere ac deprauare non possunt, nouam illi mutationem commenti sunt, quam sacramentalem mutationem appellãt, cuius tamen nulla vsquàm apud Patres mentio fit. Eam verò illi eiusmodi esse volunt, qua panis cõmunis verbis cœnæ, & fide sumentis vel communicantis nõ nisi sacramentaliter mutetur, ità vt iam solis illis, qui eum accipiant, non communis, sed symbolicus panis sit, per quem in Dominici corporis, vt scilicet illud pro nobis datũ sit, memoriam redeant, sicque in fide illud pcipiant.

Sacramẽtalis mutatio, quã hæretici adferunt, cuiusmodi sit.

Atquì non parùm ego, Deo teste, admirari soleo homines istos sibi persuadere, se hoc alijsq; eiusdem farinæ planè absurdis somnijs suis toti orbi caliginem posse offundere. Nam quæ illa transmutatio est, vbì rei alicui duntaxat affingitur, quòd quippiã significet? Agnus quidem Christum designat, sed ea causa neq; in sua natura, neque in vlla naturæ suæ proprietate mutatus est. Hîc verò Cyprianus, & alij qui sequuntur Patres, vna omnes voce asserunt, panem nõ effigie, sed

Nõ ppterea fit rei alicuius in seipsa mutatio, quòd p signo adhibetur.

natura

natura mutari in carnem Christi. Cui autem obscurum sit, (qui tamē vel tenui horum sit notione imbutus, hæcq; secum ipse expendat) Sacramentum hoc, sicut & cætera, duobus (vt suprà dictum est) constare, putà, specie externa, quæ propriè Sacramentum dicitur, id est, sacrum signum: itemq; re inuisibili ac latente, sub externa specie contenta, quæ est corpus Christi, & patribus dicitur res Sacramenti. Non potest autem mutatio illa, de qua Patres loquuntur, propriè referri ad externum Sacramentum, id est, externum sacrū signum, vtì Aduersarij somniant: ea enim non esset vera mutatio: sed ad rem ipsam sub externo sacro signo contentam referri eam necessè est, vt hic audimus Cyprianum dicentem, Panem nō effigie, id est, secundùm externam speciem, sed natura mutari in carnē Christi. Sed de his posteà fortassis vberiùs.

Sacramenta omnia duobus constat. Sacramentum. Res Sacramenti.

Atq; vt Cypriani vera certaq; mens & sententia magìs elucescat, eodem Sermone non longè ante verba memorata, V. Sacramentum ceu ipsam rem & veritatē, tum agno paschali seu paschati, tum etiam Melchisedech & patrum cibis tanquàm vmbris opponit, ità scribens: *Cœna itaq; disposita, inter sacramentales epulas obuiârunt sibi instituta antiqua & noua, & consumpto agno, quem antiqua traditio pponebat, inconsumptibilē cibū Magister opponit discipulis: nec iam ad elaborata impensis & arte cōuiuia populi inuitantur, sed immortalitatis alimonia datur, à cōmunibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciē, sed uirtutis diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiam. Significata olim à tēpore Melchisedech prodeunt Sacramēta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius, summus sacerdos panē profert & uinū:* Hoc est, inquit, *corpus meum. Man ducauerant & biberant de eodem pane secundùm formā uisibilem, sed ante uerba illa cibus ille cōmunis tantùm nutriendo corpori cōmodus erat, & uitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo à* Domino *dictū est,* HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, *Hæc est caro mea, Hic est sanguis meus, quotiescunquè his uerbis & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis uitam salutemq; proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.* Hæc ille.

Eucharistia, cibus inconsumptibilis. Alimonia immortalitatis. Virtus diuina in V. Sacramento est inuisibiliter. Vi consecrationis, panis in corpus, & vinū in Christi sanguinem transfertur.

Hic

putabat exactam & absolutam diligentiam in uerbis deligendis adhibere, sed alicubì etiam concedere moribus eius qui inducitur, ut nè reluctetur ad principalissima. Hæc ille. Vt ergò Gregorius Neocæsarieñ dictione Hypostasi in suscepto cōtra ethnicum certamine secùs vsus est, quàm quisquam patrum cæterorum, vbì religiōis dogmata tradunt, quippe qui vno omnes ore affirment in sacrosancta Trinitate nō nisi vnā οὐσίαν, id est, substātiam, & tres ὑποστάσεις, id est, personas esse: ità & Tertullianus hoc loco aduersùs Marcionem eiusmodi quandam verborum Christi interpretatiōem explicauit, qualem nullus vnquàm Patrum protulerit, Sacramentum sanctissimum figuram vocans: quanquàm, quod suprà diximus, non eo pacto figurā appellat, quales fuère veteris Testamenti figuræ, id est, vmbræ duntaxat rerum futurarum: sed vt Sacramenta nouæ legis secundùm externam speciem figuræ & signa sunt præsentis veritatis sub illis in mysterio latentis & velatæ. Quò fit, vt meritò quoquè Mysteria dicantur, quādò sub externis conspicuis signis res diuina inuisibilis, sed præsens tamen verè & realiter continetur: sicut & Tertullianus ipse veram illam inuisibilem celsissimi Sacramenti rem & veritatem simul apertè indicat, dicens, Dominum acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illū fecisse: itemq;, Christum actu ipso declarâsse, quid olim in Ieremia panis significârit: & alibì, Christum reuelâsse, id est, velamen remouisse, panem corpus suum appellans: deniquè, sanguinem suum in vino consecrâsse, & calicem sanguinis noui Testamenti esse obsignationem.

Sacramēta nouæ legis figuræ sunt præsentis rei diuinæ sub ipsis contentæ ac velatæ: veteris autē legis sacramenta nō nisi rerū futurarum vmbræ sunt & figuræ.

Verùm enimuerò vt Tertulliani de V. Sacramento sana sententia nemini possit esse ambigua, equidem præter hoc præsens, & duo alia iam antè prolata illius testimonia, quorum prius est ex libro de Resurrectione carnis, quo ille, vt dictum est, asserit carnem nostrā corpore & sanguine Christi vesci, vt & anima de Deo saginetur: & in hac opera, vt ille vocat, corpus & animam coniungi: posterius ex primo aduersùs Marcionem libro est, quo asseuerat Christum corpus suum pane repræsentâsse &c. prĕter hæc, inquam, eius viri testimonia, quędam illius adhuc alia ex locis alijs depromā, quę vsq; eò sint clara & illustria, vt nemo vllam eis possit caliginem offundere.

Libro de Oratione docet, vt ea Dominicæ orationis verba, Panē nostrum

nostrum quotidianum da nobis hodiè, non de vsitato terrestri pane, sed spiritaliter potiùs de ipso Chro intelligere debeamus, *Christus enim*, inquit, *panis noster est, quia uita Christus, quandoquidem ipse dicit, Ego sum panis uitæ*: Simul innuens, hac precatiúcula petere nos debere, vt Christi Domini in V. Sacramẽto participes efficiamur: *Corpus eius*, inquit, *in pane cẽsetur: siquidẽ ipse Dominus ait*, HOC EST CORPVS MEVM. quibus hoc proculdubiò sibi vult, censere nos planeq; persuasum habere ex memoratis Dñi verbis, sub specie panis verũ esse corpus Christi. Mox enim subiungit: *Itaq; petendo panẽ quotidianũ, perpetuitatem postulamus in Christo, & indiuiduitatem à corpore eius.* quæ de sanctissimi Sacramenti efficacia eundem ferè in modum dicta sunt, vt ab Irenæo, sicutì loco suo videri licet.

Iohan. 6.

Eucharistiam sumẽdo, perpetuitatẽ in Christo expetimus, & nẽ ab illius corpore separemur.

Deindè in fine libri huius, vbì de Christianarum stationũ diebus agit, scribit his verbis: *Similiter de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interueniendum, quòd Statio soluẽda sit accepto corpore Domini.* (quod equidẽ intelligẽdũ puto, posteaq̃ Diaconus qoqulo discedẽdi copiã fecit, dicẽs: Ite, Missa est.) *Ergò deuotum Deo obsequiũ Eucharistia resoluit, an magìs Deo obligat? Nónne solennior erit Statio tua, si & ad arã Dei steteris? Accepto corpore Domini & reseruato, utrunq; saluum erit, & participatio sacrificij, & executio officij*, (Stationis videlicet, vt ego arbitror). Cùm enim olim fierent Stationes ad oratoria & sepulturas martyrum, verisimile est eos ante meridiem indè non recessisse, & fortasśis etiam ad vesperam vsque ieiunos permansisse, atq; ea re dixisse Tertullianum, acceptũ Christi corpus (quod alioquì vtplurimùm ad tertiam diei horam & conficiebatur, & distribuebatur) nihil obfuturum Stationi, quô minùs illud ad ad finem vsq; stationis & sumeretur, & reseruaretur: atque itá pariter & communioni, & stationi fieret satìs: quanquàm locus hic obscurus est, quòd nos vetusti moris haud planè exactam notitiam habeamus.

Statiões apud veteres.

Ite, Missa est

Eucharistia Deo nos obligat: & corpus Christi, sacrificiũ altaris, ex ara accipimus.

Eucharistiæ asseruatio.

Thelesphor. c. Nocte. de consec. Distin. 1.

Et hîc igitur videmus, vt Tertullianus suorũ temporũ Christianos adhortatus sit, nè statiõum diebus Eucharistiç sumptionẽ intermitterent, quòd Eucharistia Deo nos obliget, & in ea accipiamus ab

ara corpus Domini,& sacrificij altaris participes reddamur &c. Quibus ille verbis satis superq; testatū efficit, in Eucharistia Christi corpus substantialiter adesse: præsertim quandò non sumpti duntaxat, sed etiam reseruati corporis Christi mentionem facit. Vt verò eiusmodi asseruatio illius ætate in vsu fuerit, posteà audiemus.

Luc. 15. Libro quoquè de pudicitia, quo illū de prodigo filio ex Luca tractat locum, ità habet: *Ille princeps huius æui præfecit eum* (filiū prodigum) *porcis, ut familiare id dæmonum pecus pasceret, ubi nec illi compos esset uitalis esca, simulq; alios uideret in opere diuino abundantes pane cælesti. Recordatur patris Dei, satisfacto redit* (nēpè per pœnitentiam) *uestem pristinam recipit, statum scilicet eum, quem Adam transgressus amiserat. Anulum quoquè accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ità exindè opimitate Dominici corporis uescitur,* Eucharistia scilicet. Hæc Tertullianus. En hìc quoquè audimus eum sanctissimum sacramentum vitalem escam, panem cælestem & opimitatem Dominici corporis appellare. Hæc enim omnia tribuit Eucharistię, cuius nos perceptione & participatione eundem testatur recuperare statum, quem ante Adami lapsum obtinuerimus.

Matt. 8. Mar. 5. Luc. 8.

Libro etiam 2. ad Vxorem, vbì eam accuratè hortatur, nè ipso defuncto alteri nubat, maximè gentili, huius eam potissimùm adfert rationem, nè corpus Christi, quòd tum ea nihilo seciùs libenter esset perceptura, ex mariti eius incredulitate contumeliam accipiat. *Non sciet*, inquit, *maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes.* Et si sciuerit panem, non illum credet esse qui dicitur, id est, corpus Christi, & panem cælestē, qui ex Dei vocatione, vt Irenæus ait, Christi corpus effectus est, & à fidelibus Christi corpus & dicitur & censetur. Quod aūt dicit, *Quid secretò ante omnem cibum gustes*, id nimirùm pro illorum temporum Ecclesiastico more intelligendum est. Tum enim Episcopi & presbyteri celsissimum Sacramentum religiosis probatisq; Christianis interdùm in mundo quodam panno lineo vel munda arcula ex altari secum domum absportandum dare solebant: vt illo ijs præsertim tēporibus, quandò vel ob imminētes gentiliū sæuas persecutiones, vel alijs de causis nullum publicitùs in Ecclesia sacrificium fieret, neq; Christiani cœtus agerētur, domi suæ pro sua quis-

Ethnicis incredibile visum est, Christum nobis in V. Sacramēto præbere corpus suū: qui tamen figuræ facilè fidē cōmodassent.

que deuotione ante omnem alium cibum communem frui possent. Qua de re illo quoquè libro, cui de Corona militis titulũ fecit, scribit hunc in modum: *Eucharistiæ sacramentum & in tempore uictûs, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus.* Quibus ille indicat, religiosos eorũ temporum Christicolas Eucharistiam accipere cõsueuisse, interdùm, idque vt plurimùm, modò adesset opportunitas, in Christianis cœtibus, interdùm quoquè intra domesticos parietes ante prandiũ, cùm non liceret publicos celebrare cœtus, quos ea tempestate ob immanissimas tyrannorum persecutiones etiam ante lucem nonnunquàm inire solebant.

Ex his ergò duobus iam recitatis locis perspicuè licèt animaduerti, gentiles credere non potuisse, Christianos in Eucharistia accipere id quod ea dicitur, hoc est, verum corpus Christi: itemq; Eucharistiã non nisi de præsidentium, id est, sacerdotum manibus sumptam esse, deniquè eam aliquandiù reseruari consueuisse.

Ad extremum lib. de Idololatria in quosdam Christiani nominis professores acerrimè inuehitur, qui sculpendi arte præditi, temporarij cuiusdam lucri & commercij causa Ethnicis idola effingebant. Vtitur autem oratione eiusmodi: *Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens, Christianum ab idolis in Ecclesiam uenire, de aduersaria officina in domum Dei uenire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum, his manibus adorare quæ foris aduersus Deum adorãtur, eas manus admouere corpori Domini,* (Rursus hîc loquitur pro supradicta suorum temporum consuetudine) *quæ dæmonijs corpora conferunt.* Prosequitur indè eã querimoniam, quòd hoc crimine non solùm quidã è vulgo, sed etiam nonnulli Ecclesiarum præfecti sese obstrinxissent. *Adleguntur,* inquit, *in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum.* Prô *scelus. Semèl Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidiè corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ. Viderint iam, an per similitudinem dictum sit, Si te manus tua scandalizat, amputa eam. Quæ magis amputandæ, quàm in quibus Domini corpus scandalizatur?* Hucusquè Tertullianus: Vbi ille Eucharistiam rursus Christi corpus vocat, neque

Qui illicita sectantur cõmercia, & nihilo minus Christi corpus accipiũt, nõ minori se

Sub Mose typicum manna fuit, sed Christus (ait) pollicetur Iohan. 6. daturum se nobis, vt etiam dat, in sacrosancta cœna sua corpus & sanguinem suum in verum cibum: nec porrò in ænigmate ad nos loquitur, sicuti Moses, sed in rei veritate: adeò vt illa eius verba, *Hoc est corpus meum*, non iam tropicè vel figuratè, vt Mosis verba, sed verè & substantialiter accipienda sint, videlicet adesse illic veram carnem & sanguinem eius, quandoquidem neque ille ad nos, neque Deus ad illum deinceps in ænigmate, sed in specie & ipsa rei veritate loquatur.

Christus in sacrosancta cœna sua non loquitur nobis ænigmaticè, sed in ipsa rei veritate.

Quî verò potuisset Origenes hac de re loqui euidentiùs? vt qui hoc loco, sicut & alijs multis, verum Christi corpus appellat carnem verbi Dei, id est, carnem quam Christus sempiternum Dei verbum, in sua incarnatione assumpsit, & suam propriam fecit carnem, dicente Iohanne 1. cap. Verbum caro factum est. Vndè etiam Homilia 9. in Leuitici cap. 16. scribit hunc in modum: *Non hæreas in sanguine carnis, sed disce potiùs sanguinem uerbi, & audi ipsum tibi dicentem, quia hic sanguis meus est, qui pro uobis effundetur in remissionem peccatorum.* Nouit *qui mysterijs imbutus est*, (sacroq; tinctus Baptismate) *& carnem & sanguinē uerbi* Dei. *Non ergò moremur in his, quæ & scientibus nota sunt, & ignorantibus* (id est, ijs qui nec mysterijs imbuti, nec vndis salutaribus expiati sunt) *patère non possunt.* Immò hac de causa more suo allegorico Homil. 35. in cap. 26. Matthæi, sanctissimum Sacramentū vocat verbum nutritorium animarum. Eius verba adscribimus: *Panis iste,* inquit, *quem Deus uerbum, corpus suum esse fatetur, uerbum est nutritorium animarū, uerbū de Deo uerbo procedens, & panis de pane cælesti, qui positus est super mensam, de qua scriptum est: Præparâsti in conspectu meo mensam aduersùs eos qui tribulant me.* Quib' verbis nihil ille de veritate corporis detrahit, vtì nec Christus vbì ait, *Verba q̄ ego locut' sum vobis, Spiritus & vita sunt. Spiritus est qui viuificat, caro nō prodest quicquā*, scilicet, p se sola, & si eo modo percipiat̄, quo putabant increduli Capernaitæ esse sumendam, vt est suprà in XIII. scripturæ testimonio declaratum, & posteà latiùs declarabitur.

Caro & sanguis verbi Dei.

Psal. 22.

Iohan. 6.

Nec tamen à vero alienum est, Origenem interdùm Domini verbum, doctrinam & prædicationem, nuncupare spiritalem sanguinē,

Origenes cū comestionem & potationē, quæ fit p fidē in verbū Dei, distinguit à perceptiōe corporis & sanguinis Christi in V. Sacramento.

quem fide potemus ob animarum nostrarum vitam seruandā tuendamq;. At nihilo minùs distinguit ille eiusmodi sanguinē allegoricū, qui fide duntaxat hauriatur, ab eo sanguine, quem credentes in sanctiss. Sacramento bibunt: qui quid sit, vt ipse ait, soli nôrunt mysterijs imbuti & initiati. Quæ illi causa fuit in suis Homilijs ab vlteriori huius, qui in Sacramento adest, sanguinis declaratione abstinendi, nè sublimia tanti Sacramenti mysteria incredulis innotescerent: cùm tamen etiam propalàm illo de potu, qui nobis in Dei verbo per fidem porrigitur, prolixè loquatur. Homilia XVI. in Numeros his vtitur verbis: *Bibere autem dicimur sanguinem Christi, non solùm Sacramentorum ritu, sed & cùm sermones eius recipimus.*

Vbi perspicuū est, expressis verbis secernere eū potationē sanguinis Christi in V. Sacramento, quā soli initiati, id est, baptizati nouerunt, ab ea doctrinæ Christi potatione, q̄ per fidē tantùm fit pro spiritali quadā animę refocillatione: de qua primò quidem Moses, deindè verò etiam Dn̄s ipse sic locutus est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod p̄cedit de ore Dei. Sed age prolixiora quædam, magisq; luculenta ex Origene testimonia proferamus.

Deut. 8. Matth. 4.

Homilia XIII. in Exodū, qua Christianos omnes magnoperè hortatur, nè verbum Dei, quod semèl animo receperint, rursus indè excidere patiantur, hac ille oratione vtitur: *Volo uos admonere religionis uestræ exemplis: nôstis qui diuinis mysterijs interesse consuêstis, quomodò cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & ueneratione seruatis, nè ex eo parum quid décidat, nè consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim uos creditis, & rectè creditis, si quid indè per negligentiam décidat. Quòd si circa corpus eius cōseruandū tāta utimini cautela, & meritò utimini, quō putatis minoris esse piaculi uerbū Dei neglexisse, quàm corpus eius?*

Ab Ecclesiæ exordio Christiani in Eucharistiæ honorē & reuerentiā ingēti cura p̄seuerabant, nè quid indè in terrā decideret: & si quis id neglexisset, eū animaduersione dignam admisisse culpā sentiebāt.

Hac autem exhortatione post Origenē etiam Augustinus vsus est Homilia XXV. & recitatur in c. Interrogo vos. 1. q. 1. Quæ quidē si ità vt par est, expendaē, potest esse documento, à primis iam indè Ecclesiæ incunabulis apud Christicolas omnes nō leuem eam fuisse culpā, si cuiusquam incuria vel parū aliquid celsissimi Sacramenti in terrā dilabi contigisset: eamq; culpā, vtpotè quę negligentes & incuriosos, Dominici corporis reos efficeret, pœna mulctatam fuisse, quam

sanè

ſanè Pius eius nominis primus Pontifex Romanus & martyr Chriſti conſtituit & expreſſit, vtì in ſequẽtibus Articulis docebimus. Vndè porrò conſequitur, Catholicam Chriſti Eccleſiam hoc ipſo teſtatum ſatìs effeciſſe, ſe ſanctiſſimum Sacramentum non alio, quàm Chriſti corporis loco ſemper habuiſſe. Quod nimirùm ſi Aduerſarij noſtri itidèm ſibi perſuaſum & indubitatum haberent, neutiquàm illi ſuum Sacramentum, quod extra ſumptionem nullo in precio vel honore habent, tam impiè tractarent, nec pedibus cõculcarent ſuis, nec tanquã rem nullius precij horrendum in modũ profunderent, quæ tamen apud illos crebrò fiunt. Videmus præterea hoc loco Origenẽ vt minimùm ter V. Sacramentũ Chriſti corp⁹, diuinaq; myſteria, quæ rem quandam diuinam in ſeipſis contineant & conferant, appellare. Aduerſariorũ impietas.

Ad hæc Homilia XIII. in Leuiticum, duodecim propoſitionis panes cum Euchariſtia confert, ità dicens: *In duodecim panibus duodecim tribuum Iſrael uidetur cõmemoratio ante Dominũ fieri, & præceptũ dari, ut ſinè ceſſatione iſti duodecim panes in conſpectu Domini proponantur, ut & memoria duodecim tribuũ apud eum ſemper habeatur, quò ueluti exoratio quædam & ſupplicatio per hæc pro ſingulis fieri uideatur. Sed parua ſatìs & tenuis eſt huiuſmodi interceſſio. Sed ſi referantur hæc ad myſterij magnitudinem, inuenies commemorationẽ iſtam habere ingentis propiciationis effectum: ſi redeas ad illũ panem, qui de cælo deſcendit, & dat huic mundo uitam: illũ panem propoſitionis, quem propoſuit Deus propiciationẽ per fidem in ſanguine eius: & ſi reſpicias ad illam cõmemorationem, de qua dicit Dominus: Hoc facite in meam cõmemorationem, inuenies quòd iſta eſt cõmemoratio ſola, quæ propicium faciat hominibus Deum. Si ergò intentiùs Eccleſiaſtica myſteria recorderis, in his quæ lex ſcribit, futuræ ueritatis inuenies imaginem præformatam, &c.* Panes propoſitionis verum Chriſti corpus in Euchariſtia ſignificàrunt. Iohan 6. Rom. 3. Cõmemoratoriũ altaris ſacrificiũ, Deum hominibus cõciliat.

En vt hoc loco panes propoſitionis Iudæorũ, Origenes vix paruç & tenuis figuræ loco habeat, ſi cum Euchariſtia componantur, cùm tamen illi ipſi panes non minùs fuerint ſpectabiles, ſi quidem Euchariſtia non niſi figura eſſet corporis Chriſti. At eam Origenes dicit homini Deum propicium efficere, quòd nemo rectè figuræ tribuerit. Immò verò diſtinguit ille Eccleſiaſtica (hoc eſt, noui Teſtamenti) myſteria ab illis prioris inſtrumenti myſterijs, haud ſecùs

atquè veritatem & lucem à figura & vmbra. Adhibet autem eò etiam Pauli institutionem, præcipientis vt vnusquisque sese probet, & sic de pane illo edat, &c. Additq; causam, quòd sint sancta sanctorum. *Vides, inquit, quomodò non dixit sancta tantummodò, sed sancta sanctorum, ut si diceret: Cibus iste sanctus, non est communis omnium, nec cuiuscunq; indigni, sed sanctorum est*, id est, probatorum, religiosorumq; ac Dei amantium Christianorum.

1 Corinth. 11. Eadem Homilia.

Eucharistiam Origenes vocat sancta sanctorum.

Item Homilia 2. in Iesum filium Naue, sic habet: *Cùm uideris gentes introire in fidem Ecclesiæ, extrui altaria, non cruore pecudum respergi, sed precioso Christi sanguine cōparari: cùm uideris sacerdotes & Leuitas non sanguinem hircorum & taurorum, sed uerbum Dei* (id est, Christum) *per Spiritussancti gratiā ministrantes, tunc dicito, quia Iesus post Mosen suscepit & obtinuit principatū, non ille Iesus filius Naue, sed IESVS filius Dei.* Vbi sanè rursus in aperto est, sanguinem veteris Testamenti non alio quàm figuræ loco eum habere, collatum sanguini Christi, ceu ipsi rei & veritati, quo nostrum altare comparetur siue præparetur: itemque ministrationem verbi Dei non solùm prædicationem, sed etiam corporis Christi in V. Sacramento administrationem suo illo quem antè diximus, dicendi more eum velle accipi.

Sanguis veteris Testamenti, typū gessit sanguinis Christi in Eucharistia.

Atque nè quis hac in parte de eius sententia ambigendi relinquatur locus, Homilia 5. in diuersos Euangelij locos, in ea Centurionis verba, quæ apud Matthæū 8. capite legūtur, *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum*: ità scriptum reliquit: *Quandò sanctū cibū, illudq; incorruptū accipis epulū, quandò uitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur*, &c.

Eucharistia, panis vitæ.

Qua ille ratione apertiùs indicare potuisset, in Eucharistia verum nos Christi corpus, immò Dominum ipsum perfectè ac integrè ore simul & corde accipere? Vocat Eucharistiam panem vitæ, vti etiam in sanctiss. Missæ Canone de diuinis illis altaris donis, his verbis vtimur ad Dominum: *Per quem* (Christum) *hæc viuificas*, &c. itemque, *Panem sanctum vitæ æternæ* &c. quæ quidem de figura dici non possunt, quemadmodùm superiùs in Tertulliani prima allegata sententia fusiùs explicatum est.

Deniquè, libro contra Celsum octauo scribit hunc in modum: *Quocirca Celsus, ut Dei ignarus, gratias dæmonibus reddat: nos uerò conditori rerum morem gerentes, pro eius collatis in nos beneficijs ubi & gratias diximus, oblatis panibus uescimur, qui utiquè ex oratione & precibus in sanctius quoddã corpus conflantur, quod sanè sanctiores hos reddit, qui mente integriore hoc ipso utantur. Placet prætereà Celso, ut & primitiæ dæmonibus offerantur: nos uerò iubenti illi, Germinet terra herbam uirentem, afferentem semen iuxta genus suum & speciem suã, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen in seipso secundùm genus suũ in terra, oblaturi primitias sumus. Vbi uerò has obtulerimus, huic & uota submittimus: pontificẽ nacti ut magnum, ità & cælum pertranseuntem, Iesum filium Dei, spei nostræ teneamus, quandiù superstites sumus, confessionẽ, cùm sint erga nos, cùm Deus, tum eius filius, clementiores, qui utiquè Deus in Iesu nobis innotuit.* Eodem libro docens, vti nos erga Deum, per quem & conditi sumus, & cuius prouidentia ducimur, gratos nos declarare debeamus opperiendo quæ ab illo sperãtur, ità ait: *Panis prætereà Eucharistiæ ille, bona gratia nuncupatus, argumento est nobis, quemadmodùm gratias Deo agamus.*

Oblatus panis efficitur corpus Christi, sanctificãs ipsum sumẽtes.

Gen. 1.

Hebr. 4.

Eucharistia, bona gratia.

Audimus hîc Origenẽ V. Sacramẽtum nuncupare primitias, quas Deo offerimus, cuius iussu terra germinat herbam virentem, & fructum adfert: idq; nos facere, quòd Iesum nacti simus pontificem, cælos penetrantem. Itemq; eam oblationem esse corpus sacratissimum, quod ex oblatis panibus per orationẽ & preces confletur & conficiatur: atq; illud ipsum corpus sanctiores efficere ipsum sumentes: deniquè nuncupari bonã gratiam, hauddubiò, vt D. Bernardus ait, ob excellentiam gratiæ in illo contentæ: siquidem in illo totius gratiæ fons porrigitur & sumitur.

Sermone in cœna Domini.

Verùm hîc iam Origenis testimonijs finis esto, atq; à Tertulliano & eodem ipso Origene, ad sanctissimos Episcopos, Cyprianũ etiam martyrio illustrẽ, qui Tertullianum suum solitus est appellare magistrum, & Athanasium Alexandrinum, præclarissimũ catholicæ Ecclesiæ heroem, nos conferamus.

SANCTI MARTYRIS ET EPISCOPI CYPRIANI TESTIMONIA.

CAP. 41.

Diuus Cyprianus sub Valeriano claruit,& Christi causa sanguinem suum fudit,anno salutis 249:idemq; realem & verã Christi in V.Sacramento præsentiã præ patribus hactenùs allatis euidentiùs asserit. Et primò quidẽ hæc eius sententia est in Sermone de cœna Dñi: *Panis iste,quẽ Dominus discipulis porrigebat,nõ effigie,sed natura mutatus, omnipotẽtia uerbi factus est caro:& sicut in persona Christi humiliatus uidebatur,& latebat diuinitas,itá Sacramento uisibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.*

Omnipotentia Dei,panis in corpus Christi naturá mutatur.

Hiscè verbis clarissimè docet vir sanctus,Eucharistiæ V.Sacramẽtum, vtì & cætera Sacramenta, his duobus constare, nempè, externa specie quæ permaneat, & interna occultaq; re Sacramenti, quam species externa designet,id est,vera Christi carne,in quam panis non effigie, sed natura mutatus sit. Immò sicut ipse ait, non est hîc simplex quædam vel nuda caro, sed caro Christi cum diuinitate coniuncta, adeoq; certò nos credere debere Christi diuinitatem simul cum humanitate in hoc adesse V.Sacramento,vt sunt in ipsa Christi persona.

In V.Sacramẽto est Christus Deus & homo.

Aduersarij mirè hîc se torquent, vt aliquam possint cõminisci interpretatiunculam, qua tum hanc, tum eius generis alias sanctorum Patrum de panis in Christi corporis substantiam mutatione authoritates apud imperitos eleuent. Verùm quandò illi Cypriani hæc verba, *Non effigie,sed natura mutatus,* corrumpere ac deprauare non possunt, nouam illi mutationem commenti sunt, quam sacramentalem mutationem appellãt,cuius tamen nulla vsquàm apud Patres mentio fit. Eam verò illi eiusmodi esse volunt, qua panis cõmunis verbis cœnæ, & fide sumentis vel communicantis nõ nisi sacramentaliter mutetur,ità vt iam solis illis,qui eum accipiant,non communis,sed symbolicus panis sit, per quem in Dominici corporis, vt scilicet illud pro nobis datũ sit, memoriam redeant, sicque in fide illud pcipiant.

Sacramẽtalis mutatio,quã hæretici adferunt,cuiusmodi sit.

Atquì non parùm ego,Deo teste,admirari soleo homines istos sibi persuadere, se hoc alijsq; eiusdem farinæ planè absurdis somnijs suis toti orbi caliginem posse offundere. Nam quæ illa transmutatio est,vbì rei alicui duntaxat affingitur,quòd quippiã significet?Agnus quidem Christum designat, sed ea causa neq; in sua natura,neque in vlla naturæ suæ proprietate mutatus est. Hîc verò Cyprianus, & alij qui sequuntur Patres,vna omnes voce asserunt,panem nõ effigie,sed

Nõ ppterea fit rei alicuius in seipsa mutatio, quòd p signo adhibetur.

natura mutari in carnem Christi. Cui autem obscurum sit, (qui tamē vel tenui horum sit notione imbutus, hæcq; secum ipse expendat) Sacramentum hoc, sicut & cætera, duobus (vt suprà dictum est) constare, putà, specie externa, quæ propriè Sacramentum dicitur, id est, sacrum signum: itemq; re inuisibili ac latente, sub externa specie contenta, quæ est corpus Christi, & patribus dicitur res Sacramenti. Non potest autem mutatio illa, de qua Patres loquuntur, propriè referri ad externum Sacramentum, id est, externum sacrū signum, vtì Aduersarij somniant: ea enim non esset vera mutatio: sed ad rem ipsam sub externo sacro signo contentam referri eam necessè est, vt hic audimus Cyprianum dicentem, Panem nō effigie, id est, secundùm externam speciem, sed natura mutari in carnē Christi. Sed de his posteà fortassìs vberiùs.

Sacramenta omnia duobus constat. Sacramentū. Res Sacramenti.

Atq; vt Cypriani vera certaq; mens & sententia magìs elucescat, eodem Sermone non longè ante verba memorata, V. Sacramentum ceu ipsam rem & veritatē, tum Agno paschali seu paschati, tum etiam Melchisedech & Patrum cibis tanquàm vmbris opponit, ità scribens: *Cœna itaq; disposita, inter sacramentales epulas obuiàrunt sibi instituta antiqua & noua, & consumpto agno, quem antiqua traditio pponebat, inconsumptibilē cibū Magister opponit discipulis: nec iam ad elaborata impensis & arte cōuiuia populi inuitantur, sed immortalitatis alimonia datur, à cōmunibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciē, sed uirtutis diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiam. Significata olim à tēpore Melchisedech prodeunt Sacramēta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius, summus sacerdos panē profert & uinū:* Hoc est, inquit, *corpus meum. Man ducauerant & biberant de eodem pane secundùm formā uisibilem, sed ante uerba illa cibus ille cōmunis tantùm nutriendo corpori cōmodus erat, & uitæ corporalis subsidium ministrabat.* Sed ex quo à Domino dictū est, HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, *Hæc est caro mea, Hic est sanguis meus, quotiescunquè his uerbis & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis uitam salutemq; proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.* Hæc ille.

Eucharistia, cibus inconsumptibilis. Alimonia immortalitatis. Virtus diuina in V. Sacramēto est inuisibiliter. Vi consecrationis, panis in corpus, & vinū in Christi sanguinem transfertur.

Hic

Differẽtia inter veterisTestaméti figuras,& corporis ac sanguinis Christi veritatem in Eucharistia.

Hîc sanè videre licet, ecquid intersit inter veteris instrumenti figuras, & veram substantiam corporis & sanguinis Christi in V. Sacramento, olim eiusmodi figuris præsignificatam. Illi cibi, vt Cyprianus ait, communes & consumptibiles fuêre, at hic cibus inconsumptibilis est. Illi arte & impensis fuêre elaborati, hîc autem immortalitatis alimonia datur, foris quidem corporalem panis & vini speciem retinens, sed virtutis diuinæ probãs adesse præsentiam, Christus hîc suis tradit discipulis, quod Melchisedech olim significauit, Ante cõsecrationem quidem panis cõmunis est, nutriendo tantùm corpori accommodus: sed facta consecratione, Corpus & sanguis est Christi, ad totius hominis vitam salutemq; proficiens, corpusq; & animam sanans & purgans, &c. Qua verò ratione poterunt hinc Aduersarij nudam figuram efficere? Ait quidem Cyprianus manducâsse patres de eodem pane: sed mox seipsum exponens, addit, secundùm formã visibilem, non autem secundùm rem interiorem, vt etiam plerique patres omnes docent, maiores nostros eadem nobiscum Sacramenta habuisse, sed significatione, non essentia.

Patres eadem nobiscum Sacramenta habuere, significatione, non essentia.

Aliud sanctissimi martyris huius testimonium nobis profert eius sermo de Dominica oratione, vbì sic habet: *Christus, noster, qui corpus eius contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidiè postulamus, nè qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidiè ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non cõmunicantes, à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, ipso prædicante & monente: Ego sum panis uitæ, qui de cælo descendi: si quis ederit de hoc pane, uiuet in æternum. Panẽ autem, quẽ ego dedero, caro mea est, pro seculi uita. Quandò ergò dicit, in æternum uiuere si quis ederit de eius pane, ut manifestum est eos uiuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiã iure cõmunicationis accipiunt: ita contrà timendũ est & orandum, nè dũ quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, &c.*

Consentiunt hæc Tertulliani dictis.

Qui grauius aliquod peccatũ admisere, necdùm congrua expiatũ pœnitentia, à communione arcendi sunt.

His verbis luculenter docemur, in Eucharistia veram Christi carnem, quam ille, vt promiserat Iohan. 6. pro mundi vita dedit, nos accipere, idq; in certam & corporis & animæ salutem ac immortalitatem: nec quicquã saluti nostræ tam esse aduersum atq; perniciosum, quàm si crimine perpetrato occasionem demus Ecclesiæ, sua censura & sen-

& sentētia nos à corporis Christi communicatione abstinendi & arcendi.

Libet his aliam eamq; postremam sancti martyris sententiam ad veritatis cōfirmationē adducere. Epistola secunda primi libri, V. Sacramenti diuinā indicat virtutem & efficientiam, vndè nimirùm pręsens in illo corporis & sanguinis Christi veritas, perindè vt ex effectu causa, certò colligi & animaduerti potest. Agit illic de Christianis, qui ex infirmitate animi, metu tyrannicæ persecutionis, fidem abiurârant, sed ea causa veræ plenæq; agendæ pœnitentiæ operā dabant, iamq; omninò parati erant Christi causa perpeti &c. Eius verba audiamus: *At uerò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est: nec morientibus, sed uiuentibus cōmunicatio à nobis danda est, ut quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus: & cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse cōtra aduersariū uolumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodò docemus aut prouocamus eos in confessione nominis Domini sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?* Audiamus hîc Cyprianum clarissima oratione diuinam illam referentem vim & efficaciam, quæ in hoc celsissimo Sacramento pręsens adest, nempe diuinum & præsentaneum munimentum, protectionem, tutelam & armaturam, qua Christiani adeò muniantur & cōfirmentur, vt corpus & vitam, Christi causa morti vltrò obijciant, quandò ipsum corpus Christi (in quo omnis plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter) edunt, & sanguinem eius bibunt, atque ità ipsum Christum Dominum accipiunt, in quo, vt Apostolus ait, possumus omnia.

Eucharistiæ diuina vis & efficientia.

Eucharistia conficitur in percipientiū tutelam.

Coloss. 2.

Philip. 4.

Aduersarij quidem de efficientia vel effectu sanctissimi Sacramēti huius crebrò multa sublimiter, copiosè, magnificè politeq; loquuntur, eum fermè in modum, vt videri possint præclarè de illo sentire: sed nobis illi illudunt, imponuntq; suis. Aiunt per symbola, id est, externa Sacramenti signa, verum Christi corpus & sanguinem nobis exhiberi, tradi & porrigi: atque per hanc symbolorū administrationem, certam in Deum fidutiam, promptamq; illi seruiendi voluntatem concipere nos debere. Verùm vbi hęc sua verba, quidq; ijs sibi

velint, latiùs exponunt, hæc illorum administratio & exhibitio nihil aliud esse deprǽhenditur, quàm vt corde duntaxat credamus, Christi carnem olim nostra causa in cruce laceratam, & eius sanguinem nostræ redemptionis ergò profusum esse, eamque carnem & sanguinem in Christo iam patris assidere dexteræ, & interpellare pro nobis: cumq; nos hæc studiosè commemorando ac meditando ruminamus, & nostris affigimus animis, indè porrò consequi, vt omnem nostrã in illo fiduciã collocemus, promptisq; animis illi nos offeramus seruituros accuratè omnibus diebus vitę nostrę. Atq; hęc est, vt illi volunt, vnica, vera, interna, pura & spiritalis perceptio Sacramẽti.

Sed hîc oro secum quisq; id perpendat, cuiusmodi sit hæc doctrina & institutio. Docent illi quidem his verbis, vtì in Christum credere, & qua fidutia illi nos committere, quóve studio illi seruire debeamus: quæ tamen nihil aliud sunt, quàm articulos fidei nostræ & Dei præcepta in animo diligenter versare & expendere. Verùm quæ hîc mẽtio fit diuinæ illius, quæ in V. Sacramẽto est, efficientiæ, quandò quæ ipsi adferunt, ad solam actionem nostram pertinent? Negant enim in sanctiss. Sacramento corpus & sanguinem Christi substantialiter adesse: nec vllum tanto Sacramento tribuunt gratię effectum, quam Deus re vera ex illo nos consequi voluerit.

Quæ verò Cypriani institutio est? Huic videlicet planè contraria, nẽpè in V. Sacramento esse verũ corpus & sanguinem Christi, Dñmq; in eodẽ Sacramento efficacẽ nobis tutelã, munimentũ & armaturam cõtulisse, qua nos tecti, cõmuniti & confirmati, tum demùm ea oĩa vltrò efficere queamus, q̃ nobis fides & pręcepta Dei facienda ꝓponunt & docent, vtì etiã catholica Christi Ecclesia in sacrosancto Missę officio post cõmunionẽ obnixè precat̃ Deũ his verbis: Sit ablutio scelerũ, sit fortitudo fragiliũ, sit contra oĩa mundi pericula firmamentũ &c.

Possent nullo negocio longè plura ex Cypriano produci testimonia, quę pro nobis faciant, quæ tamen nos breuitatis gratia inpręsens omittimus, atque ad Athanasium accedimus.

SANCTI PONTIFICIS ET CONFESSORIS ATHANASII TESTIMONIA.

CAP. 42. Athanasius, qui obijt anno Domini 379. tempore Valentiniani & Valentis Imperatorum, floruitq; sub Constantino & filijs

eius,

eius, libro, quem ſcripſit de verbis illis Euangelij, Quicunque dixerit verbum aduersùs filium hominis &c. verba Domini Iohan. 6. Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus ſunt & vita, hunc in modum edißerit: *Et hic ſiquidem utrunque de ſe prædicauit, carnem & ſpiritum, ac ſpiritum à carne diſtinxit, ut non tantùm quod uidebatur, ſed hoc etiam quod in illo erat inuiſibile credentes, diſcerēt quod ea quoquè quæ loquebatur, nō eſſent carnalia, ſed ſpiritalia. Quot enim hominibus ſuffeciſſet corpus ad eſum, ut hoc totius mundi fieret alimentum? Sed hac de cauſa meminit aſſcenſùs in cælū filij hominis, ut corporalem cogitationē ab ijs auelleret: & poſthàc diſcerent carnem, de qua fuerat locutus, cibū è ſupernis cæleſtem & ſpiritualē alimoniā ab ipſo dari. Quæ enim dixi uobis,* inquit, *ſpiritus & uita ſunt. Quod idē ualet, àcſi diceret: Quod quidem oſtenditur oculis ac datur pro mūdo, (ſcilicet corpus meū uiſibile) dabitē alimonia, ut ſpiritaliter hæc in uncquoq; diſtribuat, fiatq; omnibus cōſeruatoriū ad reſurrectionē æternæ uitæ.*

Verba Domini, Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam, qui accipienda.

Chriſtus illudipſum quod in ſe viſibile habuit & oſtendit, in cibū cōtulit.

Horum proculdubiò hęc eſt ſententia: In Chriſto duæ ſunt diuerſæ naturæ, putà caro & ſpiritus illi' naturæ diuinæ. Illis igitur, qui nihil in Chriſto conſiderabant præter carnem externam, carnalibusq; implicati cogitationibus, ità ſecū perquirebant, Quî poteſt hæc caro, quæ vnius duntaxat meri hominis caro eſt, toti mudo ad eſum ſufficere? Chriſtus dixiſſe putandus eſt, Caro nō prodeſt quicquam: (ſcilicet caro puri hominis per ſe ſola.) Sed vos nondùm aduertitis me abiturum in cælos: id eſt, non intelligitis me quoquè verū eſſe Deum, cuius caro propterea quòd Deo vnita eſt, non vulgaris eſt caro, ſed planè diuina & ſpiritalis: ità vt dum ego de mea edenda carne verba facio, vos accipere debeatis me pro diuina virtute & potentia mea, diuinum ac ſpiritale corpus meum (quod nihilo minùs cum hoc mortali corpore meo natura vnum eſt) modo mihi noto vobis poſſe largiri: quod quidem ea cauſa etiam ſpiritum voco, quòd cum diuina natura mea inſeparabiliter coniunctum ſit, tametſi alioquì in naturam ſpiritûs nō transferatur. Quamobrem Athanaſius dicit, vt diſcerent carnem, de qua fuerat Dominus locutus, cæleſtem & ſpiritalem ab illo alimoniam dari: ſitque germanus verborum Domini ſenſus, quibus ait, *Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus ſunt & vita,* hoc ipſum

quod ostenditur oculis & datur pro mundi vita, etiam dari in alimoniam, non tamen carnali, sed spiritali ratione, vt spiritaliter in vnoquoque distribuatur, fiatq; omnibus cõseruatorium ad resurrectionem æternæ vitæ: hoc est, eandem quidem, quam conspicerent, carnem dandam in cibum, at non pro illorum carnali & humana ratione & sensu atque cogitatione frustratìm sectam, verùm in mysterio spiritaliter, vtì etiam corpus illud spiritale & Dei corpus est, qui pro sua omnipotenti virtute modo sibi vni perspecto dare illud nobis possit in Sacramento, vt in nobis distribuatur spiritaliter, nec tamen in nos mutetur, sed sua virtute seruet nos ad immortalitatem, quemadmodùm ipsum est immortale.

Christi corpus nõ in nos mutatur, sed nos in se mutat.

Hanc sancti viri huius sententiam locus alius ex oratione eius de fide, vtì is à Theodoreto Dialogo 2. citatur, testatiorem facit. Est autem eiusmodi: *Corpus est ergò cui dicit, Sede à dextris meis: cuius etiã fuit inimicus diabolus cum malis potestatibus, & Iudæi, & Græci. per quod corpus, Pontifex & Apostolus & fuit, & dictus est, per id quod tradidit nobis mysterium, dicens:* HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS FRANGITVR, ET SANGVIS NOVI TESTAMENTI, NON VETERIS, QVI PRO VOBIS EFFVNDITVR. *Diuinitas autem neque corpus habet, nec sanguinem, sed homo ex* MARIA *portauit.* Hactenùs ille.

Hîc nimirùm haud obscurè docet, Dominum nobis suum illud in V. Sacramento impertire corpus, quod ad patris dextram residet: atque eam ob rem dictum eum esse Pontificem & Apostolum nostrũ, largiriq; eum nobis non veteris Testamenti sanguinem, hoc est, figuram, sed noui Testamenti, id est, verum illum sanguinem suum, assumptum ex sacratissima Maria virgine.

Equidem non absque certis rationibus, celeberrimum atque constantissimum hunc Christi confessorem Athanasium testem proferre volui: præcipuè verò, quòd in primo illo Concilio Niceno, quod Patres omnes semper non alio, quàm legitimę Apostolicę, & œcumenicæ Synodi loco habuêre, & post Apostolos primo loco coactum & celebratum est, ipse clarus extiterit, vbì sanè hæc doctrina omniũ consensione tum declarata atque constituta est, vtì infrà docebimus.

Iam

Iam porrò ad alia aliorum ſanctorum Patrum teſtimonia nos conferemus.

Non longè poſt Athanaſium duo floruêre præcellentes Chriſti confeſſores, egregijq; Eccleſiarum Dei ipſis creditarum paſtores, putà, Euſebius Emiſenus, & Hilarius Pictauorum Aquitaniæ Epiſcopi, ſub Conſtantio Ariano Imperatore. Horum illuſtria ac indubitata teſtimonia eum in modum, vt ſequitur, ſeſe habent.

SANCTI EVSEBII EMISENI EPISCOPI TESTIMONIA.

EVſebius Emiſenus Sermone de Corpore & Sanguine Domini, quæ eſt Homilia V. de Paſchate, penè nihil agit aliud, quàm vt hanc indubitatã confirmet & aſſerat veritatem. De ipſo V. Sacramẽto inter alia ſic dicit: *Quia corpus aſſumptum ablaturus erat Dominus ab oculis, & illaturus ſideribus, neceſſarium erat ut nobis hac die Sacramẽtum corporis & ſanguinis ſui conſecraret, ut coleretur iugiter per myſteriũ, quod ſemel offerebatur in precium: ut quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominũ ſalute redemptio, perpetua eſſet etiam redemptionis oblatio: & perennis illa uictima uiueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia. Verè unica & pfecta hoſtia, fide æſtimanda, nõ ſpecie: nec exterioris cenſenda uiſu hominis, ſed interioris affectu. Vndè meritò cæleſtis confirmat authoritas, Quia caro mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus. Recedat ergò omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt ueritatis. Nam inuiſibilis ſacerdos uiſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui uerbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit, ità dicens: Accipite & comedite, hoc eſt enim corpus meũ: & ſanctificatione repetita, Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus. Ergò ſicut ad nutum præcipientis Domini, repentè ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum, profunda fluctuum, uaſta terrarum: ità parem potentiam in ſpiritualibus Sacramentis uerbi præbet uirtus, & ei ſeruit effectus,* &c. CAP. 43.

Deindè eodem ſermone teſtatur manna, oblationem Melchiſedechicã & Iudæ benedictionem, Gene. 49. huius ſanctiſs. Sacramenti figuras fuiſſe, & hîc haberi re ipſa & ſubſtantialiter, quod illis ſit ſignificatum. Claudit autem eam Homiliam his verbis: Nec dubi-

tet quispiã creaturas nutu potentiæ, præsentia Maiestatis in Dominici corporis transire posse naturam, cùm ipsum hominem uideat artificio cælestis misericordiæ Christi corpus effectum. Sicut autem quicunq; ad fidem Christi ueniens, ante uerba Baptismi, adhuc in uinculo est ueteris debiti: ijs uerò commemoratis, mox exuitur omni fæce peccati: ità quandò benedicendæ uerbis cælestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequàm inuocatione summi nominis cõsecrentur, substantia illic est panis & uini: post uerba autem Christi, Corpus & sanguis est Christi. Quid mirum autem est, si ea quæ uerbo creauit, possit creata conuertere? Immò iam minoris esse uidetur miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius ualeat commutare. Gen. 1. & 2. *Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit uisibilia & inuisibilia uoluntatis imperio suscitare: cui facile fuit hominem de limi materia figuratum, imaginẽ etiam suæ diuinitatis induere: cui promptum est eum rursus reuocare de inferis, restituere de perditione, reparare de puluere, de terra in cælum leuare, de homine angelum facere, corpus humanum conforme corpori claritatis suæ reddere, & figmentum* Philip. 3. *suum in regni sui consortio sublimare, ut qui corpus nostræ fragilitatis assumpserat, nos in corpus suæ immortalitatis assumat.* Hæc Emisenus.

Transsubstãtiatio. Quæ illius testimonia tametsi transsubstantiationem, id est, veram ac realem panis & vini in corporis & sanguinis Christi substantiam conuersionem, vtì ea hactenùs in Christi Ecclesia tradita est, hodieque traditur, quanta maximè fieri possit euidentia doceant, idq; ea ratione, perindè àc si vir ille pijssimus tot antè seculis immani huic nostrorum temporũ hæresi summa fide anteuertere voluerit: at nihilo seciùs homines partis aduersæ suo more etiam in hac Homilia studio quodam virulento explorant, num vel vnam possint voculam vspiàm excerpere, cuius adminiculo totam hanc tam illustrem Emiseni sententiam deprauare queant & conuellere. Tandèm, vbi Obiectio Aduersariorum. nihil reperire possunt aliud, illud ad se rapiunt, (licèt id eorum errorem potiùs modis omnibus profliget & subruat) quòd Emisenus inter Baptismi & Eucharistiæ veneranda Sacramenta hanc velit esse similitudinem, quòd quemadmodùm in Baptismo, cùm antè essemus mortis filij, per verbum, fidem & virtutem huius Sacramenti in

Christi membra transiuimus: ità etiam in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, verbo creaturas terrenas in corporis & sanguinis Christi substantiam conuerti. Indè porrò argutantur hunc in modum: In Baptismo autem non secundùm substantiam, sed solam qualitatem mutamur: id est, humana natura eadem quæ priùs in nobis permanet, neque secundùm naturam conuertimur in Spiritumsanctum, sed per ipsum Spiritumsanctum duntaxat in animo transfiguramur, & Christo conformes efficimur. Hinc igitur consequi volunt, quandoquidem duo hæc Sacramenta transmutationis causa hoc loco inter se comparentur, non eam esse Emiseni sententiam, deincèps panem & vinum in Sacramento non permanere, tanquàm ea in corpus & sanguinẽ Christi transiérint, cùm eiusmodi transsubstantiatio minimè fiat in Baptismo.

At nolunt isti animaduertere, Emisenũ quidem hoc loco duo hæc Sacramenta aliqua ex parte inter se conferre, at nihilo minùs etiam quoddam inter ea discrimen adferre. Cõparat ea in hoc, quòd vtì in Baptismo, præsenti Dei virtute & potentia nõ manifestè, sed occultè, & tamen verè mutamur & alteramur: ità quoquè panis & vinum præsenti diuinorum verborum potentia non eo qui possit comprænendi modo, sed incõpræhensibiliter, re tamen vera transmutetur. Hoc autem inter vtrunq; dicit interesse, quòd in Baptismo per verã præsentemq; virtutẽ & gratiam Spiritussancti alteratio nõ nisi in baptizati animo intùs fiat, qua nos modo supernaturali, vltraq; captum humanæ rationis alitèr afficimur, quàm eram' priùs, atq; ex carnalib' spiritales, & ex mẽbris diaboli mẽbra Christi efficimur: quod olim in primis Ecclesiæ nascẽtis initijs Christiani salutari expiati lauacro, in seipsis re vera & sensibiliter experiebanť: quæ sanè mutatio sola alteratiõe qualitatis peragitur, nè efficiamur verè & natura Dei. In hoc autem Eucharistiæ Sacramento Emisenus asserit mutationem nõ secundùm qualitatem fieri: (nanq; alioquì corpus Christi non nisi qualitas quædam panis & vini erit, quod ipse quoquè auditus perhorrescit) sed panem & vinum in Christi corpus & sanguinem conuerti.

Obiectionis dilutio.

Baptismus & Eucharistia in quo côueniant, itemq; discrepeat.

Vide Cyprianũ lib 2. Epistol. 2. ad Donatum.

In summa, Verba illa diuina institutionis vtriusque Sacramenti hanc nobis differentiã luce meridiana clariùs indicant. De Baptismo quidem nouimus dixisse Dñm: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spi-*

Matth. 28.

Tit.3. *& Spiritusſancti*, non dicit, Baptiſmus eſt Deus Pater, & Filius, & Spiritusſanctus. Paulus quoquè Apoſtolus, *Per lauacrum*, inquit, *regenerationis Spiritusſancti, quem effudit in nos abundè:* non ait, Nos efficimur, aut ſumus ipſi Spiritusſanct'. Hîc autem diſertis verbis loquitur nominus, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, cuiuſmodi ille de Baptiſmi aqua nuſquàm protulit. Quandò igitur Sacramenta hæc diuerſam habent inſtitutionis formam, debent etiam in conuerſionis vel tranſmutationis doctrina eſſe diſcreta. Quamobrem Theologi ſcholaſtici rectè dicunt, Chriſtum hoc Sacramentum Euchariſtię ſic inſtituiſſe, vt cùm diceret, *Hoc eſt corpus meũ*, eiuſmodi verborũ forma doceret, ipſum cõſecratiõe materiæ cõfici. Alia verò diſſimili forma, qua doceret ea in vſu demùm & applicatione materię cõſiſtere & cõſummari, cùm de Baptiſmo diceret, Baptizantes eos in nomine patris &c. & de Sacramento pœnitentiæ, Quorum remiſeritis peccata &c.

Baptiſmus et Euchariſtia diuerſam habent inſtitutionis ſuæ formam.

Matth. vlt. Iohan. 20.

Quòd enim Emiſenus tranſſubſtantiationem, vt eam docet catholica Chriſti Eccleſia, firma fide complexus ſit, verba eius apertiſſimè multisq; modis teſtantur: & primò quidem, vbi ait: *ut coleretur iugiter per myſteriũ, quod ſemel offerebatur in preciũ:* quod certè figuræ non congruit.

Chriſtus in cruce oblatus, in Euchariſtia præſens coli debet.

Deindè cùm dicit: *Vt ſemper præſens eſſet in gratia uerè unica & perfecta hoſtia, fide æſtimanda, non ſpecie.* In gratia, inquit, id eſt, non viſibiliter, ſed in myſterio: quò fit, vt eam illius præſentiam nos non externa ſpecie, ſed fide cenſere debeamus.

In gratia.

Ad hæc, dum ſubiungit: *Recedat ergò omne infidelitatis ambiguũ, quandoquidem qui author eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt ueritatis.* Quibus verbis ille maximam ferè partem vaniſſimæ ac blaſphemæ argutationis Aduerſariorum noſtrorum conuellit & deſtruit, eam præſertim, quam ex Philoſophia nobis opponunt, dum aiunt, Qua tandèm ratione id poteſt fieri? Reſpondit enim illis: *Qui author eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt ueritatis.*

Veritas & omnipotẽtia Chriſti cõtra Aduerſariorũ è Philoſophia petita argumenta conuellit.

Quid prætereà dici poterat luculentiùs, quàm quòd ait, *Viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti conuerti?* quod quidem pro maiori confirmatione ab illo repetitur his verbis: *In Chriſti ſubſtantiam terrena conuertuntur.*

Vide ſuprà Tertulliani teſtimonia.

Huc

Huc faciunt ea quoquè illius verba: *Cùm reuerendum ad altare cibis* ✻ *cælestibus satiandus accedes*: quæ ille proculdubiò vult intelligi de vera Christi carne, pane vtiquè cęlesti, in quo diuinitas inest substantialiter: quæ sola nos satiare potest esca, nó autem figura tantùm. ✻ spiritalibus Iohan. 6.

Deniquè iubet nos sacrum Dei corpus nostrum & sanguinem fide respicere, simulq; diuinæ huius efficientiæ & operationis tum magnitudinem, tum profunditatem eum in modum explicat, vt meritò non minori hanc nobis admirationi esse debere intelligamus, quàm ipsam cæli terræq; creationem. Quod quidē non potest figuræ competere, quam nemo sanè admiratur & suspicit, cùm possit vnusquilibet etiam vulgaris homo, absque vlla admiratione aliquam suì figuram vel monimentum relinquere.

Verumenimuerò nè posthàc Aduersarij frustrà conentur Emisenum ad suas partes commentitijs quibusdam interpretatiunculis adiungere, iam recèns Parisijs prælo excusæ prodièrunt sanctissimi viri Homiliæ vel exegeses in Euangelia, quæ per annum dominicis diebus populo edisseruntur, in quib⁹ mens illius & sententia ea euidentia exprimitur, illam vt obscurare impossibile sit. Homilia de passione Domini, vtì ea ex Matthæo Palmarum die recitatur, sic habet: *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis, &* ait: *Accipite & comedite. Hoc est corpus meum. Exponit Dominus hoc in loco quid significaret, cùm alibì diceret*: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Eccè sacerdos inæternùm, secundùm ordinem Melchisedech, panē & uinum uirtute ineffabili in sui corporis & sanguinis substantiam cōuertit. Sicut enim tūc & uiuebat, & loquebatur, & tamen à discipulis comedebatur & bibebatur: ità modò integer & incorruptus manet, & à fidelibus suis in panis & uini Sacramento quotidiè bibitur & manducatur. Nisi enim panis & uinū in eius carnem & sanguinem uerterentur, nunquàm ipse corporaliter manducaretur & biberetur. Mutantur enim illa in ista, comeduntur & bibuntur ista in illis: quod qualiter fiat, ipse solus nouit, qui omnia potest, & omnia nouit. Dixit enim tunc p se, dicit & modò per suos ministros:* Matth. 26. Iohan. 6.

R Hoc

Hoc est corpus meum. Et tanta est eius uerbi uirtus & efficacia, ut statim fiat quod dicitur. Similiter autē dum dicit, Hic est sanguis meus, mox in eius sanguinē uinū conuertitur. Et accipiens calicē, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui ꝑ multis effundetur in remissionē peccatorum. Hic, inquit, est sanguis meus, qui fundēdus est: nō alius iste, & alius ille, sed unus idemq́; & iste & ille. Crás igitur fundetur ex meo latere, quem uos modò bibitis & uidetis in calice. Alitèr enim Testamentum nouum confirmari non potest. Et hoc est quod Apostolus ait: Vbi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentū enim in mortuis confirmatū est. Alioqui nōdùm ualet, dum uiuit qui testatus est. Vndè nec primū quidē sinè sanguine dedicatū est. Sanguine igitur uetus Testamentū, sanguine dedicatur & nouū: sed illud q-dē sanguine hircorū, hoc autē sanguine Christi. Hucusquè Emisenus.

Vide suprà 3. & 16 scripturæ testimonia

Hebr. 9.

Mox in ea Domini verba, Dico autem vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei, inter alia, hæc subiungit: *Lucas enim duos calices ponit, duo significans Testamēta. Et in primo quidē calice dicitur, Non bibā amodò de hoc genimine uitis, ut intelligamus uetus Testamentū iuxta literā esse cōpletū. Vndè & mox subditur: Donec bibā uobiscū illud nouū in regno Dei.* In his quoquè eius viri sententijs nō semèl inuenimus Christū sua ineffabili potentia panē & vinū in sui corporis & sanguinis transferre substantiā, atq; eam ob rem Christū nos in V. Sacramēto corporaliter, id est, re vera & substantialiter, nō tamē modo quodem carnali edere: itemq́; nos nō aliū, sed eundē omninò sanguinem, quod ad verā substantiā ꝑtinet, qui in cruce fusus sit, bibere.

Christi verè carnē edimus in V Sacramēto, sed nō carnaliter.

Quòd verò dicit: *Mutantur illa*, id est, panis & vinum, *in ista*, id est, in corpus & sanguinē Christi: *& comeduntur & bibuntur ista in illis*, de externis panis viniq; speciebꝰ accipiendū est, quas certū est etiā post diuinā substantiæ mutationē nihil immutari, sub quibꝰ verū Christi corpus & sanguis sumitᷣ. Vbì enim panis & vinū in corpus Christi & sanguinem conuersa sint, iam deincèps nō nisi corporis & sanguinis Christi substātia adest in V. Sacramēto, etiāsi priora accidētia, id est, externæ species cū ꝓcedentibꝰ panis ac vini accidentibus ꝑmaneant.

Deni-

Deniquè, quod ex D. Luca de duob' calicib' ꝓfert, id verò facit ad declarationẽ XV. testimonij, è scripturis diuinis superiùs allati. Atq; hîc quidẽ Eusebij hui' testimonijs libet finẽ inpræsentiarũ imponere, atq; ad sanctissimum Christi confessorẽ Hilarium me conferre. Is verò, vt iam antè dictũ est, sub Constantio Cæsare Magni Constantini filio, ac deindè sub Valentiniano Imperatore floruit.

SANCTI HILARII EPISCOPI TESTIMONIA.

Hilarius lib. VIII. de Trinitate, vbì aduersùs horrendam Arianorum hæresin calamũ stringit, negantium sceleratissimè vnigenitum Dei filium eiusdẽ cum patre naturæ esse & substantiæ, suisq; glossis planè cõmentitijs omnes scripturæ diuinę sententias, vtriusq; personæ vnam eandemq; naturã & substantiam apertissimè asserentes, deprauantium: eam præsertim Christi sententiam, qua ait, *Ego & pater vnum sumus*, quam illi accipi volebant, non de naturę, sed voluntatis vnitate, quod etiam alijs scripturæ locis confirmare nitebantur, maximè illis Domini Iesu verbis Iohan. 17. *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per uerbũ eorũ in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Quibus verbis illi dicebant hoc orâsse Christum, vt sicut in ipso pater, & ipse est in patre, ità nos in patre & filio vnum simus. Certum est autem, vt illi porrò aiebant, nos qui Christiani sumus, in Deum minimè refundi, id est, non effici Deũ, neq; etiam nos inuicèm in vnum atq; indiscretum aceruum coalescere atq; conflari, sed cuilibet suam manere personam ab alijs separatam, vndè inferre volebant memoratam Domini (Iohan. 17.) sententiam nõ de naturæ, sed voluntatis duntaxat vnitate intelligi oportere, vtì & de illis, quos inter magna est animorũ & voluntatis consensio, dicere solemus, illos planè vnum esse. Deniquè ità ex his argutabantur: Christus orat vt nos vnum simus, sicut pater in ipso, & ipse in patre est. At verò, aiunt, nos cũ patre & filio natura vnũ nõ sumus: itaq; indè consequens fit, ꝙ Christus dicit, *Ego & pater vnũ sumus*, id nõ de naturę, sed voluntatis vnitate esse accipiendum.

CAP. 44.

Abominabilis Arianorũ hæresis.

Iohan. 10.

Arianorum versuta & falsa cauillatio.

Hanc autem planè satanicam cauillationem vir sanctus validissimè retundit, ea ipsa præcipuè Domini Saluatoris Iohan. 17. sententia, quam Ariani pro se allegabant, eiusque confutationis hęc ferè

Arianæ cauillationis confutatio.

summa est, quemadmodùm Christus in nobis sit, id non pro nostra humana ratione & captu, neque pro nostris quibusdam exoticis, insulsis & incócinnis interpretatiunculis, sed vt Dominus ipse nos docuerit, intelligere nos debere: Porrò Dominum suam nobis explicuisse mẽtem Iohan. 6. vbì ait: *Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Hæc sententia, ait vir sanctus, perspicuè testatur alium illum locũ, qui est Iohan. 17. putà, nos in Patre & Filio vnum effici, non de sola voluntatis, sed naturali vnitate accipi oportere. Cùm enim Christus veram carnem & sanguinem suum nobis in cibum cõferat, atque per hæc se nobis corporaliter vniat, sitq́; in nobis substantialiter, eadem autem caro illius & sanguis cum diuinitate in personæ vnitate coniuncta sit, ipseq́; secundùm diuinitatem sit in patre, nos vtiquè per illum, id est, cõmunicationem carnis & sanguinis eius cum ipso & patre vnum efficimur, non voluntatis duntaxat consensione, sed etiam re vera & substantialiter, quandoquidem in sanctissimo Sacramento veri corporis & sanguinis eius, in quo diuinitas manet substantialiter, natura nobis communicatur.

Nos per Christũ cum patre etiam naturaliter vnum efficimur.

Ipsa iam agè sanctissimi Patris verba audiamus, acuta illa quidem & captu difficilia, vt sunt eius scripta pleraq; omnia, sed ad adstruendam veram ac realem Christi in Eucharistia sacrosancta præsentiam efficacissima, plurimumq́; habentia ponderis, & haud vulgari attentione digna. Sunt autem istiusmodi: *Eos nunc qui inter Patrẽ & Filium uoluntatis ingerunt unitatem, interrogo utrúmne per naturæ ueritatẽ hodiè Christus in nobis sit, an per concordiam uoluntatis? Si enim uerè uerbum caro factum est, & nos uerè uerbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodò non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturã carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis cõmunicandæ carnis admiscuit? Ità enim omnes unũ sumus: quia in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergò naturaliter patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter uel se in Christo, uel Christum sibi inesse: quia in Christo pater, & Christus in nobis, unum in his esse nos faciunt. Si uerè igitur*

Verbũ carnẽ factũ, in V Sacramẽto verè sumimus ad immortalitatẽ, atque ità cum filio, qui nos suo pascit corpore, naturaliter vnum efficimur, ac deindè p filiũ, cuius corpus cũ diuinitate p quã ipse in patre est, cõiunctũ est, etiam cũ patre vnũ efficimur.

igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & uerè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; uerè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis, quomodò uoluntatis unitas asseritur, cùm naturalis per Sacramentũ ꝓprietas, ꝑfectæ Sacramentũ sit unitatis? Nõ est humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendũ, neq; per uiolentã atq; impudentem prædicationẽ, cælestium dictorum sanitati, alienæ atq; impiæ intelligentiæ extorquenda peruersitas est. Quæ scripta sunt, legamus: & quæ legerimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim Christi in nobis ueritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea uerè est esca, & sanguis meus uerè est potus. Qui edit carnem meã & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De ueritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra, uerè caro est & uerè sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc ueritas non est? Contingat planè his uerum non esse, qui Christum Iesum uerum esse Deum negant. Est ergò ipse in nobis per carnem, & sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus, in Deo est. Quòd autem in eo per Sacramentum communicatæ carnis & sanguinis simus, ipse testatur, dicens: Et hic mundus iam me non uidet: uos autem me uidebitis, quoniam ego uiuo, & uos uiuetis: quoniam ego in patre meo, & uos in me, & ego in uobis.

Perceptio Christi in V. Sacramento, certum argumentũ & pignus est pfectæ vnitatis nostræ cum Deo.

His Hilarius nõ modò Arianos, sed etiã Sacramẽtarios, qui ꝓ humana ratione sua, altissima Christi mysteria contra illorũ genuinum sensum deprauãt, funditus subruit.

Iohan 6.

Nos in Christo p carnem eius sumus, quã à nobis, id est, ex humana natura assumpsit: & ipse in nobis est p eandem carnẽ suã, ꝓstitã nobis in cibum in V. Sacramento.

Si uoluntatis tantùm unitatẽ intelligi uellet, cur gradum quendam atq; ordinẽ consummandæ unitatis exposuit, nisi ut cùm ille in patre per naturã diuinitatis esset, nos contrà in eo per corporalem eius natiuitatẽ, & ille rursum in nobis per Sacramentorum inesse mysterium crederetur, àc si perfecta per mediatorem unitas doceretur, cùm nobis in se manentibus, ipse maneret in patre, & in patre manens, ipse maneret in nobis, & ità ad unitatem patris proficeremus, cùm qui in eo naturaliter secundùm natiuitatẽ inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente.

Nõ se patiũtur Christi verba de sola erga Deũ ꝓpensa voluntate nostra accipi, sed naturalẽ reposcũt vnitatem.

Quòd autem in nobis naturalis hæc unitas sit, ipse ità testatus est:

Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit, eius tantùm in ſe aſſumptam habens carnem, qui ſuam aſſumpſerit.

Quandoquidē p Chriſti carnem viuimus, quam in V. Sacramēto ad immortalitatē verè accipimus, ſequitur indè contra Arianos, lōgè ampliùs Chriſtū viuere p patrem ſubſtantialiter, id eſt, natura ipſum eſſe vitam ex patre natam.

Perfectæ autem huius unitatis Sacramentum ſuperiùs iam docuerat, dicens: Sicut miſit me uiuens pater, & ego uiuo per patrem: & qui manducat meam carnem, & ipſe uiuet per me. Viuit ergò per patrem, & quomodò per patrem uiuit, eodem modo nos per carnem eius uiuemus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præſumitur, ut id de quo agitur, ſecundùm propoſitum exemplum aſſequamur. Hæc uerò uitæ noſtræ cauſa eſt, quòd in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemus, uicturis nobis per eum ea conditione, qua uiuit ille per patrem. Si ergò nos naturaliter ſecundùm carnem per eum uiuimus, id eſt, naturam carnis ſuæ adepti, quomodò non naturaliter ſecundùm ſpiritum in ſe patrē habeat, cùm uiuat ipſe per patrem? Per patrem autem uiuit, dum natiuitas non alienam ei intulit diuerſamq; naturā, dum quod eſt, & ab eo eſt, nec tamen ab eo per aliquam incidentem naturæ diſsimilitudinē ſeparatur, dum in ſe habet patrem per natiuitatem in uirtute naturæ.

Prædicatio Chriſtiana in hoc conſiſtit, quòd Dei filij honor nobis datus eſt, hoc eſt, quòd nos in illo p humaná naturá noſtrá quam aſſumpſit, & ille in nobis, communicatione corporis & ſanguinis ſui in Euchariſtia ſubſtátialiter ſit: vndè pfecta verorū Chriſtianorū erga Deum vnitas conſequitur.

Hæc autem idcircò à nobis commemorata ſunt, quia uoluntatis tantùm inter patrē & filium unitatē hæretici mentientes, unitatis noſtræ ad Deum utebantur exemplo, tanquàm nobis ad filium & per filiū ad patrē obſequio tantùm ac uoluntate religionis unitis, nulla per Sacramentū carnis & ſanguinis naturalis cōmunionis ꝓprietas indulgeretur, cùm & p honorē nobis datū Dei filij, & p manentē in nobis carnaliter filiū, & in eo nobis corporaliter & inſeparabiliter unitis, myſteriū ueræ ac naturalis unitatis ſit prædicandum. Hucuſq; Hilarij ſeſe extendit oratio, in qua Lector amice cōplures habes planè Chriſtianas ſententias & ratiocinationes, quibus vir ſanctus in impijſſimæ hæreſeos Arianæ confutationem & profligationē dexterrimè vſus eſt, quæ nobis certo poſſunt eſſe documento, eius ætate in Catholica Chriſti Eccleſia nihil ęquè omnibus perſuaſum fuiſſe, quàm verum Chriſti corpus & ſanguinem in ſanctiſſimo altaris Sacramento ſubſtantialiter coràm haberi.

Primò quidem dicit ille, nos verbum carnem factum, in dominico cibo

cibo verè ſumere, atq; per hoc Dominum manere in nobis, non ſolùm per ipſius & noſtræ voluntatis concordiam & vnitaté, ſed etiam ſubſtantialiter & naturaliter, quòd naturam ſuæ carnis ad naturam æternitatis, id eſt, qua corpus & anima noſtra aſſeratur immortalitati, ſub Sacraméto nobis admiſcuerit. Eum autem qui id negare velit, non habere in ſe manentem Dominum Ieſum, atque ità nec eſſe eum in Chriſto, neque per Chriſtũ in patre, conuenienter illis verbis Domini Ieſu, vt omnes in nobis vnum ſint, quod non niſi vera corporis & ſanguinis Chriſti communicatione obtineatur.

Chriſtus per carnis ſuæ admixtionẽ in nobis eſt.

Iohan. 17.

Deindè ait, in Dei rebus nõ humano aut ſeculi ſenſu loquendum, ſed earum ſententiam & mentem ex ipſius Chriſti inſtitutione diſcendam, qui etiam hoc loco diſertis expreſſisq; verbis, vt dubium omne præcíderet, teſtatus ſit & docuerit, ſe nobis verum corpus & ſanguinem ſuũ in V. Sacramento largiri, eaq; accepta & hauſta id efficere, vt & nos in illo, & ille in nobis ſit, quandoquidem carnem eandem, quam à nobis, id eſt, ab humana natura, aſſumpſerit, ille nobis rurſum in V. Sacramento reuerà in cibum conferat & impertiatur.

Chriſtus ex ſuis ipſius verbis percipiendus eſt.

Dicit prætereà, naturalem illam vnitatem, qua & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis eſt, ipſius Domini ſermone luculenter aſſeri, ità dicentis: *Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.*

Iohan. 6.

Ad hæc, nos per veram Chriſti carnem & ſanguinem, quæ in V. Sacramento accipimus, victuros per eum vitam immortalem, ea conditione qua ille viuit per patrem.

Itemq;, nos virtute carnis eius, quam in V. Sacramento adepti ſumus, non fictè, ſed naturaliter viuere.

Atque ad extremùm, nos non obſequio tantùm ac voluntate religionis cum filio, & per filium cum patre eſſe vnitos, ſed etiam naturalis communionis proprietatem per Sacramentum carnis & ſanguinis Chriſti nobis indulgeri.

Hunc ergò in modũ docet nos vir ſanctus, & in rebus Theologicis egregiè verſat᷒, mireq; perſpicax & ſolidus Hilarius, de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in V. Sacramento, & de diuina intra nos efficientia eiuſdẽ V. Sacramenti nobis cõmunicati, cui certè nulla alia neque eſſe, neque cogitari poteſt ſimilis: adeò vt iurè meritoque

miſeri

miseri nos ac nihili homunciones præpotenti Deo, quoàd eius gratiæ ope consequi possimus, absq; intermissione grates agere debeamus, neque tanta temeritate aduersùs ineffabilem illum honorem,
Iohan.17. de quo scriptum est, vt Hilarius ait, Et ego honorem (sic enim legit ipse) quem dedisti mihi, dedi eis, quiq; nobis in V. Sacramento confertur, contendere, immò blasphemare, vtì Sacramentarij in Dei contumeliam faciunt.

Equidem committere nō possum, quin illud quoquè adferam, vt idem vir sanctus memorato octauo libro, non longè ante ea, quæ ꝓtulimus, verba, falsas dictorum Christi interpretationes ab Arianis in medium productas, modis omnibus refellat & subruat, quemadmodùm etiam suprà in XVIII. scripturæ diuinæ testimonio sub finem illius, vanæ & commentitiæ Sacramentorum glossæ & sententię
Iohan.10. nobis confutatæ sunt. Christus quidem ait: *Ego & Pater vnum sumus.* Atquì hæretici ea Domini verba ad hanc sententiam perperàm detorquentes, aiebant, Patrem & Filium esse vnum, non natura, sed voluntate. Verùm in hos vir sanct⁹ eiusmodi oratione inuehitur: *Quid*
D.Hilarij cōtra Arianorū cōmentitias interpretatiunculas argumentum. *hic æquanimitatem, quid per uoluntatis assensum, animæ & cordis unitatē introducis? Fuerat nanque in uerborum copia & proprietate, ut si uoluntas unum esse eos faceret, Dominus ità precaretur: Pater, sicut nos unum uolumus, ità & illi unū uelint, & unum per concordiam simus omnes. Aut fortè qui Verbum est, significationem uerbi ignorauit? & qui Veritas est, loqui uera nesciuit? & qui sapientia est, in stultiloquio errauit? & qui uirtus est, in ea fuit infirmitate, nè posset eloqui, quæ uellet intelligi? Locutus planè ille est uera & syncera fidei Euangelicæ Sacramenta.* Neque solùm locutus est ad significationem, sed etiam ad fidem docuit &c. Hæc Hilarius.

Qua oratione si vir ille sanctus vanas & falsas Arianorū interpretatiunculas validè refutauit, quanto iustiorem nos Catholici causam habemus eundem in modum impios Sacramentarios refellendi? Si enim ea Domini mens fuisset, quam illi verbis eius falsa interpretatione affingunt, nimirùm ille, qui verbum ipsum, qui sapientia, qui veritas, qui virtus Dei est, eodem negocio quo dixit, *Hoc est corpus meum:* dixisset, Hoc significat corpus meum: vel, Hoc est symbolū corporis mei. At voluit ille hisce planè disertis & luculentis verbis, veri & syn-

ceri huius nostræ fidei Sacramenti rem ipsam & essentiam tam significanter exprimere, non solùm vt intelligeremus quid sit, sed etiam fidem nostram hisce eius verbis constanter accommodemus, nec de dictis eius vlla ratione ambigamus. Verùm hactenùs Hilarij testimonia produxisse satìs sit: alij iam non inferioris notæ testes adhibendi veniunt.

Mox post Eusebium Emisenũ & Hilarium in Christi Ecclesia prçclarè floruerunt patres celeberrimi atq; sanctissimi Basilius Episcopus Cæsareæ Capadociæ, qui ob incomparabilẽ vitæ sanctimoniam & eruditionem, Magni cognomen adeptus est: & Ephræm Syrus, Archidiaconus Edissenus, quem Hieronym⁹ testis est ad tantam venisse claritudinem, vt in quibusdam Ecclesijs scripta eius publicè recitarentur, cùm tamen Laodiceni Concilij Canone 59. cautum fuerit tum temporis, nè qui libri præter canonicos solos noui & veteris Testamenti, in Ecclesijs legerentur. Vt verò hi duo Patres veram catholicæ suorum temporum Ecclesiæ fidem de vera Christi in V. Sacramento præsentia, non minùs quàm illi, quos antè produximus, testatam reddiderint, iam partìm nos docebimus,

SANCTI EPISCOPI BASILII MAGNI TESTIMONIA.

BAsilius Magnus libro Quæstionum compendiò explicatarum, vel Regularum breuiorum interrogationç 172. quæ est, *Quanto cũ timore, qualiue cũ animi ꝑsuasione* (vel fide) *afflictioneue corpus & sanguinẽ Christi cõmunicare debeamus,* ait ante omnia fidẽ adhibendã esse verbis Domini, dicentis, HOC EST CORPVS MEVM. Eius verba hæc sunt: *De timore quidẽ habemus Apostolum, qui dicit: Qui manducat & bibit indignè, iudiciũ sibi manducat & bibit. Fidem autẽ faciunt uerba Domini, qui dixit,* Hoc est corpus meum, *quod pro uobis datur: hoc facite in meam cõmemorationem:* tanquàm diceret: Cùm sint verba hæc præpotentis filij Dei, non est quòd tuam hìc percontetis rationem, sed eius verbis simpliciter & incunctanter credens, nihil penitùs dubites de vera corporis eius in V. Sacramẽto prçsentia: certùs, ni ità feceris, temerè & in tuì damnationem ad illud sumendum te accedere. CAP. 45. Qua fide, & quo timore ad Eucharistiam eundum sit.

Sermone 2. de Baptismo ca. 3. sic habet: *Locutus est Dominus ad Mosen, dicẽs: Dic illis* (Aaroni & filijs eius) *in generationibus ipsorũ; Quis* Alij pro his sermonibus, libros duos quis ponunt.

quis hominum ab omni uestro semine, ad sancta, quæcunque filij Israel Domino sanctificant, in immunditia sua constitutus accedit, exterminabitur anima illius à facie mea. Ego Dominus. *Si tales minæ aduersùm eos positæ sunt, qui temerè ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificātur, quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim maius aliquid is est templo, secundùm Domini uocem, tanto grauius & terribilius est in animæ impuritate constitutum, corpus Christi temerè contingere, quàm sit accedere ad arietes uel tauros, dicente Apostolo:* Itaq; *qui edit panem, aut bibit poculū Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: immò uehementius ac terribilius iudicium per repetitionem exprimente, cùm dicit: Probet autem quisq; seipsum* &c.

Matth. 23.

Quod ait, Cōtingere, pro illorū temporū more accipiendū est: de quo plura diximus suprà in Tertulliani testimonijs.

Hoc loco perspicuum est, virum sanctum arietes & tauros veteris Testamenti, à vero præsentiq; Christi corpore, tanquàm figuras à veritate, distinguere. Eius sententia est, præsens Christi corpus in tali ac tanto mysterio, figuris veteris instrumenti tanto esse præstantius, quanto maior est templo ipse templi Dominus: verum quoquè Christi corpus non solo humano opere, sed omnipotenti Dei virtute in altari consecrari, ac deindè manibus & ore non dignorū tantùm, sed etiam indignorum hominum contingi & accipi, in illorum quidem salutem, horum autem exitium & damnationem.

Corpus Christi in V. Sacramento est res ipsa & veritas comparatione sacrificiorū priscæ legis.

Sed dicet fortassis quispiam: Quínam potest corpus illud inuisibile, manibus & ore cōtingi? Nimirùm per intermedias visibiles species, sub quibus illud continetur: sicut Imperatorem attingi dicimus, cùm non nisi vestis, qua indutus est, tangitur: & vt non minùs illius lęderetur maiestas, si quis quadam temeritate eius attrectaret vestē, quàm si nudum corpus contingeret: ità etiam hîc sentiendum est. Sed indè aliâs fusiùs.

Corpus Christi in Eucharistia contingi, qui accipiendum.

Extat huius sanctissimi Basilij sententia alia, qua multò etiam euidentiùs testatur, verum Christi corpus & sanguinem, adeoq; Christum, vitam ipsam in hoc celsissimo Sacramento substantialiter haberi. Est autē eiusmodi, in Epistola ad Cæsariam Patriciam: *Est id quidē pulchrum & multa cum utilitate coniunctū, quotidiè cōmunicare, & participē effici sacrosancti corporis & sanguinis Christi, sicut ipse manifestè*

Hæc Epistola extat Græcè.

dicit

dicit: *Qui manducat meã carnẽ, & bibit meum sanguinẽ, habet uitã æternã.* Iohan.6. *Neque enim dubium cuiquã esse potest, frequentẽ uitæ participationẽ, nihil esse aliud quàm pluribus modis uiuere.* En hic Basilius Sacramentum vitam appellat, vimq; illi viuificandi tribuit, hoc ipso indicans, Christum in eo substantialiter adesse.

Quorsum verò attinet plura Basilij coaceruare testimonia, cùm eius Liturgia, id est, ea qua ipse vsus est, Missæ forma extet, in qua præter cæteras eę, quæ sequũtur, pię admodùm precationes legũtur? *Attende Domine Iesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & ueni ad sanctificandũ nos, qui suprà cum Patre sedes, & hic inuisibiliter uersaris, & dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum, & preciosum sanguinẽ, & per nos toti populo.*

Videmꝰ hîc virũ sanctiss. Christi vnius omnipotentiæ id adscribere, vt simul & in cælis ad Patris sedeat dextram, & nihilo minùs nulla loci facta mutatione, nobiscũ versetur in V. Sacramento, ac potente manu sua impartiatur nobis verum corpus suum. Credidit enim Basilius certissimè, probeq; cognitum habuit, quicquid Christo visum sit facere, id eum etiam posse efficere: atque ità, quandoquidem diuinam hîc voluntatem suam luculenter prodidit, dicens, *Hoc est corpus meum:* simul etiam non posse non esse verissimum, quòd & ad patris assideat dexterã pro sua maiestate diuina, & nihilò seciùs ꝑ immensa diuinitatis suæ omnipotentia, nobis hîc sese in cibum conferat, & impertiatur in mysterio.

In eadem Liturgia est etiam ista precatiuncula: *Te ergò rogo, qui solus bonus es, & ad exaudiendũ propensus, respice in me peccatorẽ, & inutilẽ seruum tuũ, & purga animã meam & cor meũ à mala conscientia: & fac me uirtute sancti tui spiritũs idoneum, ut sacerdotij gratia indutus, huic sanctæ mensæ adsistã, & sanctũ & impollutũ corpus tuum, & sanguinem preciosum consecrem. Tu enim es, qui offers & offerris, & qui suscipis & impertis Christe Deus noster.* Nota, Sacerdotij gratia, id est, ordine sacerdotij.

Obserua hic, ex Christi institutione solos sacerdotes Christi corpꝰ & sanguinẽ cõsecrandi, & in Missa offerendi habere potestatẽ: quibꝰ duobus corporis eius veritas in Sacramẽto abundè demõstrat.

Transsubstantiatio.

Est ibi & ista precatiuncula: *Fac panē hunc, ipsum honorificū corpus Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi: quod autē est in calice isto, ipsum sanguinem Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi uita.*

Adoratio.

Quînam ille panis & vini in corpus & sanguinem Christi transmutationem manifestiùs tradere potuisset? tum verò etiam hoc innuit, Christum in Eucharistia adorandum esse.

Habetur ibì etiam hæc oratio: *Nos autē omnes qui ex uno pane & calice participamus, uni inuicèm ad unius spiritûs sancti cōmunionem, & fac ut nemo nostrûm ad iudiciū uel condemnationē sit particeps sancti corporis & sanguinis Christi tui, sed ut inueniamus misericordiā & gratiam cum omnibus sanctis.* Hactenùs Basilius in sua Liturgia.

Miraculo cōfirmatur certa Christi in V. Sacramēto præsentia.

Deniquè in Vitis Patrū habetur vita huius sanctissimi viri, authore Amphilochio Iconiensi Episcopo, in qua inter cætera mentio fit iam dictæ eius Liturgiæ: prætereaq; insigne Dei miraculum, ad confirmandam corporis Christi in Eucharistia veram præsentiam, hunc in modum recitatur: Quodam tempore collecta est multitudo infinita in Ecclesia, inter quos erat magnus Abbas Ephræm, & concionē habuit ad illos Basilius. Cùm autem idem ipse diuinum ageret ministerium, Hebræus quidam perindè vt Christianus populo se admiscuit, officij ministerium explorare volens, viditq; infantem in partes diuidi in manibus sancti Basilij. Et communicantibus omnibus, venit & ipse Hebræus, dataque est ei hostia, vera caro facta. Indè accessit ad calicem sanguine repletum, & ipsius factus est particeps: atque de vtrisque seruans reliquias, abiensq; in domum suam, ostendit vxori ad confirmationem dictorum, & narrauit quę suis ipse oculis conspexisset. Credens ergò verè, quòd horribile & admirabile esset Christianorū mysterium, altera die venit ad Basiliū, & ab illo baptizatus fuit cum omni domo sua. Sub finem einsdem vitę refertur, vt idem Basilius paulò ante sanctum obitum suum alium quendam Iudæum medicum baptizârit, & mysterijs viuificis communicârit, cumq; etiam ipse sanctissimum accepisset Sacramentum, piè in CHRISTO obdormiérit. Atque hactenùs quidem tanti Patris testimonia produxisse inpræsentiarùm satis esto Adiunxi autem

huic

huic testi grauissimo sanctum Ephræm, qui ob suam sanctitatem cumprimis illi charus, & in magno apud eum precio fuit, & miraculo huic, vt Amphilochius ait, præsens interfuit.

SANCTI EPHRAEM TESTIMONIA.

Diuus Ephrem, libro ad illos edito, qui filij Dei naturam (humana ratione) scrutari volunt, fidei suę de celsissimo Sacramēto haud obscura prębet documenta his verbis, quę illius libri cap. 5. leguntur: *Quid ergò scrutaris inscrutabilia? Si ista curiosè rimaris, non iam fidelis uocaberis, sed curiosus. Esto fidelis atque innocens. Participa immaculato corpori Domini tui fide plenissima, certus quòd agnum ipsum ipse integrè comedis. Ignis immortalis sunt mysteria* CHRISTI. *Noli ea temerè scrutari, nè in ipsorum participatione comburaris. Abraham patriarcha cælestibus angelis terrenos apposuit cibos, illiq; comederunt. Grande profectò miraculum, adspicere incorporeos spiritus in terra, carnium cibos edentes. Sed hoc sanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemq; sermonem, quod fecit nobis unigenitus filius Christus Saluator noster. Ignem & spiritum manducandum ac bibendum præstitit nobis carne uestitis, corpus scilicet ac sanguinem suum. Et quidem fratres cùm Christi Sacramenta non capiam, ulteriùs progredi non audeo, neque arcana illa sacratissimaq; mysteria rursus attingere. Neque si uoluero de his procaciter loqui, Dei Sacramenta compræhendere possum, sed ero temerarius, imprudens, & cum aëre irritis conatibus luctans. Aërem quippe ob tenuitatem suam penitùs tenère non possum. Illa nempe sancta & reuerenda mysteria, ingenij mei uires excedunt. Potiùs ergò glorifico Deum & patrem, qui per unigenitum ac dilectum filium suum, me peccatorem indignum corde simplici in se credentem saluare dignatus est, fugiens huiusmodi curiositates illicitas, omnemq; præsumptionem displicentem* DEO. *Mortalis ego sum, terrenus ex terra, effictus per gratiam ex humi natura. Agnosco humilitatem conditionis meæ, creatoremq; meum scrutari nolo. Terribilis enim est, naturaq; incōpræhensibilis. Benedico & adoro ipsius excellentissimam potestatem, in secula seculorum, Amen.* Hucusquè Diuus Ephræm.

CAP. 46.

In Eucharistia agnū Dei integrè accipimus.

Eucharistia viuus & immortalis est ignis.

Gen. 18.

Magnitudo miraculi in V. Sacramento.

Non poterat sanè vir ille sanctus hisce de rebus magìs luculenta oratione vti, neque impiam Aduersariorum nostrorum incredulitatem ac temeritatem damnare euidentiùs. Fatetur ille in hoc V. Sacramento immaculatum Domini corpus, & ipsum Dei agnum integrè haberi, sumi & comedi: neque iam panem esse, sed cælestem ac immortalem ignem, huiusq; Sacramenti mysteria omnem intellectum & sermonem excedere, nec posse ea comprehendi: atq; ea causa nullius hominis rationem & ingenium sibi persuadere debere, illa se posse scrutari: id enim nihil esse aliud, quàm luctari cum aëre. Deniquè concludit, mortales nos & terrenos homunciones, missa omni curiositate, tanto tamq; excellenti ꝓ beneficio, Deo laudes gratesq; agere debere.

Aduersarijs quid deficiat.

Verùm Aduersarijs nostris, quod in aperto est, hoc sanè deficit, quòd hac in parte Dei verbis fidem commodare non possunt, quandoquidem ratione hæc nequeunt comprehendere. Itaque perpetuò illi in sua hærét incredulitate. Interìm summo studio in eam incumbunt curam, vt vel vnam possint voculam apud hosce duos Patres vspiàm deprehendere, quam ad execrandæ suæ superstitionis assertionem detorquere ac deprauare queant. Tandèm ex Basilij Liturgia id adferunt, quòd vir sanctus V. Sacramentum etiam à consecratione ἀντίτυπον corporis Christi vocet. Et possent illi fortaßìs etiam ex D. Ephræm libro memorato, 4. cap. similem proferre voculam, ybì ista leguntur: *Inspice diligenter, quomodò sumens in manibus panē, benedicit ac frangit in figura immaculati corporis sui, calicemq; in figura pretiosi sanguinis sui benedicit, & tribuit discipulis suis.*

Aduersariorū obiectio.

Sacramenti partitio cōfit, vt crucifixionē & profusionē sanguinis Christi refe at.

Atquì ex his & id genus alijs verbis nihil illi omninò in suas partes torquere possunt. Sanè quòd ad Basilium attinet, testantur Damascenus lib. 4. cap. 14. & Euthymius in cap. Matthæi XXVI. eum sacra altaris munera vocâsse quidem ἀντίτυπα, id est, exemplaria, non tamen post sanctificationem vel consecrationem, sed priusquàm sanctificentur & gratiam cælestem accipiant.

Obiectionis dilutio.

Postmodùm verò contigit fortaßìs eam dictionem ἀντίτυπον, à quodam imperito inter describendum, vt plerunquè accidit, imprudenter suo loco motam, aliò transferri, ità vt in ijs quæ hodiè extant exem-

exemplaribus, etiam post consecrationem habeatur. Verùm vtcunquè sit, id in confesso est, Basilium veram corporis Christi in V. Sacramento præsentiam, certò & credidisse & docuisse, vt eius Liturgia luce meridiana clariùs id probat, & tam Damascenus quàm Euthymius testantur, ea tempestate indubitatam illam catholicæ Ecclesiæ fidem fuisse: deindè palàm est, voculam hanc, ἀντίτυπον, quocunque ea loco habeatur, nihil pro Aduersarijs facere.

Vt enim iam antè crebrò dictum est, obseruandum est, præstantissimum hoc Sacramentum è duobus constare, nempe externa visibili specie, & re cælesti, sub ea inuisibiliter contenta. Porrò ratione externarum specierum V. Sacramentum etiam à consecratione non absurdè ἀντίτυπον adhuc vocatur: tum propterea quoquè, quòd externa V. Sacramenti fractio & partitio crucifixionem & fusionem sanguinis CHRISTI refert & significat: deniquè etiam illam ob causam, quòd CHRISTI corpore necdùm illo fruamur modo, quo in vita futura illo fruituri sumus. Habemus quidem hîc Christum re vera & substantialiter, sed tectum adhuc & in mysterio sub speciebus externis latentem. In futuro autem seculo videbimus eum facie ad faciem, & non per speculum, sed sicuti est in suæ maiestatis veritate. Quò facit etiam illud, quod in quadam sanctissimæ Missæ Oratione, quam collectam vocant, Ecclesia ità precatur: Vt quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus, scilicet gloriosa illa iucundissimaque contemplatione. Hoc igitur pacto, si vocem hanc ἀντίτυπον apud Basilium accipiamus, nihil ea Aduersarijs suffragatur.

Qua ratione V. Sacramentum possit ἀντίτυπον dici.

In præsenti Ecclesia habemus, Christū in mysterio: porrò in futura vita videbimus eum facie ad faciem.

Porrò quòd ad Diui Ephræm verba attinet, perspicuum est, ijsipsis id eum indicare velle, V. Sacramenti partitionem non nisi secundùm externas species fieri, quæ figura sunt præsentis & sub ijs contenti corporis Christi, quod vtiquè non frangitur nec diuiditur, quandoquidem Christus Dominus indiuiduus, & post fractionem sub qualibet particula totus & integer perseuerat. Tum quoquè, externam fractionem, crucifixionis & fusionis sanguinis Christi sacram quandam figuram & repræsentationem esse, quam sententiam posteà perspicua magis oratione Prosper expressit in sententijs Augu-

D. Ephræm externarum specierū partitionē, Christi passionem referentē, figurā vult esse, nō ipsum Christi corpus in V. Sacramento contentum.

C. cùm frangitur. De cõsecr. dist. 2. Augustini, hunc in modum: *Dum frangitur hostia, dum sangui sde calice in ora fideliũ funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusq; sanguinis de latere effusio designatur?*

Atque hic iam in præsens colophonem addimus testimonijs tam Basilij quàm Ephræm sanctissimorum Patrum: atque porrò accedimus ad alios duos Patres, illis ferè æquales & synchronos, putà, Gregorium Nazianzenum & Gregorium Nyssenum, quorum posterior frater fuit Basilij Magni: prior verò eundem Basilium haud alitèr atquè germanum fratrem, vt ex vtriusque scriptis licet colligi, amore complexus est.

SANCTI GREGORII NAZIANZENI TESTIMONIA

CAP. 47. Gregorius Nazianzenus, cuius testimonia primò producemus, ea fuit præstantia & authoritate, vt pro insigni eruditione, sacrarumque literarũ cognitione & peritia, præ alijs Theologi cognomen, perindè ferè vt Paulus Apostoli, adeptus sit. Hortatur autem ille Oratione 4. in sanctum Pascha, populum ad religiosam sanctissimi huius Sacramenti perceptionem his verbis: *Absque confusione & dubio comede corpus, & sanguinẽ bibe, si saltem vitæ desiderio teneris: neque sermonibus, qui de carne habentur, fidem deneges, neque ob passionem offendaris. Constans esto, firmus, stabilis: in nulla re propter aduersariorũ sermones fluctues.* Hæc ille.

An non tibi videtur, amicè Lector, vir sanctus tot antè seculis & te & quoscunque alios hac sua tam seria oratione accuratè compellare, & summa fide cõmonere voluisse, nè illis Domini verbis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, fidẽ deneges tuam, vt hodiè faciunt increduli Sacramentarij? & nè qua ratione ab ijsipsis Aduersarijs in fraudem impelli te sinas?

Verbis illis, Hoc est corpus meũ, simpliciter fides adhibẽda est.

Habuit ille hanc concionem ad populum suum eo animo, vt veritatem simpliciter eis traderet. Instituit autem illos, hortaturque ad salutarem communionem hisipsis tam simplicibus & rotundis verbis, Comede corpus & sanguinem bibe: non ait, Ede figuram corporis, aut sanguinis figuram bibe: immò etiam annectit, Si saltem vitæ desiderio teneris &c, quam sanè vitam figura non confert, sed vitale Christi corpus.

In Eucharistia vitã edimus & potamus.

Erant

Erant tum in eius populo, qui animis perturbarētur, cùm de perpeſſione, & ſanguine, & morte Dei, ſermo haberetur. Nec ſecùs illi afficiebantur, quàm ſi Deum ab huiuſmodi horrendis perpeſſis iniurijs & ignominia, tueri ac vindicare vellent. Eos igitur monet, vt ſuſtētatiuo Domini baculo, id eſt, diuino eius verbo innitātur, illoq́; ſe firment, nè alicubì eiuſmodi carnali conſideratione & cogitatione impingant & labantur, & ſacrilegi eſſe videantur. Addit verò illis animum, tanquàm abhorrentibus à Dei ſui percipiendo corpore & ſanguine, vtì nè ob id genus incidentes animo cogitationes, à ſacra cōmunione abſtineant, ſed abſq; vlla hęſitatione cum firma fide accedant, eiusq́; & edant corpus, & ſanguinem potent. Quæ illius tam fida & ſeria adhortatio, prorſus ieiuna, frigida & inſulſa videretur, ſi ea non niſi de figura accipienda foret. Pſal. 22. Carnalibus cogitationibus & affectibus nullus hic locus eſt.

Eadem porrò oratione diſtinguit vir ſanctus paſcha legale, quo olim Iudęi veſcebantur, ab illo quod nos in nouo Teſtamento in V. Sacramenti myſterio edimus: & vtrunq; tam veteris quàm noui Teſtamenti paſcha, ab illo quod Chriſtus Dominus nobiſcum in futuro ſeculo, in regno Patris ſui manducabit. Eius hęc ſunt verba: *Cæterùm iā Paſchæ fiamus participes, figuraliter tamen adhuc, etſi Paſcha hoc ueteri ſit manifeſtius. Siquidē Paſcha legale, audenter dico, figuræ figura erat obſcurior: at paulò pòſt illo perfectiùs & puriùs fruemur, cùm Verbum ipſum biberit nobiſcum in regno Patris nouum, detegens & docens, quæ nunc mediocriter oſtendit. Nouum enim ſemper exiſtit id, quod nupèr eſt cognitum, &c.* Diſcrimē inter priſcæ, nouæq; legis, & futuræ vitæ paſcha.

Obſerua hîc pie Lector, quantoperè vir ſanctus eam Pauli doctrinam animo penſitārit, quę eſt ad Hebręos cap. 10. vbì ea quæ futuræ ſunt vitę, res ipſas: quæ autem noui ſunt Teſtamenti, ipſam imaginem rerum: deniq; Teſtamentum vetus, imaginis vmbrā vocat. Hanc enim doctrinam Nazianzenus ad altaris Sacramentum accommodat, eſtque hęc eius ſententia: Tametſi ex priſcæ legis tenebris extracti ſumus, necdùm tamen in plena luce nos verſari, quam in futuro demùm expectamus ſeculo, vbì res ipſas perſpicuè conſpiciemus & cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus. Res. Imago. Vmbra. 1. Cor. 13.

Summa hęc eſt: Veteris Teſtamenti Sacramenta non niſi meras

T quaſdam

quasdam futurorum figuras & vmbras fuisse: at noui Testamenti Sacramenta nõ futurorum vmbras, sed figuras esse rerũ præsentiũ, quę sub ipsis in mysterio quidem, sed tamen substantialiter contineantur ac porrigantur: tandèm verò in cælis figuras omnes prorsus desituras & abolẽdas esse, ibiq; nos ea omĩa quę hîc tecta & operta sunt, facie ad faciem clarè visuros.

Cur Dominus pascha illud, quod in cælis nobiscũ celebraturus est, nouũ dixerit.

Atq; vt in his Nazianzenus probè caperetur, docet, in Cœna sua Dominum propterea dixisse, se pascha suum nobiscũ nouũ bibiturũ in regno cælorũ: non ꝙ nos tunc aliud simus corpus habituri, quod modò non habeamus, sed ꝙ illud idẽ corpus, quod hîc in Eucharistia in mysterio quidem, sed tamẽ substantialiter habemus, illic alia ratione, quæ nobis propterea noua erit, i. sinè vllo mysterio, inuolucro & integumẽto, conspicuũ, clarũ, manifestum in perspicua cognitione, & iucundissima perenniq; fruitione habebimus.

Alia Nazianzeni testimonia.

Possem equidem plura huius sancti viri ex alijs eius monumentis testimonia ꝓferre, vt verbi gratia, inter alia, ex prima oratiõe in impiũ apostatã Iulianum, vbi ait, *per incruẽti sacrificij oblationẽ nos Christo uniri, & diuinitatis ac passionis eius participes reddi* &c. Item ex oratione funebri in Basilium Magnũ, *ubi queritur quosdam inter altaria saltâsse, sacrificiaq; incruenta hominũ & sacrificiorũ sanguine cruẽtâsse* &c. Ex carminibus etiam, vbi ista leguntur: *O sacrificia mittẽtes incruenta sacerdotes, O animarũ gloriosi custodes, O magni figmentũ Dei in manibus uestris ferentes* &c. Verùm inpræsentiarũ breuitatis studio sat habeo loca indicâsse. Deniquè grauissimũ illud eius testimonium, non solùm de vera ꝑsentia, sed etiam adoratione Christi in V. Sacramẽto, quod in Epitaphio Gorgoniæ sororis extat, suo loco reseruamus, & ad D. Gregorium Nyssenum procedimus.

S. GREGORII NYSSENI TESTIMONIA.

CAP. 48.

GRegorius Nyssenus libro de vita Mosis, de hoc pręcipuo sacramento scribit hunc in modũ: *Oportet fide, baptismate, labore, omni uirtute, omni euangelica doctrina, mundos purosq; animos nostros reddere, ita ut omninò alienigeni mores, & Aegyptiaca uita, uitiorum scilicet omniũ turba, nos deficiat, & demùm depurato defæcatoq; animo cælestẽ cibum sumere, quẽ nulla nobis satio agri-*

culturæ artibus produxit: sed panis est absq; semine, absq; oratione, absque alio humano opere nobis paratus. Is desuper defluens, in terris inuenitur: panis enim qui de cælo descendit, qui uerus cibus est, qui ænigmaticè hac historia (de mãna) significatur, nõ incorporea quædã res est. Quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? Res uerò quæ incorporea non est, corpus omninò est. Huius corporis panẽ non aratio, nõ satio, nõ agricolarũ opus effecit, sed terra intacta permãsit, & tamen pane plena fuit, quo famescentes, mysterium uirginis perdocti, facilè saturantur. Hæc Nyssenus. Luc. 1.

Verba hęc luculenta sunt, quibus vir sanctus inter cætera docet manna olim cęlestis huius cibi, quem nos iam in sacramento sumimus, figuram fuisse. Describit porrò veram huius cibi rem vel substantiam, dicens esse panem qui de cælo descẽderit, esse corpus Christi, quod in sacratissimæ virginis Mariæ vtero absq; vllo viri opere effictum sit, quodq; & in cęlis sit, & in terris inueniatur: sit etiam verum corpus, siquidem alioqui corpori cibus esse, id est, per os & corpus ingredi & accipi non posset: sit deniquè cibus, qui esurientes omnes, repurgato pectore accedentes, exatiet. Qua tandèm ratione, obsecro, manifestiùs euerti & profligari possit Sacramentariorum abominandus error, quo illi implicati, negãt nos Christi corpus ore & corpore recipere?

Manna typus corporis Christi in Eucharistia.

Christi corpus in Eucharistia, corporis pariter & animæ cibus est.

Libet adhuc aliud huius viri testimonium sanè memorabile & insigne proferre, quod quidem Euthymius in sua Panoplia, parte 2. Titulo 21. de trãsmutatione Dominici corporis & sanguinis, ex oratiõe illius catechetica extractum, depromit hũc in modũ: *Quemadmodùm qui per insidias uenenũ hauserunt, alio medicamento uim illius extinguunt: oportet autẽ, ut ad ueneni similitudinẽ medicamentum in uiscera ingrediatur, ut per illa totum in corpus auxiliũ diffundatur: ità nobis faciendum est, ut cùm uenenum, quo natura nostra dissoluitur, gustauerimus: medicamentum, quo illa contrahitur, suscipiamus, ut uirus illius, cõtraria & opportuna huius ui repellatur. Quodnã et hoc medicamentum? Nullũ aliud, nisi corpus illud, quod morte præstantius declaratum est, & nostræ salutis causa. Quemadmodùm enim parùm fermẽti, ut inquit Apostolus, totã massam sibi similẽ reddit: sic & corpus illud, quod à Deo factũ est immortale, in nostrũ corpus*

Corpus Christi, quod mortẽ vicit, & nostræ salutis causa est, in Eucharistia in salutare infirmitatis nostræ medicamentũ percipitur.

 ingre-

ingrediens, totum in se transfert atq; cõmutat. Nam *ut pestiferũ cũ salubri cõmixtum, illud efficit perniciosum: sic & corpus immortale reddit totum illud, in quo susceptũ est, naturæ similis immortale. In corpus autem ingredi non potest, nisi per cibũ & potũ uisceribus immisceatur. Itaq; necessariũ est, ut natura nostra, quoàd eius fieri potest, uim salutarẽ intra corpus admittat. Cùm autẽ nullũ aliud, nisi diuinũ illud corpus, eã gratiã susceperit, demonstratũq; sit, fieri non posse ut nostra corpora consequantur immortalitatẽ, nisi cũ immortali corpore coniungantur, atque ità incorruptionem acquirant: considerandũ est quomodò fieri queat, ut cùm unũ illud corpus assiduè per totũ orbẽ terrarũ tot fideliũ millibus impertiatur, totũ cuiusque per partẽ euadat, & in seipso totũ permaneat. Verùm ut fides nostra rectè progrediens ordine, nullã ex quæstione proposita dubitationem relinquat, operæprecium est, ut corporis naturã parumpèr consideremus. Natura igitur corporis nostri non ità per se consistit, ut proprio quodam in statu uitam habeat: sed per affluentem ad se facultatẽ sese conseruat, perpetuoq; motu in essentia sua perseuerat, tum ad se attrahens id quod deficit, tũ expellens quod superuacaneum est. Atque hæc quidem potentia & est, & appellatur nutritiua. Nec eadẽ tamen est omnibus corporibus, quæ nutriuntur: sed cõmoda cuiq; tributa est ab eo, qui naturã moderatur & regit. Eorũ enim quæ uiuunt, partim radicibus nutriuntur, partim herba uescuntur: nonnulla carnibus, homo autẽ pane potissimùm: & ad humidi conseruationẽ aquã bibit, eãq; quo caliditatẽ in nobis insitã tueatur, uino miscet, suauioreq; reddit. Qui igitur ad hæc respicit, potentia respicit ad molẽ nostri corporis. Cùm enim in nobis sunt, sanguis & corpus euadũt, nutrimẽto per potentiã alteratiuã in corporis speciẽ immutato. His ità cõsideratis, ad propositũ reuertamur. Quærebatur, quò unũ illud Christi corpus, omniũ hominũ in quibus est fides, naturã uiuificaret, & in oẽs ità distribueretur, ut nullã imminutionẽ subiret. Haud procul fortassè erimus ab huius rei intelligẽtia.* Nã *omne corpus ex nutrimẽto subsistit & confirmatur, quod quidẽ nutrimentũ ex cibo cõstat & potu. Cibus autẽ est panis, & potus est aqua uino mixta. Porrò* Dei *uerbũ ità naturæ humanæ coniunctũ est, & corpus nostrũ assũpsit, ut eius naturæ non aliã nouã constitutionẽ adhiberet, sed soli-*

Cur Dominus corporis & sanguinis sui V. Sacramentũ sub panis ac vini aqua mixti specicbus instituerit.

Natura corporis nostri ad requirat.

Quo pacto Christi vnum corpus, quod in Eucharistia sumitur, mortalium oĩm, in quibus fides est, naturam viuificet.

tis ipsum rebus aleret & sustẽtaret, nẽpè cibo & potu. Cibus uerò erat panis, quemadmodùm & noster, ut iam dictum est. Sicut autem qui panem uidet, quodammodò corpus uidet humanũ, quoniam panis in corpore existens, corpus euadit: ità diuinum illud corpus, panis nutrimentum accipiens, idem quodammodò erat cum illo cibo, ut diximus, in eius corporis naturã immutato. Quod enim carnis cuiusq; proprium est, id etiam illi conuenisse confitemur. Nã & corpus illud pane sustentabatur. Corpus autẽ propterea, q̃ Deus uerbũ in illo habitauit, diuinã obtinuit dignitatẽ. Quamobrem rectè nunc etiam Dei uerbo sanctificatũ panẽ, in Dei uerbi corpus credimus immutari. Etenim corpus illud panis erat potentia: sanctificatum est autem habitatione uerbi, quod in carne habitauit. Itaq; qua ex causa panis in eo corpore mutatus, in diuinã uirtutẽ transijt, eadem de causa nunc etiã idẽ fit. Vt enim illic Verbi Dei gratia sanctũ effecit illud corpus, cuius firmamentũ ex pane constabat, & ipsum etiam quodammodò panis erat: sic etiã hic panis, ut ait Apostolus, per uerbũ Dei & orationẽ sanctificatur, non quia comeditur, eò progrediẽs, ut Verbi corpus euadat, sed statìm per uerbũ in corpus mutatur, ut dictũ est, à Verbo, quoniã Hoc est corpus meũ. Cæterùm cũ omnis caro etiã per humidũ nutriatur, neq; enim sine humidi coniunctione, quod in nobis humidũ est, in uita potest permanere, quẽadmodùm per solidũ firmumq; cibũ corporis soliditatẽ confirmamus, sic etiã ex natura simili adaugemus: quæ cùm in nobis est, à facultate alteratiua sanguis efficitur, præsertim si per uinum eam accipiat uim, ut in calidũ conuertatur. Quare cùm diuina illa caro partẽ etiã hanc ad se sustentandum acceperit, Deus autem, qui nobis se patefecit, idcircò naturæ mortali seipsum coniunxerit, ut eam coniunctione sua diuinã redderet, ideò cunctis credentibus gratiæ dispensatione seipsum impertit per carnẽ, quæ ex uino & pane constituitur, fideliumq; corporibus coniungitur, ut ea coniunctione cũ immortali, homo etiã immortalitatis particeps fiat. Hæc autẽ tribuit uirtute benedictiõis, in illud (corpus suum) rerum quæ uidentur, naturam mutans. Hucusquè Gregorius Nyssenus, q̃ quidẽ de diuina transsubstantiatione multò scribit apertiùs & euidentiùs, q̃ quisquam vnq̃ antehàc doctor scholasticus: cumq; eius oratio adeò sit illustris, meo quidẽ iudicio, longiori

Christi corpus, q̃ diù in terris egit, cibo & potu, perindè atq; nostra corpora, sustentatum est.

Vt panis, quo Christus in terris vescebatur, in eius deificatũ corpus immutatus fuit, ità etiã panis in idẽ eius corpus cõsecratione mutatur.

Verũ Christi corpus in Eucharistia non propterea est q̃ sumitur, sed vi verborum cõsecrationis.

Sicut vinum, quod Christus in terris bibit, in eius carnẽ & sanguinẽ trãsijt: ità vinũ aqua mixtũ, in eadem conuertitur cõsecratione, vt nobis immortalitatis præstẽt alimoniam.

 explicati-

explicatione opùs non habet, prçter eas, quas in marginibus adſcripſimus, annotatiões. Certè quiſqs eius verba ſtudioſè lectitârit, modò pius illi non deſit animus, ea ſe legiſſe gratulabitur. Verùm his illius teſtimonijs in prçſens contenti, ad duos alios teſtes nos conferimus, ſanctum Epiphanium Cypri Epiſcopum, & Theophilũ Alexandrinum Patriarcham, qui temporibus Valentiniani, Valentis, Gratiani & maioris Theodoſij Imperatorum floruêre.

SANCTI EPIPHANII TESTIMONIA.

CAP. 49.

Diuus Epiphanius libro, qui Ancoratus inſcribiť, inter cætera probare conatur, id inprimìs çquũ eſſe ac decens, vt ſinè vlla curioſitate & hæſitatiõe Dei opera certò ſimpliciterq́; credamus, nec in ijs vllas captemus intempeſtiuas allegorias, quod Origenes ſubindè fecerit. Ait nobis credẽdum eſſe, Deum nos feciſſe ad imaginẽ & ſimilitudinem ſuã, tametſi id capere nequimus. *Eſt*, inquit, *in homine id quod eſt ſecũdùm imaginẽ* Dei, *Deus aũt ipſe nouit, quomodò eſt*. Idq́; propterea nos vult credere debere, ꝙ ſcripta diuina nobis ità teſtenť & tradãt. Deindè porrò ait, plura eſſe eius generis alia q̃ capere quidẽ nõ poſſimus, & tñ credere debeam⁹: vt quandoquidem Dñs ait, HOC EST CORPVS MEVM, quẽlibet ea ſimpliciter & vt ſonant, citra allegoriã accipere, eiſq́; oĩnò fidẽ adhibere, ꝙ ipſius Dñi verba ſint, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS. Epiphanius quidẽ ſic habet: *Et quot ſunt, quæ ſimilia ſunt? Videmus enim, ꝗ accepit Saluator in man⁹ ſuas, ueluti Euãgelium habet, ꝗ ſurrexit in cœna, & accepit hæc, & ubi gratias egiſſet, dixit:* Hoc *meũ eſt, hoc & hoc. Et uidemus ꝗ non æquale eſt, neq; ſimile, non imagini in carne, non inuiſibili deitati, non lineamentis membrorum.* Hoc *enim eſt rotundæ formæ & inſenſibile, quantùm ad potentiã. Et uoluit per gratiã dicere,* Hoc *meum eſt, hoc & hoc: & nemo non fidẽ habet ſermoni. Qui enim nõ credit eſſe ipſum uerũ ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute. Quod aũt audiuimus, id credimus ꝗ eſt ipſius. Dominũ uerò noſtrũ nouimus totũ ſenſum, totũ ſenſitiuũ, totũ* Deũ, *totũ monentẽ, totũ operantẽ, totũ lucẽ, totũ incõpræhenſibilẽ, ſed q cũ gratia hoc nobis largitus eſt.* Hactenùs Epiphanius. Diſcimus ex his eius viri verbis, q̃ credentium oĩm illius ætate de prçſtantiſſimo hoc Sacramento fides fuerit: nempè, ſinè vlla

Chriſti verba, Hoc eſt corpus meũ, citra allegoriam accipienda.

Epiphanij ætate quæ de

vlla hæsitatione credidiſſe eos, virtute verborum Chriſti dicentis, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, certò coràm adeſſe verũ corpus & ſanguinẽ illius, quanuìs neq; membrũ vllũ, neq; quicquã corpori eius iuxta externam ſpeciem ſimile & conſentaneũ illic videat: immò oĩbus id fuiſſe perſuaſiſſimũ ac certiſſimũ, adeò vt ſi quis credere id noluiſſet, eum à gratia & ſalute excidiſſe. Quod ſi ità eſt, quã ſibi gratiam & ſalutẽ Sacramentarij polliceri debeant, ipſi viderint. Eucharistia Christianorũ fides fuerit. Aduerſarij noſtri ab omni gratia & ſalute excidunt.

Et vt ſummatìm dicã, hæc ſancti viri huius conſtans ſententia eſt, *nòs citra curioſitatem & abſq; malignitate, Deo vera in omnibus dicenti credere oportere, etiamſi capere non poßimus: maximè verò curioſiùs perſcrutari nòn debere dona Dei, per gratiam homini data. Credentium enim eſſe confiteri Scripturam, & non negare: incredulorum verò, gratiam reprobare.*

Ait eodem loco, *à Moſe & mari incepiſſe figuram, eandemq; à Iohanne apertam eſſe, in Chriſto verò perfectum eſſe donum.* Iohan. 6.

Quòd verò ait, Dñm totum eſſe monentem &c. ijs verbis videtur mihi ad illam D. Irenæi ſententiam alluſiſſe, q̃ ex lib. 4. cap. 32. ſuprà allata eſt, qua aſſerit Irenęus, *Dñm ſuis diſcipulis dediſſe conſilium, primitias vt offerrent Deo ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi nec ingrati ſint, cùm qui ex creatura panis eſt, accepit & gratias egit, dicens:* HOC EST CORPVS MEVM.

Denique hoc loco notatu dignum eſt in Epiphanio, apud veteres Euchariſtiæ panem ſecundùm externam ſpeciem eiuſdem formæ & figuræ fuiſſe, cuius hodieq; apud nos eſt. Et hactenùs quidem ſatìs ſit, Epiphanium teſtem produxiſſe. Eucharistiæ forma rotunda.

THEOPHILI EPISCOPI ALEXANDRINI TESTIMONIA. CAP. 50.

THeophilus Alexãdrinus, quẽ Epiphanio ſociũ adiunxim' teſtẽ, libro Paſchali primo, vbì Origenis opinionẽ illã, ꝙ Spirituſſanctus nõ opereť in ea, q̃ inanima ſunt, ceu falſam reijcit, inter alia veritati corporis Chr̃i in hoc V. Sacramẽto, his verbis dicit teſtimoniũ: *Dicit* (Origenes) *Spiritũſanctũ nõ operari in ea q̃ inanima ſunt, nec ad irrationabilia puenire. Quod aſſerens, nõ recogitat aquas in baptiſmate myſticas aduẽtu Sanctiſpiritûs cõſecrari, panemq; Dñicum, quo Saluatoris corpus oſtẽdit, & quẽ frangimus in ſanctificationẽ noſtrî, & ſacrũ calicẽ, q̃ in mẽſa collocant, & vtiq; inanima ſunt, p inuocationẽ & aduentũ S. ſpiritus ſanctificari.* Spirituſſanctus in inanima agit & operatur ſanctificatione. Domini Seruatoris corpus ſub panis ſpecie oſtenditur.

Itemq; libro 2. Paſchali, rurſus Origenem, ex Platonica Philoſophia Conſecratio præuiam Dei

per sacerdotes inuocatione requirit. phia asserentem, dæmones tandem redituros ad beatitudinem, confutans, ità ait: *Consequens est, vt qui priora susceperit, suscipiat & quæ sequuntur: & qui pro dæmonibus Christum dixerit crucifigi, ad ipsos quoque* Origenem dicit. *dicendum esse suscipiat, Hoc est corpus meum: &, Accipite & bibite: hic est sanguis meus. Si enim & pro dæmonibus crucifigetur, vt nouorum dogmatū assertor adfirmat, quod erit priuilegium, aut quæ ratio, vt soli homines corpori eius sanguiniq; communicent, & non dæmones quoquè, pro quibus in passione sanguinem fuderit?* Hæc Theophilus.

Obseruetur hîc, vt in priori sententia testetur creaturas panis & vini aduentûs & operationis spiritussancti esse capaces, eumq; efficere, vt quæ priùs inanima erant, corpus & sanguis Christi fiant, in ijsq; à consecratione Christi corpus ostendi. *Panem enim,* inquit, *Dominicum, quo saluatoris corpus ostenditur.*

In altera sententia quandoquidem sanguinem V. Sacramenti, in cruce fuso sanguini confert, quodq; idem sanguis qui in cruce fusus est, etiā in V. Sacramento ꝓbeatur, his Christi verbis ꝓbat, HIC EST SANGVIS MEVS: facilè indè potest colligi, eius ęuo hanc fuisse fidē planè inconcussam, in sanctiss. Sacramento Christi sanguinem re vera & substantialiter haberi. Hoc enim ille cōtra Origenem argumento vtit: Consequens est, vt qui passionis Christi beneficium agnoscit, is etiā corporis & sanguinis eius in Eucharistia sit particeps, vt illi eius bibant sanguinem, pro quibus fusus est: & sicuti reuerà fusus est, sic etiam verè bibatur.

His igitur ex Epiphanio & Theophilo productis, ab illis iam ad alios non minoris authoritatis, putà sanctiss. Hieronymum & Hesychium progredimur, qui ambo D. Gregorij Naziāzeni discipuli fuêre, & sub Theodosio seniore & filijs eius clari extitére.

BEATI HIERONYMI, S. ROMANAE ECCLESIAE PRESBYTERI, TESTIMONIA.

CAP. 51. DIuus Hieronymus in Matthæi cap. 26. sic habet: *Postq̄ typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis* Psal. 103. *comederat, assumit panem qui confortat cor hominis, & ad verū Pascha transgreditur sacramentum: vt quomodò in præfigura-* Gen. 14. *tione eius Melchisedech summi Dei sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoquè veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret.*

Nihil

Nihil poterat dici euidentius ad demonstrandam in Eucharistia veram ac realẽ siue substantialẽ corporis & sanguinis Christi p̃sentiã.

Ait Christum cœnam veteris Paschatis absoluisse,ac deindè ad veri & noui Paschatis Sacramentũ esse transgressum:itemq; vt Melchisedech non nisi in prefiguratione eius panem & vinum obtulerit,ità ipsũ veritatẽ sui corporis& sanguinis rep̃sentâsse ac p̃sens exhibuisse.

Et vt paucis multa complectar,idẽ hîc probat & asseuerat D. Hieronymus,quòd suprà in nono Scripturæ Testimonio commemoratum est:vtiturq; Repræsentandi voce perindè vt Tertullianus, pro, præsens exhibere.

Porrò Epistola vel libro ad Hedibiam,Quæst.2.aduersùs Chiliastas, qui ex illis Domini verbis, *Dico autem vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsq; in diem illum, quo bibam illud nouum vobiscum in regno Patris mei* &c.occasionem arripiebant somniandi Christum rediturum,& hîc mille annis corporaliter regnaturum, & bibiturũ vinum,quod ex illo tempore vsq; ad consummationem mundi non biberit,scribit hunc in modum : Nos *autem audiamus panẽ, quem fregit Dominus,deditq; discipulis suis, esse corpus Domini Saluatoris, ipso dicente ad eos:Accipite & comedite:*Hoc *est corpus meum: & calicem illum esse,de quo iterùm locutus est:Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus noui Testamenti,qui pro multis effundetur.Iste est calix,de quo in Propheta legimus:Calicem salutaris accipiam. Et alibi: Calix tuus inebrians quàm præclarus est.Si ergò panis qui de cælo descẽdit,corpus est* Domini, *& uinum,quod discipulis dedit,sanguis illius est noui Testamenti, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum,Iudaicas fabulas repellamus &c.* Chiliastæ. Psal. 115. Psal. 22.

Et paulò infrà:*Nec Moses dedit nobis panem uerum,sed Dominus Iesus:ipse conuiua,& conuiuium:ipse comedens,& qui comeditur.Illius bibimus sanguinem,& sine ipso potare non possumus: & quotidiè in sacrificijs eius de genimine uitis ueræ,& uineæ Sorec,quæ interpretatĩ electa,rubentia musta calcamus,& nouum ex his uinũ bibimus de regno Patris, nequaquã in uetustate literæ, sed in nouitate spiritûs,cantantes canticum nouũ, quod nemo potest cantare,nisi in regno Ecclesiæ,quod regnũ patris est.&c.*

Gregorius Nazianzenus vini noui potationem accipit de perfecta illa satietate,qua in cælis potiemur. Vide suprà in eius testimonijs.

Quorũ verborum hæc mens est & sententia,nouum vinum,quod

Christus promiserit se nobiscum bibiturum in regno patris sui, verè esse corpus & sanguinem suum noui Testamenti, quem ille iam quotidiè nobiscum bibat in regno Patris sui, i. sancta Ecclesia sua, extra quam nemo illum salubriter potare possit: ipsumq; Christum nobiscum bibere, cùm nos sinè illo eum potare non possimus: itaq; fabulas esse Iudaicas, illum post mille demùm annos vinũ nouũ bibiturũ.

In Psalmi quoq; 104. versum illum, Pane cęli saturauit eos, sic scriptũ reliquit: *Sicut enim illi de cælis fluẽte manna refecti sunt, ità nos hodiè in Ecclesia corpore agni accepto reficimur.*

Item in Psal. 109. versum illum, Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech, scribit hunc in modum: *Hoc solùm dicamus, quarè dixerit, secundùm ordinem.* Nequaq̃, inquit, *sacerdos eris secundũ Victimas Iudaicas, sed eris sacerdos secundùm ordinẽ Melchisedech. Quomodò enim Melchisedech rex Salẽ obtulit panem & uinum, sic & tu offeres corpus tuum & sanguinem, uerũ panẽ & uerũ uinũ. Iste Melchisedech ista mysteria, quæ habemus, dedit nobis. Ipse est, qui dixit: Qui mãducauerit carnẽ meã, & biberit sanguinẽ meũ. Secundùm ordinẽ Melchisedech tradidit nobis Sacramentũ suũ.*

Iohan. 6.

In Psal. 145. exponens illam Dominicæ orationis precem, Panem nostrum quotidianũ da nobis hodiè, ità ait: *Putat aliquis, quòd panem cælestẽ de mysterijs dicat. Et hoc quidẽ accipimus, q̃a uera caro Christi est.*

Vide suprà Tertulliani, itemq; Cypriani testimonia.

Tertiò quoquè libro aduersùs Pelagianos, his vtiẽ verbis: *Panẽ quotidianum siue super omnes substantias, uenturum Apostoli deprecantur, ut digni sint assumptione corporis Christi: & uos (Pelagiani) per nimiam sanctitatem securamq; iustitiam, audacter uobis cælestia dona uendicatis?*

Matth. 6. Pelagiani.

Itẽq; in Epistolę ad Tit. cap. 2. sic habet: *Si aũt laicis impatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidiè pro suis populiq; peccatis, illabatas Deo oblaturus est uictimas? Relegamus Regũ libros, & inueniemus sacerdotẽ Achimelech de panibus propositionis noluisse priùs dare Dauid & pueris eius, nisi interrogaret, utrùm mundi essent pueri à muliere, non ut q̃ aliena, sed coniuge. Et nisi eos audisset ab herì & nudiustertiùs uacâsse ao opere coniugali, nequaq̃ panes quos priùs negauerat, concessisset. Tantum interest inter propositionis*

1. Cor 7. 1. Reg. 21.

nis panes & corpus Christi,quantum inter umbrā & corpora, inter imaginem & ueritatē,inter exemplaria futurorum,& ea ipsa quæ per exēplaria præfigurabātur. Quō itaq; mansuetudo,patientia,sobrietas,moderatio, abstinētia lucri,hospitalitas quoq;& benignitas præcipuè esse debēt in Episcopo,& inter cunctos laicos eminētia:sic & castitas ꝓpria,&(ut ita dixerim) pudicitia sacerdotalis:Vt nō solùm ab opere se immundo abstineat,sed etiā à iactu oculi & cogitatiōis errore mēs,Christi corpus cōfectura,sit libera. 1.Tim.3. Titi 1.

Extremam hāc sancti viri,saluberrimā licèt, institutionē aduersæ partis cōcionatores (qui magna ex parte periuriosi, perfidi & desertores monachi sunt & sacerdotes,impudentissimasque fœminas sub matrimonij prætextu, nulla votorum præstitorum habita ratione, sibi copulàrunt,hoc ipso,vt Apostolus ait, habētes damnationem, q̄ primam fidem irritā fecerint) nullo pacto ferre queunt.Sed illi neq; hæc in Hieronymo,neq; eius generis pleraq; alia in Ambrosio & cæris sanctis Patribus eradere vnq̄ poterunt. Nobis quidem indicâsse satìs est,virum hunc sanctissimum palàm testari, panes propositionis in veteri Testamento,non nisi figuram quandam veri corporis & sanguinis Christi in V.Sacramento fuisse. 1.Tim.5.

Quòd autem etiam illi,qui indignè accedunt,verum Christi corpus & sanguinem,quanq̄ in suî damnationem, accipiāt, idem ipse in Malach.cap.1.docet his verbis: *Polluimus panem, id est, corpus Christi, quādò indigni accedimus ad altare,& sordidi mundū sanguinē bibimus &c.*

Porrò quod alibì ait,hæreticos Chri corpus & sanguinē non accipere vndè scriptū est,qui mādu cat meā carnē,& bibit meū sanguinē, in me manet,& ego in illo:ità intelligendū est,hæreticos ea nō in salutē,sed exitiū accipere:quem in modum etiā Augustinus interdùm loquit̄,vt infrà dicetur. Vnum duntaxat adhuc ex Hieronymo locum proferam,non minimā præsenti rei lucem allaturum,reliquis sanè non paucis breuitatis studio prætermissis.In Epistol. ad Ephesios lib.1.cap.1.sic habet: *Dupliciter uerò sanguis Christi & caro intelligitur:uel spiritualis illa atq; diuina,de qua ipse dixit: Caro mea uerè est cibus,& sanguis meus uerè est potus. Et, Nisi manducaueritis carnem meam, & sanguinem meum biberitis, non habebitis uitam æternam. Vel caro* † *& sanguis quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea.* Iuxta

Obiectio. Iohan. 6. Dilutio.

Dupliciter Christi caro & sanguis intelligitur.

for. † quæ crucifixa est, & sanguis qui militis

xta hanc diuisionem, & in sanctis eius diuersitas sanguinis & carnis accipitur: ut alia sit caro, quæ uisura est salutare Dei: alia caro & sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere. Hæc ille.

Luc. 3. 1. Cor. 15.

Discis hîc amice Lector ab ipso Hieronymo, cuiusmodi verũ corpus & sanguis Christi in V. Sacramẽto sit. Christus quidem in seipso non nisi vnam carnem habet & sanguinem secundùm substantiam, q̃ diuinitas illius ex sacratissima maria virgine assumpsit semèl, nec vnq̃ posteà reliquit: sed eadem caro & sanguis pro duplici qualitate diuersis temporibus suscepta, etiam duplici ratione accipiuntur. Cùm enim Christus etiamnùm in terris humana effugie inter nos ageret, caro illius naturæ humanæ fragilitati, dépto peccato, erat obnoxia. Eam ergò carnem, ad mortem vsq; passibilem, milites furore, clamore & impulsu Iudæorum adacti crucifixerunt, atq; eiusmodi sanguis in Christi passibili corpore, militis effusus est lancea, idq; sub oculis omniũ, qui tum illic præsentes aderant. Posteà verò q̃ Christus surrexit à mortuis, deincèps corpus illius manet immortale ac viuidum, nulli imbecillitati, nulli perpessioni, ac multò etiam minùs morti obnoxium: sed per diuinas dotes in spiritale planeq; diuinum corpus transijt, cui diuinitas diuinas suas proprietates dotesq;, suprà q̃ vllus capiat intellectus, cõmunicat. Ea igitur caro, vt ait Hieronymus, in V. Sacramento nobis porrigitur, quam Dominus omnipotenti sermone suo coràm exhibet, idq; locis omĩbus, vbicunquè sancta illius institutio, siue quod ab eo sanctè institutum est, peragitur. Atque eiusmodi carnem, illis quibus diximus affectam dotibus, etiam in sacrosancta Cœna suis haud dubiò dedit discipulis, tametsi id temporis mortalis adhuc esset. Quod sanè incredibile videri non poterit pensitanti, vt ante illam cœnam in monte Thabor idem corpus suũ, etiamdum mortale, ijsipsis diuinis affectum dotibus clarificârit, cùm tamen secundùm naturam non nisi vnum idemq; corpus fuerit & pmanserit, sed in monte clarificatum, in cruce verò morti obnoxium.

Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9.

Adeoq; nè hanc differentiã secundùm carnis & sanguinis substãtiam, sed iuxta qualitatem duntaxat accipias, adhibet Hieronymus quandam nostræ carnis similitudinem, vt de qua duplici ratiõe scriptum sit, alibì quidem, q caro & sanguis regnum Dei possidere non possint: alibì verò modo, vt appáret, planè diuerso, quòd omnis

1. Cor. 15.

caro

caro videbit salutare Dei. Quam tamen litem dirimit Apostolus 1. Cor.15. dicens eiusce modi carnem, qualem mortales gerimus, terrenam, animalem, mortalem, fragilem & animæ onerosam, regnum Dei possidere non posse, quòd corruptio non sit possessura incorruptelá: atquì post resurrectióem carnem habebimus spiritalem, gloriosam, incorruptibilem & immortalem, configuratã corpori claritatis Christi, dicente Apostolo: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: atq; tũ demùm eiuscemodi nostra caro regnum Dei possidebit, adeoq; Deum ipsum contemplabitur. Et tamen ea nostra caro, modò quidem corruptibilis, tum verò incorruptibilis, non nisi eadem caro est secundùm substantiam, diuersa autem iuxta qualitatem & dotes. Atq; ità etiam de Domini carne sentiendum est, vt est suprà dictum. Quamobrem D. Hieronymus ait, Christi carnem & sanguinem nõ ea ratione, qua semèl in cruce mortalis pependit & fusus est, nobis præberi, sed sicutì nunc est, spiritale, diuinum, impassibile, indiuiduum, & immortale corpus, quod ille pro immensa facultate & potentia sua, virtute diuini verbi sui, nobis in cibum & possit & velit conferre, quotiès nos id agimus, quod in cœna sua nobis faciendum mandauit. Atq; hoc ipso sanè impiorum Capernaitarum illam prorsus carnalem & animalem opinionem, qua illi imbuti, somniabãt eum de suo naturali atq; etiamdũ mortali corpore, quale illi tum conspicabantur, particulas præcisas, perindè vt carnes è macello allatas, in cibum ipsis præbere constituisse, acriter obiurgauit, dicens: Si ergò videritis filium hominis ascendentem vbì erat priùs? Vtì iam ante in 13. Scripturæ diuinæ testimonio, atq; etiã in Origenis authoritatibus, q̃ nõ multùm ab Hieronymo hac in parte discrepat, fusiùs explicatũ est. Quòd si iam Antagonistæ nostri discrimen hoc probè caperent, nimirùm illià tam varijs ijsdemq; horrendis blasphemijs, quas, quòd aures Christianorum eas ferre non possint, commemorare non sum ausus: quasque illi in hoc V. Sacramentum eiusq; perceptionem euomunt, facilè sibi temperarent. Sed iam ab Hieronymo ad Hesychium nostra festinat oratio.

Esa.40. Phil.3. 1.Cor.15.

5. HESYCHII, PRESBYTERI HIEROSOLYMITANI TESTIMONIA.

CAP. 52. HEsychius, cuius sanctitati tum etiã, cùm adhuc esset in humanis, pclara à D. Hieronymo in vita Hilarionis dicta sunt testimonia, quiq; citra controuersiam insignis Ecclesię Doctor est, atq; in eorum reponendus numero, qui verã Chri in V. Sacramẽto pręsentiam omniũ apertissimè doceant, libro in Leuiticum primo, cap. 4. in eandem cum D. Hieronymo scribit sententiã, cuius etiã nominatìm illic meminit. Verba eius huiusmodi sunt: *Quod Dominus iussit Leuit. 4. ut sacerdos uitulum pro peccato oblaturus, ponat manum super caput eius, & iugulet eum coram Domino, Christum significat, quem nemo obtulit, sed nec immolare poterat, nisi semetipsum ipse ad patiendum tradidisset. Propter quod non solùm dicebat, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi eã: sed & praeueniens, semetipsum in coena Apostolorum immolauit, quod sciunt qui mysteriorum percipiunt uirtutem.* Et paulò pòst, *Consummatus est,* inqt, *manibus* (sic em̃ Septuaginta interpretes eo loco habent) *prius in mystica coena, accipiens panẽ & frangens: deindè per crucẽ, quãdo ligno affixus est.* Tũc (putà, & in sacrosancta coena, & in cruce) *sacerdotij suscipiens dignitatem, uel potius cùm semper habuerit, tunc opere explẽs, etiam hoc, quod pro nobis erat, sacrificium consummauit.*

Iohan. 10.

Christus seipsum bis immolauit: primò in coena, indè in cruce.

Vide suprà 5. Scripturae testimonium.

Christus sacerdotij dignitatem bis suscepit.

Exod. 29.

Itemque lib. 2. in Leuit. cap. 8. his vtitur verbis: *Primus sacerdos sanguine, & post eum filij eius, secundùm legem ungebantur: quia & ipse Dominus primus in coena mysticá intelligibilem accepit sanguinẽ, atq; deindè calicem Apostolis dedit.*

Discimus ex his Christum veram suam carnem & sanguinem bis obtulisse & immolasse, primò quidem in sacrosancta coena, cùm panẽ accepit in manus & fregit: deindè verò in cruce. Discimus etiã Christum ipsum eandem suam carnem & sanguinem in Coena post immolationẽ primò percepisse, ac deindè etiã apostolis porrexisse, perindè vt D. Hieronymus quoquè suprà testatus est.

Dominus bis immolauit corpus suũ.

Christus ipse suum corpus in coena sumpsit.

Adeoq; docet Hesychius loco memorato, quod nostri Aduersarij (qui nõ modò veram pręsentiã, sed etiam immolationẽ carnis & sanguis Christi in Coena, temerè falsoq; negare non dubitant) aut nesciunt, aut certe nôsse & aduertere nolunt, nobis verò & sciendum, &

accu-

accuratè obseruandum venit, Christi immolationé non in cruce demùm inchoatam, neq; illic ea ratione peractam, vt deincèps cessaret: sed Christum priùs in cœna veram carnem & sanguinem suū sub panis ac vini speciebus modo incruéto, ac deindè absq; sacrificij distractione vel diuisione in cruce modo cruento, & simul etiam in cælis inuisibiliter in conspectu cælestis patris obtulisse, atq; ex eo tempore nunquàm eam in cælis oblationem esse intermissam, sed pro nostra conciliatione illic perpetuò cōtinuatam, itidemq; ad finem vsq; mundi iugiter duraturam. Non enim, vt Apostolus ait, in manufacta sancta IESVS introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum cęlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Ibì sanguiné, inquit Hesychius, introduxit: quia cicatrices portans passionum in sanctissimo corpore suo, à mortuis resurrexit, & eas sanctis ostédens Apostolis, & corpus suum Thomæ palpandum præbens, ità in cælos ascendit, vt cum vulnerum cicatricibus appareat vultui Dei pro nobis.

Christus in cœna incruēto, & in cruce cruēto modo se immolauit, atq; etiāmnùm in cælis sinè intermissione inuisibiliter se offert.

Christi sacrificiū non cessat, sed iuge est & ppetuū. Heb. 9.

Vt Christus suū sanguiné in sancta introduxerit.

Vndè nullo potest negocio animaduerti, quàm immani partis aduersæ studiosi teneantur errore, dum veri corporis & sanguinis Christi in sacrosancta Missa in eius commemorationem ab illo nobis donec veniat demandatam immolationem, in Dei contumeliam derident & reijciunt, perindè àc si nos Christum, qui non nisi semèl in cruce se obtulerit, denuò sic immolare velimus, i. cruenta ratione. Nos verò Christum ità denuò non offerimus: sed illius ipsius in cœna, & nostra in Missa immolatio, non nisi vna est oblatio, eo nomine diuina illius institutione nobis relicta, vt per eam immensa illius beneficia, quæ nobis sui in cruce oblatione (cuius est virtus perennis, quæque illo pro nobis continenter Dei vultui, non quidem cruciabiliter, sed interpellandi ratione, apparente, perpetìm renouatur) conciliauit, & etiamnùm quotidè conciliat, per fidem nobis applicemus, & ad nos adducamus.

Christi immolatio in cœna, & quē nos ex illius institutiōe in Missa facimus, non nisi vnū est sacrificium.

Aduersarij id quod Apostolus ait, *oblatus est semèl*, perperàm accipiūt, quasi semèl dictū sit de cruenta illa duntaxat in cruce semèl peracta oblatione, perindè àc si Chrī immolatio, posteaq̄ ille suum fudit sanguinem, deincèps penitùs cessārit. Atquì Apostolus Christi oblationem non tam angustè describit. Apud illum eñ Christus Patré hisce cōpellat verbis. Holocaustomata & ꝓ peccato nō tibi placuerūt. Tūc dixi:

Oblatus est semèl, qd sibi velit apud Apostolum. Heb. 10.

Psal. 39.

dixi:Eccè venio.In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.In qua voluntate,vt Paulus ait,sanctificati sumus, per oblationem corporis IESV Christi semèl.

Paulus Christi oblationẽ in voluntaria corporis eius in mortẽ deditione constituit, vt illud perenne fieret sacrificium.

Nimirùm hîc Apostolus Christi oblationem,in voluntaria cõstituit corporis sui in mortem traditione,vt illud ipsum semèl traditũ corpus,deincèps perpetuum esset sacrificium,perenniter apparẽs Dei vultui pro nobis,nostraq; conciliatione.Hanc verò suam voluntatẽ Christus in cœna sacrosancta primùm opere compleuit, quandò panem accepit in sanctas manus suas,& in suum illum corpus mutauit, dicens:ACCIPITE, HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS DATVR.Cernimus enim hîc ipsum Dominũ vltrò se morti offerentem ac permittentem,in qua ille voluntaria suî traditione tũ sese obtulit ac immolauit,idq; propemodùm euidẽtiùs,quàm in cruce.Cùm enim in cruce immolaretur,tum Iudæi,tum Græci eum non pro sua,sed ipsorum potiùs voluntate perpeti arbitrabantur.Probãt hoc ea Pilati verba:Nescis quia potestatẽ habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?Itemq; illa Iudæorum : Alios saluos fecit:seipsum non potest saluum facere.Si rex Israël est, descendat nũc de cruce,& credemus ei &c.Hîc verò in Cœna clarissimis verbis prorsus voluntariam sui corporis oblationem exprimit,dicens: *Quod pro vobis datur.*

Christus in cœna, pterea ꝙ se spontè perpeti declararet,euidentius ferè q̃ in cruce immolauit.

Iohan.19.

Matt.27.

Interìm tamen hæc quę in cœna facta est oblatio,ab ea q̃ in cruce peracta est, neutiquàm debet separari vel distrahi, cùm sit actio planè indiuidua ea quæ à Domino in Cœna quidem ratiõe incruenta,in cruce autem modo cruento peracta est, ità tamen, vt illa eius oblatio in iugem ac perennem transiẽrit oblationem corporis eius:quandoquidem iam indè ab illo tempore idẽ Christi corpus in cælis,vultui Dei apparendo, pro nostra reconciliatione sese sistit & exhibet:itidemq; ex iussione eius etiã hic in terris in Missa sacrosancta(vbì etiam ipse pariter & sacerdos est & sacrificium, at tamen in mysterio & cõmemorandi ratiõe)sistitur & immolatur,quò eiusmodi partæ reconciliationis nos participes efficiamur.quamobrem etiam hoc nostrum sacrificium,non modò Eucharisticum,sed verè propitiatorium est,non tamen ob nostrum,sed illius opus: quandoquidem ipse nobis pollicitus est per hoc eam quam diximus, partam reconciliationem suam,se nobis,re ipsa vel actu ipso, applicaturum & commu-

Christus semèl oblatus est,ꝙ oblatio eius in Cœna,ac deindẽ in cruce, hodieq; vsq; ad mundi finem in cælis, non nisi vna eadẽq; indiuisa oblatio fit.

Missæ sacrificium,etiam propitiatorium est sacrificium.

communicaturum,dum ait, *Quod pro vobis datur.* Itemq́;,
Qui pro vobis funditur in remißionem peccatorum.

Quòd verò hęc ità se habeant, aduertendum est, Pau-
lum in Epistola ad Hebręos,inter veteris Testamenti &
Christi sacerdotium ea quę sequútur, facere discrimina:

Quinq; discrimina iter veteris Instrumenti & Christi sacerdotiũ, ex Paulo.

Pōtifex,inquit, veteris Testamēti crebrò pro suis & po- 1
puli peccatis offerre debuit sacrificia: nos verò pōtificem
habemus magnum,Iesum Christum filium Dei,qui pene-
trauit cælos,& semèl consummatus per passionem suã,fa-
ct⁹ est om̃ibus obtēperantib⁹ sibi,causa salutis ęternę,ap-
pellat⁹ à Deo pōtifex iuxta ordinẽ Melchisedech. Heb.5.

Veteris legis sacerdotes p̄ suis & populi peccatis crebrò offerre debuerunt:at Christus vnica sua oblatiōe factus est nobis causa salutis æternæ.

Sacerdotes veteris legis plures facti sunt, idcircò quòd 2
morte prohiberentur permanere: hic autem, qui secun-
dùm ordinem Melchisedech,& virtutem vitę insolubilis
cum iureiurando sacerdos factus est, dicente Scriptura,
Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos
in æternũ secũdùm ordinem Melchisedech:hic,inquam,
eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacer-
dotium. Vndè & saluare in perpetuum potest acceden-
tes per ipsum ad Deum,semper viuens ad interpellandum
pro nobis. Heb.7.

Veteres sacerdotes, q̄ ipsi quidẽ mortales,& eorum sacerdotiũ temporariũ esset, plures fuere:at Christi sacerdotiũ,cùm maneat ipse in æternùm, æquè est sempiternum.

Prisci sacerdotes varia debuère offerre munera & ho- 3
stias:at Christus vnum habuit,quod offerret. Talem enim
habemus pontificem,qui cōsedit in dextera sedis magni-
tudinis in cælis.Heb.8.

Illi plures habuere hostias: Christus non nisi vnã, putà corpus suum,sedens iã æternò ad dexteram Dei.

Prioris Testamenti Pōtifex,semèl in anno nō sinè san- 4
guine introiuit in tabernaculum, quod dicebatur Sancta
sanctorũ:Christus verò,qui noster est Pontifex,per pro-
prium sanguinem introiuit semèl in sancta, æterna redē-
ptione inuenta.Heb.9.

Illi singulis annis cum sanguine intrabāt in sancta: at Christus per propriũ sanguinẽ semèl in cælos introiuit,æterna nostri redēptione inuenta.

Veteres sacerdotes quotidiè ministrabant,& easdẽ sæpè 5
offerebāt hostias,q́ nō possent auferre peccata: Chr̃s autẽ
vnã pro peccatis offerẽs hostiã,(cuius est virtus perpetua)
in sempiternum sedet in dextra Dei &c. Vna enim oblati-
one consummauit in sempiternum sanctificatos.Heb.10.

Illorum identidèm oblatæ hostiæ peccata auferre non potuere: sed Christi vnica hostia delet peccata,& perpetuò valet.

X Quam-

Quamobrem eodē loco,& etiā 5.cap.ad Heb.ità ait:Habētes ergò Pontificem magnū,qui penetrauit cęlos, IESVM filiū Dei, adeamus cum fiducia ad thronum gratię eius &c.quibus ille nihil vult aliud, q̄ Christum in suo corpore sese indesinenter offerre & sistere pro nobis Deo Patri,nobis illum conciliare, pro nobis interpellare,atq; hoc pacto sempiternū suū administrare sacerdotiū,quēadmodùm etiā ad Rom.3.de illo idē scribit Apostolus, ꝙ Deus proposuerit eum propitiatorē vel thronū gratię,per fidē in sanguine ipsius, ad quem gratiæ thronū & propitiatorē hortatur Apostolus, vt cum fiducia adeamus: id quod Ecclesia Christi in sacrosancto Missæ officio quotidiè facit, vbì hunc propitiatorē,qui hìc pariter & in cælis & sacerdos est & sacrificium,præsentem habet,quô partam illius misericordiam & gratiam consequatur.

Christus sacerdotiū suū pereñiter administrat, & est nobis thronus gratiæ sempiternus.

Quæ quidē mihi eo nomine paulò fusiùs dicta sunt,quô Hesychius reliquiq; Patres,locis illis quibus de Altaris sacrificio agunt,rectiùs intelligantur, & Aduersariorum horrenda & insana blasphemia, sceleratissimè blaterantium,nos Christum totiès denuò in crucem agere,quotiès in sacrosancto missæ officio corpus eius & sanguinem offerimus,om̄ibus fiat manifesta.Quî verò Christum nos rursus crucifigamus,immò verò quînam possit tā immane scelus vel in animos cogitationesq; nostras incidere,quod illi nobis falsò affingunt, cùm nos in sacratissimo Missę Canone disertis verbis Deū ità cōpellemus: *Vndè & memores Domine nos tui serui,sed & plebs tua sancta,Christi filij tui Domini Dei nostri beatæ passiōis,necnō & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ assensionis,offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram,hostiam sanctam,hostiā immaculatā, panem sanctum uitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.* Itemq;:*Per quem* (Christum)*hæc omnia,Domine semper bona creas,sanctificas,uiuificas,et præstas nobis*:cùm prætereà sacrificium nostrum semper incruentum vocemus,vtì etiā in ipsa Dñi cœna fuit:ac deniquè fateamur Christū simul & in cælis & in terris & sacerdotē & vnicū ac perēne esse sacrificiū:id quod iam antè Basilij testimonijs confirmatū est, ac infrà ex Ambrosio,Chrysostomo,& alijs Patribus docebitur.

Aduersarij turpiter mētiuntur,nos Christum denuò crucifigere.

Atquì vt ad Hesychiū eiusq; authoritates nostra sese referat oratio,

tio, mentem ille suā & sententiā, quam diximus, de veritate corporis Chri in Eucharistia, alio loco, nēpè lib. 6. cap. 2. tam luculēter exprimit, nulla prorsus vt cuiquā cōtrà cauillandi sit relicta occasio & opportunitas. Ait enim: *Sancta sanctorū, sunt propriè Christi mysteria: quia ipsius est corpus, de quo Gabriel ad uirginē dicebat: Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obūbrabit tibi: ideò quod nascetur ex te sanctū, uocabitur filius Dei. Sed & Esaias Sāctus Dominus, & in altis habitat, in sinu uidelicet Patris. Ab hoc enim non solùm alienigenas, & inquilinos, & mercenarios sacrificio prohibuit, sed nec per ignorantiā percipere præcepit. Per ignorantiā autē percipit, qui uirtutē eius & dignitatem ignorat: qui nescit, quia corpus hoc & sanguis est secundùm ueritatē: sed mysteria quidē percipit, nescit autē mysteriorū uirtutem. Ad quē Salomon dicit, uel magis Spiritus qui in eo est: Quandò sederis ut comedas cū principe, diligenter attende, quæ posita sunt ante te.*

Sācta sanctorū sunt illud ipsum Christi corpus in V. Sacramento, quod ex Maria virgine natū est.

Exod. 12. Leuit. 22.

Prou. 23.

Et paulò pòst: *Sermo, qui prolatus est ab ipso Christo super dominicū mysteriū, liberat nos ab ignorantia.* Et post pauca: *Sanctificationē mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationem, siue cōmutationem, ei qui uerus est sacerdos, uidelicet Christo, oportet dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere & imputare: quia per eius uirtutē & prolatum ab eo uerbū, quæ uidentur, tam sanctificata sunt, quàm cunctū carnis excedunt sensum.*

Verba consecratiōis planè docēt, quòd credere debeamus. Specierū visibiliū in V. Sacramento cōmutatio, fit Dei omnipotente virtute non sine miraculo.

Et rursum post pauca: *Qui enim Christo suorū mysteriorū sanctificationē imputant, & addentes sibimetipsis quintā quæ prolata est, uidelicet uerbū eius, quod nostros producit sensus ad sublimiora, nō contamināt sancta sanctorū, utpotè qualia oportet de eis intelligentes: sed nec inducunt super se iniquitatē delicti in comedendo sancta sanctorū. Nec enim ut ad cōmunem cibū, sed sicut ad mysticū, & terribile, & cæleste accedunt: ad quē qui temerè accedunt, non simpliciter peccant, sed iniquitatē delicti sui portare dicuntur.* Hæc ille.

Qui non credūt in Sacramēto corpus Christi esse substantialiter, contaminant sancta sanctorum, & grauioris sūt criminis rei.

Nō poterat vir sanctus de pstantissimo sacramēto dicere magnificētiùs. Ait enī, esse illud propriè sancta sanctorū, esse corpus sanctū, & filium Dei, qui per spiritūsanctū natus sit ex sacratissima MARIA virgine:

Explicatio sententiæ D. Hesychij de V. Sacramento.

gine:eumq; indignum esse huius perceptiõe sacramẽti,q virtutẽ eius diuinam & dignitatem ignoret,qui nesciat corpus & sanguinẽ Christi esse secundùm veritatem:itẽq; Christi verbum, vbì ad species externas accesserit,id efficere,vt de sanctis illis nihil terrenũ sentiamus, quandò verborum Christi virtute species visibiles adeò sanctificantur,vt deincèps cunctum carnis sensum excedant.

Ad hęc non esse hunc iam cõmunem cibum,sed quiddam mysticum,terribile & cęleste:atq; ea causa illos qui indignè accedant,non simpliciter peccare,sed etiam portare iniquitatem delicti sui, id est, vt Apostolus ait,iudicium sibi mãducare,& esse reos corporis & sanguinis Domini.Si hoc Hesychij testimonium non omninò luculentum est,ecquod tãdèm possit esse satis illustre,equidem ignoro.Porrò qui in V.Sacramento corpus & sanguinem Christi,& vnà etiã panem & vinum,idq; in cõmunicatione duntaxat,adesse volunt,ij fortassis in erroris sui malè firmam confirmationẽ,eum obijcient Hesychij locum,qui est lib.2.cap.8.vbì sic habet:*Propterea Deus carnes cũ panibus comedi præcepit,ut nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici,quod simul panis & caro est,sicut corpus Christi panis uiui, qui de cælo descendit.* Itemque, quòd eodem loco subindicat, sua tempestate igni fuisse tradita quęcunque de V.Sacramento remansissent inconsumpta.Verùm his ad primùm illud argumentum, quòd Hesychius asserat mysterium hoc simul panem & carnem esse, hac ratione respondendum est, nullo pacto hîc sensisse Hesychium, in V. Sacramento à consecratione etiamnùm communem remanere panem triticeum, sed esse illic Domini carnem, quæ,vt alibì in Leuit. libr. 2. cap.6.dicit, *in sartagine crucis assa & esibilis hominibus reddita est*: ità vt simul sit verum corpus, & verus panis vel cibus, sed eiusmodi panis,qui de cælo descendat. Hanc verò genuinã esse dictorum ipsius mentẽ,iam recitatis illis,quę annectit,verbis,(*sicut corpus Christi panis viui, qui de cęlo descendit,*)clarissimè exprimit. Quod enim ab hoc S. viro longissimè abfuerit, vt crederet facta consecratione, perindè vt antè,panẽ adesse,ex eius sexto lib.cap.22.certò doceri potest, vbì (vt dictũ est)disertis testatur verbis,per prolatũ à Chr̃o verbũ sensibilia ad intelligibilia,i.corpus & sanguinẽ ei⁹ trãsferri & cõmutari, idq;

1.Cor.11.

Obiectio Aduersariorũ ex Hesychio.

Dilutio primi argumẽti.

Vt Christi corpus simul & caro,& panis sit.

Transsubstãtiatio nõ absque incõprænensibili fit miraculo.

idq; non sinè miraculo,quod cunctum carnis excedat sensum,&c.

Quòd autem ad Sacramenti reliquias attinet,quasi illæ Hesychij æuo igni traditæ sint,ea de re loco suo,nempè Articulo de V. Sacramenti asseruatione,satis multa dicentur. Atq; hic quidem Testimonijs Hesychij finem libet imponere,atq; porrò conferre nos ad celeberrimos & insignes alios duos Ecclesiæ Doctores,Chrysostomum Græcum,& Ambrosium Latinum, quorum vterq; sub seniori Theodosio,eiusq; liberis Archadio & Honorio toto orbe claruit, hodieque claret. Eorum autem de vero Christi corpore in V. Sacramēto testimonia,quòd innumera sint,non omnia,sed quædam ex præcipuis producemus.

SANCTI EPISCOPI IOHANNIS CHRYSOSTOMI TESTIMONIA.

CHrysostomus in cap.26.Matthæi,Homilia 83. scribit hūc in modum: *Credamus itaq; ubiquè Deo,nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse uideatur quod dicit: superet & sensum & ratiōem nostram,quæso, uerbum ipsius: quod in omnibus,præcipuè in mysterijs faciamus, non illa quæ ante nos iacent, solummodò adspicientes,sed uerba quoquè eius tenentes. Nam uerbis eius defraudari non possumus,sensus uerò noster deceptu facilimus est:illa falsa esse non possunt,hic sæpius atq; sæpius fallitur. Quoniam ergò ille dixit,*Hoc est corpus meum,*nulla teneamur ambiguitate:sed credamus,& oculis intellectûs id perspiciamus. Nihil enim sensibile nobis traditum à Christo,sed rebus sensibilibus: omnia uerò quæ tradidit, insensibilia sunt, &c.* CAP. 53.

Opus Dei in V. Sacramento longè excedit sensum & rationem nostrā: itaq; verbo eius simpliciter inhærendum est.

Et pòst pauca: *O quot modò dicunt,uellem formam & speciem eius, Vellem uestimenta ipsa,Vellem calceamēta uidere. Ipsum igitur uides,ipsum tangis,ipsum comedis. Vestimenta eius desideras uidere:ipse uerò seipsum tibi tradidit,non ut uideas solùm,uerùm etiam ut tangas, & in te habeas.*

In V. Sacramento vnica est corporis Christi sub speciebus visibilibus substantia, nullo sensu humano comprehēsibilis.

Et paulò pòst: *Vigilandum igitur est. Non enim paruum supplicium indignè communicantes expectat. Cogita quanta indignatione aduersùs proditorem,aduersùs eos qui crucifixerunt ipsum,mouearis: & caue, nè tu quoquè corporis & sanguinis Christi reus efficiaris. Illi acerbissimè truci-*

Immanitas sceleris & supplicij indignè cōmunicantis, arguit veritatē corporis

 darunt,

dãrũt, tu post tot tantaq; beneficia, sordida suscipis omnia. Non enim sufficit ipsi hominem fieri, flagellis interim cædi: sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit: neq; id fide solùm, sed re ipsa nos corpus suũ efficit. Quo igitur re mundiorem non oportet esse eum, qui hoc sacrificio participaturus est? Quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hãc coronã pertractat? os, quod igne impletẽ spiritali? lingua, quæ cruentatã hoc admirabili sanguine? Veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris. Ea nanq; re nos alimur, quam angeli uidentes tremunt, nec absq; pauore, propter fulgorem qui inde resilit, adspicere possunt: & nos in unam cũ illo massam reducimur, Christi corpus unũ & caro una. Quis loquetur potẽtias Domini, auditas faciet oẽs laudes eius? Quis pastor unquã mẽbris suis oues suas nutriuit? Multæ matres post partũ alijs nutricibus infãtes dederunt: quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, & sibi coniungit atq; conglutinat.

Christi in Sacramento. Vide suprà 13. Testimonium Scripturæ. Vide suprà 25. Scripturæ Testimoniũ. Altaris sacramentũ coronã vocat, nimirũ ob speciẽ externã, quæ rotunda est, vti & ab Epiphanio antè dictũ est. Per V. Sacramentũ vnum cum Christo corpus & caro efficimur.

Itemq; post pauca: Singulis enim fidelibus per hoc mysteriũ se coniũgit, & quos peperit, non alijs nutriẽdos tradit, sed ipse studiosissimè alit, hac etiam re tibi persuadens carnẽ tuam illum assumpsisse. Tanta igitur charitate atq; honore affecti, non torpeamus. Non uidetis, quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt? qua pressione papillis infigunt labia? Nõ minore quoq; cupiditate nos ad hanc mensam, & ad huius calicis spiritalẽ accedamus papillam: immò uerò maiore desiderio, quasi lactẽtes pueri, gratiã spiritus sugamus: unus sit nobis dolor, una mœstitia, si hoc alimento spiritali priuamur. Non sunt humanæ uirtutis hæc opera: quæ tunc in illa cœna confecit, ipse nũc quoque operatur, ipse perficit: ministrorum nos ordinem tenemus: qui uero hæc sanctificat & transmutat, ipse est. Hæc enim illa, non alia, mensa est: hæc nulla re minor, quàm illa est.

Miracula in V. Sacramẽto. Hoc ipso q̃ Christus verã carnem suam nobis præbet in Sacramento, certiores reddimur eũ nostrã assumpsisse carnẽ. Non absque miraculo incomprehẽsibili V. Sacramentũ fit corpus Christi.

Deniquè his verbis eam concludit homiliam: Animam prius tradã meam, q̃ Dominicũ alicui corpus indignè: sanguinemq; meum effundi potius patiar, q̃ sacratissimũ illũ sanguinẽ præterq̃ digno cõcedam. Hactenùs ille.

Soli sacerdotes conficiũt V. Sacramentum.

Quiquidem locus vel solus possit sufficere, sanctissimi viri huius de V. Sacramento veræ constantiq; fidei declarandę. An non tibi videtur, amice lector, initiò hic Aduersariorum nostrorum incredulitatem

Dictorum Chrysostomi explicatio & anacephalæosis.

tatem acriter arguere, serioq; hortari illos, nè hisce in rebus carnali sensui suo, sed Christi omnipotenti & infallibili verbo firmiter credant & fidant? Et quia ille dixit, HOC EST CORPVS MEVM, nihil prorsus ait de eo ambigendum esse, quod verba ipsa planè ac luculētèr exprimāt. Itemq; Christum hîc nobis eiusmodi tradere, quę noster carnalis sensus nullo pacto queat compręhendere. prębere hîc nobis seipsum, nō solùm tāgendū, sed etiā vt intra nos ipsum habeamus. Tum quoq;, hac de causa eos q̄ hoc sanctiss. Sacramentū indignè sumant, instàr Iudę & Iudęorū, qui ipsum eius corpus prodiderint & immanissimè trucidàrint, reos fieri corporis & sanguinis Dñi. Ad hęc Christū hîc sese admiscere nobis, & re ipsa vnū nos secum corpus efficere: atq; eam ob rem summa illū debere munditia esse p̄ditum, qui hoc sanctiss. corpus, quod vir sanctus spiritalē vocat ignem, edere: & hunc preciosum sanguinē, quē admirabilem dicit, potare velit. Docet pręterea, quod Hilarius quoq; superiùs fecit, Dñm in V. Sacramēto suū nobis impertire honorē, & vt nos arctissimè sibi cōiungat & cōcorporet, sacratissimū nobis conferre corpus suum, quod propter fulgorē indè resilientē angeli non absq; tremore cōspiciant: tum verò miraculum, quod hîc perpetret, pro suî magnitudine nullis posse verbis explicari: ad hæc Christum pastorem bonū sua nos carne nutrire, quod nullus pastor, immò nec parentes pleræq; faciant: ipsum prætereà solū hîc operari, ipsum ea quæ proposita sint, solùm sanctificare & transmutare: atq; eo nomine mensam nostrā nulla re minorē esse illa cœnæ eius mensa, adeoq; non nisi vnā esse mensam. Postremò ob V. Sacramenti huius celsitudinē & virtutē, mâlle se dicit animam tradere suā & sanguinem fundere, q̄ Dei ac Dñi sui verū corpus & sacratiss. sanguinē porrigere indigno. Agè iam incredule Aduersarie, vide num pręclaram hanc & cumprimis grauē ac seriam & ad mouendum efficacissimā orationē, ad merā possis detorquere figuram.

Christus in V Sacramēto seipsum nobis pbet tangendum, & intra nos habendum.

Chrysostomus mortem ppeti, q̄ sciens indigno Sacramentū porrigere mauult.

Equidem non sum nescius, quātoperè tu nihilo seciùs vel vni illi captandę voculę inhies, quæ in exordio ferè huius Homiliæ habetur, quô tu illam deprauare & ad perfidiam tuam accōmodare queas. Quod licèt in Tertulliani testimonijs iā antè partìm cōmemoratū nobis sit, at tamē in gratiam Aduersariorū etiā hîc repetere libet, simulq; docere, q̄ parùm pro ipsis faciat. Verba Chrysostomi hęc sunt:

Calūnia partis aduersæ.

Nam

Nam quandò dicunt (hæretici,) *Vndè patet immolatum Christum fuisse, & alia multa mysteria: hæc enim afferentes, ora ipsorũ consuimus. Si enim Iesus mortuus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificiũ est? &c.*

Dilutio.

Sed quæso te aduersarie, non tu vides sanctum virum hic tibi perindè àc hæreticis illis, quibuscum illi negocium est, os opprimere & consuere? Ait ille quidem, incruētum altaris sacrificium, expressum esse symbolum & signum cruenti illius in cruce litati sacrificij: minimè verò dicit, non nisi panem & vinum adesse aut immolari. Immò sanè eadem, vt dictum est, homilia multò crebriùs & quidem euidentissimè testatur, nos hîc verum ac ipsissimum Christi corpus & preciosum sanguinem substantialiter præsentia habere, immolare, percipere.

Christi verò corpus, quod in V. Sacramẽto incruento modo offertur, suiipsius symbolum est, vt est semèl in cruce cruēta ratiōe immolatum.

Nec mirum tibi videatur, verum Christi corpus, quod in V. Sacramento mystica vel spiritali ac incruenta ratione offertur, suijpsius symbolum vel signum esse: suijpsius, inquam, vtì semèl cruento modo immolatum, & nostra causa in cruce mortuũ est. quì enim meliùs nobis in memoriam reduci posit, Dominum semèl propter nos reuerà mortuum, & suum pro nobis corpus tradidisse, quàm si illud ipsum eius corpus, sed tamen deincèps immortale, in mysterio vel Sacramento præsens habeamus? Nec dubium hac re permotos fuisse sanctos Patres, vt contra perfidos Marcionitas, tanquàm certissimũ Christi secundùm carnem resurrectionis argumentum, veram corporis eius in V. Sacramento præsentiam, quam tum passìm omnes fatebantur, nec vllus in dubium vocabat, producerent, vt suprà ex Ignatio, Irenæo & Tertulliano latiùs didicisti.

Christi corpus in V. Sacramēto, certũ est resurrectiōis eius argumētum.

Porrò hæc Chrysostomi Homilia LXXXIII. in Matthæum, ab eo loco, qui à nobis antè allatus est, ferè ad calcem vsque, etiam inter LXXX. illius ad populum Antiochenum, priùs quàm Constantinopolim veniret, habitas homilias inuenitur, estq; inter eas sexagesima, sub titulo, De sumētibus indignè diuina & sancta mysteria, sed alio interprete, Tomo 4. Quod quidem argumento est, quàm ille hac in sententia seriò perstiterit, quam populo, quem instituebat, totiès tāta fide & studio inculcârit. Eadem Homilia sexagesima etiam hæc addit: *Audiamus & horreamus: sanctis carnibus suis nos dedit impleri,*

semetipsum

semetipsum apposuit immolatum. Et paulò pòst: *Non erat illa mensa tunc ex argento, nec aureus calix, ex quo sanguinem proprium Christus suis dedit discipulis: preciosa tamen erant illa omnia & tremenda, quoniã erant spiritu plena.* Et post pauca: *Qui nanq; dixit, Hoc est corpus meum, & verbo factum confirmauit: hic & dixit, Esurientem me vidistis &c.*

Christus dicens, Hoc est corpus meũ, verbum suũ facto confirmauit.

Homilia de proditione Iudæ, scribit inter cætera in eandem sententiam: *Et nunc,* inquit, *ille præstò est Christus, qui illam ornauit mensam, ipse istam quoq; consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mẽsæ Dñi, corpus Christi facit & sanguinem: sed ille, qui pro nobis crucifixus est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est,* ait, *corpus meũ, hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dicit, Crescite & multiplicamini, & replete terram, semèl quidẽ dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ità & vox illa semèl quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsq; ad hodiernam diem, & vsq; ad eius aduentum, præstat sacrificio firmitatẽ &c.*

Hoc verbo, Hoc est corpus meũ, V. Sacramentũ conficitur.

Audis hìc consecrationis hæc esse verba, HOC EST CORPVS MEVM: ijsq; verbis Christum suam præstare virtutem & gratiã, ità vt quemadmodùm virtute omnipotenti vocis illius, *Crescite & multiplicamini,* cuncta quotidiè producuntur, crescunt & augescunt: sic etiam his verbis, HOC EST CORPVS MEVM: Christi corpus substantialiter præsens fiat. Nõ tametsi semèl hæc illius ore prolata sunt, at tamen virtutem illorum esse perpetuam vsq; ad aduentum eius, dum nos facimus, quod in suì commemorationẽ ille fieri mandauit. Indè adeò est, quod ait, non putare nos debere hominem, putà sacerdotem, hìc operari, sed Christum ipsum esse qui operetur, & qui verbis suis efficaciam præstet & firmitatem.

Christus hic operatur, nõ homo.

¶ Eadem Homilia docet, id quod suprà in 14. Scripturę Testimonio annotatum est, Christũ veritate corporis sui in Eucharistia, figuram paschatis aboleuisse. Verba eius sic habent: *Postq̃ sol iustitiæ radiauit, vmbra soluitur luce: Et ideò in ipsa mensa vtrunq; pascha & typi & veritatis celebratum est. Nam sicut pictores pingendam tabulam vestigijs quibusdã adumbrare cõsueuerunt, & sic colorũ varietate perficere: ità & Christus fecit in mensa: & typum Paschæ descripsit, & Pascha veritatis ostendit.*

Vide suprà 14. Scripturæ Testimoniũ.

Christus & vetus & nouũ Pascha in cœna immolauit.

Et paulò pòst: *Fuit quidem aliquando Pascha Iudaicum, sed exemptũ & euacuatum est Pascha spiritalis aduentu, quod Christus tradidit. Nam cùm*

manducarent,inquit,& biberent,accepit panem, & fregit,& dixit: Hoc est corpus meum,quod pro vobis tradetur. Agnoscunt quid loquor,qui sunt diuinis consecrati mysterijs. Et iterùm accepit calicem, & dixit: Hic est sanguis meus,qui pro multis effundetur in remißionem peccatorum. Et præsens Iudas erat,ista Christo dicente,Iste est sanguis. Dic Iuda,quem triginta denarijs vendidisti:iste est sanguis,de quo antè cum Pharisæis pacta fecisti. O Christi misericordia,ô Iudæ dementia. Ille enim triginta denarijs paciscebatur vt venderet,& Christus ei sanguinem quem vendidit,offerebat &c.

Christus eúdē ꝑbuit Iudæ bibendum sanguinem, quē is 30. denarijs vendiderat.

Hæc ego sanè puto ꝑspicua ac luculēta esse, q̄ quoàd eius fieri possit,clarissimè testatū efficiant,in V. Sacramento nō figuram tantùm corporis,sed ipsum verū Christi corpus, quo figura abolita est, substantialiter haberi, idemq́; corpus etiam malos re vera ore accipere, quanq̄ non in salutem,sed exitiū. Quo ille permotus,eiusmodi subijcit adhortationem: *Nullus igitur fictus accedat,nullus fucato animo tantis audeat mysterijs proximare, nè condemnetur, & sententiam mereatur, & quod Iudas sustinuit patiatur.* Eodem loco V. Sacramentum appellat *sanctum & terribile sacrificium,& Christum ipsum pro nobis occisum &c.*

Aduersarij simulatè accedunt,dū verbis Christi nolunt credere.

Eucharistia est terribile sacrificiū,& Christ9 ipse.

Homilia 44. in Iohannē ait, *nō propterea Dñm manna non verum panē appellâsse, quòd falsum fuerit in manna miraculum,sed quòd figura esset, non veritas:suum aūt corpus,quod daturum se promiserat, propter aduenientem ei spiritum,verè panem cælestem effici.*

Māna, figura fuit:corpus Christi in V. Sacramento veritas est. Vide suprà Athanasium.

Hom. 45. ostēdit,quamobrem necesse fuerit,vt ad Iudęos Dñs his vteretur verbis,Et panis quem ego dabo,caro mea est,quā ego dabo ꝓ mundi vita. *Cùm em̄,*inquit,*Capernaitæ,in petendo cibo instarent, & patribus suis datū memorarent,& manna tanq̄ magnū quiddam laudarēt, Dñs ea diluere volens,ait manna & eius generis alia mysteria, non nisi figurā & vmbrā fuisse,rerum aūt veritatē præsentem adesse. Sed erat,*inquit,*dicendū: Patres vestri manducauerunt māna in deserto : ego aūt vobis panem præbui æquè in deserto, septem panibus vos reficiens. Sed quia inter manna & cibum è terra petitū magna erat differentia,respondere illi poterant, quod ipse fecisset,minus hoc q̄ illud esse:atq; ità mannæ miraculū extulisset, suū de panibus depressisset. Cùm igitur de cælo cibum quærerent,de septem panibus tacens, panē cæli,quem ipse daturus esset,cōmemorat,& mysteriorū,& sacramentorū corporis & sanguinis sui sermonem adducit, licèt ea necdùm caperent, vt attentiores eos redderet,& ad interrogandū quærendūq́; excitaret. Sed nihilominus*

Christus ea verba,Panis quem ego dabo,de nullo pane terrestri dixit.

Vide suprà 22 Scripturæ Testimoniū.

minùs illi abiêrunt retrò, cùm tamen quem prophetam arbitrabantur, eius verbis credere debuissent. Non tamen duodecim discipuli, dempto Iuda, diffidebant, etiamsi obscuriora erant q̃ hoc loco dicebat, quàm q̃ priùs dixerat: vt, verbi gratia, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod enim prophetæ suscitâssent interim mortuos, nôrant: quòd autem carnem suã quisquam alijs edendam præbuerit, id verò necdum didicerant. Veruntamen persuasi sunt, & sequebantur, & habere eum verba vitæ confitebantur. Hoc discipuli est, quæ magister asserit, non curiosiùs inuestigare, sed audire & credere, & idoneum solutionis tempus expectare. At Capernaitæ abiêrunt retrò propter suam stultitiam. Quandò enim subit quæstio, quomodò aliquid fiat, simul subit & incredulitas. Ità & Nicodemus perturbatus est, dicens: Quomodò potest homo in ventrem matris suæ iteratò introire? Itidem & hi nunc: Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Nam si hoc inquiris (Iudæe,) cur non idem in quinq; panum miraculo dixisti, quomodò eos intantùm auxit? Quia tunc tantùm saturari curabant, non considerare miraculum. sed res ipsa tunc docuit, inquies. Ergò ex eo & hæc credere oportuit ei facilia factu esse. Proptereà id priùs fecit miraculum, vt per illud non essent ampliùs increduli his quæ postmodùm diceret. Illi quidem tunc temporis nihil ex his dictis, nos ipsius beneficij vtilitatem cepimus.

Plus habet admirationis Christũ nobis præbere corpus suum in V Sacramẽto, q̃ si quis mortuos excitet.

Incredulorũ vox est, Quomodò potest hoc fieri?

His ità præmissis, iam porrò explicat, q̃ sit stupendum & admirabile, quod nobis in V. Sacramento dñs largitur: *Quare necessariò,* inquit, *dicendum, quàm admiranda mysteria, & cur data sint, & quænã eorũ vtilitas. Vnũ corpus sumus, & mẽbra ex carne & ossibus eius. Quarè initiati, eius pceptis parére debẽt. Vt aũt non solùm p dilectionẽ, sed re ipsa in illa carnẽ conuertamur, per cibũ id efficitur, quẽ nobis largitus est. Cùm eñ suum in nos amorẽ indicare vellet, p corpus suum se nobis cõmiscuit, & in vnũ nobiscũ redegit, vt corpus cũ capite vniret. Hoc eñ amantiũ maximè est. Hoc Iob significabat de seruis, à qbus maximè amabat̃, q suũ amorẽ p̃ se ferẽtes, dicebãt: Quis daret nobis, vt eius carnib⁹ impleremur? Quod Christ⁹ fecit, vt maiore nos charitate adstringeret, & vt suũ in nos ostẽderet desideriũ, nõ se tm̃ videri pmittẽs desiderãtib⁹, sed & tãgi, & mãducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui oĩs impleri. Ab illa igit̃ mensa tanq̃ leones ignẽ spirãtes, surgamus diabolo formidolosi, & caput nostrum intelligamus, & quã in nos p̃ se tulit charitatẽ. Parẽtes sæpenumerò liberos suos alijs alendos dederunt: ego aũt mea carne alo, me his exhibeo, oĩbus faueo, oĩbus optimã de futuris spem præbeo. Qui in hac*

Eucharistia admirandum est mysteriũ, quo nos caro vna & ossa cũ Christo efficimur.

Vide supra 25. Scripturæ Testimoniũ, itemque Irenæum & reliquos patres.

Iob 31.

Christus carnẽ suã nobis tangendam, edendam, & vt illa nos p omni desiderio impleamus, exhibet.

Idem habet Homil 60 ad populũ Antiochenum. & ad Neophytos.

vita ità se nobis exhibet, multò magìs in futura. Vester ego frater esse volui, & communicaui carnem propter vos & sanguinem: & per quæ vobis cöiunctus sum, ea rursus vobis exhibui.

Eucharistia vitæ æternæ pignus est.

Tandèm Homiliam illã his claudit verbis: *Sed sicut magnum est & admirabile, ità si purè accesseris, ad salutem accessisti: sin praua conscientia, ad pœnam & supplicium. Qui enim manducat & bibit indignè sanguinem Domini, iudicium sibi mãducat & bibit. Nam si qui regiam purpuram coinquinant, haud secùs q̃ qui scindunt, puniuntur: quid mirum, si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clauis cruci affixerunt? Vide q̃ formidandam pœnam his minetur Paulus: Irritam quis faciens legem Mosis, sine vlla miseratiõe duobus vel tribus testibus moritur: quantò magìs putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinẽ testamẽti pollutũ duxerit, in quo sanctificatus est?*

Christi corpus in V. Sacramento est filij Dei purpura.
Heb. 10.
Vide suprà 25. Scripturæ Testimoniũ.

Homilia 46. in ea Domini verba, Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, scribit in hunc ferè modum: *Etenim cùm id fieri posse negarent, nõ solum non impossibile, sed & necessarium asserit: hac quidem ratione, q̃ doceat hîc Dñs, vt vitam possimus habere æternam, videlicet manendo in ipso. Eius porrò verba sunt: Qui mãducat meã carnem, & bibit sanguinẽ meũ, in me manet, & ego in eo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrẽ: & qui mãducat me, & ille viuet propter me: quasi dicat: Quandò is, qui me manducat, in me manet, qui æternùm viuo perindè vt pater: sequitur indè, vt qui me edit, ipse quoquè viuat in æternum.*

Consule 10. & 11. Scripturæ Testimonium.

Deindè in ea verba, Durus est hic sermo, ità scribit: *Quid ergò est, Durus est hic sermo? Nimirùm difficilis intellectu, & quẽ capere eorũ nõ possit imbecillitas, plenus formidinis. Putabãt enim eum supra vires suas loqui.*

Aduersarijs durus est Christi sermo.

Itemq; exponés ea verba, *Spiritus est qui viuificat, vult non secundùm carnem, sed secundùm spiritum Christi verba audienda. Nihil enim carnale, nec vllam naturalem consequentiam habentia hîc proponuntur, sed omni hac terrena necessitate, & huius vitæ legibus libera.*

Creaturæ in corpus Christi mutatio, naturam oẽm excedit.

Item in ea verba, Caro nõ prodest quicquã, hæc eius sunt cõmentaria: *Non de ipsa carne sua dicit Dñs, Absit: sed de his, qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur, nec longiùs prospiciunt, q̃ externis possint oculis assequi, cùm tamẽ mysteria hæc interioribus sint oculis considerãda, hoc est, spiritaliter: Qui non manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, non habet*

Caro non prodest quicquã, vt accipiendum.

vitam in semetipso. Quomodò nihil prodest caro, siuè qua nemo potest viuere? Vide quòd ea particula, Caro non prodest quicquam, non de ipsa carne, sed de carnali auditione dicta est.

In eam quoq; sententiam, Verba quę ego locutus sum vobis, spiritus sunt, denuò sic scribit: Doctrinam meam rerum consequentiæ & necessitati subiacere nè arbitremini. *Spiritalia terrenis legibus seruire non patiuntur, quod & Paulus inquit: Nè dicas in corde tuo, Quis ascendit in cælum? hoc est Christum deducere. Vel quis descendit in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reuocare.* Christi opera naturali rerū necessitati nō subiacent.

Deniquè in eam, qua Petrus vsus est, orationem, *Verba vitæ æternæ habes,* ait *Petrum ea Christi verba, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, de resurrectione rectè intellexisse, cùm ipse Dominus dixerit: Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ideoq; dixisse Petrum, Verba vitæ æternæ habes.* Hucusquè Chrysostomus in Iohannem.

Equidem hanc sancti viri in cap. 6. Iohannis doctrinam, ea causa fusiùs adferre volui, vt lector animaduertat, eum caput illud haud secùs, atquè in quinto, 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 19. & 23. è scriptis diuinis suprà prolatis testimonijs explicatum est, intellexisse. Principiò nanque, vt dictum est, Homilia 44. docet māna figuram fuisse, sed Christi corpus in Eucharistia esse veritatem, idque propter aduenientem ei viuificantem spiritum. Eorū quæ ex Chrysostomo in 6 cap. Iohannis allata sunt, explicatio & anacephalæosis.

Deindè tum in hac, tum ea, quę sequitur, 45. Homilia, verba illa Seruatoris, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, non de eius diuinitate, sed diuino illius in V. Sacramento corpore propriè accipienda asserit: Dominumq; impia Capernaitarum diluenda tentatione id expresśè testatum, cibum quem ipse in mysterijs suis daturus esset, non solùm longè admirabiliorem fore quinq; illis panibus, quos antè mirum in modum auxerat, sed ipso quoquè manna incomparabiliter pręstantiorem & stupendum magìs: quādoquidem sua ipsius caro foret, eius diuinitate plena. At verò pro Aduersę partis sententia, (qui Christo falsissimè affingunt, eū nisi terrestrem panem, quòd ad substātialem pręsentiam attinet, nobis præbere) Christus sanè Capernaitas māna iactitantes, frustrà excellentioris cibi pollicitatione retudisset. Longè enim plùs & admi-

 rabili-

rabilitatis & præstantiæ habuisset manna, quàm Christi Sacramentũ, si id non nisi panis esset. Atq; hoc pacto Christi responsum Capernaitis ridiculum potiùs, quàm firmum & constans, (quod tamen etiã auditus perhorrescit) videri potuisset.

Verùm Chrysostomus (qui aduersarios nostros vnà cum Capernaitis illis incredulis hîc palàm arguit & dãnat incredulitatis) Apostolos eo nomine cómendat, q probè in hoc ceperint Dñm, illum sua impartiẽda carne nó minùs exhibiturũ miraculũ, q̃ à mortuis, vt erat pollicitus, resurgendo. Et quãuìs eiusmodi oratio ré naturali modo impossibilẽ complectebatur, quòd illi nihilo seciùs ceu probi discipuli (quorum est q̃ magister asserit, quanuìs ea impossibilia videãtur, nó curiosiùs inuestigare, sed simpliciter illis cómodare fidé) firmiter crediderint, nec in eã incredulis vsitatã vocẽ proruperint, quomodò potest fieri? quod quidẽ Capernaitæ infideles fecerint, quorum tamẽ causa Dominus illud in quinq; panibus miraculum effecerat, vt illis quæ posteà dicturus esset, propensiùs fidem adhiberent.

Non minoris est miraculi, Christũ nobis verũ corpus suũlargiri in V. Sacramento, quàm q surrexit à mortuis.

Et nè quam his Sacramentarij commentitiã rursus glossam fabricarent, Chrysostomus insigne hoc & incompræhensibile porrò declarat miraculum, eumq; Pauli ad Ephes. 5. cap. locum, Vnum corpus sumus, & membra de carne eius, modis omnibus perindè accipit, vt est in 25. Scripturæ Testimonio suprà allatus & expositus.

Hunc locũ Patres plerique omnes hunc in modũ accipiunt, Irenæus &c.

Libera quoquè voce pronunciat, nos re ipsa cum Christo vnum effici communicatione corporis eius in Eucharistia: quodq; Iob seruis suis pro ipsorum desiderio præstare non potuerit, id Christum præstitisse: quandò carnem suam nobis in V. Sacramento non solùm videndam, (putà, in speciebus illis, sub quibus ceu integumẽto quodam abdita latet) sed etiam tangendam & manducandam præbet, vt ea nostro satisfaciamus desiderio: nó quòd Christi corpus in seipso, sed species, sub quibus re vera continetur & porrigitur, tangantur, manducentur & dentibus premantur.

Vt Christi carné cernamus & manducemus.

Adeoque affirmat Christum eam nobis carnem in V. Sacramento rursum edendam exhibere, quam ex præclarissima virgine Maria acceperit, vt corpus cũ capite vniatur, vnumq; ex capite & mẽbris corpus fiat, nosq; germanos & naturales suos fratres efficiat. Non est autem dubium, quin Christus ex sacratissima Maria virgine veram assumpse-

Christus quã à nobis accepit carné, eã rursus nobis

ſumpſerit carnem, non autem phantaſma vel figuram, vt execrabiles illi Marcion & Manes blaſphemârunt.

ſbet in Eucharistia edēdam.

Præterea vir ſanctus, vt eſt antè dictum, Pauli ſententiā in Epiſtola ad Heb. 10. cap. de illorum ſupplicijs, qui Chriſti ſanguinē, in quo ſanctificati ſunt, conculcāt, aduersùs illos producit, qui V. Sacramētum indignè percipiāt: indeq; probat nō minori illos pœna dignos, quàm Iudęos qui ſanguinem eius fuderint: qua ex re animaduerti licet, ecquid de occulta V. Sacramenti ſubſtantia ſenſerit, non aliud haud dubiò, quàm quæ ſuprà in 23. Scripturæ teſtimonio habentur. Porrò Homilia 46. vt Lector amice facilè aduertere potuiſti, in hoc totus eſt, vt nefandas Aduerſariorum noſtrorū calumnias ipſius Dñi verbis validiſſimè refellat & diluat: & inter alia, quod illi nobis in Dei contumeliā obijciunt, Chriſtū de ſua diuina carne dixiſſe, eā non prodeſſe quicquam, id hac ratione confutat, quod eodem loco Chriſtus in ſatanicæ huius blaſphemiæ deteſtationem dixerit, Qui manducat meā carnē, habet vitā ęternam. Itidēq; omnia illorū argumenta & cauilla, quę contra Dei virtutem omnipotentē ex naturali philoſophia illi proferunt, vt quòd impoſſibile ſit corpus illud quod in cęlis ſit, etiā in V. Sacramēto eſſe ſubſtātialiter &c. his ille paucis ſubruit verbis, opus hoc naturę nō ſubeſſe legibus, nec illis poſſe ſeruire, ſed eſſe prorſus ſupra naturā: idq; ſi quis in dubiū vocare velit, hoc perindè eſſe, àc ſi dicat, Chriſtū vno tenēri loco captiuum, vt non poſſit, quēadmodùm pollicitus eſt, corpus ſuum nobis hîc in terris in V. Sacramento prębere. In eā nanq; ſententiam Pauli ea verba adducit, quæ ſunt in Epiſtola ad Ro. cap. 10. Nè dixeris in corde tuo &c. Et vt paucis agam, cōmentaria ſancti viri huius in 6. caput Iohannis, non aliud ſunt, quàm luculenta & valida Aduerſæ partis confutatio. Eſtq; pręterea nôſſe operępretium, priorem memoratæ 45. Homiliæ partem ab illo loco, Quarè neceſſariò dicendū, quòd admiranda myſteria ſint &c. etiam propemodùm ad verbum illum vſurpâſſe in exordio Homiliæ 61. ad populum Antiochenum. Tam ille aſſiduus fuit & ſerius in inculcanda identidèm è ſuggeſtu ſubditis ſuis doctrina hac ſuauiſſima, planeq; diuina & conſolatoria.

Verba ea, Caro nō prodeſt quicquā, Chriſtus de ſua carne non eſt locutus.

Obſerua, vt Chryſoſt. Pauli verba ad Chriſti in Sacramēto præſentiam accommodet.

His iam probè cognitis, ea quæ ſubijcimus tanti viri teſtimonia, faciliùs poterunt intelligi. In priorem ad Corinthios Epiſtolam

Homi-

1.Cor.10

Homilia 24.interpretans ea Pauli verba, Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? scribit hunc in modum: *Maximè his sibi verbis & fidem facit, & horrorem. Eorum autẽ huiusmodi est sententia: Quod est in calice, i. quod à latere fluxit, & illius sumus participes. Calicem autem benedictionis appellauit, quoniam cùm prae manibus eum habemus, cum admiratione & horrore quodam inenarrabilis doni, laudamus, benedicentes, quòd sanguinem effudit, nè in errore permaneremus: neq; tantùm effudit, sed nos omnes eius participes effecit.* Et post pauca: *Quid hoc admirabilius, dic quaeso, quid amabilius? Hoc & amãtes faciunt, in pecuniis, vestibus, possessionibus, hanc ostendentes cupiditatẽ, in proprio tamen sanguine nemo vnquàm. Christus autem in hoc curã & vehementem in nos dilectionem ostendit. Et in veteri quidem Testamento, cùm imperfectiores essent, quem idolis offerebant sanguinem, eum ipse accipere voluit, vt ab idolis auerteret. Quod etiam inenarrabilis amoris signum erat. Hic autem multò admirabilius & magnificentius sacrificium praeparauit, & cùm sacrificium ipsum commutaret, & pro brutorum cade seipsum offerendum praeciperet.*

Quod in calice est, idẽ est quod è latere manauit.

Christus in Ecclesia, pro veteris legis sacrificijs, seipsum iussit offerri.

Itemq; in ea verba, Omnes qui de vno pane participamus: *Cùm prior, inquit, carnis natura à terra formata, à peccato mortalis facta, à vita deserta esset, aliam (vt ità dicam) massam & fermẽtum induxit: hoc est, carnem suam, natura quidem eandem, verùm à peccato liberam, & vita plenam: quam omnibus tribuit, vt participes fierent: vt ea nutriti, & priore abiecta, quę mortua erat, per hanc mensam viuentem & immortalẽ commisceremur.*

Communicatiõe veri corporis Christi in Sacramento, mortale corpus nostrum fit viuidum.

In eadem quoquè Homilia ista leguntur: *Quòd si hominis vestem nemo temerè attingeret, quo pacto omnium Domini corpus purum & immaculatum, quod diuinę illius naturę particeps est, propter quod & sumus & viuimus, propter quod portae inferi fractę sunt, & cęlorum apertę, tanta cum ignominia accipiemus? Nolimus, obsecro, nolimus impudentes nosipsos interimere, sed cum honore & munditia ad Deum accedamus: & quandò id propositum videris, dic tecũ: Propter hoc corpus non ampliùs terra & cinis ego sum, non ampliùs captiuus, sed liber. Propter hoc, cælum & quę in eo bona sunt, me accepturum spero: propterea immortalem vitam, angelorum sedem, Christi consuetudinem. Hoc corpus affixum, verberatum, morte victum non est. Hoc corpus Sol crucifixum videns, radios auertit. Propter hoc & velum templi scissum est & petrę, & terra vniuersa tremuit. Hoc idem corpus cruentatum*

Vt nos hodieq; dicimus accessuri ad V. Sacramentũ, nos ad Dominũ Deũ nostrũ accedere: eodem modo etiã Chrysostomi æuo loquebantur Christiani.

mutatum, lancea vulneratum, fontes sanguinis & aquæ vniuerso orbi salutares scaturiuit.

Quæ porrò eadem homilia habentur de corporis Christi adoratione, suo loco referentur.

Item Homilia 27. in cap. 11. exponens ea verba, Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c. *Hodiè*, inquit, *ipse Dominus est, qui omnia operatur & tradit, quemadmodùm tunc.*

Quod Christus in cœna fecit semèl, id hodieq; in Missa facit.

Et in ea verba, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, sic habet: *Quid significat, Hic calix nouum testamentum est? Erat & veteris testamenti calix, sacrificia & sanguis brutorum: etenim post sacrificiũ, in calice & phiala sanguine accepto, ità sacrificabãt. Cùm igitur pro sanguine brutorum suum sanguinem induxisset, nè quis his auditis perturbaretur, illius veteris sacrificij meminit.*

Cõcordat cũ 16. Scripturæ Testimonio.

Christus pro sanguine brutorũ suũ ſbet sanguinem.

In ea quoquè verba, quicunq; manducauerit panẽ hunc, & biberit calicem Domini indignè, scribit hoc modo: *An ignoras, quot ex delicijs malà proueniant? risus intempestiuus, verba immodesta & plena exitij, scurrilitas, garrulitas infructuosa, & alia quæ ne dicẽda quidẽ sunt: & hoc facis, cùm ad Christi mensam discubueris, in die illa, qua carnem eius lingua attingere dignatus es? Nè igitur hæc fiant, dexteram tuam,* (pro temporum suorum more hoc dicit) *linguam, labia considera, quo pacto vestibulum Christo facta sunt, vt ingrediatur.*

Christi carnẽ nostra lingua attingimus.

Itemq; in ea verba, Qui enĩ comedit & bibit indignè &c. hęc eius sunt commentaria: *Et quomodò iudicium sibi manducat, inquies? Nõ dijudicãs corpus Dñi, hoc est, non inuestigans, non considerans, vt oportet, magnitudinem propositorũ, non reputans muneris magnitudinem. Si enim didiceris diligenter, qui sit propositus, & q cui seipsum exhibet, nullius alterius indigebis ratione, sed hoc tibi ad omẽm sobrietatem sufficiet, nisi sis ignauissimus.*

Vide suprà 23. & 24 Scripturæ Testimonia.

Modò perpẽderemus, quãtus ille sit & q̃ terribilis, quem in Eucharistia accipimus, nulla alia ad vitã benè moratã institutione opùs haberemus.

Ad hæc in cap. 15. Homilia 41. *Non frustrà*, inquit, *memoriã mortuorũ inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus, pro istu agnũ illic iacentem & peccata mundi tollentem deprecantes.* Hæc sancti viri authoritas, vbì ad V. Sacramenti adorationem ventum erit, latiùs introducetur.

In cap. 13. posterioris ad Corinthios Epistolę, Homilia 30. sic habet: *Per has ianuas ac portas & ingressus est, & ingreditur ad nos Christus, quãdò communicamus. Scitis, qui mysteriorum estis participes, quid dicatur: Etenim non vulgarem honorem consecutum est os nostrum, accipiens corpus*

Os & labia nostra portæ sunt, per quas Christus ingreditur.

Dominicum. Audiant qui fœda loquuntur, qui conuicia proferunt, & horrescant, quòd tale os polluunt.

Communicatio V. Sacramenti facit, vt germanè simus ex Christo.

Itemq; in cap. 5. ad Ephes. Homil. 20. exponens locum illum, quia mẽbra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius: *Quid est,* inqt, *quod dicit, Ex carne eius? Hoc est germanè ac legitimè ex ipso. Et quomodò nos hoc pacto membra Christi sumus? Quoniam secundùm ipsum facti sumus. Et quomodò ex carne? Scitis quotquot mysteriorum participes estis.*

Sacrificiũ altaris, squiddã est admirabile.

Prętereà in 1. cap. Epist. 2. ad Tim. Hom. 2. scribit hunc in modum: *Volo quiddam adijcere planè mirabile, & nolite mirari, neq; turbemini. Quid verò istud est? Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illã Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadẽ est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamq; sacerdotes modò quoquè conficiunt. Nihil habet ista quàm illa minus. Cur id? Quia nõ hanc sanctificant homines, sed Christus qui illã antè sacrauerat. Quẽadmodùm enĩ verba quę locutus est Christus, eadẽ sunt q̃ sacerdotes nũc quoq; pronunciãt: ità & oblatio eadẽ est* &c. Audis hîc, non sacerdotis merito, sed om̃ipotentis verbi Chr̃i virtute, corpus eius in V. Sacramento re vera confici & adesse, etiã antè quàm ipsum sacramentum accipiatur.

Deniquè in cap. 9. & 10. Epistolę ad Hebręos, Homil. 17. ea pręsertim edisserens Apostoli verba, Neq; vt sępè offerat semetipsum, quẽadmodùm pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno, (Alioquì oportebat eum frequenter pati ab origine mundi) Nunc autẽ semèl in consummationẽ seculorum, ad destitutionẽ peccati, per hostiã suam apparuit &c. quandoquidẽ Apostolus inter cætera illic hoc facit discriminis inter veteris Testamenti sacrificia, tanq̃ figuras vel typos & oblationẽ noui, ceu ipsam veritatẽ: q illa p multa & crebrò, putà per annos singulos, immò quotidiè manè & vesperì indesinẽter oblata fuerint: quod illorũ arguit imbecillitatẽ, vt q̃ peccatorum tantùm commemorationẽ, non etiam destitutiõem & abolitionem habuerint: Christum verò semèl tantùm ad destitutionem peccati, per hostiã suam apparuisse: itaq; necessè illũ non habere, sæpè vt offerat seipsum, peccato semèl abolito & destructo: Hęc, inquã, explicans Chrysostomus, hãc mouet quæstionẽ: *Quid ergò nos? Nónne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem faciẽtes mortis eius. Et vna est hæc hostia, non multa. Quomodò vna est, & non multa? Quia semèl oblata est, oblata est in sancta sanctorum: hoc autem sacrificiũ exem-*

Sacrificiũ altaris, non nisi vna est hostia, vous

exẽplar est illius, idipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, crastina alium: sed semper eundem ipsum. Proindè vnum est hoc sacrificium. Alioquin hac ratione quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt. Nequaquàm, sed vnus vbiquè est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbiquè offertur, vnum corpus est, & non multa corpora: ità etiam & vnum sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit: ipsam offerimus & nunc, quę tunc oblata quidem, consumi non potest. Hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem fit eius quod factum est. Hoc enim facite, inquit, *in meam commemorationem. Non aliud sacrificium, sicut pontifex, sed idipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificij operamur.*

agnus, idipsum omninò, quod Christus obtulit.

Obserua, optime lector, quàm longè alia ratione Aduersarij nostri Paulum Apostolum interpretentur & accipiant, quàm Chrysostomus, & prisci illi patres. Chrysostomus ait, nos ex Christi mãdato & institutione, dicentes, Hoc facite in meam cõmemorationem, eũdem ipsum Christum Dominum, verum agnum, quotidiè offerre. Aduersarij verò sceleratissimè blasphemãtes, aiunt nos hocipso omninò facere contra illius institutionem, nostrumq; sacrificium esse Deo abominabile.

Sacrificiũ nostrũ nõ cruẽtũ, sed incruentũ & commemoratorium est sacrificium.

Chrysostomus affirmat, nõ nisi vnum esse vbiquè Chrm̃, qui vnũ tãtùm habeat corpus, sitq; vnicus Pontifex noster, qui semèl obtulerit se in sancta sanctorũ: atq; ea re illa eius vnica oblatio non cesset, nec vnq̃ cessare & cõsumi pòssit: nostrãq; hostiã idẽ esse Christi corpus, quod ille ipse vnicus pontifex noster nobis præstet, & per nos offerat: ideoq; hostias vel oblationes nostras nõ multas esse, sed vnã, quæ fiat in commemorationem, qua vnicum illud in cruce semèl litatum sacrificium perpetuò iteretur, atq; huiusce modi iteratiõe candẽ ipsam vnicam esse oblationẽ & hostiã. Atquì Aduersarij toto orbe falsissimè & cõtumeliosè nos traducũt & criminantur, ꝙ Chri vnicũ sacrificiũ pro inefficaci habeamus, sicq; ꝑter illud nouã instituamus oblationẽ, opus manuũ nostrarũ, adeoq;, quotiès Missæ sacrificiũ facimus, Chrm̃ denuò crucifigamus. Chrysostomus quidem dicit, nos semper & vbiquè vnum corpus, & eundẽ agnum offerre, minimè verò panem terrestrem: hac enim ratione non vnicũ esset sacrificiũ, sed perindè vt apud Iudæos, iuxta Pauli sententiam, tot erunt sacrificia,

Chrysostomi doctrina pugnat per oĩa cum Aduersariorũ amẽtia.

Aduersarij Iudæos impietate superāt.

quot panes. Porrò Aduersarij in Dei contumeliam asserere non dubitant, nihil hîc re ipsa esse aliud præter panem, Iudæis ipsis sceleratiores, quòd post semèl agnitam veritatem, Christi corpus & sanguinem, verùm sacrificiũ sacrilega impietate tollant è medio, & ad multas illas Iudaicas hostias & sacrificia in multis factitijs panibus cõstituta, relabantur. Non enim meo quidem iudicio eò impudétię progredi ausi erunt, vt contra Patrum omnium sententiam, adeoq; contra ipsum Euangelij & Apostoli clarissimum textum negare non dubitent, in Christi cœna nullum litatum esse ab ipso Christo sacrificium, etiam pręter illud, quod ipsi Eucharisticum vocant sacrificium: cùm in Eucharistico non sit alia res oblata, quàm hominis offerentis gratiarum actio & pia vota: Sancti verò Patres ad vnum omnes aliam prætereà statuant in mysterijs, Rem oblatam, quæ vota nostra faciat accepta Deo, quemadmodùm Cyprianus inquit: In huius (veracissimi & sanctissimi corporis) præsentia non superuacuè mendicant lachrymę veniã &c. Et Chrysostomus cùm alibì, tum proximè sequẽti testimonio idem manifestissimè confirmat.

Postremò tribuit hoc loco Chrysostomus Seruatoris præpotẽti virtuti, vt vnicũ corpus eius locis omibus, vbicunquè toto terrarum orbe in altari offertur, plenum sit, hîc atq; illic vnum corpus. At qui partis sunt aduersæ, Christum sceleratissimè illius priuant omnipotenti facultate, & vnum illi circunscribunt locum, aiuntq; eum illic duntaxat, nõ alibì, esse oportere, quò ipsi eũ iuxta naturalis Philosophiæ vanitatem, qua occæcantur, relégant & collocant. Sed ô sanctissime Apostole, quàm perniciosè miseri isti & perditi, vnaq; illi quos miserandum in modum euertunt, tuæ illius saluberrimæ adhortationis obliuiscuntur, quæ Epistolę ad Colossenses cap. 2. extat hîs verbis: Videte nè quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Tua quidem pręsentia & reditus ad nos, iam cumprimìs essent necessaria, vt quéadmodùm olim Athenis, ità nunc quoquè istorum partìm Epicureorum, partìm Platonicorum; immodicè loquacium Philosophorum os, tua grauissima & efficacissima oratione opprimeretur.

Aduersarij Christum vni inclusum loco captiuũ detinent.

Act. 17.

Verùm

Verùm ad Chrysostomum reuertamur. Docet is Homilia 21. in Acta Apostolorum, in Christi Ecclesia etiam pro vita functis sacrificium altaris, itidemq; preces & eleemosynas non frustrà fieri: neque martyrum nomina ad altare temerè commemorari: sed hæc omnia à Spiritusancto esse instituta & ordinata. Ipsius agè verba audiamus:

Non simpliciter, inquit, minister clamat pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt. Non diaconus est, qui talem illam vocem emittit, sed spiritus, non sanctus, inquam, sed donum. Quid dicis? In manibus est hostia, & omnia proposita sunt benè ordinata: adsunt angeli, adsunt archangeli, adest filius Dei: cum tanto horrore adstant omnes, adstant illi clamantes, omnibus silentibus, & putas simpliciter hæc fieri? Igitur & alia simpliciter, & quæ pro Ecclesia, & quæ pro sacerdotibus offeruntur, & quæ pro plenitudine ac vbertate? Absit. Sed omnia cùm fide fiunt. Quid putas pro martyribus offerri, quòd vocantur in illa hora, licèt martyres sint? Etiam pro martyribus magnus honor, nominari Domino præsente, dum mors illa perficitur, & horrendum sacrificium, & ineffabilia sacramenta. Nam quasi sedente rege, quæcunq; voluerit perficit: vt autē surrexerit, quæcunq; dicit, frustrà dicit: ità & tunc, quàm diù proposita fuerint mysteria, omnibus honor maximus, in memoria haberi. Vide enim: Annunciatur tunc sacramentū horrendum, quòd pro mundo dedit seipsum Deus: cum illo miraculo tempestiuè memor est ille eorum qui peccàrunt. Et paulò pòst: *Trophæorum & celebranda victoria tempus est. Quotiès enim (inquit) manducatis panem hūc, mortem Domini annunciate. Itaq; nè simpliciter accedamus, neq; fortuitò hæc fieri putemus &c.*

Donū, i. hostia altaris clamat corā Deo pro defunctis, & eorum memoriam facientibus.

Canō Missæ.

Itaq; Ecclesia precatur, vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem.

Miraculum.

Hæc nimirùm è diametro pugnant cum Aduersarijs nostris, nec explicatione opùs habent. Principiò enim discimus hîc, quamobrem in Missa ex Sancti spiritûs institutione Martyrum memoriam celebremus, itemq; eorum omnium, qui in Christo defuncti sunt: cur pro sacerdotibus, pro tota Ecclesia, & plenitudine ac vbertate, hoc est, rerum omnium prosperitate, preces in ea fiant. Hîc enim, inquit, clamat nobiscum ad Deum spiritus, præsens corporis Christi hostia, Dominus ipse coràm præsens, Dei filius cùm tota ciuium cælestium frequentia, verum trophæum, haud obscurè indicans, Dominum nō etiamnùm mortis teneri legibus, sed sua morte vicisse ac profligâsse mortem: quæ sanè Catholicis nobis magnam adferunt consolationē:

In Missa cur memoria agitur & triumphātis & militātis Ecclesiæ, & preces fiant pro rerum prospero successu.

aduersarijs autem, vt pleraq; omnia diuina mysteria, horrori sunt & abominationi. Misereatur Deus cæcitatis illorum.

Eundem in modum scribit vir sanctus Homil. 3. De incōpræhēsibili Dei natura: *Vt homines*, inquit, *ramos olearum gerētes, mouere reges consueuerunt, eoq; arboris genere misericordiam commemorant & humanitatem: sic angeli tunc pro ramis oleagineis corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolâsti*, &c.

Nota, in Missa offerri Deo corpus, quod Christus pro mūdo immolauit.

Item de Sacerdotio lib. 3. vbi sacerdotij dignitatē mirè prędicat, inter alia sic habet: *Nam dum conspicis Dñm immolatum, sacerdotē sacrificio incumbentem, ac preces fundentē: tum verò turbam circunfusam precioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiámne te inter mortales versari, atq; in terra consistere censes? an non potiùs euestigiò in cælos transferris? an nō carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mente pura circunspicis q̃ in cælo sunt? O miraculū, ô Dei benignitatem: qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere ac complecti* &c.

Christi corpus simul in cælo est & V. Sacramento substantialiter, quo nullum est grandius miraculum.

Hæc tametsi nimìs q̃ aperta & luculenta sunt, nihilo minùs Aduersarij pro suo ingenio virus indè captant & colligunt: aiunt Chrysostomum his docere, nos in cælum debere rapi, perindè àc si id veri corporis Christi præsentię quicquam deroget. Sed quæso te amice, nō tu animaduertis vnà hîc dicere virum sanctissimū, eundē ipsum, qui cum patre sursum sedeat, illa hora oīm manibus pertractari, excipi, complecti? quòd igitur hortatur nos & inflammat, vt animos in cælum subrigamus, vtì etiam Sacerdos facit in Præfatione, dicens, *Sursum corda*: hac ille oratione nihil de vera corporis Christi in V. Sacramento p̄sentia detrahit, maximè cū illud ipsissimū sit viaticū, quo ad cælos pertingat: id quod soli illi cōpertum habent, q ea q̃ in cælo sunt, fide, cuius Aduersarij expertes sunt, circūspiciūt, & cōtemplant.

Quòd monemur sursum habere corda, Christi in Sacramento veræ præsentiæ nihil derogat.

Rursus de Sacerdotio lib. 6. his vtitur verbis: *Quum autem ille* (Sacerdos) *& Spiritumsanctum inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore ac reuerētia plenissimum perfecerit, cōmuni oīm Dño manibus assiduè pertractato, quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem*

gritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim, quales manus illas administrãtes esse oporteat: qualẽ linguã, quæ verba illa effundat: qua deniq; re non puriorẽ sanctioreve esse conueniat animã, quæ tantum illum, tamq; dignum spiritum receperit. Per id tempus & angeli sacerdoti aßident, & cælestium potestatũ vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est, &c. Hîc, vt cernis, V. Sacramentũ vocat sacrificiũ horrore ac reuerentia plenissimũ: immò ipsum Chr̃m dñm nostrũ, q sacerdotis manibus in altari ptractet & ĩmolet, & ĩ cui⁹ honoré & cultũ vniuersus cæli exercit⁹ illic ꝑstò sit.

Hom. quoq; 11. ad populũ Antiochenum, q̃ inscribitur, Gratiarũ actio &c. (qua extrema summa fide & magna animi cõtentiõe admonet populũ, vt vbì nulla cogit necessitas, prorsus abstineant à temeraria & horrẽda ꝑ Dei nomẽ iurãdi cõsuetudine, cũ ipse dicat dñs, sit sermo vester, Est, est: Nõ, nõ: quod his abũdãtius est, à malo est) hæc eius verba legunt: *Quò enim sacrũ videbimus Pascha? Quò sanctũ suscipiemus sacrificiũ? Quò mirabilibus cõmunicabim⁹ mysterijs lingua illa, qua Dei legẽ cõculcauerimus? lingua illa, qua aĩam cõtaminauerimus? Si nemo nanq; purpurã regalẽ manibus accipere inquinatis auderet, quomodò Dñicum corpus lingua polluta suscipiemus? Iuramentũ enim maligni, sacrificiũ verò Dñi. Quæ igitur cõmunicatio luci ad tenebras? vel q̃ cõuenientia Christo ad Belial?* Matth. 5. 2. Cor. 6.

En hîc V. Sacramẽtum, vt vides, sanctum appellat sacrificium, admiranda mysteria, corpus Dominicum, lucem & Christum ipsum.

Ad hæc in oratione de B. Philogonio Christianos ad diuinam cõmunionem in Seruatoris natalitio die tunc imminente percipiendã, hortatur his verbis: *Eoq; rogo vos oẽs obsecroq;, vt summo studio summaq; cũ alacritate velitis adesse: sed priùs suã quisq; domũ repurget, vt videamus Dñm nostrũ in cunis iacentẽ ac fascijs inuolutũ, horrendũ ac stupendũ spectaculũ. Quid eñ excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si cùm ipse nostra causa descẽderit è cælis, nos ad illũ vel ex ædibus ire grauemur? cùm alienigenæ barbariq; ex Perside accurrant, vt illũ videant in præsepi iacentem, tu verò ne breue quidem spatiũ emetiri sustines, vt hoc felici spectaculo perfruaris? Nam si cum fide accesserimus, proculdubiò videbimus illum in præsepi iacẽtem: siquidem hæc mensa vicem explet præsepis. Nam & hîc ponitur corpus Dominicũ, nõ quidem fascijs inuolutum sicutì tunc, sed vndiquaquè Spiritusancto conuestitum. Qui mysterijs initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur &c.* Matth. 2. Dominus in altari iacet inuolutus & sancto spiritu conuestitus.

Ex

Ex his nimirùm id testatum efficitur, Dominum non minùs verè ac substantialiter positum in altari, quàm olim iacuerit in præsepio.

Item Homilia 2. ad populum Antiochenum contra auaritiam, de Elia loquens, hac populum oratione compellat: *Noui quòd iustum illū beatum putatis, & velletis quisq; esse, vt ille. Quid igitur, si vobis demonstrauero quid aliud, quod illo multò maius omnes sacris mysterijs imbuti recepimus? Elias nempè meloten quidem discipulo reliquit: filius autem Dei ascendens, suam nobis carnem dimisit. Sed Elias quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Nè igitur decidamus, neque lamentemur, neque temporum difficultatem timeamus. Qui enim sanguinem suum pro omnibus effundere non recusauit, & carnem suam & rursus ipsum sanguinem nobis communicauit, nihil pro salute nostra recusabit.*

4 Reg. 2.

Filius Dei cælum scandens, carnem suam hic nobis reliquit.

Discimus hinc Chrysostomum suprema illa Dñi saluatoris verba, *Eccè ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi,* quæ à me in vltimo scripturæ testimonio hac de causa allata sunt, eum quoquè in modum accepisse, Christum videlicet hîc nobiscum esse non solùm secundùm diuinitatem, sed etiam secundùm carnem corporaliter in V. Sacramento: nec illi id esse impossibile, vt carnem suam & sanguinem hîc nobis relinquat & impertiatur, & cũ ijs nihilo minùs in cælum ascendat, & ad dextram sedeat Dei patris omnipotentis. Sed hoc mysterium increduli Aduersarij nostri non recipiunt.

Et vt ad alia quandoquè progrediamur, iam postremum ex hoc viro sanctissimo, reuerà ore aureo (id enim χρυσόστομος significat) testimonium proferimus, adeò quidem de panis & vini in verum Christi corpus & sanguinem trãssubstãtiatione & mutatione, de eo quoquè, quòd post consecrationem non sit ampliùs panis, luculento, vt vix vllum possit esse euidentius & illlustrius. Extat id in eius Homilia de Eucharistia in Encænijs, his verbis: *Hæc ego dixerim ad eos, qui sanctorum communionem & congregationem relinquunt, & sub horam terribilis mysticæ mensæ* (id est, cùm sacrum Missæ officium peragitur) *in vaniloquentiæ conuenticulis occupati sunt. Quid facis homo? Non promisisti sacerdoti, qui dixit, Sursum mentem & corda: & dixisti, Habemus ad Dominũ: Non vereris & erubescis? Et illa ipsa horam endax inueniris. Papę, mēsa mysterijs instructa est, & agnus Dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur,*

Ad verba illa, Sursum corda, Chorus totius populi nomine respondet, habemus ad Dominũ.

gitur, ignis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit: Seraphim adſtant, ſex alis faciem tegentia: omnes incorporeæ uirtutes pro te cũ ſacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis è cælo deſcendit, ſanguis in cratere in tuã purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt. Et non erubeſcis, reuereris & confunderis, neq; Deũ tibi propicium facis? Nõ cõſcientia tua iudicat te, ô homo? Et poſt pauca? *Num uides panem? num uinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum uadunt?* Abſit. *Nè ſic cogites. Quēadmodùm enim ſi cera igni adhibita illi aſsimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hîc puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia. Propter quod & accedentes nè putetis ꝙ accipiatis diuinũ corpus ex homine, ſed ex ipſis Seraphim forcipe ignem, quem ſcilicet Eſaias uidit uos accipere. Reputate ſalutarem ſanguinem quaſi è diuino & impolluto latere effluere, & ità approximãtes labijs puris accipite.*

Eſa. 6.

De ſubſtantia panis & vini, facta conſecratiõe, nihil reliquum manet.

Eſaiæ 6.

Quid, obſecro, ad catholicæ Eccleſiæ promendam ſentẽtiam dici poterat ab hoc viro ſanctiſſimo luculẽtiùs? Ait agnum Dei pro fidelibus in altari immolari, V. Sacramentum appellat ignem ſpiritalem è cælo deſcendentem, quem Seraphim contemplari vereantur: aſſerit Chriſti ſanguinem, qui ex eius immaculato latere in fidelium purificationem prománet, in calice hauſtum: à conſecratione nos iam panẽ & vinum illic neutiꝗ cernere, etiamſi oculis carnis ſecùs appáreat: ſacramenta ſanctificata non perindè vt reliquos cibos in ſtomacho cõcoqui: itẽq; à cõſecratione de panis & vini ſubſtãtia nihil ſupeſſe, vtpotè ꝗ, vt cera in ignem, ità in diuini corporis & ſalutaris ſanguinis ex impolluto Chriſti latere effluentis, transferantur atq; mutentur, ſubſtantiã, & ab inuiſibilibus illis ſanctiſſimis Seraphim nobis porrigantur.

Nec eſt ſanè quòd putes Lector, id quod hîc dicitur extremo loco de Sacramento angelorum manibus exhibito, planè ſchematicôs aut hyperbolicôs dici. Palladius enim in vita duorum Macariorũ teſtis eſt, alterum ex ijs Macarijs, qui Abbas & ſacerdos fuit ſanctitate cõſpicuus, ipſi de quodam ſancto monacho Marco narrâſſe, ſe quotiès fratribus ſanctam tradidiſſet cõmunionem, nunꝗ ſuis manibus illi Marco dediſſe eam, ſed angelum Dei, cuius manûs articulũ vidiſſet, de altari ei dediſſe. Idem habes in vetuſtiſſimis Martyrologijs.

V. Sacramentum quondã viro cuidam ſancto angelicis manibus oblatum.

Passiō D. Andreæ à presbyteris & diaconis Achaiæ conscripta est. Vide suprà.

Quandò verò Chrysostomi testimonia beatissimi Andreæ Apostoli verbis, q̃ is ad Achaię pręsidem Aegeã locutus est, & in eius iam antè memorata fide digna Passione habent, pulchrè cõsentiũt, equidem cõmittere non possum, quin ea huc adscribam, idq; in Philosophorum nostrorũ, sanguinario illo Aegea hac in parte nihilo infideliorũ, gratiam. Sunt autem eiusmodi: *Ego omnipotenti Deo, qui unus & uerus est, omni die sacrifico, non thuris fumũ, nec hircorum aut taurorum sanguinem, sed immaculatũ agnum quotidiè in altari sacrifico: cuius carnes postq̃ omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, nihilo minùs integer pseuerat et uiuus: & cũ uerè sacrificatus sit, & uerè eius carnes mãducatæ sint à populo, & uerè eius sanguis haustus, tamen, ut dixi, integer permanet, & immaculatus & uiuus.* Hæc ille: quibus q̃ adamussìm quadrent (vt diximus) Chrysostomi verba, omibus in prospectu est. Sed iam à Chrysostomo ad Ambrosium diuertimus, quandoquidem duo hæc pręclarissima Ecclesię lumina, ob multimodam q̃ inter ipsos est, similitudinem cõiunximus.

Verba S. Andreæ Apostoli.

SANCTI PRAESVLIS AMBROSII TESTIMONIA.

CAP. 54.

Gen. 49.

EX huius igitur beatissimi viri testimonijs, eam illius memorabilem lib. de Benedictionibus Patriarcharum cap. 9. sentẽtiam primò in aciem producemus, quæ sic habet: *Hic ergò* (Christus) *diues est thesaurus, huius pinguis panis, quem qui manducauerit, esurire nõ poterit. Hunc panẽ dedit Apostolis, ut diuiderẽt populo credentium: hodieq; dat nobis eum, quem ipse quotidiè sacerdos consecrat suis uerbis. Hic ergò panis factus est esca sanctorũ. Possumus & ipsum Dominum accipere, qui suam carnem nobis dedit, sicut ipse ait: Ego sum panis uitæ. Patres uestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: hic est autem panis qui de cælo descendit, ut si quis ex eo manducauerit, nõ moriatur. Et nè quis putaret, quia de hac morte dicit, quæ per animæ & corporis secessionẽ uenit, & iurè dubitet, cùm sciat sanctos Apostolos hac morte esse defunctos, addidit: Ego sum panis uiuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet inæternum: hoc est,* Non de temporali *uita dixi suprà, nec de morte istius uitæ, qua etiamsi quis mortuus fuerit,*

In V. Sacramento ipsum Dominũ accipimus.

Iohan. 6.

Eucharistia non à temporaria, sed æterna morte nos seruat.

tamen

tamen si panem meum acceperit, uiuet in æternum. Ille enim accipit, qui se-ipsum probat. Qui autem accipit, non moritur peccatoris morte: quia panis hic remissio peccatorum est. 1.Cor. 11.

Hoc loco D. Ambrosius V. Sacramētum vocat panem Christi, quē qui manducauerit, esurire non potest, vtpotè, qui ex illo verā & sempiternam sit consecuturus securitatem: Eum panem cōsecrare ipsum Christum verum sacerdotem, & esse escam sanctorum, esse dominū ipsum, quem in eo accipere possimus, esse ipsius carnem, esse panē qui de cælo descenderit, qui non temporariam, sed æternam efficiat immortalitatem, cùm sit remissio peccatorum: ex quo constat, eum dñi Seruatoris illa verba, *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorū*, de eiusdem sanguine in V. Sacramento præsente, accipere: estq; hæc eius sententia, quandò Sacramentum illud dignè sumimus, auferre illud culpas & errata nostra quotidiana, quæ venialia dicuntur, pronitatem in vitia & peccandi libidinem minuere: certumq; signū esse & argumentum, Deum nobis esse propicium, & peccatis nostris, modò pœnitentes accedamus, veniam dedisse.

Eucharistia, est remissio peccatorum.

Explicatio.

Matth. 26.

Quamuis autem in hac sanctissimi viri oratione nihil insit, quod ob diuinos, quos tradit, effectus & operationes, veri corporis Christi in Eucharistia præsentiam non probet, at nihilo seciùs qui partis aduersæ sunt, suæ sententiæ accōmodare nituntur, quod ait esse escam sanctorum, remissiōem peccatorum, immortalitatis donationē: quē in modum etiā alijs locis indè loquit, putà in Epist. ad Heb. cap. 5. & lib. 4. de Sacramentis, vt infrà videbitur. Hinc enim illi sequi volunt, solos sanctos, non autem indignos, Christi corpus in V. Sacramento accipere. Id verò ità, vt ab illis fallaciter profertur, Ambrosius nō affirmat, nec ex dictis eius cōfici potest: immò verò plerisq; alijs locis planè diuersum ille luculenter asseuerat.

Aduersariorū obiectio.

Dilutio.

Itaque vt tum ipse, tum D. Augustinus, qui ab illo fidem nostram & quæ Christianæ religionis sunt didicit, tum etiam alij Patres probè hac in parte capiantur: id ignorandum non est, illos de V. Sacramento duobus modis loqui solere. Interdùm enim de vera corporis Christi substantia in Sacramento loquuntur, atq; tum expressè aiunt verum Christi corpus illic & esse & sumi substātialiter, idq; nō à bonis duntaxat, sed etiam malis, quanquàm ab istis non salutari-

S Patres de V. Sacramēto bifariàm loquuntur.

ter. Quandoquè verò de sola illa salutifera Sacramenti operatione & efficientia, cuius causa à Christo institutum est, verba faciũt, vtì etiam hoc loco Ambrosius: tumq; docent, hoc V. Sacramentum esse cibum sanctorum, esse peccatorum remissionem, atq; id genus alios diuinos habere effectus: quib' illi nihil aut asserere, aut docere volũt aliud, q̃ quod Christus ipse nobis tradidit, & Apostolus deindè explicauit, nempè non improbis, sed pijs duntaxat, dignè illud percipientibus proficere ad vitam & salutem: minimè verò illi negãt, immò longè magìs alijs locis palàm confitentur, etiã malos in V. Sacramẽto verũ Christi corpus substantialiter accipere, sed in exitiũ, non tamẽ

1.Cor.11. Sacramenti, sed suapte culpa: quod idẽ etiã Apostolus facit his verbis: Qui em̃ manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicãs corpus Dñi. Verũ ad alia S. Viri testimonia veniamus.

Loco iam memorato, in cap. 5. Epistolæ ad Hebræos, vbì docet Christum non temporarium, sed ęternum esse Sacerdotem iuxta ordinem Melchisedech, ità scriptum reliquit: *Nõ secundùm id, quòd natus*

Iohan.1. *est ex patre Deus apũd patrem, coæternus gignenti & consubstantialis: sed sacerdos propter carnem quam assumpsit, aut propter victimam, quam pro nobis offerebat, à nobis susceptam, id est, carnem & sanguinem: de qua victima ipse in Euangelio ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis*

Iohan.6. *eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed in ista carne & sanguine nihil cruentũ, nihil corruptibile mens humana concipiat, nè, sicut dicit Apostolus, qui corpus Domini indignè manducat, iudicium sibi manducet, sed viuificatricem substantiam atq; salutarem in pane & vino: per quæ, si dignè sumantur, nobis est peccatorum remißio, & regni Dei possesßio collata.*

Edimus Christi corpus & sanguinẽ, ab illo propter nos assumpta & immolata, sed modo incruento.

Hìc iterùm docet, carnem & sanguinem, quæ Christus ex virgine sacratissima Maria assumpsit, & pro nobis obtulit, viuificatricẽ & salutarẽ esse substãtiam, per quam nobis peccatorum remissio, & regni cælestis possessio cõferatur. Nec est quòd te perturbet amice lector, id quod vir sanctus adiungit, eiusmodi viuificatricem substãtiam in pane & vino porrigi. Quòd enim ille hoc loco per panem & vinum nihil velit aliud accipi, quàm species externas, non autem affirmare, panem & vinum illic reuerà permanere & adesse, infrà ex alijs eius locis luce clariùs demonstrabitur. Inpræsentiarùm institutum ego authoritatum eius proferendarum ordinem persequor.

In pane & vino, i. sub speciebus panis & vini.

In pane & vino corpus & sanguinẽ accipere, quid sit.

In

In cap.10.iam dictæ ad Hebræos Epistolæ, sacrificiũ Altaris, quod toto orbe quotidiè offertur, non pro multis, sed pro vnica duntaxat oblatione ait habendum, eandemq; omninò esse quam Christus immolârit. Vtitur autem hîc ijsdem ferè verbis, quibus Chrysostomus Homil.17.in idem caput, quę suprà retulimus. Videtur alter alterius legisse commentaria. Equidem te remitto lector ad scripta vtriusq; in hunc locum, vt quàm illi hac in re mirè inter se concinant, tute perspicias.

Mira Chrysostomi & Ambrosij cõsensio.

Porrò, vt ad alia Ambrosij testimonia tendamus, lib.1.officiorum sub finem capitis 48.docens ea nobis potissimùm expetenda, in quibus perfectio est, perindè vt Nazianzenus, distinguit inter vmbram, imaginẽ, & absolutam veritatem, idq; his verbis: *Hîc vmbra, hîc imago, illic veritas. Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem: & offert se ipse, quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat: hîc in imagine, ibì in veritate, vbì apud patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Hîc ergò in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, vbì plena perfectio: quia perfectio omnis in veritate est.*

Discrimẽ inter vmbram, imaginem, & absolutã veritatem.

Quæ quidem sententia adeò illius sedit animo, vt plerisq; alijs locis ijsdem ferè verbis eam repetat.

Placuit ea etiam D. Augustino, Ambrosij discipulo, lib.de Catacl.s.cap.4.

In Psal.38.exponens ea verba, In imagine pertransit homo, scribit hunc in modum: *Primùm igitur vmbra præcessit, secuta est imago, erit veritas: Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus. Vmbra Euangelij & Ecclesiæ congregationis, in lege: imago futuræ veritatis, in Euangelio: veritas, in iudicio Dei. Ergò quæ nunc celebrãtur in Ecclesia, eorum vmbra erat in sermonibus prophetarum, vmbra in diluuio, vmbra in rubro mari, quandò baptizati sunt patres nostri in nube & in mari: vmbra in petra, quæ aquam fluxit, & populum sequebatur. Nónne illud in vmbra erat, sacrosancti huius mysterij sacramentum? Nónne vmbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, quæ fugientes se populos sequebatur, vt biberent & non sitirent, redimerentur & non perirent? Sed iam discessit vmbra noctis & caliginis Iudæorum, dies appropinquauit Ecclesiæ. Videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona: vidimus principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum:*

1.Cor.10.

Videmus bona per imaginẽ, immò bona ipsa iam tenemus.

 sequa-

Sacerdotij dignitas. *sequamur, vt possumus, sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi meritò, tamen honorabiles sacrificio: quia & si nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quandò Christi corpus offertur: immò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur. Et ipse quidem nobis apud patrem aduocatus adsistit, sed nunc eum non videmus: tunc videbimus, quando imago transierit, veritas venerit: tunc iam non per speculum, sed facie ad faciem ea quæ perfecta sunt, videbuntur.*

Hęc reuerà memorabilia sunt, nec parùm facientia (vt iam antè in Nazianzeni & Hesychij testimonijs dictum est) ad veram sanamque catholicę Ecclesię de veritate corporis Christi in Eucharistia, & eiusdem iugi ac perenni hîc quidem in Ecclesia in Sacraméti mysterio, in cęlis autem absque vllo mysterio & integumento in Dei conspectu oblatione, doctrinam probè germaneq; capessendam & intelligendam, Aduersariorumque impias in S. Ecclesiæ sacrificium blasphemias & contumelias profligandas.

Ambrosius quid Imaginem vocet. Id solùm hîc obseruandum venit, ecquid Ambrosius imaginis vocabulo sibi velit. Non enim solã ille hac voce figuram vult accipi, sed potiùs Christum ipsum, qui est imago Dei, ad cuius similitudiné homo conditus est. *Hæc enim imago,* inquit, *venit ad terras, vt iam nõ in vmbra ambulemus, sed in imagine quæ est in Euangelio.* Et est reuerà discrimen ingens inter Imaginem & vmbram. Vmbra enim non nisi antecedens quoddam sacrum signum fuit tum adhuc futurorum bonorum: at in Imagine iam bona illa re vera tenemus & habemus, ità tamen, quòd inter eum habendi modum, quo nũc bona illa in Imagine tenemus, & futurum illum, quo in nuda veritate eadem obtinebimus in cęlis, hoc interest, quòd hîc illa bona substantialiter quidem, sed adhuc in mysterijs habemus, & per speculum videmus: at in cælis omninò manifesta ea habituri & contemplaturi sumus facie ad faciem.

Differétia inter vmbrã & Imaginem. Vmbra. Imago.

1. Cor. 13.

Vide hîc, amice lector, vt vir sanctus hac sua institutione inter veteris ac noui Tęstamenti sacramenta hoc interesse probet, quòd illa designârint tantùm bona ventura, non autem eò quòd adhuc ventura essent, in se reuerà continuerint, neque contulerint: hęc autem

autem secundùm species externas, imagines quidem sint præsentium bonorum, quæ tamen re ipsa vel realiter in se contineant, & dum nobis porriguntur, etiam certò nobis conferant & impertiantur: id quod ille exempli causa inter cętera per vmbram petrę, & imaginem Eucharistię adstruit, dicens Petram quidem Patribus aquam typicam prębuisse: Christi autem verę Petræ & principis sacerdotū corpus, verum contulisse sanguinem, illa aqua significatum, idemq; corpus quotidiè in Ecclesia offerri à sacerdotibus, qui suum in hocipso sequantur pontificem, faciantq; quod ille iusserit, adeoq; Christum ipsum adhuc ceu principem sacerdotum vtrobiquè offerre, hîc quidem in sua Ecclesia per nos, tanquàm ministros suos quibus ille hoc demandârit officij, quandoquidem illius sermo sanctificet sacrificiū quod offertur: In cælis autem absq; medio per seipsum, quòd apud patrem nobis adsistat aduocatus, pro nobis interpellans. Itaq; hîc illum nos habere quidem substantialiter, at tamen videre eum nō alitèr, quàm in imagine, & mysterijs sacramenti: porrò in cælis omni amoto integumento & mysterio, illum manifestè & facie ad faciem nos & habituros & visuros.

Sacramēta nouæ legis sunt imagines bonorum illorū, quæ re vera in se continent.

Petra vmbra Eucharistia imago.

Christus & hîc & in cælis summus est sacerdos.

Heb. 9.

1. Cor. 13.

Ad hanc verò perspicuam & luculentam tāti viri doctrinam, perindè vt nix ad solis radios, magna pars friuolorū ac futilium argumētorū, quibus Aduersarij aërē verberant, planè dissipatur ac euanescit, vt quòd illi his dictionibus, ἀντίτυπον, Imago, Mysterium, Mystica cœna, Corpus mysticum, Figura, Exemplar, & id genus alijs, quas ex Patribus hincindè excerpunt, & contra certam illorum mentem & sententiam fallaciter deprauant, veritatem corporis CHRISTI in Eucharistia impudentissimè oppugnare moliuntur. Sed de hoc modò dictum sit satis: iam alios D. Ambrosij locos proferre pergamus.

Generalis luminiarum Aduersæ partis diluuio.

Lib. 2. de officijs, cap. 28. adserit pro pauperibus Christianis è captiuitate & immanium tyrannorum manibus redimēdis, citra noxiā posse ab Episcopis sacra & mystica Ecclesiæ vasa expendi. Ibidèm calicem vas dominici sanguinis appellat, aitq; porrò: *Tunc vas dominici sanguinis agnosco, cùm in utroque uidero redemptionem, ut calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit: & iterùm: Agnosco*

Calix, vas dominici sanguinis.

infusum auro sanguinem Christi non solùm irrutilâsse, uerùm etiam diuinæ operationis impreßisse uirtutem, redemptionis munere. Audis hîc sanguinem Dominicum in calice, & eius diuinam operationem.

In cap. I. Lucæ, de Angeli apparitiõe scribit his verbis: *Atq; utinàm nobis quoq; adolentibus altaria, sacrificium deferentibus adsistat angelus: immò præbeat se uidendum. Non enim dubites adsistere angelũ, quãdo Christus adsistit, Christus immolatur. Etenim pascha nostrũ immolatus est Christus.* Discis hîc Christum verum pascha adsistere in altari, & ibì per sacerdotem immolari.

Christus verũ pascha re vera in altari immolatur.

Lib. I. de Virginibus (quos ille libros scripsit ad Marcellinam germanam sororẽ suã, ex professo virginẽ, eãdemq; velatã) puellę cuiusdam meminit, q̃ cùm à parentibus & propinquis ad nuptias vrgeretur, ad sacrosanctũ altare tanquàm ad asylum confugerit. *Quò enim*, inquit, *meliùs uirgo recurreret, quàm ubi sacrariũ uirginitatis* (putà corpus Christi) *offertur?* & paulò infrà: *Summum altari subiecta uerticem, Num meliùs*, inquit, *quàm altare uelabit, quod sanctificat ipsa uelamina, frontem? Plùs talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidiè consecratur.* (Flammeum dicit, quod corporale nos vocamus.) Hic V. Sacramẽtum in altari vocat sacrarium virginitatis, adeoq; Christum ipsum omnium nostrûm caput & Dñm, qui in illo offertur.

Marcellina Ambrosij soror sancta virgo, monastica professa. Christi corpus, sacrariũ virginitatis.

Libro de Viduis inter cætera sacerdotes instituit, qua illi voluntate & animi proposito esse debeant: *Oportet*, inquit, *uoluntatem eam, quæ Christo ministrat, primò carere uariarum illecebris uoluptatum, uitare internum corporis animiq; lãguorem, ut corpus & sanguinem Christi ministret. Neque enim potest quisquam peccatis suis æger, minimeq; sanus, immortalium sanitatum remedia ministrare. Vide quid agas sacerdos, ne febrienti manu corpus Christi attingas: priùs curare, ut ministrare poßis.*

Corpus Christi in Sacramẽto immortaliũ sanitatũ præstat remedia.

In oratione funebri de obitu Valentiniani, *Eucharistiam uocat sancta & cælestia mysteria, & matris, id est, Ecclesiæ oblationem, qua animã piam Imperatoris prosequi se uelle dicit, additq;: Spargant alij plenis lilia calathis: nobis lilium est Christus. Hoc reliquias eius sacrabo, hoc hominis gratiam commendabo.*

Corpus Christi, cæleste mysterium, pro mortuis oblatum.

Veniam

Veniam nunc ad ea loca, vbi didacticôs & ex professo de V. Sacramenti re & veritate scripsit.

In caput XXII. Lucę, his vtitur verbis: *Corpus Christi edimus, ut uitæ æternæ poßimus esse participes.*

In cap. x. prioris ad Corinthios Epistolę, hæc eius leguntur commentaria, *quòd sicut mare rubrum imago fuit futuri Sacramenti nostri, quod est Baptismus: ità manna & aquā, quæ fluxit de petra, habuisse in se figuram futuri mysterij, quod nunc nos sumimus in cōmemoratione Christi Domini.* Itemq; in illud Apostoli, *Nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* scribit hunc in modum: *Sicut enim nos de uno pane & de uno calice percipientes, participes sumus & consortes corporis Domini: ità & qui edunt hostias, participes sunt altaris erroris. Et qui mensæ dæmoniorū cōmunicat, mensæ Domini, id est, altario obstrepit, & Domini corpus crucifigit.* Quinam Domini corpus crucifigant.

In cap. XI. sic habet: *Eucharistia medicina spiritalis est, quæ cum reuerentia degustata, purificat sibi deuotum.* Deuotionem debemus erga V. Sacramentum declarare.

Item verba illa, *Mortem Domini annunciabis, donec veniat*, exponens: *Quia enim, inquit, morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando carnē & sanguinē, quæ pro nobis oblata sunt, significamus, nouum Testamentū in his consecuti, quod est noua lex, quæ obedientē sibi tradit cælestibus regnis. Nā & Moses accepto sanguine uituli in patera, adspersit filios Israel, dicens: Hoc est Testamentū, quod disposuit Deus ad nos, Exod. 24. Hoc figura fuit Testamenti, quod Dominus nouū appellauit per Prophetas, Ierem. 31. ut illud uetus sit quod Moses tradidit. Testamentū ergò sanguine constitutū est, quia beneficij diuini sanguis testis est: in cuius typum nos calicē mysticum sanguinis ad tuitionē corporis & animæ nostræ percipimus: quia sanguis Domini sanguinē nostrū redemit, id est, totum hominem saluum fecit.* Corpore & sanguine Domini in Eucharistia, noua lex cōfirmatur. Vide suprà XVI. scripturæ testimonium. Sanguis Christi in V. Sacramēto, diuini erga nos beneficij testis est.

In ea quoquè verba, *Probet autem se homo* &c. ità scriptum reliquit: *Deuoto animo, & cum timore accedendum ad cōmunionem docet, ut sciat mens reuerentiam se debere ei, ad cuius corpus sumendū accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in mysterio sanguinē potat,* Reuerentia præstanda V. Sacramento, quia Dominus est.

qui testis est beneficij Dei. Quem nos si cum disciplina accipiamus, non erimus indigni corpore & sanguine Domini: gratias enim uidebimur reddere redemptori.

Itemque locum illum, *Ideò multi in vobis inualidi & ægroti*, (sic enim ipse legit) *& dormiunt multi*, hunc in modum interpretatur: *Vt uerum probaret, quia examen futurum est accipientium corpus Domini, iam hîc imaginē iudicij ostendit in eos, qui incōsideratè corpus Domini acceperant, dum febribus & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur, ut in his cæteri discerent, & paucorum exemplo territi, emendarentur: non inultum scientes corpus Domini negligenter accipere, & eum quem hîc pœna distulerit, grauiùs tractari, quia contempsit exemplum.*

Nó cedit impunè, corpus Domini negligenter accipere.

Postremò in eum locum, Itaque fratres cùm conuenitis ad manducandum, inuicèm expectate: si quis esurit, domi manducet &c. scribens commentaria, cęlestē hunc cibū expressè ab esca terrena discernit, his verbis: *Abinuicèm expectandum dicit, ut multorū oblatio simul celebretur, ut & omnibus ministretur: & si quis impatiens est, domi terreno pane pascatur.* tanq̄ diceret, eum pane hoc cęlesti planè indignum esse.

Vt S. Patres Eucharistiam à cibo cōmuni distinguant.

Plura quidem ex Ambrosio hincindè coaceruare testimonia superuacaneum est, maximè cùm ille peculiarem scripserit librum, De his qui mysterijs initiantur, vel (vt Lanfranc⁹ eum nuncupat) sermonem de Mysterijs ad neophytos: prætereaq; sex alios libros peculiares de Sacramentis: quos de Sacramentis libros, eô quòd ipsos vehementer retundant & premāt, Aduersarij in dubium reuocare nituntur, num Ambrosij sint. Sed ea res nihil nos mouere debet, quandò tot seculis pro Ambrosianis habiti sunt, ex quib⁹ etiam pleraq; apud Augustinum eius discipulum extracta leguntur: tum quoquè quòd illo authore digni sint, & quòd ad phrasim attinet, nihil discrepare videantur ab illis, quæ hos proximè antecedunt, certis eius operibus: deniquè, vt ex illis ipsis facilè potest colligi, nō nupèr admodùm, sed hauddubiò ipsius Ambrosij ætate conscripti sint.

Lib. 6. de Sacramētis cur pro Ambrosianis habendi.

1. 2. 3. 4. 5.

Porrò libro memorato, de his qui Mysterijs initiantur, quem Aduersarij quoquè Ambrosio adscribunt, & alijs sex de Sacramentis, veram ac realē Christi in sanctiss. Eucharistia præsentiā, & panis ac vini in veram corporis & sanguinis Christi substantiam, commutationem,

Ambrosius trāsubstātiationis assertor validus.

nem,(nos transſubſtantiationem dicimus) tam luculenter & perſpicuè docet & aſſerit,q̃ quiſquam poſſit mortalium. Cuius ego verba, quandò pro nobis vel maximè faciunt, & immanè partis aduerſæ errorem penitùs ſubruunt, aliquanto quidem fuſiùs, ſed citra lectoris tamen, vti ſpero, moleſtiam & ſtomachum, in medium adferre decreui. Libri igitur, de ijs qui initiantur myſterijs, cap. 8. quem nemo Ambroſij eſſe ambigit, diuinum altaris Sacramẽtum in veteri Teſtamento longè antè præfiguratum eſſe docet, idq́; in ſacrificio Melchiſedechico, qui aſſimilatus eſt filio Dei, quàm manna patribus datum ſit: quam ob rem inprimìs ob ſuam antiquitatem, deindè ob diuinam virtutem & efficaciam ſuam, longè ſit quàm mãna præſtantius. Idem verò caput de huius efficaciæ præſtantia claudit his verbis: *Reuera mirabile eſt, quòd manna Deus pluèrit patribus, & quotidiano cæli paſcebantur alimento: undè dictum eſt, Panem angelorum manducauit homo. Sed tamen panem illum qui manducauerunt, omnes in deſerto mortui ſunt. Iſta autem eſca quam accipis, iſte panis uiuus qui deſcendit de cælo, uitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat: & quicunq; hunc panem manducauerit, non morietur in æternum: & corpus eſt Chriſti.*

Gen. 14. Hebr. 7. Exod. 16. Pſalm. 77. Iohan. 6.

Deindè cap. 9. proſequitur: *Conſidera nũc, inquit, utrùm præſtantior ſit panis angelorum, an caro Chriſti, quæ utiquè eſt corpus uitæ. Manna illud è cælo, hoc ſupra cælum. Illud cæli, hoc Domini cælorum: Illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alterum ſeruaretur: hoc alienum ab omni corruptione: quod quicunque religiosè guſtauerit, corruptionem ſentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi ſanguis è Chriſto. Illos ad horam ſatiauit aqua, te ſanguis diluit in æternùm. Iudæus bibit & ſitit: tu cùm biberis, ſitire non poteris. Et illud in umbra, hoc in ueritate. Si illud quod miraris, umbra eſt: quantum iſtud eſt, cuius & umbram miraris? Audi quia umbra eſt, quæ apud Patres facta eſt: Bibebant, inquit, de conſequenti petra: petra autem erat CHRISTVS. Sed non in pluribus eorum complacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figuram facta ſunt noſtri. Cognouiſti præſtantiora? Potior etenim lux quàm umbra, ueritas quàm figura, corpus authoris, quàm manna de cælo. Fortè dicas: Aliud uideo: quomodò tu mihi aſſeris, quòd Chriſti corpus accipiam?*

Vide ſuprà X. ſcripturæ teſtimoniũ, quantùm Euchariſtia præſtet mannæ. Chriſti corpus in Euchariſtia incorruptibile. Aqua ex petra, ſanguis è Chriſto. Chriſti ſanguis in veritate eſt in V. Sacramento. 1. Cor. 10.

Probat Sacramentũ nõ esse hoc quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit.

Et hoc adhuc nobis superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq; uim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur? Virgã tenebat Moses: proiecit eã, & facta est serpens. Rursus appræhendit caudã serpentis, & in uirgæ naturã reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatã esse naturã, & serpentis, & uirgæ. Currebant Aegypti flumina puro aquarum meatu: subito de fontium uenis sanguis cœpit erumpere, nec erat potus in fluuijs. Rursus ad Prophetæ preces cruor cessauit fluminũ, aquarũ natura remeauit. Circunclusus undiquè erat populus Hebræorum, hinc Aegyptijs uallatus, indè mari clausus. Virgã leuauit Moses, separauit se aqua, & in murorũ speciem congelauit, atque inter undas uia pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus, contra naturã in sui fontis reuertitur exordiũ. Nónne claret, naturã uel maritimorũ fluctuũ, uel fluuialis cursus esse mutatã? Sitiebat populus patrũ: tetigit Moses petrã, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturã operata est gratia, ut aquã uomeret petra, quã non habebat natura? Marath fluuius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit Moses lignũ in aquã, & amaritudinẽ suam aquarũ natura deposuit, quã infusa subitò gratia tẽperauit. Sub Elisæo propheta uni ex filijs Prophetarũ excussum est ferrũ de securi, & statim mersum est. Rogauit Elisæum, qui amiserat ferrũ: misit etiã Elisæus lignũ in aquã, & ferrum natauit. Vtiquè & hoc præter naturã factũ esse cognoscimus. Grauior est enim ferri species, quàm aquarum liquor.

Exod. 4. Exod. 7. Exod. 14. Iosuæ 3. Exod. 17. Num. 20. Exod. 15. 4 Reg. 6.

Aduertimus igitur maioris esse uirtutis gratiã quàm naturã, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quòd si tantum uoluit humana benedictio, ut naturã conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, ubi uerba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam Sacramentũ istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum ualuit sermo Eliæ, ut ignẽ de cælo deponeret: nõ ualebit Christi sermo, ut species mutet elementorũ? De totius mundi operibus legisti, Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergò Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare

Verba diuinæ consecrationis, naturam panis & vini conuertunt. 4 Reg. 1. Psalm. 148.

quod

quod nō erant? Nō enim minus est, nouas rebus dare, q̄ mutare, naturas. Sed quoad argumentis utimur? Suis utamur exemplis, incarnationisq́; (exēplo) adstruamus mysterij ueritatem. Nunquid naturæ usus præcessit, cùm Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinē quærimus, uiro mixta fœmina generare cōsueuerat. Liquet igitur, quod præter naturæ ordinem uirgo generauit. Et hoc quod conficimus corpus, ex uirgine est. Quid hîc quæris naturæ ordinē in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex uirgine? Vera utiquè caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: ueræ ergo carnis illius Sacramentū est. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc *est corpus meum. Ante benedictionem uerborum cælestium, alia species nominatur: post consecrationem, corpus Christi significatur: Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen: hoc est, uerum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat. His igitur Sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus, quibus animæ firmatur substantia.*

Vt Christi natiuitas supra naturæ leges fuit, ità etiam stupēda creaturarū in Sacramento conuersio.

Corpus quod cōficimus, ex virgine est.

Cùm Christus Sacramentum dicat esse corpus & sanguinē suū, & nos dicēdo, Amē, idē fateamur, firmiter quoquè id credamus oportet.

Non longè infrà, hæc subiungit: *Quid edamus, quid bibamus, alibi tibi p Prophetā Spiritussanctus expressit, dicens: Gustate & uidete, quoniā suauis est Dominus: beatus uir qui sperat in eo. In illo Sacramēto Christus est, qa corpus est Christi. Nō ergò corporalis esca, sed spiritalis est. Vndè & Apostolus de typo eius ait, Quia patres nostri escā spiritalē manducauerūt, & potum spiritalem biberunt. Corpus enim Dei, corpus est spiritale. Corpus Christi, corpus est diuini spiritûs: quia spiritus est Christus, ut legimus: Spiritus ante faciem nostrā Christus Dominus.* Hucusquè Ambrosius.

Psal. 33.

In Sacramēto Christus est.

1. Cor. 10.

Corpus Christi, spiritale est corpus.

Thren. 4.

Si quidē hoc testimonio id effici non potest, vt Aduersarij obmutescant, nō video profectò, qua tandèm re id possit effici. Ambrosius hîc totus in hoc vnum incumbit, vt Christi corpus in V. Sacramento nō figuratè aut typicè, sed substantialiter adesse probet efficacissimè. Principiò ait, manna cum hoc V. Sacramento nulla ratione posse cōferri. Hîc enim adesse panem viuum, qui de cælo descendit, verū corpus & carnem Christi, quæ nobis vitæ æternæ substantiam subministret: nec pluisse è cęlis creatis, sed esse supra cælum: alienam esse ab omni corruptione, & nobis quoquè præstare incorruptionem. In calice quoquè esse sanguinem, qui ex Christo fluxerit: manna huius

Vide suprà X. scripturæ Testimoniū.

Sacramenti tantùm figuram fuiſſe, hoc autem eſſe veritatem: manna vmbram, hoc lucẽ eſſe: deniquè hîc corpus eſſe authoris, immò Christum ipſum, veram illam conſequentem petram.

Melanchthō quoquè fatetur Ambroſium creaturarum ſecūdùm naturā mutationem in Sacramento, docuiſſe.

Porrò exempla, quæ cumulatim è ſcripturis producit, mentẽ illius atq; ſententiā ea euidentia produnt & explicant, vt etiā Melanchthon fateaī, neq; poſſit id non fateri, Ambroſium hac in ſententia ꝓculdubiò fuiſſe, panis naturam mutari. Certè in illo conuerſæ virgæ in ſerpentem exemplo, nimìs quàm manifeſtum eſt, vt equidem exiſtimo, virgę ſubſtantiā in ſerpentis tranſiſſe ſubſtantiam, atq; hanc rurſus in illam virtute diuina mutatā. Poſſet hoc exemplum non incōmodè adhiberi multiuarijs Aduerſariorū blaſphemijs, nefandisq; dicterijs profligandis, quę illi contra hęc diuina myſteria ex ſuis plùs ſatìs carnalibus animis dedita opera malitiosè comminiſcuntur.

Obiectio partis aduerſæ. C. qui benè cuſtodierit. De cōſe. diſtinct. 2.

Aiunt illi irridiculè, Inueniri apud Patres, vtì clerici, quorū neglìgentia V. Sacramentū à muribus, vel alijs animalib⁹ comeſtum, arroſum, vel alitèr corruptū fuiſſet, pœnas luere debuerint: itemq; Sacramenti reliquias quandoquè igni abſumptas eſſe, vt etiam in Heſychij teſtimonijs antè attigimus: & eius generis alia. Nō poſſe autẽ veri corporis Chriſti ſubſtantiā vel arrodi, vel cōburi: itaq; hinc animaduerti, panis ſubſtantiam, quæ & corrodi & conſumi poſſit, in Sacramẽto ſupereſſe. Sed quæſo te Lector, putásne hoc illorum cum Dei cōtumelia coniunctū ſcomma, hac me ratione nō abſurdè poſſe refellere, vt dicā, quandiù externa panis ſpecies diuino myſterio & Sacramento, ità vt inſtituta eſt, ſubſeruit, hoc eſt, quandiù V. Sacramentū ea qua par eſt reuerentia aſſeruatur, & externæ ſpecies manent incorruptę, eo animo, vt opportuno tempore religiosè ſumantur, eſſe illic & permanere reuerà corpus Chriſti: at verò vbi diuinū illud Sacramẽtū & myſterium, quod eo nomine pręparatū eſt, vt poſſit ſalutariter accipi, non eo ſtudio aſſeruatur, neq; ſumitur, ſed ob negligenter habitas externas ſpecies, aut alioquì cōmodè ſumi nō poteſt, nō debet id nobis videri incredibile, modò diuinā penſitemus potentiā, Deū his caſibus corpus ſuū à ſpeciebus externis ſubducere, & priſtinā panis naturā ad illas redire ꝑmittere, perindè vt virgæ naturā, quæ iam in ſerpentẽ trāſierat, in id quod antè erat, iuſſit reuerti, qñ diuina illa mutatio iā illos nō erat vſus habitura, qb⁹ diuinitùs deſtinata fuerat.

Deus externis ſpeciebus negligenter habitis, corpus ſuū ſubtrahere videtur.

Exod. 4. 7.

Vide

Vide Diuum Cyprianum Sermone de lapsis, vbi ille aliquot commemorandis miraculis, docet corpus Domini quibusdam idolorum sacrificijs contaminatis, & priùs quàm ea causa canonicam egissent pœnitentiam, ad corporis Christi communionem se ingerentibus, se subtraxisse. *Documento,* inquit, *vnius ostensum est, Dominum recedere cùm negatur.*

Aduersarij sanè hîc toto errant cælo, idq; vt conijci licet, scientes & de industria, dum impudenter illi nobis affingunt, nos & sentire & asserere eiusmodi hîc fieri mutationem, quales sunt illæ, quæ naturaliter fieri consueuerunt, quas Philosophi Generationē, Augmentationem, Alterationē, secundùm locum Mutationē vocant. Id verò nos nè in animū quidem & cogitationem admittere velimus, tantum abest vt affirmare ausi simus. Nouimus, laus Deo, è materia panis nequaquàm effici corpus Christi, vtpotè quod ex sanctissima carne & sanguine purissimæ semperque virginis MARIAE, Sanctispiritûs operatione semèl factum est: itemq; illud, posteaquàm à mortuis excitatum est, nullam deincèps ex panis substantia vel materia accessionem & incrementum accipere, quemadmodùm corpora nostra ex terreno alimento, vndè carnem & sanguinem fouent & augescunt, quanquàm ex Iustini, Gregorij Nysseni, Damasceni, aliorumq; patrū sententia, panis in corpus Christi virtute verborum eius conuersio nō minùs credenda est, quàm panem illum, quem dum in terris esset comedit, in eius corpus (licèt alia ratione) transîsse: Neq; nos latet, corpus Christi nō perindè vt qualitatem, ad panē alterationis modo accedere, substantia panis nō mutata. Deniquè nō sumus nescij, eum iam ad patris assidentem dexteram, cælum aut sedem suam, quô nobiscum hîc possit esse in V. Sacramento, nequaquàm deserere. Hæc enim de his naturam omnem longè excedentibus mysterijs, pro naturæ legibus & institutis nimiùm crassè & planè ethnicè dicerentur.

Mutatio, quæ in Sacramēto fit, omninò est supra naturam.

Nos verò asserimus, modo quodam ineffabili & incōpræhensibili materiam simul & formam substantialē in corpus Christi mutari atque conuerti: quod in alijs naturalibus mutationibus non ità habet, vbi manente substrata materia, mutatæ tantùm formæ priori alia noua succedit: hoc est, dicimus totam materiam & formam substantialē atque substantiam panis, virtute omnipotenti sermonis Christi in

Vide D. Thomā Aquinatē par. 3. Quæst. 75. Artic. 4.

verum

verum eius corpus transferri, ità vt panis substantia illic esse desinat, & præsens fiat corpus Christi: atque vbì necdùm prolatis consecrationis verbis, re vera panis fuit, simul atquè illa prolata sint, verum Christi corpus substantialiter adsit, vt hæc conuersio non sit formalis, sed substantialis, manentibus nihilo minùs prioribus panis speciebus externis, sub quibus corpus illud continetur, nè iam manifestus nobis adsit & conspicuus Christus, sed in Sacramento & mysterio, idq; eo potissimùm nomine, vt sub eiusmodi nobis notis speciebus eum religiosè & reuerenter accipiamus: quandò alioquì, si se visibilē & absque integumentis nobis exhiberet, non possemus non pro humana fragilitate nimio timore corripi & obstupescere.

Admittimus sanè eiusmodi locutionē, Ex pane fieri corpus Christi, non quidem in eam sententiam, quòd ex pane, velut ex præsupposita materia, illud ipsum fiat: quod impiū fuerit sentire: sed quodam exhibitionis ordine, sicut quadantenùs diuina creatione ex nihilo, nullius materiæ substerniculo, substiterunt vniuersa, & ex tenebris iussu Dei lux resplenduit. Quanquàm & hîc interìm hoc obseruandum venit, quòd diuina illa ex nihilo rerum creatio, ab ista non minùs diuina, & vltra omnem modum · irabili transmutatione eatenùs differat, vt in creatione quidem .. nil omninò præcesserit, vndè quippiam fieret: hîc verò præcedat panis substantia, quæ conuersione quadam inenarrabili, vt quæ planè sit contra naturæ leges, & nobis incompræhensibilis, transit & desinit in corpus Christi: ità vt vbì priùs fuit substantia panis, ibì nunc se verè præsentem exhibeat substantia Christi, vt verum sit & verum maneat ipsius veritatis verbum, *Hoc est corpus meum*, in cuius obsequium redigere debemus intellectum nostrum. Hoc est, quatenùs laicorū nôsse interest, Ex pane fit corpus Christi, non ea ratione, quòd ex panis materia corpus Christi denuò creetur, sed vbì priùs panis fuit, ibì facta cōsecratione verū fit corpus Christi, natū ex prestantissima MARIA virgine, idq; substantialiter, atque modo quodam imbecillæ rationi nostræ planè incompræhensibili. Quamobrem Chrysostomus ait, frustrà hinc disputationē iniri, sed debere nos intellectum nostrum obedientiæ fidei captiuū tradere, cui prorsus dubitare non liceat, quicquid Christus velit, id eum quoquè posse efficere: & quæcunque dixit, ea & reuerà

2.Cor. 4.

2.Cor. 10.

Panis in corpus Christi mutatio, ratione nostra compræhēdi non potest. Psalm. 134. Rom. 4. Psalm. 148.

uerà facta esse. Et hîc quidem ea Salomonis sententia locum habet, Qui scrutator est maiestatis, opprimitur à gloria. Prouerb. 25.

Quandò igitur diuina hæc mysteria intellectum nostrum vsq; eò superant, equidem iam Aduersariorũ cauillis eum in modũ respondi, fieri posse, vt in casibus memoratis, putà si Sacramentum ob species externas ex negligẽtia corruptas, aut alijs ex causis nõ possit ampliùs commodè accipi, pristina panis substantia ad species illas, vt à quibus Domini corpus se subduxerit, reuertatur: non autem ità necessariò fieri oportere. Nanque citra hoc efficere potest Deus, quæ illius est præpotens virtus, vt meræ illæ externæ species, etiam priori panis substantia non redeunte, id est, accidentia sinè subiecto, pristinas suas conditiones & naturales proprietates retineant. Si enim ità visum est Creatori Opt. Max. in rerum conditione id instituere, vt creatæ substantiæ ipsa accidentia ferant & sustineãt, cur non ille sua possit præpotenti virtute etiam accidentia ipsa sinè substantia conseruare, quandò & Philosophis absurdum videtur dicere, primã causam non posse id prestare solam, quod possit cum secunda?

Aduersarijs nihil opus est exactã reddere rationẽ negligentiæ, erga externas Eucharistiæ species admissæ.

Libéret ex his percontari hominibus, ecquid tandèm fluxum rubri maris & Iordanis, cùm se aquę diuiderent, & vtrinquè in muri speciem coalescerent, donec Israelitæ transirent, aut ferri pondus in aqua natantis sustinuerit? Num id vndarum vel ferri naturę tribuendum est? Minimè gentium, cùm hęc illi planè repugnarent. Itaque citra dubium Deus id fecisse credendus est, rerũ omnium fons & origo, sinè aquæ vel ferri substantia: vtpotè qui naturæ à se conditæ legibus non est adstrictus, quiq; omnia pro suo facit arbitratu, neque naturam, quam ex nihilo fecit, cõsulendam sibi putat. Hæc mihi hoc loco, oblata ex Ambrosio occasione, prolixiùs dicta sunt, vt quàm nihil habeat momenti partis aduersæ contumeliosa cauillatio, qua illi præpotenti Deo in eius operibus modum atque leges volunt pręscribere, sicq; in sua sapientia planè stultescunt, omnib' fiat testatius, & Ambrosij tam præcedẽtia, quàm ea quæ sequuntur, testimonia rectiùs capiantur.

Exod. 14. Iosuæ 3. 4. Reg. 6.

Qui nimirùm, vt fidẽ nostrã, qua credimus substãtiam panis & vini in corporis & sanguinis Christi substantiam re vera transferri atq; conuerti, excitaret & adstrueret, exempla suprà scripta ex sacris Bi-

blijs adduxit, quæ nobis testatum efficiunt, Mosen, Eliam & Elisæum Prophetas, quos homines tantùm fuisse constat, diuina fretos gratia, ea fecisse, quæ naturæ facultatem longè excedant: maximè, quòd Moses Dei creaturam quandoquè etiam secundùm substantiam & naturam illius bìs conuertit, vt in virga mutata in serpentem, & ex serpente rursus in pristinam naturam conuersa, cernere licet. Vndè ille per Argumentum à maiori, ità infert: Si illi, quos non nisi homines fuisse certũ est, prophetica gratia diuinitùs illis collata, Dei creaturas supra naturam mutare potuerunt: quantò magìs id potest verbum sempiternum, Christus Dominus, verus Deus, rerum omniũ author & conditor?

Iohan. 1.

Id porrò validiori confirmat argumento æquè à maiori, hunc in modum: Cùm id omnibus nobis persuasum sit, nihilq; minùs apud nos dubitationis habeat, quàm per verbum cuncta creata ex nihilo, ac per illud deincèps consistere & conseruari: quanto nos certiùs fateri debemus, ea quæ per verbum priùs facta sint, in aliam posse substantiam per ipsum mutari? quandoquidem minus est, res iam creatas porrò conseruare, vel in aliam transferre naturam, quàm ea quæ non sunt, creare ex nihilo.

Deus qui ex nihilo potuit facere oĩa, ea quoquè pro suo arbitratu mutare potest.

Pergit indè, & incompræhensibilem, ineffabilem, & quæ prorsus naturam omnem superet, Christi incarnationem cum hac, quæ in Sacramento fit, mutatione confert, verbisq; disertis ait, *hoc quod conficimus corpus, esse ex virgine, esse ipsam Christi carnẽ, quæ nata est ex virgine, quæ crucifixa* &c. *hocq; Sacramentum, veræ illius carnis* (scilicet, sub ipso contentæ) *esse Sacramentum: Ipsum Dominum Iesum clamare, nè nos vllo pacto in fide vacillemus, Hoc est corpus meum: & quod in calice est, sanguis meus est:* q̃si diceret, Dñm nuncupare, appellare, significare, vocare hęc sacramẽta corpus & sanguinẽ suũ: & hac de causa nõ posse ea non esse corpus & sanguinem illius: quandoquidem Domini dixisse & vocâsse, fecisse est, qui vocat ea quæ non sunt vt sint, vel tanquàm ea quæ sunt. *Et tu dicis* (ait vir sanctus) *ad hac Domini verba, Amen, hoc est, verũ est. Quod os loquitur, mens interna fateatur.*

Vide suprà primum scripturæ testimonium.

Rom 4.

Verùm vt certius aliquid hac de mutatione, putà, quemadmodùm illa fiat, discere & consequi possimus: his, vt antè dictum est, verbis vtitur: *Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictio-*

nem verborum cælestium alia species nominatur, nempè panis: post consecrationem corpus Christi significatur, id est, nuncupatur. Hoc enim loco ità accipi debet, quod ait, *significatur:* putà, quemadmodùm vocabulum panis ante consecrationem significat verum panem: ità vocabulum corpus, prolatum à domino, (cuius verbum operatorium est) significat verum corpus. Hanc enim genuinam esse Ambrosij sententiam, ipse ijs quæ proximè subijcientur, testimonijs suis clarissimè docet, vbì hęc eius verba leguntur: *Antequàm consecratur, panis est: vbì autem verba Christi accesserint, corpus est Christi.*

Ambrosius quid sibi velit dicens, corpus Christi significatur.

Dominus (ait porrò Ambrosius) *dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud, nempè vinum & aqua, dicitur: post consecrationē sanguis nuncupatur: idq; ab ipso Domino, cuius sermo operatorius est. Et tu illis accedens & assentiens verbis, dicis, Amen, hoc est, verum est.* Nam si dictio illa, *significatur*, secùs accipienda foret, quid attinebat Ambrosium mutationem hanc tantoperè admirari, eamq; cum creationis mundi & dominicæ incarnationis miraculis conferre?

Atquì ille his verbis, vt iam antè diximus, summo studio id docet, vtì nos de hac conuersione tum credere, tum loqui debeamus, nempe, ex pane fieri corpus Christi, non subministratione quidem materiæ, sed exhibitionis ordine: id est, non quòd ex panis materia denuò fiat corpus Christi, sed quod priùs panis & vinum fuerit, id simul atquè pronunciata sint consecrationis verba, modo incompręhensibili in verum corpus & sanguinem, quę ex virgine præstantissima MARIA nata sunt, conuerti atque transferri.

De mutatione, quæ fit in Sacramento, vtì credendū sit & loquendum.

Et vt paucis multa complectar, vbì Ambrosius id explicat, quidnam in Sacramento habeamus, ibì nos affirmat, habere illic verum Christi corpus & sanguinem, & corpus diuini spiritûs, adeoq; Dominum ipsum. Vbì verò ad excitandam fidem nostram cum emphasi quadam & vehementia dicit, clamare ipsum Dominum Iesum, *Hoc est corpus meum*, &c. hic ille efficacissimam verborum Domini efficientiam indicat, qua fiat, vt quod illa significant, id mox vt prolata sint, re vera & substantialiter adsit.

Sed iam porrò videamus, quid hac de re vir sanctiss. in suis, quorum antè meminimus, de Sacramentis libris (qui nimirùm antè dicti, de his qui initiantur mysterijs, opusculi exegesis quædā & fusior expli-

plicatio ſunt) ſcriptum reliquerit. Libro 4. cap. 3. 4. & 5. docet, manna non niſi figuram huius celſiſſimi fuiſſe Sacramenti, idemq; Sacramẽtum longè ante manna, Melchiſedechico ſacrificio eſſe præſignificatum: atque ità ſuæ vetuſtatis nomine, mannę longè eſſe anteferendũ.

Miraculũ lõgè inſignius in V. Sacramento, quàm in manna.

Capite 4. id potiſſimùm probat, V. Sacramentum eſſe manna admirabilius atque præſtantius. Verba eius hæc ſunt: *Verè autem magnũ eſt & diuinum miraculum, quòd populo pluit Deus manna de cælo: & non laborabat populus, & manducabat. Tu fortè dicis: Meus panis eſt vſitatus: Sed panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum: Vbì acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur adſtruamus: Quomodò poteſt, qui panis eſt, eſſe corpus Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbì venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti. Ergò ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempè is, quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus, & factum eſt cęlum. Iuſſit Dominus, & facta eſt terra. Iuſſit Dominus, & facta ſunt maria. Iuſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergò, quàm operatorius ſit ſermo Chriſti? Si ergò tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant: quantò magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Ergò, tibi vt reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem: ſed poſt conſecrationem dico tibi, quòd iam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt: ipſe mandauit, & creatum eſt.*

Vt cũcta cùm nõ eſſent, per verbum facta ſunt: ità & panis per verbũ in verũ Chriſti corpus mutatur.

Pſalm. 148.

Supernaturaliter fit ex pane corpus Chriſti.

Et paulò pòſt: *Accipe ergò, quemadmodùm ſermo Chriſti creaturã omnẽ mutare cõſueuerit, & mutat quãdò vult inſtituta naturæ. Quomodò, requiris? Accipe, & primò omnium de generatione eius ſumamus exemplum. Cõſuetudo eſt, vt non generetur homo, niſi ex viro & muliere, & conſuetudine coniugali. Sed quia voluit Dominus, qui hoc elegit Sacramentum, de Spirituſancto & virgine natus eſt Chriſtus: hoc eſt, mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Vides ergò quia contra inſtituta & ordinem, homo eſt natus ex virgine?*

Miraculũ incarnationis Chriſti, cum V. Sacramẽti confert miraculo.

Ab hoc exemplo mox ad alia ſe confert iam antè memorata exempla, putà, diuiſi maris, mutationis fontis amariſſimi Marath in dul

cedi-

cedinem,securis discipuli Elisæi,atque ex his postremò infert: *Ex his, inquit, omnibus non intelligis, quantùm operetur sermo cælestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo cælestis in alijs rebus, non operatur in cælestibus Sacramẽtis? Ergò didicisti, quòd ex pane corpus fiat Christi: & quòd vinũ & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.* Ex pane fit corpus, & ex vino & aqua fit sanguis Christi.

Sed fortè dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti,ità etiam similitudinem preciosi sanguinis bibis, vt nullus horror cruoris sit, & precium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergò, quia quod accipis, corpus est Christi. Vide suprà Emisenum fol. 126. Cur Christi sanguinẽ in mysterio sumamus.

Cap. V. porrò docet, quæ sunt consecrationis verba. Quod quidẽ caput cum illo, quod sequitur, sexto capite quisquis studiosè & animo syncero minimeque ficto legerit, re ipsa comperiet, sacrosanctæ Missę Canonem, quo celsissimi Sacramenti consecratio, oblatio, perceptio, iuxta veteris Ecclesię saluberrimam constitutionem, ordinationem, ritum & consuetudinem compræhenditur, non herì aut nudiustertiùs natum, sed ipsa adeò Ambrosij ętate iampridèm in vsu fuisse: qua de re aliâs. S. Canonis vetustas.

Memorato igitur Cap. V. inter cętera sic habet: *Antequàm consecretur, panis est: vbì autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes, Hoc est corpus meum. Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: vbì verba Christi operata fuerint, ibì sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergò videte quantis generibus potens est sermo Christi vniuersa conuertere. Deindè cùm ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus & sanguinem, nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare? Iam redi mecum ad propositionem meam. Magnum quidem & venerabile, quòd manna Iudæis pluît è cælo: sed intellige, quid est amplius, manna de cælo, an corpus Christi? Corpus Christi vtiquè, qui author est cæli. Deindè, manna qui manducauit, mortuus est: qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remißio peccatorũ, & non morietur in æternũm. Ergò non ociosè tu dicis, Amen, iã in spiritu confitens, quòd accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos, Corpus Christi: & tu dicis, Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Ante consecrationẽ, panis est & vinũ: post consecrationem, corpus & sanguis Christi. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Iohan. 6.

Lib. V. cap. IIII. in precationis Dominicę ea verba, *Panẽ nostrum quotidianũ da nobis hodiè*, scribit hunc in modum: *Memini sermonis mei, cùm de Sacramentis tractarem. Dixi vobis, quòd ante verba Christi quod of-*

 fertur,

fertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam nō panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ postea sequitur, ait panem nostrum? Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον dixit, hoc est, supersubstantialem. Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.

Corpus Christi, panis est supersubstantialis.

Deniquè libri 6. cap. 1. hæc eius verba habentur: *Sicut verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, nō quemadmodùm homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris: ità vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus est potus. Sed fortè dicas, quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi, audientes dicentem, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam æternam: fortè dicas: Quomodò vera? qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primò omnium dixi tibi de sermone Christi qui operatur, vt possit mutare & conuertere genera & instituta naturæ. Deindè vbì non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, sed audientes quòd carnem suam daret manducare, & sanguinem suum daret bibendum, recedebant. Solus tamē Petrus dixit: Verba vitæ æternæ habes, & ego à te quò recedam? Nè igitur plures hoc dicerent, velutì quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideò in similitudinem quidem accipis Sacramentum, sed vera naturæ gratiam virtutemq́; consequeris. Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cælo descendi. Sed caro non descendit de cælo: hoc est, carnem in terris assumpsit ex virgine. Quomodò ergò descendit panis è cælo, & panis viuus? Quia idem Dominus noster Iesus Christus consors est & diuinitatis & corporis: & tu quia accipis panem, diuinæ eius substantiæ in illo participaris alimento.* Hactenùs Ambrosius.

Iohān. 1.

Iohan. 6.

Sensibus non est habenda fides.

Iohan 6.

Nota contra impios Anabaptistas, vt Christum de cælis descendisse, accipiendum sit.

Vix ego crediderim de vera corporis & sanguinis Christi substantia in V. Sacramento, quenquā dicere posse euidentiùs. Primò Sacramentū hoc à manna distinguit, idq; potissimùm substātię, ac deindè vtriusq; efficientię nomine: Substantię quidē, quòd māna panis fuerit, quem dubium nō sit è cælo, id est, aëre pluisse: hîc verò sit corpus Christi, qui author est cæli. Efficientiæ verò, ꝙ māna nullam habuerit vim & virtutē præstandæ immortalitatis: In Sacramento autē sit remissio peccatorū, & dignè ipsum sumētibꝰ immortalitatē cōferat.

Explanatio & anacephalæosis.

Deindè vt mens eius & sententia probè capiaē, identidèm repetit, quod in altari positū sit, panē & vinū esse ante consecrationē: vbì au-

tem accesserit consecratio, eiusdem cõsecrationis vi & virtute de pane fieri verum corpus, & de vino verum Christi sanguinem. Eodem enim omnipotenti sermone hoc confici V. Sacramentum, quo olim facta sint omnia: adeoq; vt illo sermone vel verbo cælũ, terra & quicquid in eis est, factum est: ità vbi Christus dicit, *Hoc est corpus meum*, etiam reuerà præsens fieri corpus illius.

Itemq; sicut ille ex virgine supra naturæ facultatem natus est, ità etiam supernaturaliter corpus & sanguinem eius reuerà fieri in hoc V. Sacramẽto, quod ipse sibi elegerit peculiariter, nimirùm vt per illud suæ nos naturæ consortes & participes reddat.

Cæterùm, ꝙ ad alia ꝓphetica miracula attinet, argumentatur iterùm à maiori hunc in modũ: Si operatus est tam efficaciter sermo cęlestis in mutatione rerum terrestrium, vt verbi gratia, in mutanda natura maris & fluuij: quanto magìs operatur in cælestibus Sacramentis, quæ ille sibi peculiariter nostrę salutis per ea efficiendę causa elegit? Adhæc, tametsi Christi corpus & sanguis sub externis speciebus tegantur & porrigantur, nè quis horror nos occupet, si in propria ac naturali forma nobis præberentur: at nihilo minùs sub ijsdem speciebus nos precium redemptionis, & sanguinem qui plebẽ redemit, re vera & citra dubium accipere. Exod. 14. Iosue 3.

Pręterea quandò dñs ipse testificat̃, nos corpus & sanguinẽ suum sumere, de eius fide & testificatione nõ posse Christianum vllo pacto dubitare. *Dñs* (ait) *dicit, & nos confitemur*: quem in modum etiam Hilarius, vt suprà annotatum est, hac de re loquitur: *Nunc enim*, inquit, *& ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est.*

Atque licèt interdùm Sacramentum hoc panis vocetur, nõ tamen id perindè accipi debere, quasi naturalis sit panis, sed potiùs supersubstantialis & sũpnaturalis, quo animæ nostræ substantia fulciatur.

Ideoq; sicut Christus verus est Dei filius non per gratiam, sed natura, ità etiam in V. Sacramẽto verum esse Christi corpus, nõ tantùm per gratiam, sed etiam secundùm naturam: idq; vi sermonis omnipotentis, qui mentiri nesciat.

Postremò, cælestem eius carnem, cum diuinitate coniunctam, hîc adesse. Quæ sanè testimonia si non luculenter satìs Ambrosij sententiam explicant, quibus alijs id consequi liceat, non video.

Equi-

Equidem iam ſtatueram teſtimonijs Ambroſianis hoc loco colophonem addere:(nam præcipuas quaſdam illius de V. Sacramenti aſſeruatione & adoratione ſententias,ſuis locis tractandas ſeruabo) verùm quandò ex Chryſoſtomi, quem illi ſocium adiunxi, Liturgia quędam ad rem facientia adduxi, atque Ambroſius duas ſanè inſignes ſcripſit orationes præparatorias ad Miſſam, quibus ille (quantùm conijci licet) vtplurimùm pro ſe vſus eſt, committere non poſſum, quin ex priore eius oratione itidèm nonnulla adferam, maximè cùm certa animi cuiuſquam ſententia haud facilè meliùs poſſit vllo ex ſermone vel ſcripto percipi, quàm ex illa eius precatione, quam Deo in ſpiritu & veritate obtulit.

D. Ambroſij duæ orationes præparatoriæ ad Miſſam.

Ea verò prior oratio hoc habet initium: *Summe Sacerdos & vere Pōtifex Ieſu Chriſte, qui te obtuliſti Deo patri in ara crucis, hoſtiam purā & immaculatam, pro nobis miſeris peccatoribus, & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & ſanguinem tuum ad bibendum, & poſuiſti myſterium in virtute Spirituſſancti* &c.

V. Sacramētū fit virtute ſpirituſſancti.

Et paulò pòſt: *Intret tuus ſpiritus bonus in cor meum, qui ſonet ibì ſinè ſono, & ſinè ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem tantorum myſteriorum. Profunda ſunt nimìs, & ſacro tecta velamine.*

Myſteria V. Sacramenti profunda ſunt nimis.

Itemq;: *Quanta enim Domine Ieſu Chriſte cordis contritione & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis caſtitate & animi puritate illud diuinum & cæleſte ſacrificium eſt celebrandum, vbì caro tua in veritate ſumitur, vbì ſanguis tuus in veritate bibitur, vbì ſumma imis iunguntur, vbì adeſt præſentia ſanctorum angelorum, vbì tu es ſacerdos & ſacrificium mirabiliter & ineffabiliter conſtitutus?*

Chriſti caro & ſanguis in V. Sacramēto verè accipiuntur.

Et rurſus: *Peto Domine clementiam tuam, vt deſcendat ſuper hunc panem & calicem iſtum plenitudo diuinitatis tuæ. Deſcendat etiam Domine illa ſancti ſpiritûs tui inuiſibilis forma & incomprahenſibilis maieſtas, ſicut quondàm in patrum hoſtias deſcendebat, qui & oblationes noſtras corpus & ſanguinem tuum efficiat, & me indignum ſacerdotem doceat tantum tractare myſterium: ità vt placidè & benignè ſacrificiū ſuſcipias de manibus meis, ad ſalutem omnium tam viuorum quàm defunctorum*, &c.

Vt olim patrum hoſtias ignis abſumpſit cæleſtis, ità ſanctiſpiritûs maieſtate panis & vinū in corpus Chriſti tranſeunt.

Non potuiſſet vir ſanctus ſuam de veritate corporis & ſanguinis Chriſti, & eorundem in Miſſa ſacroſancta pro viuis & mortuis oblatione, ſententiam apertiùs exprimere, quàm in prima hac fecit precatio-

catio-

catione, vbi sanè non alitèr atquè sanctus eum spiritus ad precandũ impulit, loqui putandus est.

Porrò quisquis hæc iam citata præclarissimorum Patrum Chrysostomi & Ambrosij testimonia inter se studiosè contulerit, videlicet admirandam ille dictorum & sententiarum vtriusque concordiã & cõcentionem cõperiet, id quod veritati ꝓprium est ac peculiare.

Illorum verò Patrum sanctissimorum testimonia etiam hoc nomine iurè mihi coniunxisse videor, quòd omnipotens Deus eodem ferè tempore alterũ in Oriente, alterũ in Occidente spiritu Eliæ excitârit, vtì Catholicam fidem & religionem contra execrabiles Arianæ impietatis hæreticos, immò & aduersùm Imperatores & eorũ coniuges, & principes præcipuos ac duces exercitûs, & eos quoquè, qui Imperatorib⁹ essent à cõsilijs, ab Arianis eorumq; sectatoribus euersos, summa animi constantia defenderent ac propugnarent. Habuit sanè vterq;, instàr Eliæ, suam Iezabelem, Ambrosius quidem insanam illam Iustinam, Valentiniani iunioris, in Occidente imperium obtinentis matrem: Chrysostomus autem furibundã Eudoxiam, Archadij in Oriente imperantis coniugem: quæ omnem mouêre lapidem, viresque suas omnes in eo periclitatæ sunt, vt multigenis ijsdemq; versutissimis machinationibus duas has immotas Ecclesiæ columnas euerterent: sed nihil omninò efficere potuerunt. Fundati enim erant in immota illa petra & lapide angulari Christo Iesu. Est sanè lectu iucundissimum, vt admirabiles illi Dei heroës contra iam dictos Augustos & Augustas, eorumque præcipuos præfectos, administros & consiliarios sese gesserint: quandò ab illo in Oriẽte, ab hoc in Occidente imperatoria authoritate postulatum fuit, vt Arianis principibus, præsidibus & consiliarijs eorumq; asseclis, singuli in sua ditione non nisi vnam permitterent basilicam.

Iustina, Valẽtiniani j. mater.

Eudoxia Archadij coniunx.

Matth. 6.
1. Petr. 2.

Archadius id à Chrysostomo sibi voluit permitti, immò etiã precibus ab eo contendit Gainæ nomine, qui dux & magister erat tam equitum quàm peditum, sed Ariana infectus hæresi, & ipsi etiam Archadio formidolosus. Is verò sacrã vnam ædẽ intra Constantinopolim sibi & cõsentientibus sibi in religione sacerdotib⁹ ab Imperatore postulauit: idque velutì exprobrans & minitabundus fecit, vt est hæreticorũ consuetudo, minimè cõuenire dicẽs, vt ipse Romanę militiæ

Archadius.

Gainas Arianus, dux Romanæ militiæ.

Hæc ex Nicephoro ferè descripta sunt.

litiæ dux, in Ecclesia extra vrbis mœnia oret. Imperator inconstantis animi eius metuens, tyrannidemq́; quæ ab eo expectabat, suspectam habens, deliberaturum se, eiq́; consulturum esse recepit. Et patri diuino, nempè Chrysostomo, accito, petitionem barbari indicauit, potentiamq́; eiusdem in memoriam illi reuocauit, & meditatā expetitamq́; tyrannidē insinuauit: manifestè deniquè visus est, se illi quasi supplicē, quod peteret, daturū esse significare, vt eiusmodi concessione barbari furorem frenaret. Diuinus autē ille vir non passus est verba ea ad exitum peruenire, neq; tempori cessit, sed per seipsum primùm magno animo & Deo benè confidens, apud Imperatorem causam egit: Nec sic, inquiens, ô Imperator te facturū esse pollicearis, neque ità sanctū canibus proijcere constitueris. Ego enim non sustinebo, vt qui rectè à Deo theologantur & sentiunt, eijciantur, atq; eis sacrum delubrum, qui blasphemam aduersùs eum linguā cient, concedatur. Neq; barbarū illum timueris: verùm vtroq; euocato, tu quidē tacitus animū ad ea quę dicentur, aduerte: ego autē linguā illi' frenabo. Imperator verbis his delectat', vtrunq; ad se accersit. Et Gainas ad finē perduci, quæ ei promissa erant, petijt. Auream autē obtinēs linguam Iohannes, illi resistens: nō oportet, inquit, principem quicquā contra deū audere, si quidē vera pietas illi curę est: sed potiùs benè constitutas leges seruare, & eam potissimùm quæ cōtra hęreses promulgata est. Suasitq; adeò Imperatori, cōducibilius esse dictitans, vt imperio potiùs cederet, quàm per impietatē ædem Dei perderet. Atq; sermonē ad Gainā rursum conuertens, oportere se Ecclesiam vnā habere dicentē: Omnes tibi, inquit, sacræ ędes patent. Cui Gainas respōdit: At ego alterius religionis sum, & quod peto, rectè me petere puto, q plurima pro Romanis pertuli certamina. Verùm tu, cōtrà Iohānes dixit, maiora laborū habes præmia: minores quidem fuisse labores, maiorem autē illorū mercedē esse memineris &c. Et vt paucis expediam, eiusmodi Christianæ pietatis zelo, eaq; dicendi libertate vir ille sanctissim', os Gainæ obturauit, & silere eum coëgit: neq; de Ecclesijs, quarum ipse curā gerebat, quicquā nouari permisit. Vide Theodoretū Ecclesiast. historiæ lib. 5. ca. 32. Tripartitā lib. 10. ca. 5. & Nicephorū lib. 13. ca. 5.

In negocio fidei nō est dissimulanter agendum.

Matth. 7.

Deuter. 17. Psalm 2. Imperatoris munus.

Ecquid verò Ambrosius egit? Valentinianus iunior, Imperator, non solùm ab Ambrosio petijt, Arianis Ecclesiam vnā, eamq; nō intra,

tra, sed extra Mediolanũ vrbem sitam, permitteret: verùm etiam armatos milites sub ipsius Paschatis solennitatem in Ecclesiam immisit, qui virum sanctum, ni id faceret, captum in palatium adducerent. Quid verò ea excitata tragœdia fecit Ambrosius? Quid, inquit, Imperator quærit? quid expectat? An vt ego maiorum hæreditatem, regiæ cedam potestati? vt dilectam Domini vineam, porcorum sordibus conspurcandam tradam? vt Domini arcam in Allophylorum ac incircuncisorum hominum non vsus, sed abusus, transferri permittam? Nõ est Ambrosius tam stultus, vt hoc putet: tam timidus, vt velit: tam potens, vt possit. Hæreditas maiorũ, fides est: hæreditas maiorum, templum est Christi: sed propitius mihi, inquit, sit Dominus, nè hæreditatẽ patrum meorũ Cæsari tradam. Data est mihi vinea Dñi, vt seruem, nõ vt perdam: vt colam, nõ vt euertam: vt ædificem, nõ vt demoliar: vt plantẽ, non vt reuellam. Non patiar, vt eam porcorũ rictus euertant. Porci sunt, qui in eam irrũpere gestiunt, magistri luxuriæ, pudicitiæ osores, incentores petulantiæ. Pudica & casta est Ecclesia Christi. Iniquum fuerit, si quis membra Christi tollens, membra faciat meretricis. Melius mihi est mori, quàm vt gloriam meã quis euacuet. Templum quod hactenùs seruaui in pace, in bello non deseram. Depositum quod seruandum accepi, neq; viuus neq; occisus dimittam. Cæsaris nec gratiam quæro, nec offensam metuo. Quid quærit Imperator? quid ambit Auxentius? Quid cruento ore ac sanguinolẽtis manibus basilicam quærit? Non tradam. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? Non recuso. Non ego me vallabo circunfusione populorum, nec altaria tenebo, vitã obsecrans: sed pro altaribus gratiùs immolabor. Principis furorẽ non metuo. Facio ego, quod sacerdotis est: quod imperatoris est, faciat imperator. Domum priuati nulo potest iure temerare: domum Dei existimat auferendã? Nec mihi fas est eam tradere, nec ipsi accipere expedit. Ad Imperatorẽ palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorũ illi mœnium ius cõcessum est, nõ sacrorũ &c. Hactenùs Ambrosius cõtra Imperatorẽ. Vide hinc ipsum Ambrosiũ Epist. 32. ad Valentinianũ, cum oratione in Auxentiũ: & Epist. 33. ad Marcellinã sororẽ, de basilicis tradendis. Deniquè cõtra Calligonũ Cæsarei cubiculi ꝑpositũ, eunuchorumq; præfectum, q ea tempestate Imperatoris erant cubicularij, haud secus ille se

Vide Ambrosij vitã, scriptã ab Iohanne Costerio.

1. Cor. 6.

1. Cor. 9.

Auxentius, Arianorum Luterus.

En, vt ea tempestate valuerit Ecclesiæ libertas.

Sacramenti tantùm figuram fuisse, hoc autem esse veritatem: manna vmbram, hoc lucē esse: denique hîc corpus esse authoris, immò Christum ipsum, veram illam consequentem petram.

Melanchthō quoquè fatetur Ambrosium creaturarum secūdùm naturā mutationem in Sacramento docuisse.

Porrò exempla, quæ cumulatim è scripturis producit, mentē illius atq; sententiā ea euidentia produnt & explicant, vt etiā Melanchthon fateat, neq; possit id nōn fateri, Ambrosium hac in sententia procul dubiò fuisse, panis naturam mutari. Certè in illo conuersæ virgæ in serpentem exemplo, nimìs quàm manifestum est, vt equidem existimo, virgę substantiā in serpentis transisse substantiam, atq; hanc rursus in illam virtute diuina mutatā. Posset hoc exemplum non incōmodè adhiberi multiuarijs Aduersariorū blasphemijs, nefandisq; dicterijs profligandis, quę illi contra hęc diuina mysteria ex suis plùs satìs carnalibus animis dedita opera malitiosè comminiscuntur.

Obiectio partis aduersæ. C. qui benè custodierit. De cōse. distinct. 2.

Aiunt illi irridiculè, Inueniri apud Patres, vtì clerici, quorū negligentia V. Sacramentū à muribus, vel alijs animalib' comestum, arrosum, vel alitèr corruptū fuisset, pœnas luere debuerint: itemq; Sacramenti reliquias quandoquè igni absumptas esse, vt etiam in Hesychij testimonijs antè attigimus: & eius generis alia. Nō posse autē veri corporis Christi substantiā vel arrodi, vel cōburi: itaq; hinc animaduerti, panis substantiam, quæ & corrodi & consumi possit, in Sacramēto superesse. Sed quæso te Lector, putásne hoc illorum cum Dei cōtumelia coniunctū scomma, hac me rationę nō absurdè posse refellerę, vt dicā, quandiù externa panis species diuino mysterio & Sacramento, ità vt instituta est, subseruit, hoc est, quandiù V. Sacramentū ea qua par est reuerentia asseruatur, & externæ species manent incorruptę, eo animo, vt opportuno tempore religiosè sumantur, esse illic & permanere reuerà corpus Christi? at verò vbì diuinū illud Sacramētū & mysterium, quod eo nomine pręparatū est, vt possit salutariter accipi, non eo studio asseruatur, neq; sumitur, sed ob negligenter habitas externas species, aut alioquì cōmodè sumi nō potest, nō debet id nobis videri incredibile, modò diuinā pensitemus potentiā, Deū his casibus corpus suū à speciebus externis subducere, & pristinā panis naturā ad illas redire pmittere. perindè vt virgæ naturā, quæ iam in serpentē trāsierat, in id quod antè erat, iussit reuerti, qn̄ diuina illa mutatio iā illos nō erat vsus habitura, qb' diuinitùs destinata fuerat.

Deus externis speciebus negligenter habitis, corpus suū subtrahere videtur.

Exod. 4. 7.

Vide

Vide Diuum Cyprianum Sermone de lapsis, vbi ille aliquot commemorandis miraculis, docet corpus Domini quibusdam idolorum sacrificijs contaminatis, & priùs quàm ea causa canonicam egissent pœnitentiam, ad corporis Christi communionem se ingerentibus, se subtraxisse. *Documento,* inquit, *vnius ostensum est, Dominum recedere cùm negatur.*

Aduersarij sanè hîc toto errant cælo, idq; vt conijci licet, scientes & de industria, dum impudenter illi nobis affingunt, nos & sentire & asserere eiusmodi hîc fieri mutationem, quales sunt illæ, quæ naturaliter fieri consueuerunt, quas Philosophi Generationẽ, Augmentationem, Alterationẽ, secundùm locum Mutationẽ vocant. Id verò nos nè in animũ quidem & cogitationem admittere velimus, tantum abest vt affirmare ausi simus. Nouimus, laus Deo, è materia panis nequaquàm effici corpus Christi, vtpotè quod ex sanctissima carne & sanguine purissimæ semperque virginis MARIAE, Sanctispiritûs operatione semèl factum est: itemq; illud, posteaquàm à mortuis excitatum est, nullam deincèps ex panis substantia vel materia accessionem & incrementum accipere, quemadmodùm corpora nostra ex terreno alimento, vndè carnem & sanguinem fouent & augescunt, quanquàm ex Iustini, Gregorij Nysseni, Damasceni, aliorumq; patrũ sententia, panis in corpus Christi virtute verborum eius conuersio nõ minùs credenda est, quàm panem illum, quem dum in terris esset comedit, in eius corpus (licèt alia ratione) transîsse: Neq; nos latet, corpus Christi nõ perindè vt qualitatem, ad panẽ alterationis modo accedere, substantia panis nõ mutata. Deniquè nõ sumus nescij, eum iam ad patris assidentem dexteram, cælum aut sedem suam, quô nobiscum hîc possit esse in V. Sacramento, nequaquàm deserere. Hæc enim de his naturam omnem longè excedentibus mysterijs, pro naturæ legibus & institutis nimiùm crassè & planè ethnicè dicerentur.

Mutatio, quæ in Sacramẽto fit, omninò est supra naturam.

Nos verò asserimus, modo quodam ineffabili & incõpræhensibili materiam simul & formam substantialẽ in corpus Christi mutari atque conuerti: quod in alijs naturalibus mutationibus non ità habet, vbì manente substrata materia, mutatæ tantùm formæ priori alia noua succedit: hoc est, dicimus totam materiam & formam substantialẽ atque substantiam panis, virtute omnipotenti sermonis Christi in

Vide D. Thomã Aquinatẽ par. 3. Quæst. 75. Artic. 4.

verum

verum eius corpus transferri, ità vt panis substantia illic esse desinat, & præsens fiat corpus Christi: atque vbi necdùm prolatis consecrationis verbis, re vera panis fuit, simul atquè illa prolata sint, verum Christi corpus substantialiter adsit, vt hæc conuersio non sit formalis, sed substantialis, manentibus nihilo minùs prioribus panis speciebus externis, sub quibus corpus illud continetur, nè iam manifestus nobis adsit & conspicuus Christus, sed in Sacramento & mysterio, idq; eo potissimùm nomine, vt sub eiusmodi nobis notis speciebus eum religiosè & reuerenter accipiamus: quandò alioquì, si se visibilē & absque integumentis nobis exhiberet, non possemus non pro humana fragilitate nimio timore corripi & obstupescere.

Admittimus sanè eiusmodi locutionē, Ex pane fieri corpus Christi, non quidem in eam sententiam, quòd ex pane, velut ex præsupposita materia, illud ipsum fiat: quod impiū fuerit sentire: sed quodam exhibitionis ordine, sicut quadantenùs diuina creatione ex nihilo, nullius materiæ substerniculo, substiterunt vniuersa, & ex tenebris iussu Dei lux resplenduit. Quanquàm & hîc interìm hoc obseruandum venit, quòd diuina illa ex nihilo rerum creatio, ab ista non minùs diuina, & vltra omnem modum [illegible] irabili transmutatione eatenùs differat, vt in creatione quidem [illegible] nil omninò præcesserit, vndè quippiam fieret: hîc verò præcedat panis substantia, quæ conuersione quadam inenarrabili, vt quæ planè sit contra naturæ leges, & nobis incompræhensibilis, transit & desinit in corpus Christi: ità vt vbì priùs fuit substantia panis, ibì nunc se verè præsentem exhibeat substantia Christi, vt verum sit & verum maneat ipsius veritatis verbum, *Hoc est corpus meum*, in cuius obsequium redigere debemus intellectum nostrum. Hoc est, quatenùs laicorū nôsse interest, Ex pane fit corpus Christi, non ea ratione, quòd ex panis materia corpus Christi denuò creetur, sed vbì priùs panis fuit, ibì facta cōsecratione verū fit corpus Christi, natū ex prestantissima MARIA virgine, idq; substantialiter, atque modo quodam imbecillæ rationi nostræ planè incompræhensibili. Quamobrem Chrysostomus ait, frustrà hinc disputationē iniri, sed debere nos intellectum nostrum obedientiæ fidei captiuū tradere, cui prorsus dubitare non liceat, quicquid Christus velit, id eum quoquè posse efficere; & quæcunque dixit, ea & reuerà

1.Cor. 4.

1.Cor. 10.

Panis in corpus Christi mutatio, ratione nostra compræhēdi non potest, Psalm. 134. Rom. 4. Psalm. 148.

uerà facta esse. Et hîc quidem ea Salomonis sententia locum habet, Qui scrutator est maiestatis, opprimitur à gloria. Prouerb. 25.

Quandò igitur diuina hæc mysteria intellectum nostrum vsq; eò superant, equidem iam Aduersariorũ cauillis eum in modũ respondi, fieri posse, vt in casibus memoratis, putà si Sacramentum ob species externas ex negligẽtia corruptas, aut alijs ex causis nõ possit amplius commodè accipi, pristina panis substantia ad species illas, vt à quibus Domini corpus se subduxerit, reuertatur: non autem ità necessariò fieri oportere. Nanque citra hoc efficere potest Deus, quæ illius est præpotens virtus, vt meræ illæ externæ species, etiam priori panis substantia non redeunte, id est, accidentia sinè subiecto, pristinas suas conditiones & naturales proprietates retineant. Si enim ità visum est Creatori Opt. Max. in rerum conditione id instituere, vt creatæ substantiæ ipsa accidentia ferant & sustineãt, cur non ille sua possit præpotenti virtute etiam accidentia ipsa sinè substantia conseruare, quandò & Philosophis absurdum videtur dicere, primã causam non posse id prẹstare solam, quod possit cum secunda?

Aduersarijs nihil opùs est exactã reddere rationẽ negligentiæ, erga externas Eucharistiæ species admissæ.

Libéret ex his percontari hominibus, ecquid tandèm fluxum rubri maris & Iordanis, cùm se aquẹ diuiderent, & vtrinquè in muri speciem coalescerent, donec Israelitæ transirent, aut ferri pondus in aqua natantis sustinuerit? Num id vndarum vel ferri naturẹ tribuendum est? Minimè gentium, cùm hẹc illi planè repugnarent. Itaque citra dubium Deus id fecisse credendus est, rerũ omnium fons & origo, sinè aquæ vel ferri substantia: vtpotè qui naturæ à se conditæ legibus non est adstrictus, quiq; omnia pro suo facit arbitratu, neque naturam, quam ex nihilo fecit, cõsulendam sibi putat. Hæc mihi hoc loco, oblata ex Ambrosio occasione, prolixiùs dicta sunt, vt quàm nihil habeat momenti partis aduersæ contumeliosa cauillatio, qua illi præpotenti Deo in eius operibus modum atque leges volunt prẹscribere, sicq; in sua sapientia planè stultescunt, omnib⁹ fiat testatius, & Ambrosij tam præcedẽtia, quàm ea quæ sequuntur, testimonia rectiùs capiantur.

Exod. 14. Iosuæ 3. 4. Reg. 6.

Qui nimirùm, vt fidẽ nostrã, qua credimus substãtiam panis & vini in corporis & sanguinis Christi substantiam re vera transferri atq; conuerti, excitaret & adstrueret, exempla suprà scripta ex sacris Biblijs

blijs adduxit, quæ nobis testatum efficiunt, Mosen, Eliam & Elisæum Prophetas, quos homines tantùm fuisse constat, diuina fretos gratia, ea fecisse, quæ naturæ facultatem longè excedant: maximè, quòd Moses Dei creaturam quandoquè etiam secundùm substantiam & naturam illius bìs conuertit, vt in virga mutata in serpentem, & ex serpente rursus in pristinam naturam conuersa, cernere licet. Vndè ille per Argumentum à maiori, ità infert: Si illi, quos non nisi homines fuisse certũ est, prophetica gratia diuinitùs illis collata, Dei creaturas supra naturam mutare potuerunt: quantò magìs id potest verbum sempiternum, Christus Dominus, verus Deus, rerum omniũ author & conditor?

Iohan. 1.

Id porrò validiori confirmat argumento æquè à maiori, hunc in modum: Cûm id omnibus nobis persuasum sit, nihilq́; minùs apud nos dubitationis habeat, quàm per verbum cuncta creata ex nihilo, ac per illud deincèps consistere & conseruari: quanto nos certiùs fateri debemus, ea quæ per verbum priùs facta sint, in aliam posse substantiam per ipsum mutari? quandoquidem minus est, res iam creatas porrò conseruare, vel in aliam transferre naturam, quàm ea quæ non sunt, creare ex nihilo.

Deus qui ex nihilo potuit facere oïa, ea quoquè pro suo arbitratu mutare potest.

Pergit indè, & incompræhensibilem, ineffabilem, & quæ prorsus naturam omnem superet, Christi incarnationem cum hac, quæ in Sacramento fit, mutatione confert, verbisq́; disertis ait, *hoc quod conficimus corpus, esse ex virgine, esse ipsam Christi carnẽ, quæ nata est ex virgine, quæ crucifixa* &c. *hocq́; Sacramentum, veræ illius carnis* (scilicet, sub ipso contentæ) *esse Sacramentum: Ipsum Dominum Iesum clamare, nè nos vllo pacto in fide vacillemus, Hoc est corpus meum: & quod in calice est, sanguis meus est*: q̃si diceret, Dñm nuncupare, appellare, significare, vocare hęc sacraméta corpus & sanguinẽ suũ: & hac de causa nõ posse ea non esse corpus & sanguinem illius: quandoquidem Domini dixisse & vocâsse, fecisse est, qui vocat ea quæ non sunt vt sint, vel tanquàm ea quæ sunt. *Et tu dicis* (ait vir sanctus) *ad hæc Domini verba, Amen, hoc est, verũ est. Quod os loquitur, mens interna fateatur.*

Vide suprà primum scripturæ testimonium.

Rom 4.

Verùm vt certius aliquid hac de mutatione, putà, quemadmodùm illa fiat, discere & consequi possimus: his, vt antè dictum est, verbis vtitur: *Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem*

nem verborum cælestium alia species nominatur, nempè panis: post consecrationem corpus Christi significatur, id est, nuncupatur. Hoc enim loco ità accipi debet, quod ait, *significatur:* putà, quemadmodùm vocabulum panis ante consecrationem significat verum panem: ità vocabulum corpus, prolatum à domino, (cuius verbum operatorium est) significat verum corpus. Hanc enim genuinam esse Ambrosij sententiam, ipse ijs quæ proximè subijcientur, testimonijs suis clarissimè docet, vbì hęc eius verba leguntur: *Antequàm consecratur, panis est: vbì autem verba Christi accesserint, corpus est Christi.*

Ambrosius quid sibi velit dicens, corpus Christi significatur.

Dominus (ait porrò Ambrosius) *dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud, nempè vinum & aqua, dicitur: post consecrationē sanguis nuncupatur: idq́, ab ipso Domino, cuius sermo operatorius est. Et tu illis accedens & assentiens verbis, dicis, Amen, hoc est, verum est.* Nam si dictio illa, *significatur*, secùs accipienda foret, quid attinebat Ambrosium mutationem hanc tantoperè admirari, eamq́; cum creationis mundi & Dominicæ incarnationis miraculis conferre?

Atquì ille his verbis, vt iam antè diximus, summo studio id docet, vtì nos de hac conuersione tum credere, tum loqui debeamus, nempe, ex pane fieri corpus Christi, non subministratione quidem materiæ, sed exhibitionis ordine: id est, non quòd ex panis materia denuò fiat corpus Christi, sed quod priùs panis & vinum fuerit, id simul atquè pronunciata sint consecrationis verba, modo incomprehensibili in verum corpus & sanguinem, quę ex virgine præstantissima MARIA nata sunt, conuerti atque transferri.

De mutatione, quæ fit in Sacramento, vtì credendū sit & loquendum.

Et vt paucis multa complectar, vbì Ambrosius id explicat, quidnam in Sacramento habeamus, ibì nos affirmat, habere illic verum Christi corpus & sanguinem, & corpus diuini spiritûs, adeoq́; Dominum ipsum. Vbì verò ad excitandam fidem nostram cum emphasi quadam & vehementia dicit, clamare ipsum Dominum Iesum, *Hoc est corpus meum*, &c. hìc ille efficacissimam verborum Domini efficientiam indicat, qua fiat, vt quod illa significant, id mox vt prolata sint, re vera & substantialiter adsit.

Sed iam porrò videamus, quid hac de re vir sanctiss. in suis, quorum antè meminimus, de Sacramentis libris (qui nimirùm antè dicti, de his qui initiantur mysterijs, opusculi exegesis quædā & fusior explica-

plicatio sunt)scriptum reliquerit.Libro 4.cap.3.4.& 5.docet,manna non nisi figuram huius celsissimi fuisse Sacramenti, idemq; Sacramētum longè ante manna, Melchisedechico sacrificio esse præsignificatum:atque ità suæ vetustatis nomine,mannę longè esse anteferendū.

Miraculū lōge insignius in V. Sacramento, quàm in manna.

Capite 4. id potissimùm probat, V.Sacramentum esse manna admirabilius atque præstantius. Verba eius hæc sunt : *Verè autem magnū est & diuinum miraculum, quòd populo pluit Deus manna de cælo:& non laborabat populus, & manducabat. Tu fortè dicis:Meus panis est vsitatus : Sed panis iste,panis est ante verba Sacramentorum:Vbì accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.Hoc igitur adstruamus:Quomodò potest,qui panis est,esse corpus Christi?Consecratione.Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus?Domini Iesu.Nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur:oratione petitur pro populo,pro regibus,pro cæteris.Vbì venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergò sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempè is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cęlum.Iussit Dominus, & facta est terra.Iussit Dominus,& facta sunt maria. Iussit Dominus, & omnis creatura generata est.Vides ergò,quàm operatorius sit sermo Christi? Si ergò tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant:quantò magìs operatorius est,vt fint quæ erant, & in aliud commutentur?Cælum non erat,mare non erat,terra non erat. Sed audi dicentem:Ipse dixit,& facta sunt:ipse mandauit, & creata sunt. Ergò, tibi vt respondeam,non erat corpus Christi ante consecrationem : sed post consecrationem dico tibi,quòd iam corpus est Christi.Ipse dixit, & factum est : ipse mandauit,& creatum est.*

Vt cūcta cùm nō essent, per verbum facta sunt: ità & panis per verbū in verū Christi corpus mutatur.

Psalm.148.

Supernaturaliter fit ex pane corpus Christi.

Et paulò pòst: *Accipe ergò, quemadmodùm sermo Christi creaturā omnē mutare cōsueuerit,& mutat quādò vult instituta naturæ.Quomodò,requiris? Accipe,& primò omnium de generatione eius sumamus exemplum.Cōsuetudo est,vt non generetur homo,nisi ex viro & muliere,& consuetudine coniugali.Sed quia voluit Dominus,qui hoc elegit Sacramentum, de Spiritusancto & virgine natus est Christus:hoc est, mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.Vides ergò quia contra instituta & ordinem,homo est natus ex virgine?*

Miraculū incarnationis Christi,cum V.Sacramēti confert miraculo.

Ab hoc exemplo mox ad alia se confert iam antè memorata exempla,putà,diuisi maris,mutationis fontis amarissimi Marath in dulcedi-

cedinem, securis discipuli Elisæi, atque ex his postremò infert: *Ex his, inquit, omnibus non intelligis, quantùm operetur sermo cælestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo cælestis in alijs rebus, non operatur in cęlestibus Sacramẽtis? Ergò didicisti, quòd ex pane corpus fiat Christi: & quòd vinũ & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.*

Ex pane fit corpus, & ex vino & aqua fit sanguis Christi.

Vide suprà Emisenum fol. 126.

Sed fortè dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ità etiam similitudinem preciosi sanguinis bibis, vt nullus horror cruoris sit, & precium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergò, quia quod accipis, corpus est Christi.

Cur Christi sanguinẽ in mysterio sumamus.

Cap. V. porrò docet, quæ sunt consecrationis verba. Quod quidẽ caput cum illo, quod sequitur, sexto capite quisquis studiosè & animo syncero minimeque ficto legerit, re ipsa comperiet, sacrosanctæ Missę Canonem, quo celsissimi Sacramenti consecratio, oblatio, perceptio, iuxta veteris Ecclesię saluberrimam constitutionem, ordinationem, ritum & consuetudinem compræhenditur, non herì aut nudiustertiùs natum, sed ipsa adeò Ambrosij ętate iampridèm in vsu fuisse: qua de re aliâs.

S. Canonis vetustas.

Memorato igitur Cap. V. inter cętera sic habet: *Antequàm consecretur, panis est: vbì autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes, Hoc est corpus meum. Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: vbì verba Christi operata fuerint, ibì sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergò videte quantis generibus potens est sermo Christi vniuersa conuertere. Deindè cùm ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus & sanguinem, nunquìd debemus de eius fide & testificatione dubitare? Iam redi mecum ad propositionem meam. Magnum quidem & venerabile, quòd manna Iudæis pluit è cælo: sed intellige, quid est amplius, manna de cælo, an corpus Christi? Corpus Christi vtiquè, qui author est cæli. Deindè, manna qui manducauit, mortuus est: qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remißio peccatorũ, & non morietur in æternũm. Ergò non ociosè tu dicis, Amen, iã in spiritu confitens, quòd accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos, Corpus Christi: & tu dicis, Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.*

Ante consecrationẽ, panis est & vinũ: post consecrationem, corpus & sanguis Christi.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Iohan. 6.

Lib. V. cap. IIII. in precationis Dominicę ea verba, *Panẽ nostrum quotidianũ da nobis hodiè*, scribit hunc in modum: *Memini sermonis mei, cùm de Sacramentis tractarem. Dixi vobis, quòd ante verba Christi quod of-*

 fertur,

fertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam nō panis dicitur, sed corpus appellatur. Quarè ergò in oratione Dominica, quæ posteà sequitur, ait panem nostrum? Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον *dixit, hoc est, supersubstantialem. Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.*

Corpus Christi, panis est supersubstantialis.

Deniquè libri 6. cap. 1. hæc eius verba habentur: *Sicut verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, nō quemadmodùm homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris: ità vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus est potus. Sed fortè dicas, quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi, audientes dicentem, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam æternam: fortè dicas: Quomodò vera? qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primò omnium dixi tibi de sermone Christi qui operatur, vt possit mutare & conuertere genera & instituta naturæ. Deindè vbi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, sed audientes quòd carnem suam daret manducare, & sanguinem suum daret bibendum, recedebant. Solus tamē Petrus dixit: Verba vitæ æternæ habes, & ego à te quò recedam? Nè igitur plures hoc dicerent, velutì quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideò in similitudinem quidem accipis Sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemq́; consequeris. Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cælo descendi. Sed caro non descendit de cælo: hoc est, carnem in terris assumpsit ex virgine. Quomodò ergò descendit panis è cælo, & panis viuus? Quia idem Dominus noster Iesus Christus consors est & diuinitatis & corporis: & tu quia accipis panem, diuinæ eius substantiæ in illo participaris alimento.* Hactenùs Ambrosius.

Iohan. 1.

Iohan. 6.

Sensibus non est habenda fides.

Iohan 6.

Nota contra impios Anabaptistas, vt Christum de cælis descendisse, accipiendum sit.

Vix ego crediderim de vera corporis & sanguinis Christi substantia in V. Sacramento, quenquā dicere posse euidentiùs. Primò Sacramentū hoc à manna distinguit, idq́; potissimùm substātiæ, ac deindè vtriusq; efficientiæ nomine: Substantiæ quidē, quòd māna panis fuerit, quem dubium nō sit è cælo, id est, aëre pluisse: hìc verò sit corpus Christi, qui author est cæli. Efficientiæ verò, quod māna nullam habuerit vim & virtutē præstandæ immortalitatis: In Sacramento autē sit remissio peccatorū, & dignè ipsum sumētib' immortalitatē cōferat.

Explanatio & anacephalæosis.

Deindè vt mens eius & sententia probè capiať, identidèm repetit, quod in altari positū sit, panē & vinū esse ante consecrationē: vbi autem

tem accesserit consecratio, eiusdem cōsecrationis vi & virtute de pane fieri verum corpus, & de vino verum Christi sanguinem. Eodem enim omnipotenti sermone hoc confici V. Sacramentum, quo olim facta sint omnia: adeoq; vt illo sermone vel verbo cælū, terra & quicquid in eis est, factum est: ità vbì Christus dicit, *Hoc est corpus meum*, etiam reuerà præsens fieri corpus illius.

Itemq; sicut ille ex virgine supra naturæ facultatem natus est, ità etiam supernaturaliter corpus & sanguinem eius reuerà fieri in hoc V. Sacramēto, quod ipse sibi elegerit peculiariter, nimirùm vt per illud suæ nos naturæ consortes & participes reddat.

Cæterùm, ꝙ ad alia ꝓphetica miracula attinet, argumentatur iterùm à maiori hunc in modū: Si operatus est tam efficaciter sermo cęlestis in mutatione rerum terrestrium, vt verbi gratia, in mutanda natura maris & fluuij: quanto magìs operatur in cælestibus Sacramentis, quæ ille sibi peculiariter nostrę salutis per ea efficiendę causa elegit? Adhæc, tametsi Christi corpus & sanguis sub externis speciebus tegantur & porrigantur, nè quis horror nos occupet, si in propria ac naturali forma nobis præberentur: at nihilo minùs sub iisdem speciebus nos precium redemptionis, & sanguinem qui plebē redemit, re vera & citra dubium accipere. Exod. 14. Iosuæ 3.

Pręterea quandò dn̄s ipse testificat̄, nos corpus & sanguinē suum sumere, de eius fide & testificatione nō posse Christianum vllo pacto dubitare. *Dn̄s* (ait) *dicit, & nos confitemur*: quem in modum etiam Hilarius, vt suprà annotatum est, hac de re loquitur: *Nunc enim*, inquit, *& ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est.*

Atque licèt interdùm Sacramentum hoc panis vocetur, nō tamen id perindè accipi debere, quasi naturalis sit panis, sed potiùs supersubstantialis & supnaturalis, quo animæ nostræ substantia fulciatur.

Ideoq; sicut Christus verus est Dei filius non per gratiam, sed natura, ità etiam in V. Sacramēto verum esse Christi corpus, nō tantùm per gratiam, sed etiam secundùm naturam: idq; vi sermonis omnipotentis, qui mentiri nesciat.

Postremò, cælestem eius carnem, cum diuinitate coniunctam, hîc adesse. Quæ sanè testimonia si non luculenter satìs Ambrosij sententiam explicant, quibus alijs id consequi liceat, non video.

Equi-

Equidem iam ſtatueram teſtimonijs Ambroſianis hoc loco colophonem addere:(nam præcipuas quaſdam illius de V. Sacramenti aſſeruatione & adoratione ſententias, ſuis locis tractandas ſeruabo) verùm quandò ex Chryſoſtomi, quem illi ſocium adiunxi, Liturgia quędam ad rem facientia adduxi, atque Ambroſius duas ſanè inſignes ſcripſit orationes præparatorias ad Miſſam, quibus ille (quantùm conijci licet) vtplurimùm pro ſe vſus eſt, committere non poſſum, quin ex priore eius oratione itidèm nonnulla adferam, maximè cùm certa animi cuiuſquam ſententia haud facilè meliùs poſſit vllo ex ſermone vel ſcripto percipi, quàm ex illa eius precatione, quam Deo in ſpiritu & veritate obtulit.

D. Ambroſij duæ orationes præparatoriæ ad Miſſam.

Ea verò prior oratio hoc habet initium: *Summe Sacerdos & vere Pōtifex Ieſu Chriſte, qui te obtuliſti Deo patri in ara crucis, hoſtiam purã & immaculatam, pro nobis miſeris peccatoribus, & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & ſanguinem tuum ad bibendum, & poſuiſti myſterium in virtute Spirituſſancti* &c.

V. Sacramētũ fit virtute ſpirituſſancti.

Et paulò pòſt: *Intret tuus ſpiritus bonus in cor meum, qui ſonet ibì ſinè ſono, & ſinè ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem tantorum myſteriorum. Profunda ſunt nimìs, & ſacro tecta velamine.*

Myſteria V. Sacramenti profunda ſunt nimis.

Itemq́; : *Quanta enim Domine Ieſu Chriſte cordis contritione & lacbrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis caſtitate & animi puritate illud diuinum & cæleſte ſacrificium eſt celebrandum, vbì caro tua in veritate ſumitur, vbì ſanguis tuus in veritate bibitur, vbì ſumma imis iunguntur, vbì adeſt præſentia ſanctorum angelorum, vbì tu es ſacerdos & ſacrificium mirabiliter & ineffabiliter conſtitutus?*

Chriſti caro & ſanguis in V. Sacramēto verè accipiuntur.

Et rurſus: *Peto Domine clementiam tuam, vt deſcendat ſuper hunc panem & calicem iſtum plenitudo diuinitatis tuæ. Deſcendat etiam Domine illa ſancti ſpiritûs tui inuiſibilis forma & incomprahenſibilis maieſtas, ſicut quondàm in patrum hoſtias deſcendebat, qui & oblationes noſtras corpus & ſanguinem tuum efficiat, & me indignum ſacerdotem doceat tantum tractare myſterium: ità vt placidè & benignè ſacrificiũ ſuſcipias de manibus meis, ad ſalutem omnium tam viuorum quàm defunctorum,* &c.

Vt olim patrum hoſtias ignis abſumpſit cæleſtis, ità ſanctiſpiritûs maieſtate panis & vinũ in corpus Chriſti tranſeunt.

Non potuiſſet vir ſanctus ſuam de veritate corporis & ſanguinis Chriſti, & eorundem in Miſſa ſacroſancta pro viuis & mortuis oblatione, ſententiam apertiùs exprimere, quàm in prima hac fecit precatio-

catione, vbì sanè non alitèr atquè sanctus eum spiritus ad precandũ impulit, loqui putandus est.

Porrò quisquis hæc iam citata præclarissimorum Patrum Chrysostomi & Ambrosij testimonia inter se studiosè contulerit, videlicet admirandam ille dictorum & sententiarum vtriusque concordiã & cõcentionem cõperiet, id quod veritati ꝓprium est ac peculiare.

Illorum verò Patrum sanctissimorum testimonia etiam hoc nomine iurè mihi coniunxisse videor, quòd omnipotens Deus eodem ferè tempore alterũ in Oriente, alterũ in Occidente spiritu Eliæ excitàrit, vtì Catholicam fidem & religionem contra execrabiles Arianæ impietatis hæreticos, immò & aduersùm Imperatores & eorũ coniuges, & principes præcipuos ac duces exercitûs, & eos quoquè, qui Imperatorib⁹ essent à cõsilijs, ab Arianis eorumq; sectatoribus euersos, summa animi constantia defenderent ac propugnarent. Habuit sanè vterq;, instàr Eliæ, suam Iezabelem, Ambrosius quidem insanam illam Iustinam, Valentiniani iunioris, in Occidente imperium obtinentis matrem: Chrysostomus autem furibundã Eudoxiam, Archadij in Oriente imperantis coniugem: quæ omnem mouêre lapidem, viresque suas omnes in eo periclitatæ sunt, vt multigenis ijsdemq; versutissimis machinationibus duas has immotas Ecclesiæ columnas euerterent: sed nihil omninò efficere potuerunt. Fundati enim erant in immota illa petra & lapide angulari Christo Iesu. Est sanè lectu iucundissimum, vt admirabiles illi Dei heroës contra iam dictos Augustos & Augustas, eorumque præcipuos præfectos, administros & consiliarios sese gesserint: quandò ab illo in Oriẽte, ab hoc in Occidente imperatoria authoritate postulatum fuit, vt Arianis principibus, præsidibus & consiliarijs eorumq; asseclis, singuli in sua ditione non nisi vnam permitterent basilicam.

Iustina, Valentiniani 3. mater.

Eudoxia Archadij coniux.

Match. 6.
1. Petr. 2.

Archadius id à Chrysostomo sibi voluit permitti, immò etiã precibus ab eo contendit Gainæ nomine, qui dux & magister erat tam equitum quàm peditum, sed Ariana infectus hæresi, & ipsi etiam Archadio formidolosus. Is verò sacrã vnam ædẽ intra Constantinopolim sibi & cõsentientibus sibi in religione sacerdotib⁹ ab Imperatore postulauit: idque veluti exprobrans & minitabundus fecit, vt est hæreticorũ consuetudo, minimè cõuenire dicẽs, vt ipse Romanę mi-

Archadius.

Gainas Arianus, dux Romanæ militiæ.

Hæc ex Nicephoro ferè descripta sunt.

DD litiæ

litiæ dux, in Ecclesia extra vrbis mœnia oret. Imperator inconstantiã animi eius metuens, tyrannidemq; quæ ab eo expectabat, suspectam habens, deliberaturum se, eiq; consulturum esse recepit. Et patri diuino, nempè Chrysostomo, accito, petitionem barbari indicauit, potentiamq; eiusdem in memoriam illi reuocauit, & meditatã expetitamq; tyrannidẽ insinuauit: manifestè deniquè visus est, se illi quasi supplicẽ, quod peteret, daturũ esse significare, vt eiusmodi concessione barbari furorem frenaret. Diuinus autẽ ille vir non passus est verba ea ad exitum peruenire, neq; tempori cessit, sed per seipsum primùm magno animo & Deo benè confidens, apud Imperatorem causam egit: Nec sic, inquiens, ô Imperator te facturũ esse pollicearis, neque ità sanctũ canibus proijcere constitueris. Ego enim non sustinebo, vt qui rectè à Deo theologantur & sentiunt, eijciantur, atq; eis sacrum delubrum, qui blasphemam aduersùs eum linguã cient, concedatẽ. Neq; barbarũ illum timueris: verùm vtroq; euocato, tu quidẽ tacitus animũ ad ea quę dicentur, aduerte: ego autẽ linguã illi9 frenabo. Imperator verbis his delectat9, vtrunq; ad se accersit. Et Gainas ad finẽ perduci, quæ ei ꝓmissa erant, petijt. Auream autẽ obtinẽs linguam Iohannes, illi resistens: Nõ oportet, inquit, principem quicquã contra Deũ audere, si quidẽ vera pietas illi curę est: sed potiùs benè constitutas leges seruare, & eam potissimùm quæ cõtra hęreses ꝓmulgata est. Suasitq; adeò Imperatori, cõducibilius esse dictitans, vt imperio potiùs cederet, quàm per impietatẽ ædem Dei ꝑderet. Atq; sermonẽ ad Gainã rursum conuertens, oportere se Ecclesiam vnã habere dicentẽ: Omnes tibi, inquit, sacræ ędes patent. Cui Gainas respõdit: At ego alterius religionis sum, & quod peto, rectè me petere puto, ꝗ plurima ꝓ Romanis pertuli certamina. Verùm tu, cõtrà Iohãnes dixit, maiora laborũ habes præmia: minores quidem fuisse labores, maiorem autẽ illorũ mercedẽ esse memineris &c. Et vt paucis expediam, eiusmodi Christianæ pietatis zelo, eaq; dicendi libertate vir ille sanctissim9, os Gainæ obturauit, & silere eum coëgit: neq; de Ecclesijs, quarum ipse curã gerebat, quicquã nouari permisit. Vide Theodoretũ Ecclesiast. historiæ lib. 5. ca. 32. Tripartitã lib. 10. ca. 5. & Nicephorũ lib. 13. ca. 5.

In negocio fidei nõ est dissimulanter agendum.

Matth. 7.

Deuter. 17. Psalm 2. Imperatoris munus.

Ecquid verò Ambrosius egit? Valentinianus iunior, Imperator, non solùm ab Ambrosio petijt, Arianis Ecclesiam vnã, eamq; nõ intra

tra

tra, sed extra Mediolanũ vrbem sitam, permitteret: verùm etiam armatos milites sub ipsius Paschatis solennitatem in Ecclesiam immisit, qui virum sanctum, ni id faceret, captum in palatium adducerent. Quid verò ea excitata tragœdia fecit Ambrosius? Quid, inquit, Imperator quærit? quid expectat? An vt ego maiorum hæreditatem, regiæ cedam potestati? vt dilectam Domini vineam, porcorum sordibus conspurcandam tradam? vt Domini arcam in Allophylorum ac incircuncisorum hominum non vsus, sed abusus, transferri permittam? Nō est Ambrosius tam stultus, vt hoc putet: tam timidus, vt velit: tam potens, vt possit. Hæreditas maiorũ, fides est: hæreditas maiorum, templum est Christi: sed propitius mihi, inquit, sit Dominus, nè hæreditatē patrum meorũ Cæsari tradam. Data est mihi vinea Dñi, vt seruem, nō vt perdam: vt colam, nō vt euertam: vt ędificem, nō vt demoliar: vt plantē, non vt reuellam. Non patiar, vt eam porcorũ rictus euertant. Porci sunt, qui in eam irrũpere gestiunt, magistri luxuriæ, pudicitiæ osores, incentores petulantiæ. Pudica & casta est Ecclesia Christi. Iniquum fuerit, si quis membra Christi tollens, membra faciat meretricis. Melius mihi est mori, quàm vt gloriam meā quis euacuet. Templum quod hactenùs seruaui in pace, in bello non deseram. Depositum quod seruandum accepi, neq; viuus neq; occisus dimittam. Cæsaris nec gratiam quæro, nec offensam metuo. Quid quærit Imperator? quid ambit Auxentius? Quid cruento ore ac sanguinolē-tis manibus basilicam quærit? Non tradam. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? Non recuso. Non ego me vallabo circunfusione populorum, nec altaria tenebo, vitā obsecrans: sed pro altaribus gratiùs immolabor. Principis furorē non metuo. Facio ego, quod sacerdotis est: quod imperatoris est, faciat imperator. Domum priuati nulli potest iure temerare: domum Dei existimat auferendā? Nec mihi fas est eam tradere, nec ipsi accipere expedit. Ad Imperatorē palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorũ illi mœnium ius cōcessum est, nō sacrorũ &c. Hactenùs Ambrosius cōtra Imperatorē. Vide hinc ipsum Ambrosiũ Epist. 32. ad Valentinianũ, cum oratione in Auxentiũ: & Epist. 33. ad Marcellinā sororē, de basilicis tradendis. Deniquè cōtra Calligonũ Cæsarei cubiculi pposítũ, eunuchorumq; pręfectum, q ea tempestate Imperatoris erant cubicularij, haud secus ille se

Vide Ambrosij vitā, scriptā ab Iohanne Costerio.

1. Cor. 6.

1. Cor. 3.

Auxentius, Arianorum Luterus.

En, vt ea tempestate valuerit Ecclesiæ libertas.

Calligonus Valentiniani 3. Imperatoris, cubiculi præpositus.

gessit, atquè Chrysostomus aduersùs Gainam. Calligonus has Ambrosio minas intentabat: Me viuo, inquit, tu contemnis Valentinianum? caput tibi tollo. Sed Ambrosius nihil omninò his minis territus, Deus ait, permittat tibi, facere quod minaris. Ego enim patiar, quod Episcopi est: tu facies, quod est spadonis. Minas tuas nõ timeo. Carnem enim occídere potes, animam autem non potes. Vitam istam corporis potes eripere, meritum non potes extinguere. Anima enim quæ Deo subdita est, humanæ potestati non est subiecta. An nocere te putas? Immò magnum commodum præstas. Vitam adimis temporalem, vt succedat perpetua. Mors quippe, peccati & miseriarum est fuga, non damnum morientis.

Matth. 10.

En ea animi inuicta & admirabili fortitudine & constantia hi duo insignes Christi athletæ veram priscamq; fidem, Christiq; Ecclesiam à luporum rapacium incursu contra Imperatores & eorum coniuges sibi defendendam statuerunt.

Nos quidem hac ætate, quæ est Dei benignitas, præclarissimum planeq; catholicum Imperatorem, itemq; regem habemus: atquì vtinàm, in nostra præsertim Germania, Ambrosium & Chrysostomum Episcopos haberem⁹: meliùs profectò cum religione, admodùm iam affecta & vltra modũ afflicta & perturbata, ageretur. Et hîc quidem finis esto authoritatum vtriusque.

Secundùm hos verò athletas Christi, meo quidem iudicio, veritatis testes duo illi proximo abhinc loco potissimùm producendi veniunt, quos non minùs insignes & spectabiles Ecclesiæ propugnatores fuisse constat: Augustinum dico Hipponensis in Aphrica Ecclesię Episcopũ, quem Ambrosius Christo lucrifecit: & Cyrillũ patriarchã Alexandrinũ, supradicti Theophili Alexandrini discipulũ, & proximum deindè successorem: quorum vterq; suo magistro neq; doctrinæ prçstantia & sublimitate, neq; Christiani pectoris cõstantia & zelo vlla ex parte inferior censendus est. Vixerunt autem ambo celebres admodùm Theodosij 2. & Valentiniani ęquè 2. temporibus.

SANCTI AVGVSTINI EPISCOPI TESTIMONIA.

CAP. 55. Beatissimus Augustinus, quem plerique non iniuria iam indè ab Apostolis inter Ecclesiasticos doctores, in scripturis diuinis

penè

penè acutiſſimum & perſpicaciſſimum fuiſſe ſentiunt, paſsim in ſcriptis & operibus ſuis tam euidenter & perſpicuè corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia veritatem, veramque præſentiam docet & aſſerit, vt mihi quandoquè non parùm admirationi fuerit, eius rei primum, ſanè impium oppugnatorem Berengarium, qui tamen virus ſuum ex Bertrami cuiuſdam, de corpore & ſanguine Domini ad Carolum regem, Lotharij Imperatoris fratrem, libello hauſerat, ſed multò quàm iſte apertiùs prodidit ac euomuit, eoque nomine in pleriſque Concilijs generalibus damnatus eſt: iamque rurſum hiſce noſtris vt extremis, ità plùs ſatis calamitoſis temporibus, execrabiles illos Zuinglium & Oecolampadium, eò impudentiæ potuiſſe progredi, vt ex fortiſſimi huius Catholicæ Eccleſiæ doctrinę propugnatoris, ſcriptis & monimentis locos aliquot ab ipſis malè deprauatos, in deteſtabilis erroris ſui defenſionem ac fucationem, in medium proferre non dubitàrint. Et Berengario quidem, ob eius inſcitiam & ruditatem, quæ ex ſcriptorum eius reliquijs facilè animaduertitur, tum etiam præcipuè, quòd errorem ſuum palàm faſſus eſt, & ſemèl atque iterùm reuocauit & abiurauit, poſſit forſitan nonnulla venia dari: at verò Oecolampadio, qui tot annis antè quàm cucullum excuteret, vitam egit monaſticam, pluresque linguas probè calluit, atque tum in diuinis, tum ſanctiſſimorum Patrum ſcriptis non parùm exercitatus fuit, ac nihilo ſeciùs deterrimum hunc erroré contra animi ſui conſcientiam deintegrò ab inferis excitauit, eumque quoàd vixit, pertinaciter & animo obſtinato complexus eſt, nulla profectò ratione neque poteſt neque debet ignoſci: maximè quòd in ſua ad Melanchthonem epiſtola huic viro ſanctiſſimo, non abſque inſigni illius contumelia, id impudenter adſcribit, illum ſibi aurem vellicâſſe, & reuocâſſe à ſententia, in qua antè fuerat: cùm tamen vix quiſquam ſit ex reliquis ſanctis Patribus, qui illũ tantoperè permouere debuerit, vt in vera Catholicæ Eccleſię ſententia fixus & immot' perſiſteret, atquè idemipſe Auguſtinus: vt qui eam ſententiam in ſuis libris & lucubrationibus, multis modis, verbiſque adeò luculentis & diſertis, quæ etiam cauillari nullus poſſit, docuerit & confirmârit, locoſque penè omnes ſcripturę diuinæ, quos ſuprà prolixè introduximus, eo quoquè modo quo à nobis introducti ſunt, intelle-

Berengarius.
Bertramus
Zuinglius. Oecolampad.
Erroris huius architecti Auguſtinum ad ſe rapere nituntur.
Berengarius erroré hunc reuocauit, & egit pœnitentiam.
Oecolampadius hæreticus pertinax.
I. Iohan. 5. Hebr. 6. & 10.

tellexerit & interpretatus sit: quod ex ijs quæ deincèps adferentur, facilè constabit.

Augustinus verba ea. Hoc est corpus meum, docet nequaquàm metaphoricè accipienda.

Et principiò quidem, quòd certò ille persuasum habuerit, continenterq; docuerit, verba illa Seruatoris, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, propriè & vt iuxta literam sonant, accipi debere, multa apud eum passìm extant documenta, clarissimaq; testimonia. Primò igitur in concionibus seu Enarrationibus in Psalmos, in Titulum Psalm. 33. Concione 1. ea interpretans verba, *Et ferebatur in manibus suis*, (sic enim ipse 1. Regum 21. legit, vbì Septuaginta habent, Et collabebatur in manibus suis) ità scribit: *Et ferebatur in manibus suis. Hoc verò fratres, quomodò posset fieri in homine, quis intelligat? Manibus aliorum potest portari homo: manibus suis nemo portatur. Quomodò intelligatur, in ipso Dauid secundùm literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quandò commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. ferebat enim illud corpus in manibus suis.*

Christus non metaphoricè, sed, vt litera habet, in suis se manibus tulit in cœna.

Idem Concione 2. in eundē titulum repetit vt ea verborum iteratione, certā animi sui sententiam apertiùs expromat, populoq; Christiano, cui tum cōcionabatur, probè diligenterq; eam inculcet & ingerat, idq; hunc in modum: *Et ferebatur in manibus suis. Quomodò ferebatur in manibus suis? Quia cùm cōmendaret ipsum corpus suum & sanguinem suum, accepit in manus suas, quod nôrunt fideles, & ipse se portabat quodammodò, cùm diceret,* Hoc est corpus meum.

Non poterat vir beatus dicere manifestiùs, verba ea Christi, *Hoc est corpus meum*, non metaphoricè, quod volūnt Aduersarij, sed perindè vt sonant, pro genuino sensu suo intelligi oportere: quandoquidem dicit verba illa, *Et ferebatur in manibus suis*, non metaphoricè, sed secundùm literam impleta esse in Christo, cùm corpus suum accepit in manus suas, dicens, *Hoc est corpus meum*. Atq; vt id prodat euidentiùs, codē loco ait, Christū tum fecisse, quod mortaliū nemo possit quouis modo, ipse autē, vtpotè Deus & homo, potuerit: nempe corpus suum ferre in manibus suis. Vbì rursùm intellectum metaphoricum prorsus excludit. Si enim Christi ea verba, *Hoc est corpus meum*, iuxta metaphoram accipienda essent, non fecisset tum temporis Christus insigne

Christus incōpræhensibili miraculo panē conuertit in corpus suum.

ſigne miraculum, quod tamen Auguſtinus eum feciſſe ſedulò teſtatur & probat: ſed quippiam eiuſmodi duntaxat egiſſet, quod vel quilibet, nedùm propheta Dauid, pro ſuo poſſet arbitratu facere, putà, figuram aut ſymbolum corporis ſui in manus accipere & ferre: id quod Aduerſarij putant, Chriſtum videlicet nihil feciſſe aliud: qua in re illi planè diuerſum ſentiunt ab Auguſtino.

Adiungit porrò vir ſanctus: Cõmendans ipſum corpus ſuum, ait: *Hoc eſt corpus meum: ferebat illud corpus in manibus ſuis: ipſe ſe portabat.* Quæ omnia ſanè verba, ſingularem quandam emphaſim habent, qua exprimitur enixa & certiſſima mens beati viri.

Deindè quod ait, *Accepit Dominus in manus ſuas, quod nôrunt fideles*, ſatìs ille luculenter his verbis indicat, verba Domini, *Hoc eſt corpus meum*, tropicôs non debere intelligi. Vt enim iam crebrò antè dictum eſt, & infrà in aliorum proferendis teſtimonijs identidèm docebitur, Auguſtinus & veteres omnes, quotiès in concionibus publicis coram populo (inter quos illis temporibus multi erant Baptiſmi expertes & catechumeni, qui à Sacramentorum quidem participatione excluderentur, à cõcione minimè) V. Sacramenti altaris mentionẽ faciebant, his plerunquè verbis vtebantur, *Quod nôrunt fideles*, iiſque ſermonẽ præcidebant, nè ſublimiá illa diuinaq; myſteria necdùm initiatis vel baptizatis, vtpotè taliũ minimè capacib⁹, incautè & indiſcretè proderent, contra illud Domini mandatum, *Nolite ſanctum dare canibus* &c. Non eſt igitur, quòd cuiquam mirum videtur, verba illorum, & inprimìs Auguſtini, quibus de V. Sacramento agunt, nonnihil obſcuritatis habere, nec à quibuſlibet facilè poſſe rectè ac probè intelligi. Nam tum temporis propter infideles cautè illi preſſeque indè loquebantur, ità tamen, vt à fidelibus probè caperentur.

Olim Patres de Euchariſtia locuturi, his vtebatur verbis, Quod norunt fideles: vndè poteſt aduerti eos hoc Sacramentum neutiquàm ſolius figuræ loco habuiſſe.

Matth. 7.

Cur Auguſtini verba de V. Sacramento, interdùm obſcura ſint.

Quam illi cautionem ac prouiſionem fruſtrà adhibuiſſent, ſi ea verba Domini, *Hoc eſt corpus meum*, perindè accipienda forent, àc ſi dixiſſet, Hoc ſignificat corpus meum: vel, Hoc eſt figura corporis mei. Tũ enim nihil eis neceſsè fuiſſet dicere, *Quod nôrunt fideles*, & ꝓpter infideles orationẽ abrumpere: cùm tamen nihil illi vererentur etiam coram ethnicis, palàm profiteri & aſſerere, olim in veteri Teſtamento per panem, Chriſtũ verum manna & cæli panẽ eſſe deſignatũ.

Vide

ret:sed ità potiùs,quòd Dñs in V. Sacraméto verum quidem corpus suum nobis edendum fruendúq; prębeat,non tamen vulgari quadã, sed peculiari & occulta ratione, quã sensitiua portio nostra prorsus ignoret,& ij duntaxat per fidem nôrint, qui in Christiana religione benè sint instituti:id est,non visibili ac mortali specie,neq;:vt insani Capernaitę autumabant,ceu corruptibilem & consumptibilem carnem,vndè particulas præcisas ipsis edendas vellet porrigere: neque etiam vt nunc in propria specie, & radiantissima diuina maiestate ad patris dextram residet: sed immortale, incorruptibile, indiuiduum nobis prębere corpus suum in V.Sacramento, sub externis panis ac vini speciebus latens,idq; supernaturali,inuisibili & occulto modo, pro assumptę ab illo pro nobis humilitatis dispensatione ac ordinatione:quam ille humilitaté, suprà quàm vllus capiat intellectus, exhibuit,tum vt nos redimeret,tum vt ineffabilem erga nos declararet amorem & benignitatem suam, tum deniquè, vt ad suî imitationem nos prouocaret:quandoquidem ipse nostra causa nedùm ad crucem vsq; se humiliare,sed etiam amore incredibili, quô nos ei arctissimè copularemur,& per eum vitam habeamus æternam,corpus suũ edendum nobis præbere voluit. Philip.2.

Eo igitur pacto,quo iam dictũ est,Augustinũ quodammodò suũ velle accipi,non autem vt Aduersarij illud malè deprauãt, id passim ille quidé,pręcipuè tamé sex hisce,quos dicemus,locis planũ ominò testatumq; efficit:Primò, loco eodé in Titulum Psal.33. Secundò,in Psal.98.Tertiò,Tractatu 27.in Iohanné.Quartò, Epistola 23.ad Bonifaciũ.Quintò,Sermone 46.de verbis Dñi. Sextò, Sermone ad infantes,ad altare. Quos ego locos, quandò id necessitas postulare videtur,qua potero breuitate huc proferam, quô viri sanctissimi certa catholicaq; hac de re sententia liquidò perspiciatur. VI.loca, quibus Augusti:ius suũ Quodammodò explicat.

Loco igitur memorato in Psal.33. exponẽs verba illa tituli eiusdé psalmi,*Psalmus Dauid,cùm mutauit vultũ suum coram Abimelech, & dimisit eum,& abijt*:inter cętera ait,*Christum Iudæorum illud sacrificium, quod erat in victimis pecorum, mutâsse in sacrificium secundùm ordinem Melchisedech:qui panem & uinum protulit,& benedixit* Abraã. *Itaq; scripsisse Dauidé posteà de Christo:Iurauit Dominus,& nõ pœnitebit eum: tu* Locus I. Christus Aaronicũ sacrificiũ in Melchisedechicũ mutauit. Gen 14. Psal.109.

 es sa-

es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Quandò igitur Aaronicū sacrificium sustulit, & in eius locum aliud secundùm ordinē Melchisedech substituit, quod iam diffusum est toto orbe terrarū, hoc ipso mutâsse eū uultum suū coram Achis. In corpore enim & sanguine suo uoluisse eum esse salutē nostram. Sed nisi humilis esset, seq; humiliâsset Dominus Iesus, eū nec māducare, nec bibere nos potuisse. Quādò enim in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbū, cibus erat sempiternus & integer angelorū, sicut etiānùm est. Sed quis hominum, inquit, posset ad cibū illum? Oportebat ergò, ut mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret, ut nos quoquè illius participes esse posimus. Et quia cibus in hac conuertitur pueris per matris corpus & māmillas, mater enim ipsum panem incarnat, sicq; per humiditatem mammillæ & lactis succum, de ipso pane pascit infantem, qui minùs idoneus est ut pane uescatur: ipsum uerbū; panis angelorum, caro factum est, & habitauit in nobis, ut pànem angelorū manducaret homo. Dimisit autem regem Achis, qui interpretatur, Quomodò est? id est, ipsum incredulum populum Iudæorum dimisit & abijt: qui cùm audirent, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se uitam æternam: Caro enim mea uerè est esca, & sanguis meus uerè potus est: expauerunt & exhorruerunt sermonem, & non intelligentes, putauerunt nescio quid durum dicere Dominum nostrum IESVM Christum, quòd carnem eius quam uidebant, manducaturi erant, & sanguinem bibituri: uidebaturq; illis furor quidam esse & insania, dare carnem suam manducandam hominibus & bibendum sanguinem. Ille autem qui nouerat quod dicebat, in illa mutatione uultus sui, & quasi furore & insania, Sacramenta prædicabat.

Christū in sacraméto vultu mutato edimus.

Iohan. 1.

Quia nos caro & sanguis sumus, Christus homo factus est, vt eius carnē & sanguinē percipere possimus.

Corpus Christi non cóspicuum, sed in Sacramento edimus.

Hactenùs Augustinus:

(Qui cùm admodùm prolixus sit hoc loco, à Dn. Groppero contractus est: sunt tamen ferè ipsa Augustini verba.)

Interpretis hæc sunt.

Qua oratione vir sanctus id haud dubiò vult asserere, Iudęos persuasum habuisse, se Christi corpus ità vt tum apud ipsos visibile & mortale versabatur, particulatim cæsum edère debere: atquì Dominum nullo pacto sua verba sic accipi voluisse: sed quòd corpus suum

nobis

nobis in V. Sacramento, à quo minimè abhorreremus, in nostram salutem edendum prębiturus esset.

Eam enim mentem suam eodem loco explicare pergit, versum illum edisserens, *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Hic, inquit, *aperit se psalmus, & sacramentum Dominicũ ostendit: quãdo miseri illi Iudæi dicebant: Quomodò est? Quomodò iste poterit nobis dare carnem suam manducare? Si ignoras, gusta & uide quàm suauis est Dominus. Si autem non intelligis, rex es Achis. Immutabit faciem suam Dauid, et recedet à te, & dimittet te, & abiet.* Nos Dominũ in Sacramẽto gustamus, quod Iudæus nõ intelligit.

Illum quoquè exponens versum, *Accedite ad eum, & illuminamini, et vultus vestri non erubescent: Accedamus ad eum,* inquit, *ut illuminemur, non quomodò accesserunt ad eum Iudæi, ut tenebrarẽtur. Accesserunt enim illi ad eum, ut crucifigerent: nos ad eum accedamus, ut corpus & sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt: nos manducando crucifixũ & bibendo, illuminamur.* Corpus à Iudæis crucifixum nos in V. Sacramẽto accipimus.

Ex his omnibus satìs perspici licet, vt D. Augustinus suum hîc *Quodammodò* interpretetur: videlicet, quòd nos Domini corpus nõ, perindè vt angeli in cęlis, in radiantissima diuinitatis eius pręsentia, neq; etiam vt præsens aliquod conspicuum ac morti obnoxium corpus particulatìm distribuitur & editur, sed in sacramenti & sacrificij mysterio edamus & percipiamus: quod sacrificium vel oblationẽ iuxta ordinem Melchisedechicum Dominus sub panis ac vini speciebus instituit, secundùm quẽ ordinem ille sacerdos est inæternùm, vt immortale corpus suũ nobis in humilitatis & perpessiõis suę memoriã Psal. 109. ad suum vsq; visibilẽ reditum inuisibiliter impertiatur. quẽ sanè sin- 1. Cor. 11. gularem modũ tenebricosus ille Oecolampadius non magìs capere potuit, quàm Iudæi peruicaces: itaq; Achis effectus est, & Dominus eum reliquit, & abijt. Nos verò hunc in modum verã eius carnem & sanguinem sumimus, quæ Iudęi crucifigendo obtenebrati sunt, nos manducando, Deo laus, illuminamur.

Equidem hîc vnum illud satis mirari non possum, Oecolampadiũ, quẽ sui volunt Hebraicę linguę fuisse peritissimum, non legisse Rabbi Mosen Hadarssan in Psalmum 135. præcipueq; interpretationem versûs illius, Qui dat panem siue cibum omni carni, vbi Iudæus

ille sic habet: Hoc *est quod dictum est Psal.34.(iuxta Hebræorum numerum:) Gustate & uidete, quoniam bonus est Deus: quia panis, quē dat omnibus, ipse est caro eius. Et dum gustatur panis, conuertitur in carnem. Et hoc est quod dictum est: Et uidete, quoniam bonus est Deus. Et erit hoc mirabile magnum.* Hactenùs Rabbi Moses. Vide obsecro lector, án ne Iudæus iste mysteria psalmi huius 33. penè rectiùs cognita habuerit, quàm occæcatus Oecolampadius, id est, obscura ædium lucerna: ità enim οἰκολαμπάδιος Latinè dicitur.

Rabbi Moses Hadarsia.

Locus II. Venimus iam ad alium Augustini locum, vbi suum *Quodammodō*, etiam apertiùs declarat, nempe in Psalmum 98. quo loco priusquàm indicet, quomodò Christi corpus edere possimus, veram corporis Christi in V. Sacraméto præsentiam, mirum in modum diserta luculentaq; oratione testatur & docet. Ità eñ in versum eius psalmi, *Adorate scabellum pedum eius*, scribit de Christo: *Suscepit de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ accepit carnē: & quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipse carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit: inuentum est quemadmodùm adoretur tale scabellum pedum Domini: & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

Carnē ex Maria sumptā, & in qua hic ambulauit, nobis dat Christus edendam in salutē, eāq; nos ante sumptiōem adoramus.

Hæc ego quidem rotunda ac dilucida esse arbitror, quibus vir sanctus, quoàd eius fieri potuit, luculentissimè docet, Christum Dominum in V. Sacramento nobis corpus suum, ex sacratissima virgine Maria susceptum, & in qua in terris ambulârit, contulisse in cibum, hodieq; conferre, idq; in salutem nostram, vt per illud æternam salutem & beatitudinem consequamur. Atq; eam ob rem nos illud eius corpus in V. Sacramento, (quandoquidem verum eius corpus est, in quo diuinitas corporaliter inhabitat) priùs adorare, quàm accipiamus: quod ni faceremus, grande nos peccatum admissuros esse.

Coloss. 2.

Verùm quia increduli Capernaitæ, vt in suo Iohannes Euangelio refert, adeoq; etiam LXX. discipuli his Domini verbis, quibus ait, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, crassè nimiùm ac perperàm acceptis admodùm offensi fuère: nè etiam nobis ea offendiculo sint, pergit Augusti-

gustinus & docet, qua ratione verum Christi corpus ex præstantissima Maria virgine natum, sinè scandalo comedere possimus. Primò ait, Capernaitas ea verba stultè accepisse, carnaliter de ijs cogitasse, putâsse quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdã de corpore suo, & daturus illis. Sed vt tam nefariæ Capernaitarum cogitationes à Christianorum animis procùl arceantur, & Domini verba rectè intelligantur, ipsum Dominum introducit loquentem, & vt eiusmodi prorsus carnales à nobis excludat cogitatiões, hac nos oratione compellantem & instruentem: *Spiritus est qui uiuificat, caro autem nihil prodest. Verba quæ locutus sum uobis, spiritus est & uita. Spiritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod uidetis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod uobis commendaui: spiritualiter intellectum uiuificabit uos. Etsi necesse est illud uisibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi.*

Quo pacto verũ Domini corpus in V. Sacramento sinè offendiculo edamus.

Iohan. 6.

Non edimus Christi corpus visibili & cruenta ratione, sicut crucifixum est.

Quæ tamen verba Aduersarij nostri, planè immemores, quòd vir sanctus paulò antè veram corporis Christi præsentiam apertissimè & clarissimè, vt dictum est, confessus & testatus sit, nihilo minùs in execrabilis erroris sui præsumptam propugnationem mirè vrgent, voluntq; eam esse illorum sententiam, non nos idem corpus, quod crucifixum sit, in V. Sacraméto substantialiter accipere. Id verò dubium non est, cum ipsissima sancti viri sententia pugnare penitùs: nanq; alioquì eodem loco secum ipse pugnabit, cùm vt dictum est, paulò ante ea verba ingenti studio & perquàm seriò clarissima oratione testatus sit, Christum eandem carnem, quam de beatissimæ Mariæ carne sumpsit, & in qua hîc ambulauit, nobis in V. Sacraméto dedisse manducandam, idq; ad salutem nostram: eamq; carnem priùs adorare nos debere, quàm illam manducemus: Quę sanè nõ possunt vlla ratione de figura accipi, sed de vero & ipsissimo Christi corpore necessariò intelligenda sunt.

Vt Aduersarij cótra certam Augustini sentẽtiam, eius verba peruertere moliantur.

Quòd igit hîc dicit, *Non hoc corpus quod videtis, non illum sanguinem quem fusuri sunt* &c. eiusmodi ille verbis hoc solùm spectat, vt religiosæ ac spiritalis Christi in V. Sacramento perceptionis modũ, ab illa planè carnali & stulta Carpernaitarum opinione & cogitatione se-

cernat,& id genus cogitationes ex credentiũ euellat pectoribus:tanq̃ diceret,Dñm hunc in modum loqui voluisse: Non est ꝙ putetis,vos corpus meũ in ea forma,qua illud iã corã adspicitis, frustratìm sectũ edere,vel sanguinẽ meũ in ea visibili & externa specie, vt illũ fusuri sunt,bibere debere:sed ego ea vobis in sacramenti cuiusdã mysterio inuisibiliter prębebo,in quo sacramẽto vos ea tecta & operta habebitis,quod sensus quidem vestri non possint vllo pacto, intellectus aũt fide,quã verbis meis adhibere debetis,illuminatus possit capere. Itaq; post memorata iã iamq; illius verba,ista sequunt̃: *Spiritualiter,* inquit,*intellectum uiuificabit uos:& Inuisibiliter oportet intelligi,nõ quõ illi carnaliter cogitauerunt & putauerunt,quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis.* Hîc audis,vt illud, *Quomodò*,interpretetur:nimirùm quòd non illo carnali modo,quem Capernaitæ somniabant,sed in mysterio & spiritaliter, at nihilo minùs verè & substantialiter illud esuri essemus.

Vt ea verba, Nõ hoc corpus quod videtis,manducaturi estis, accipienda sint.

Capernaitæ (ait porrò) *dixerũt Domino:Durus est hic sermo.Ipsi erãt duri,nõ sermo.Etenim si duri nõ essent,sed mites essent,dicerẽt sibi:Nõ sinẽ causa dicit hoc:nisi qa est ibi aliquod sacramentũ latẽs: manerẽt cũ eo lenes, nõ duri,& discerent ab illo,quod,illis discedẽtibus,q remãserũt, didicerũt.*

Apostoli,qui cum Domino permanserũt, in Cœna didicere,vt eius verba accipi oporteret.

Atq; vt oĩnò certum exploratumq; haberemus,quid ille sibi verbis hisce voluerit,*Spiritualiter intellectum uiuificabit vos,* eodem loco sic habet:*Ideò & ad terram quamlibet cùm te inclinas atq; prosternis,non quasi terrã* (putà,quam nñs ex virgine suscepit) *intuearis, sed illũ sanctum,cuius pedum scabellum est,quod adoras:propter ipsum enim adoras. Spiritus enim uiuificat,caro autem nihil prodest, nec per se sola uiuificare potest.* Vbi sanè eũ ferè in modũ loquit̃, vt ante illum D.Athanasius, quẽadmodùm suprà in ei⁹ testimonijs videre licet:nẽpe, in Chr̃o nõ carnẽ dutaxat,sed p̃cipuè eius spiritũ & diuinitatẽ,in ea corporaliter habitantẽ,attendere nos debere:quandoquidẽ propter inhabitantẽ Dei spiritũ corpus eius in Sacramẽto nobis plane viuificans efficitur.

Augustini verba,Spiritualiter intellectum &c. vt accipiẽda.

Christum in V. Sacramento adorantes, illud adoramus sanctũ, quod ex virgine Maria natum est, ipsum Dei filium,Luc.1.

Aduersarij voculas illas spiritualiter edere,perindè interpretantur, quasi illæ corporis Christi veritatẽ excludãt. Sed ea neq; Augustini, neq; aliorum Patrum mens est,quibus spiritualiter edere est,Christi corpus religiosè cũ deuotiõe & meditatione illius quod inuisibiliter illic

Spiritaliter edere quid sit Augustino.

illic adest & præstatur,atq; munda conscientia mãducare. Quamobrem Augustinus Tractatu 27.in Iohannem, his vtitur verbis: *Intellexisti spiritualiter? spiritus & uita sunt.Intellexisti carnaliter? etiam sic spiritus & uita sunt,sed tibi non sunt.*

Et nè qs putet hunc me dictorũ eius sensum ex meo demũ finxisse cerebro,eiusq; verbis accõmodâsse,iam multis antè seculis Iuo Carnotenẽ Episcopus,vir & eruditione & sanctitate spectabilis,Epistola ad Haymericũ Abbatẽ memorata Augustini verba,*Nõ hoc corpus,quod videtis* &c. eo, quo sequit, modo interpretatus est:*Ipsum & nõ ipsum,* inquit,*corpus mãducaturi estis:ipsum qdem materiali essẽtia, sed nõ ipsum uisibili forma. Quãuis enim Dominus semèl in distinctiõe mẽbrorũ suorũ, in manifestatione corporis sui se obtulerit hostiam uiuentem,paßibilem & mortalem,quotidiè tamẽ sub uelamento panis & uini à sancta Ecclesia immolat,& non in partes scissum neq; cruẽtum corpus eius fideliũ ore percipitur.Et hoc est quod dicit,*Non hoc corpus quod uidetis,mãducaturi estis. *Neq; enim quod de altari sumimus,beatus Augustinus uerũ corpus esse negaret,q hoc in plerisq; tractatuũ suoꝝ locis euidẽter affirmat.* Hactenꝰ Iuo.

Iuo Carnotẽsis Episcopus.

Ipsum Christi crucifixũ corpus vt & edamus,& nõ edamus. Ephes.5.

Christus quotidiè incruẽta ratione offertur.

Et quid multis opùs est? Dubiũ nõ est, virũ sanctũ ità planè dicere voluisse: Corpus quidẽ meũ edetis,sed nõ vt illud vestros habetis ob oculos. Cũ em̃ ait, Non hoc corpus, quod videtis: satìs ille è diuerso aliud subindicat corpus nos edere,sed quod minimè cernamꝰ. Alioquì certè nõ ille introduxisset Dñm huiusmodi vtentẽ oratione, *Non hoc corpus,quod videtis,mãducaturi estis*:sed tali potiùs, Nõ est hoc corpus meũ,quod mãducaturi estis,sed solũ quędã corporis mei figura. Nõ em̃ Augustinus sermonis inopia laborâsse putãdus est, vt mẽtem explicare suã nequiuerit, p̃sertim in re tanti ponderis, cũ ad populũ ipsi creditũ,è loco sublimi docendi ratione,siue didacticôs concionaret. Itaq; ipsa sermonis proprietas hoc secum adfert, vt si dicã, Nõ hoc corpus, quod cernis, habebis: iam me à sensu contrario innuere, nihilo seciùs quoddam te corpus habiturum, sed non conspicuum.

Augustinus dicens, Non hoc corpus quod videtis, indicat nos in V. Sacramẽto habere corpus, quod non cernamus.

Atq; vt semèl omnem tibi, Lector amice ex animo scrupulũ euellam, id vnum obserues velim, Augustinum hoc loco de vnius corporis Dominici differẽtia, nõ alia loqui ratione, q̃ Apostolũ 1.Cor.15.de nostrorũ diuersitate corporũ, qualia ea futura sint vbi resurrexerint, & qualia ea iã circũferamus. Apostolus eo loco grauissimis scripturæ

Augustinus eo, quo Paulus, modo loquitur.

authoritatibus id docere molítur, in eodē ipſo vero corpore, quod hîc in terris gerimus, eſſe nos reſurrecturos: ac nihilo minùs (cùm tamen priùs corpora noſtra dum moriuntur, ſemini in terram iacto comparârit) his deindè verbis vtitur: *Quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum. Deus autem dat illi corpus, ſicut vult.* An nō verba hæc Apoſtoli prima facie id præ ſe ferre videntur, Deum in reſurrectione nō hoc, quod modò circunferimus corpus, ſed aliud nobis eſſe daturum? quemadmodùm etiam Auguſtini verba de Chriſti corpore idem velle non intelligētibus & imperitis videri poſſint. Sed vt Apoſtolus ſua dicta non alitèr vult accipi, quàm in reſurrectione daturum nobis deum corpus aliud, non quidem ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm qualitatem duntaxat: ſicut ipſe ſeſe exponit ibidèm, dicēs: Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptiōem: & mortale hoc, induere immortalitatem: (Nota voces illas, corruptibile & mortale hoc) ità etiam Auguſtini verba hoc loco accipienda ſunt, nempè, Chriſtum nobis in V. Sacramēto aliud daturum corpus, non tamen ſubſtantiam, ſed tantùm alia qualitate, quàm ea fuerit, qua tum temporis etiamnùm mortalis & viſibilis inter Apoſtolos verſabatur. Idq; adeò ſibi illa eius verba volunt: *Sacramentum aliquod uobis commendaui: ſpiritualiter intellectum, uiuificabit uos. Etſi neceſſè eſt illud uiſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi.* Et vt finē faciā, Auguſtinus inuiſibile Chriſti corpus in V. Sacramēto, ab illo eius tum adhuc viſibili & mortali corpore modis omnibus perindè diſtinguit, atquè eadē tempeſtate D. Hieronymus in Epiſtola ad Epheſios: vbì ille ſpiritale Chr̄i corp' in V. Sacramento, à viſibili illo & crucifixo, non ſecundùm ſubſtantiā, ſed qualitatem diſcernit: qua de re fusè dictum eſt ſuprà in eius teſtimonijs, fol. 156. Ità iam ſecundò didiciſti Lector, vt *Quodammodò* ſuum Auguſtinus velit intelligi.

Locus III. Caro nō prodeſt quicquā. vt intelligendum.

Eundem in modum ſuam ille ſententiam prodit etiam tertio loco, qui eſt Tractatu 27. in Iohannem, exponens ea Chriſti verba, *Caro non prodeſt quicquam.* O Domine, inquit, *Magiſter bone, quomodò caro non prodeſt quicquam, cùm tu dixeris, Niſi quis manducauerit carnem meā, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe uitam? An uita non*

prodeſt

prodest quicquam? Et propter quid sumus quod sumus, nisi ut habeamus uitam æternam, quam tua carne promittis? Quid est ergò, non prodest quicquam? Caro non prodest quicquam, sed quomodò illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt, quomodò in cadauere dilaniatur, aut in macello uēditur, non quomodò spiritu uegetatur. Proindè sic dictum est, caro non prodest quicquam: quomodò dictum est, scientia inflat. Iam ergò debemus odisse sciētiam? Absit. Et quid est, scientia inflat? Sola, sinè charitate. Ideò adiunxit, charitas uerò ædificat. Adde ergò scientiæ charitatem, & utilis erit sciētia, non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodest quicquam, sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodò accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimùm. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnē multùm nobis profuit Christus, quomodò caro nihil prodest? Sed per carnem, spiritus aliquid pro salute nostra egit: caro uas fuit. Et paulò pòst: *Spiritus ergò est qui uiuificat: caro non prodest quicquā. Sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam* &c.

1.Cor. 8.

Iohan. 1.

Vis iam porrò accipere, vt & quarto loco, putà, Epistola 23. ad Bonifacium, suum ipse Quodammodò explicet? Eius verba hæc sunt: *Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramēta sunt, non haberent, omninò sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunquè etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergò secundùm quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ità sacramentum fidei, (id est, baptismus) fides est.*

Locus IIII.

Aduerte hîc, vt vir sanctus ad sacramētorum noui Testamenti essentiam duo quædam doceat pertinere: id quod etiam suprà in præfatione in patrum testimonia ex illo protulimus, fol. 66. & 67. videlicet, signum externum, quod hîc similitudinem vocat: & rem ipsam designatā, externa similitudine contentam. Nam alioquì si res ipsæ conspicuę ob oculos haberentur, iam non essent Sacramenta vel mysteria: & si res ipsę sub externis speciebus non continerentur ac porrigerentur, non essent sacramenta noui, sed vmbræ veteris Te-

ſtamenti, vt loco memorato copioſiùs probatum eſt. Cùm igitur ſub externis ſacramentorum nouæ legis ſpeciebus, res ipſæ deſignatę verè ac ſubſtantialiter habeantur, indè nimirùm accidit, vt plerunquè etiam ipſarum rerum nomina accipiant: quibus verbis hoc Auguſtinus aſſerit, nos V. Sacramentum corporis Chriſti plerunquè ſimpliciter Chriſti corpus dicere, nulla facta ſacramenti mentione: itemq; baptiſmũ fidem, & baptizatos oẽs nos ſimpliciter appellare credẽtes.

Cur ſacramẽtis nouæ legis plerunq; rerũ ipſarũ, quæ ſub eis porriguntur, nomina tribuamus.

Quod tamen pro vniuſcuiuſq; Sacramenti proprietate accipiendum eſt, nè hinc cauillari velis & dicere: Sacramentum baptiſmi nõ eſt realiter, vel re ipſa fides: ergò nec altaris ſacramentum eſt ſubſtãtialiter corpus Chriſti. Habent enim hæc ſacramenta ſingula ſuã peculiarem proprietatẽ: vt, exempli cauſa, in præſtantiſſimo Altaris ſacramento ſtatìm à conſecratione, etiam ante ſumptionem, cùm antè q̃ ſumatur, Auguſtinus illud adorandum eſſe dicat, Chriſti corpus re vera pręſens exhibetur: q̃ cauſa eſt, vt hoc V. Sacramentũ plerunquè ſimpliciter Chriſti corpus vocetur, vt in Tertulliani teſtimonijs latiùs proſecuti ſumus, fol. 101. In baptiſmi aũt ſacramento nõ perindè aqua in fidẽ conuertitur: ſed fides in illo per Spiritumſanctũ baptizatis omnibus confertur, quanq̃ non vna ratione. Infantibus enim infunditur per Spiritumſanctũ modo quodam incompręhẽſibili: ijs verò qui tũ demùm ad baptiſmũ veniunt, cùm iã ratione vti cœperint, & adultis, (vt noſtris temporibus paucis interìm Iudæis, & ethnicis innumeris in Inſulis recèns inuentis) baptiſmi ſacramentum auget fidem, ſi ſint priùs, ceu catechumeni, de illis, q̃ ad fidem pertinent, benè inſtituti: porrò generatim omnes cuiuſcunq; ſint ætatis, fidei Eccleſiæ catholicæ efficit participes, ità vt ſalutari expiati lauacro, omnes Chriſtiani & fideles ſint & appellentur, tametſi paruuli necdùm actu vel actualiter fidem in ſe ſentire vel exercere queant.

Singula nouæ legis Sacramenta, ſuã peculiarẽ habent formam & proprietatem.

Sacramẽtum altaris.

Sacramẽtum baptiſmi.

Fides vt baptizatis in baptiſmo conferatur.

Baptizati infantes, rectè Chriſtiani & fideles appellantur.

In paruulis, inquit illic Auguſtinus, *Spirituſſanctus operatur intrinſecùs beneficium gratiæ, ſoluit uinculum culpæ, recõciliat bonum naturæ, regenerat hominem in uno Chriſto, ex uno homine generatum. Et ad cõmunicationem huius ſpiritûs, ab uniuerſa ſocietate ſanctorum, quam ille inhabitat, offerentium miniſterio adiuuantur, ut etſi non habeant fidem in cogitatione annuente, ei tamen cùm obicem contrariæ cogitationis non oppo-*

nunt,

nant, sacramētum eius salubriter percipiunt, quod ad eorum perpetuam tutelam & salutem, si ante rationis usum ex hac uita migrauerint, ualet. Hæc ille.

Quandò igitur in Sacramentis res nudas & oculis conspicuas non habemus,(nanq; alioquì non essent sacramenta) nec tamen ambigimus res ipsas sub illis certò,sed inuisibiliter & contineri & porrigi: propterea,inquit Augustinus,Sacramenta secundùm quēdam modū res ipsæ sunt, & ipsarum rerum,quæ sub ipsis nobis præbentur, plerunquè nomina accipiunt:& sunt quidem signa,sed non vacua & inania signa,sed plena gratiæ,idq; iuxta promissiones diuinas, in quibus fundantur & innituntur.

Cùm res ipsæ sub Sacramētis inuisibiliter continētur,indè fit, vt ipsarū rerum accipiāt nomina.

Itaq; cùm in altaris V.Sacramento verū Christi corpus hoc pacto substantialiter adsit,ea causa D. Augustinus sæpissimè illud, vocat corporis & sanguinis Christi Sacramentum:vt Epistola 163. & lib.3. de Trinitate,cap.3.lib.1.de peccatorū meritis & remissione, cap. 24. & lib.de visitatione infirmorum.Porrò libro de Catechizandis rudibus significantiùs exprimens,Sacramenta nuncupat signacula rerum diuinarum visibilia:quæ,vt idem habet lib.12. contra Faustum, cap.20.necessaria nobis sunt,quandiù in hoc mundo sumus: Porrò in cælis nullis mysterijs corporalibus indigebimus,quandò Christū ipsum in illa perspicua contemplatione incommutabilis veritatis habituri sumus. Et vt hæc eius verba (putà,Sacramentum corporis & sanguinis Christi) quibus tam crebrò vtitur, probè intelligerentur, lib.2.cap.55.cōtra literas Petiliani apertissimè testatur, *nos in Sacramento corpus & sanguinem Christi manducare & bibere,obducta nimirùm mysterijs istis corporalibus.* Et in sententijs Prosperi,*Caro eius est*,inquit, *quam forma panis opertam,in sacramento accipimus.* Itemq; Sermone 46. de verbis Domini:*Velatum est*,ait,*sed si volueris, erit reuelatū*, &c. Deniquè sermone ad infantes ad altare,*dicit id quod videtur, speciem habere corporalem* &c. Quæ duo loca iam iamq; adferētur. Habes igitur etiam iam quartò,vt suum ille velit *Quodammodò*,intelligi.

Cùm dicitur, Sacramētum corporis & sanguinis Christi, vt sit intelligendū.

Visibilibus signis indigemus.

Carnem Domini accipimus, forma panis opertā.

Quinto verò loco,qui est Sermone 46. de verbis Dñi, eam cuius iā crebrò mentionē fecimus,vocē suā longè etiam significantiùs explicat, simul compellans & salutaribus expiatos vndis, & baptismi

Locus V.

necdùm compotes catechumenos. *Sicut audiuimus*, inquit, *cùm sanctũ euangelium legeretur, Dominus Iesus Christus exhortatus est promissione*
Iohan. 6. *uitæ æternæ, ad manducandam carnem suam, & bibendum sanguinem suũ. Qui audistis hæc, nondùm omnes intellexistis. Qui enim baptizati & fideles estis, quid dixerit nôstis. Qui autem adhuc inter uos catechumeni, uel audientes uocantur, potuerunt esse, cùm legeretur, audientes: nunquid &*
Non baptizatis mysteria non prodebantur. *intelligentes? Ergò sermo noster ad utrosq; dirigitur. Qui iam manducant carnem Domini, & bibũt sanguinem eius, cogitent quid manducẽt, & quid bibant, nè sicut Apostolus dixit, iudicium sibi manducent & bibant. Qui*
1. Cor. 11. *autem nondùm manducant, & nondùm bibunt, ad tales epulas inuitati festinent. Christus quotidiè pascit: mensa ipsius est illa in medio cõstituta. Quid*
Adhortatio catechumenorum ad baptismum. *causæ est, ô audientes, (Sic enim uocabuntur catechumeni) ut mensam uideatis, & ad epulas non accedatis? Et fortè modò cùm euangelium legeretur, dixistis in cordibus uestris: Putamus quid est quod dicit, Caro mea uerè esca est, & sanguis meus uerè potus est? Quomodò manducatur caro Do-*
Corpus Christi in V. Sacramento, incredulis est velatum, credentibus reuelatum. *mini, & bibitur sanguis Domini? Putamus quid dicit? Quis contra te clausit, ut hoc nescias? Velatum est: sed si uolueris, erit reuelatum. Accede ad professionem, & soluisti quæstionem. Quid enim dixit Dominus Iesus, iam fideles nouerunt. Tu autem catechumenus diceris, audiẽs & surdus es. Aures enim corporis patentes habes, quia uerba quæ dicta sunt, audis: sed aures cordis adhuc clausas habes, quia quod dictum est, non intelligis. Disputo, non dissero. Eccè pascha est, da nomen ad baptismum. Si non te excitat*
Iohan. 6. *festiuitas, ducat ipsa curiositas, ut scias quid dictum sit, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Vt scias*
Luc. 11. *quid dictum sit: pulsa, & aperietur tibi.*

En tibi aliam prorsus luculentam illius Quodammodò, explanationem: nimirùm in V. Sacraméto Christi corpus velatum haberi: id quod olim explicare non solebant, nisi illis duntaxat, qui fidẽ suã publicè professi, baptismi gratiam essent cósecuti: illis, inquam, solis expresse tradebatur, in V. Sacramento, quemadmodùm Christi verba testant, verũ eius corpus substãtialiter adesse, & fidelibus porrigi, vt non modò secundùm spiritũ, sed etiã corporaliter Christo cócor-

poren-

porentur, & ſint caro de carne eius, & oſſa de oſſibus eius, in corporis & aīę ſuſtentationē & conſeruationem, vtì iam antè in x x v. Scripturæ teſtimonio, & patrum pręcedentium authoritatibus identidèm dictum eſt, maximè Iuſtini philoſophi & martyris, qui diſertis affirmat verbis, ſuis (i. Apoſtolorum ætati vicinis) tēporibus *cibo hoc, qui Euchariſtia nominatur, nemini participare licuiſſe, niſi ei, qui & uera eſſe crederet quæ à præpoſitis ea de re dicta percepiſſet: putà, quòd quemadmodùm per* Dei *uerbum homo factus Ieſus Chriſtus, carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit: ſic etiam cibum, qui per preces ſermonis, quem ab eo accepimus, conſecratus eſt, Ieſu Chriſti eius qui homo factus eſt, & carnem & ſanguinem eſſe* &c. Vide ſuprà fol. 86. Ephe. 5.

Quòd verò Auguſtinus hoc ſermone 46. veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia tam luculenter & perſpicuè aſſerat, quàm à quoquam poſſit fieri, nullus ſanè cordatus & intelligens negare poterit. Si enim non alio quàm figurę loco eam habuiſſet, cur ille diceret catechumenis eſſe velatam, & ſcire eos non poſſe, niſi priùs ad baptiſmum accederent? Immò verò eadem concione baptizatos, præſertim laicos, diligenter & ſedulò adhortans, vt cū bona conſcientia accedant, iſta ſubiungit: *Qui coniugati eſtis, nè in iudicium tales epulas māducetis & bibatis, fidem tori ſeruate coniugibus ueſtris. Qui autem uxores nondùm habetis, & tamen ad menſam dominicam iam acceditis, & carnem Chriſti manducatis, & ſanguinem bibitis, ſi ducturi eſtis uxores, ſeruate uos uxoribus ueſtris.* Et rurſum: *Cogitantes ergò gradus ueſtros, ſeruantes & profeſſionem ueſtram,* (ſcilicet, in baptiſmo factam) *accedite ad carnem Domini, accedite ad ſanguinem Domini.* Qui *ſe ſcit alitèr eſſe, non accedat* &c. qua ille ratione potuiſſet efficere teſtatius, in Euchariſtia verum Chriſti corpus ſubſtantialiter haberi?

Ex menſa dominica, Chriſti carnem & ſanguinē accipimus.

Deniquè vt nullus relinquatur ambigendi locus, certoq; conſtet, dictionē hanc *Quodammodò*, vel *Quodam modo*, veritati corporis Chriſti in Euchariſtia prorſus nihil detrahere, vtpotè quam vir ſanctus paſsìm apertiſſimè docet & adſtruit, idq; illis etiam locis, vbì his aut eius generis alijs dictionibus ea, qua diximus, mente & ſententia vtitur, iam ſextum agè locum videamus, qui eſt in Sermone ad infantes Locus VI. 3

ad Altare, citatum à Beda in Collectaneis in cap. 10. epistolæ prioris ad Corinthios: vbi vir sanctus hûc in modũ loquitur ad neophytos: *Hoc quod uidetis in altari Dei, etiã transacta nocte uidistis, (scilicet anteq̃ baptismum essetis adepti). Sed quid esset, quid sibi uelit, q̃ magnæ rei sacramentũ contineret, nondùm audistis. Quod ergò uidistis, panis est & calix, quod uobis etiã oculi uestri renũciant. Quod aũt fides uestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. Dominus noster Iesus Christus nouimus undè acceperit carnem, de uirgine Maria. Infans lactatus est, nutritus est, creuit, ad iuuenilem ætatẽ peruenit, à Iudæis persecutiõem passus est, in ligno suspensus est, in ligno interfectus est, sepultus est, tertio die resurrexit, quo die uoluit in cælum ascendit: illuc leuauit corpus suum, undè est uenturus, ut iudicet uiuos & mortuos. Ibi est modò sedens ad dexteram patris. Quomodò est panis corpus eius? & calix, uel quod habet calix, quomodò est sanguis eius? Ista fratres ideò dicuntur sacramenta, quia in eis aliud uidetur, aliud intelligitur. Quod uidetur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritalem.*

Oculi carnis nostræ vidẽt species externas, sed credimus verum Christi corpus illis contineri.

Puto equidem hîc Augustinũ suum *Quodammodò*, vel *Quodam modo*, probè expressisse. Foris ait nos videre panem & vinum, i. panis ac vini species, quod etiam oculi renunciant, nec habere nos Chri corpus & sanguinẽ visibiliter: sed quod fides postulat instruẽda (videlicet Domini verbis, dicentis, HOC EST CORPVS MEVM, vt Iustinus & alij omnes asseuerant) panem corpus, & calicem esse sanguinem Christi, id est, sub externis speciebus res illas diuinas re vera ac substãtialiter adesse, idemq; adeò corpus quod in cęlum ascendit, & ad patris sedet dexteram. Non enim illi impossibile est simul & hic & illic esse, vt iam antè sæpiùs dictum est, maximè in Basilij & Chrysostomi testimonijs, & infrà quoquè latiùs dicetur. Itaq; dicit: *In hoc sacramẽto aliud uidetur, & id speciem habet corporalẽ, nempe panis & uini: estq; figura tantùm & symbolũ: & aliud intelligitur, idq; fructum habet spiritalem:* quorum hęc sententia est, tametsi sensus nostri externas V. sacraméti species videant, nõ posse tamen illos definire & statuere, ecquid sub illis occultè præsens adsit, vel quid illic geratur: quandoquidẽ Christi in V. Sacramento pręsentia non sensibus corporeis, sed intellectu fide

Quid videamus.
Quid credamus.

Quod videtur, speciem habet corporalem.

fide illuminato percipienda sit, vt idem Augustinus suprà, prȩsertim in Psalmum 98. apertissimè testatur: & hoc quoquè loco dicit, quod intelligitur, id fructum habere spiritalem: id est, aliquid in se habere reconditum, quod ingentem nobis fructum conferat: quod in superioribus abundè demonstratum est.

Quod intelligitur, fructũ habet spiritalem.

Hæc sanè si probè capiantur, & ad vtranq; Sacramenti partem, videlicet Sacramentum externum & rem Sacraméti studiosè respiciatur, eademq; ipsa, & quæ tum Augustinus, tum reliqui patres iam de hoc, iam de illo velint accipi, rectè atq; ità vt par est, discernantur: facilè sinè vlla offensione quicquid de hoc excellentissimo passim scripsére sacramento, poterit intelligi.

Ad vtraq; Sacraméti partem diligẽter animus aduertẽdus est, patres rectè intelligere volenti.

Neq; quenquam tum perplexũ reddet, ꝙ beatissimus Augustinus, idq; vno duntaxat loco, scilicet in Psal. 3. Dominum scribit corporis & sanguinis sui figurã discipulis cõmendasse. Itemq; alio loco nõ nisi semèl, putà contra Adimantũ Manichæum, cap. 12. Dominum ait nõ dubitâsse dicere, HOC EST CORPVS MEVM, cùm signum daret corporis sui. quibus duobus locis Aduersarij mirum in modum gloriantur, seseq; efferũt, sed frustrà, quod nos ex ipso Augustino, optimo nimirùm suijpsius interprete, alibì hæc sua verba clarissimè exponente, planum testatumq; faciemus.

Obiectio patis aduersæ.

Atq; ea causa locos illos, adhibito eorũ genuino sensu atq; sentẽtia, introducam, quò Aduersariorum calũnia tanto sit perspectior. Verũ quidem est, Augustinum in Psal. 3. scribere in hæc verba: *Ipsa Domini nostri tanta & tam miranda patiẽtia, quòd Iudã tam diù pertulit tanq̃ bonũ, cùm eius cogitationes nõ ignoraret, cùm adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis cõmendauit.* Sed quȩso te lector, nè his sancti viri verbis cõmentitium quendã intellectũ & falsam significationẽ affingas, id quod Aduersarij nõ dubitãt facere: sed ꝓbè ea capias. Primò quidẽ rectè ea conuenienterq; accipi dubiũ non est de externis panis viniq; speciebus, quȩ, vt supradictũ est, figura sunt corporis & sanguinis dñi, q̃ sub illis continentur. Eiusmodi eñi figurã, i. hasce externas panis & vini species Dñs suis cõmendauit discipulis, sub q̃bus, facta cõsecratione, corpꝰ suũ fidelibꝰ porrigerẽt. Hãc verò interpretationẽ apud ipsum Augustinũ habes Tract. 26. in Iohãnẽ,

Dilutio.

Vt intelligẽdum sit, Chrĩstum suis discipulis figuram corporis & sanguinis sui cõmendasse.

super

super illud, *Caro mea verè est cibus* &c. vbi hæc eius verba leguntur: *Sicut ante nos hoc intellexerunt homines Dei. Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Nanq; aliud in unum ex multis granis conficitur & constat, aliud in unum ex multis acinis confluit,* &c.

Res illæ, in quibus Dominus corpus & sanguinem Apostolis cómédauit, eorum figura sunt.

Hìc iam habes, cur Dominus panis ac vini species, quę corporis eius figura quædam sunt, nobis commendârit, nimirùm propter illudipsum corpus suum, sub illis contentum. Quod quidem à D. Irenæo, vt antè dictum est, significantiùs exprimitur lib. 4. cap. 32. his verbis: *Christus suis discipulis consilium dedit, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigēti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, cùm qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens:* Hoc est corpus *meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quā Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuerso mūdo offert* Deo &c. Vide suprà fol. 90. Neq; id mirum tibi videatur, ob species externas V. Sacramentum ab Augustino figuram dici, cùm ille alibì, vt habetur de Consecratione distinct. 2. cap. Vtrùm, his vtatur verbis: *Corpus Christi, & ueritas, & figura est. Veritas, dum corpus Christi & sanguis in uirtute Spiritussancti, ex panis & uini substantia efficitur: Figura uerò est, quod exteriùs sentitur:* Quæ quidem vnà cum Papæ Hilarij sententia, iam antè in Tertulliani testimonijs protulimus fol. 90. Et vt ad pauca redeam, Diuinum sacramentum figura est, sed non sola. Proindè Augustinus loco memorato in psalmum 3. de Sacramento eum in modum locutus est, quô possit etiam non incongruè dici, figuram Spiritussancti in columbę specie descendisse de cęlo, & venisse super Christum: itemq;, figuram Spiritussancti tanquàm dispertitas linguas igneas venisse in Apostolos. Vt enim eiusmodi locutionis genere vera sanctispiritûs præsentia non excluditur, ità etiam his Augustini verbis nihil veritati corporis Christi detrahitur.

Corpus Christi in V. Sacramento, vt veritas & figura est.

Matt 4.

Acto. 2.

Deindè in confesso est, Figurę vocabulum non semper pro visibili rerum absentium symbolo accipi, sed interdùm etiam pro eo, quod eiusdem substantiæ sit cum illo, cuius est figura: quemadmodùm Hebræo. 1.

Figuræ vocabulum, duo significat.

bręo.1.de Dei filio ſcriptum eſt, *Qui cùm ſit ſplẽdor gloriæ, & figura ſubſtantię eius*, ſcilicet, patris: atq; etiam pro illis omnibus, quæ nobis in memoriam reducunt quandoquè geſta & prętérita: qua ratione poteſt quippiam etiam ſuijpſius eſſe figura. Atq; iuxta hanc Figurę ſignificationem, docent Patres verum Chriſti corpus in V. Sacramẽto ſubſtantialiter pręſens, etiam ſuijpſius figuram & ſignum eſſe, vtpotè per quod nobis in memoriam redigitur, illud eius corpus ſemel pro nobis neci datum eſſe: ſicut Dominus ipſe teſtatur, nos corpus eius in V. Sacramento edere in ipſius memoriam, & mortem eius annunciare, donec veniat. Neq; vllã poſſimus acerbiſſimę perpeſſionis eius certiorẽ expreſſioremq; habere figurã & ſymbolũ, atquè vbi ipſummet in V. Sacramẽto illis ſub ſpeciebus, quę eius crucifixiõem & ſanguinis fuſionẽ ſignificent, pręſentẽ adeſſe nouimus: tum etiã, ꝙ in V. Sacramento pignus ſit ſuijpſius, quo nos firmamur ſecuriq́ue efficimur, ſi quidẽ dignè hìc illũ ſumamus, et ã in futura gloria ſempiterna, illo nos facie ad faciem feliciſſimè perfruituros.

Chriſti verũ corpus in V. Sacramento ſuijpſius figura & ſignum eſt.

Chriſtus in V. Sacramẽto pignus eſt ſuijpſius.

Et nè cui fortè in mentẽ veniat, me hunc Auguſtini verbis ſenſum affingere, ipſum audi in ſententijs Proſperi hac ratione loquentem: *Caro eius eſt, inquit, quam forma panis opertam in Sacramẽto accipimus: & ſanguis eius, quem ſub uini ſpecie & ſapore potamus. Caro uidelicet carnis, & ſanguis ſacramentum eſt ſanguinis. Carne & ſanguine utroque inuiſibili, ſpiritali, intelligibili, ſignatur uiſibile Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus & palpabile, plenum gratia omnium uirtutũ & diuina maieſtate.* Et quid viri ſanctiſſimi verbis opùs eſt? An nõ infans Dominus Ieſus in præſepio poſitus, ſuijpſius ſignũ fuit, dicẽte angelo ad paſtores: Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pãnis inuolutũ, & poſitum in pręſepio? itẽq; Simeone de illo vaticinante, ꝙ poſitus eſſet in ſignũ, cui contradicturi eſſent? Luc.2. An non corpus Dominicũ poſtquàm reſurrexit, ſeruatis in manibus & pedibus plagarũ veſtigijs & cicatricibus, cùm Apoſtolis, maximè Thomæ appareret, certiſſimũ ſuijpſius ſignũ ac documentũ fuit, ſe eundem planè eſſe Ieſum, qui crucifixus, mortuus, ſepultus eſſet, & à mortuis reſurrexiſſet? Quamobrem etiam illos non mediocriter perterritos, exiſtimãteſq; ſe ſpiritũ videre, his erexit ſermonibus: Quid turbati eſtis, & cogitatiões aſcẽdunt in

Inuiſibile corpus Chriſti in V. Sacramẽto, ſignum eſt eiuſdem corporis viſibilis.

Chriſtus ſuijpſius ſignũ fuit.

Chriſti corpus poſt reſurrectiõem, ſuijpſius certum ſignum fuit.

Luc.24.

corda vestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Palpatē & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostēdit eis manus & pedes. Viden' hîc Christi corpus à resurrectiōe suijpsius figuram & symbolum fuisse, q idē illud esset, quod actum in crucem, & neci datum fuerat? cuius rei testem habes etiā Augustinum Sermone 159. & 160. de Tempore. quāto igitur ille magìs, salua reali, vt sic dicam, & vera corporis Christi in V. Sacramento pręsentia, irrefragabiliter scribere potuit, Dominum suis discipulis corporis & sanguinis sui figuram commēdâsse, quādò illis sanctissimum sacramentū ex panis ac vini creaturis consecrandū vel conficiendum, offerendum, dispensandum commendauit, idq; in passionis suæ memoriam?

Corpus Christi in V. sacramento ratiōe spiritalis & incruētæ oblatiōis, in Ecclesia vsitatæ, figura est trāsactæ passiōis eius.

Indè adeò fit, vt frequēs sit apud Patres sentētia, corpus Chri in V. Sacramento, ratione sacrificij, quod facit celebratq; Ecclesia, quodq; nos semèl in cruce litati illius cruenti sacrificij commonefacit, non immeritò figurā nūcupari: non quidem figuram veræ substātiæ eius, sed passionis in cruce peractæ: vt iam antè didicimus ex testimonijs Tertulliani, fol. 103. itemq; Basilij & Ephræm, fol. 143. & sequētibus. Chrysostomi quoquè, fol. 168. Equidē iā perspexisse te puto, Lector, Aduersarijs locum illum Augustini in Psal. 3, nihil penitùs suffragari.

Locus Augustini contra Adimantū vt accipiendus.

Cuius rei q̄ à nobis causę allatę sunt, eędē omninò id efficiunt, vt alterū illum Augustini ex libro aduersùs Adimantū Manichęū citatū locū, nulla ratiōe in suas partes detorquere possint. Verba sancti viri huiusmodi sunt: *Non enim Dñs dubitauit dicere*, HOC EST CORPVS MEVM, cùm signū daret corporis sui. Vt enī iam antè ex Augustino plùs satìs docuimus, Sacramenta ob species externas, sancta quædam signa sunt: alioquì sacramenta nō essent: at nihilo minùs ob pręsentiā earum rerū salutiferarum, quarū sunt signa, & quarū quandā habent similitudinem, non solùm sacramēta dicuntur, sed plerunquè etiam ipsarum rerū accipiunt nomina, videlicet, corporis & sanguinis Dñi.

Manichæorū insania vetus reiecit Testamentum.

Verùm enīuerò vt locus ille rectiùs possit percipi, & Aduersariorū impudentia oīibus testatior sit, nôsse operępreciū fuerit, Manichæos, cum quibus eo loco Augustinus confligit, vt execrabiles suos tuerētur errores, vetus Testamentū reiecisse: atq; vt illud in contēptum adducerēt, quędā indè fragmēta pferebāt, eaq; ceu absurda & absona car-

ma carpere & oppugnare non dubitabant: interim verò de iudustria & malitiosè præcedentia & consequentia omittebant verba, ex qbus genuina eiusmodi fragmentorum scripturæ diuinæ mens & sentẽtia percipi potuisset: id quod in hæreticorũ omniũ more positũ est. Porrò inter alia, quibus in vetus incurrebant Testamentũ, ea proferebãt verba, quibus Dñs vetat esum sanguinis, ità dicens: Caue nè sanguinẽ comedas: sanguis em̃ pro anima est, & idcircò nõ debes animã comedere cũ carnibus. En hîc, aiebant illi, vetus habet Testamentum, animã esse mortalẽ, cùm tamen Christus in suo præcipiat Euãgelio, nè timeamus eos qui corpus possunt occídere, animam autẽ non possunt. Hæreticorũ mos. Deut. 12. Matt. 10.

Adeò illi crassè & insulsè scripta diuina tractabant, aiebantq; hoc Deuteronomij loco doceri, animã secundùm substantiã nihil esse aliud, quàm sanguinẽ illum qui sub adspectũ cadit, siquidẽ hîc scriptũ sit, sanguinem esse pro anima. Sed hãc calumniam Augustinus primò irridens & nihilipendens, ait *scripturam non de hominis, sed pecoris anima loqui: nihil autẽ ad nos pertinere, quid agatur de pecoris anima.* Deindè addit: *Possum etiã interpretari, præceptũ illud in signo esse positum.* Vt per hoc quod sanguis dicitur esse anima, intelligamus nihil dici aliud, quàm animam sanguine teneri in corpore: vtì hoc ille apertiùs explicat Quæstione 57. in Leuiticum, vbì inter cætera sic habet: *Quærendæ etiã locutiões, per id quod cõtinet, id quod cõtinetur, ut quoniã anima sanguine tenetur in corpore, (nam si fuerit fusus, abscedit) per ipsum aptiùs significata sit anima, & eius nomẽ sanguis acceperit.* Indè iã Augustinus contra Adimantum Domini seruatoris verba tanquàm à simili producit, quibus ille vsus est, cùm Apostolis Sacramentum corporis sui porrigeret, dicens: HOC EST CORPVS MEVM: cùm tamen idem Sacramentũ secundùm externã speciẽ, q̃ sola oculis cernebatur, non ipsum verũ Dñi corpus, sed illius quod sub ipso cõtinebatur, sanctum quoddam signum esset: sicut sanguis in corpore signũ est animę siue vitæ, iuxta modum suum.

Atquì nihilo minùs certũ est, hęc ab Augustino hoc loco cõtra Adimantũ hęreticũ nõ δογματικῶς, sed ἀγωνιστικῶς, i. nõ fidei dogma p̃scribẽdi vel docẽdi, sed disputãdi more adferri, ceu cõtra eũ, qui scripta diuina secũdùm externa illa, q̃ sensibus tãtùm corporeis appręhẽduntur,

vellet accipere & interpretari:minimè verò eo animo,quòd ea comparatione genuinam verborum Christi, HOC EST CORPVS MEVM, sententiam & mentē, vti ea à fidelibus accipi debeāt & intelligi, voluerit explicare:quandoquidē locis alijs fideles siue credentes rotundis disertisq; instituit verbis, propriè & secundùm literam, non autem metaphoricè verba hęc Seruatoris accipi debere:id quod satis superq; ex superioribus eius testimonijs cōstare potest,illo p̄sertim, quod ex commentarijs in Psal.33.produximus,quo perspicuè docet, *Christum non metaphoricè, sed secundùm literam seipsum tulisse in manibus suis, quandò commendans ipsum corpus suū,ait:* HOC EST CORPVS MEVM:quod profectò nemo alius facere potuisset,putà vt seipsum proprijs gestaret in manibus.quid verò intersit inter ea Patrū verba,quibus disputandi,& ea quibus docendi ratione vtūtur,suprà in Tertulliani testimonijs diximus,fol.106.

Aduersariorū cauillum.

Et nè quid omninò,quo perfidi & fallaciosi Aduersarij simplicibus ac imperitis possint imponere,intactum relinquamus,aliam illi calumniam adhibent ex tertio Augustini libro de Doctrina Christiana, præsertim ex eius cap.16.vndè hæc verba recitant: *Si præceptiua, ait, locutio est,aut flagitium aut facinus uetans, aut utilitatem aut beneficentiam iubens,non est figurata.Si autem flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatem aut beneficentiā uetare, figurata est:Nisi mãducaueritis, inquit,carnē filij hominis,& sanguinē eius biberitis,non habebitis uitā in uitam:facinus uel flagitiū iubere uidetur.Figurata est ergò,præcipiens passiōi Dominicæ esse cōmunicandum,& suauiter atq; utiliter recondendū in memoria,quòd pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata sit.*

Cauilli dilutio.

Verba Domini Iohan. 6 vt ea Capernaitæ accepere, figurata funt: vt nos ea accipimus, figurata nō sunt.

Verùm hîc ego nō mediocriter admirari soleo,nos ab Aduersarijs vsq; eò amentes,immò oculis captos existimari, vt cernere nequeamus,non id Augustinum asserere,hanc Domini Iesu locutioné, HOC EST CORPVS MEVM,esse figuratam:quēadmodùm nec in Psal.3, nec contra Adimantum id affirmat:sed id solùm dicere, eam Domini locutionem,quę est apud Iohannem 6.cap.de edenda carne eius carnali ratione acceptam,id est, vt eam Capernaitæ censebant intelligi oportere, perindè quasi caro eius vt aliæ communes carnes in macello mactatæ, edenda foret, esse figuratam. Hoc enim

pacto

pacto longè immanissimum, quod quidem ab vllo designari possit, flagitium nos Dominus facere iussisset: quòd tamen multò alitèr se habet. Necesse est igitur, alium vt cogitemus Dominicam carnem edendi modum, videlicet, nos eam non carnali & cruenta ratione sectam & particulatìm cęsam, sed spiritali & incruenta ratione, at tamē substantialiter, non quidem in frusta distractam, sed integram & viuam in Sacramenti mysterio edere debere: qui modus vt Capernaitis planè incognitus fuit, ità nobis Christianis ex ipso Domino in cœna sacrosancta innotuit: qua ratione nos comedendo Christi corpore non solùm nullū admittimus maleficium, sed opus cumprimìs diuinum Deoq; gratissimum, ex ipsius Domini pręscripto & voluntate facimus, quo nullum possimus diuinius exequi. Ea igitur Domini oratio, *Nisi manducaueritis carnem* &c. carnalibus illis Capernaitis non immeritò figurata fuit: nobis verò in Christum credentibus, de vero spiritaliq; esu probè institutis, non figurata, sed propria est: id quod etiam ipse Augustinus his indicat verbis, *Præcipiens passioni Dominicæ esse communicandum:* quibus id ille significat, quemadmodùm efficaciæ & meritorum mortis Christi per baptismi sacramentū participes reddimur, ità etiam per sacrosanctam Eucharistiam participes nos effici totius salutiferę perpessionis, & omnium meritorum Christi: siquidem suam ille nobis carnem, in qua passiōem illam pertulit, eiusmodi coniunctissima suî ad nos applicatione & communicatiōe ex gratia ineffabili impertitur, quod Gregorius Nazianzenus alicubì eleganter exprimit, dicēs nos per incruentam illam hostiam & passionum & diuinitatis Christi participes effici: quandoquidem ea passionum eius communicatio, omnes nostrorum operum defectus supplet. Eucharistiæ sumptione participes efficimur passi-o-torū Christi.

Quòd verò indubitata hæc sit Augustini mens, memoratā Christi Iohan. 6. orationem siue locutionem illo duntaxat carnali modo, quo Capernaitæ eam accipiebant, figuratam esse: non autem vt nos sacratissimum eius corpus prorsus indistractum & integrum ratione incruenta & spiritali, sed tamen verè & substantialiter edere nouimus, ex ipsius adeò proprio sermone discas licebit de verbis Euangelij, quem Beda refert in Collectaneis in cap. 10. Epistolę prioris ad Corinthios, in illud, Calix benedictionis cui &c. vbì sic habet:

Christus seipsum nobis cibum præparauit.

Qualem uocem Domini audistis inuitantis nos? Quis inuitauit? Quos inuitauit? & quid præparauit? Inuitauit Dominus seruos, & præparauit eis cibum seipsum. Quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen ait: Qui manducat me, uiuit propter me. Quandò Christus manducatur, uita mãducatur. Nec occiditur ut manducetur, sed mortuos uiuificat. Quandò mãducatur reficit, sed non deficit. Non ergò timeamus fratres manducare istum panem, nè fortè finiamus illum, & posteà quod manducemus non inueniamus. Manducatur Christus. Viuit mãducatus, quia resurrexit occisus. Nec quandò manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in Sacramẽto sic fit, & nôrunt fideles, quemadmodùm manducent carnem Christi. Vnusquisq; accipit partem suam. Vndè & ipsa gratia (Eucharistia) partes uocãtur. Per partes manducatur, & manet integer totus in seipso. Per partes manducatur in Sacramento, & manet integer totus in cælo, manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud Patrem, quandò uenit in uirginem: impleuit illam, nec recessit ab illo. Veniebat in carnem, ut eum homines manducarent: & manebat integer apud Patrem, ut angelos pasceret. &c.

Nôrunt fideles, vt mãducent carnem Christi: itaq; sermo Christi non est eis figuratus.

Hostiæ cõsecratæ vocantur partes.

En hîc audis nôsse fideles, quemadmodùm Christi carnem mãducent, non quidem, quæ erat Capernaitarum persuasio, mactatam & particulatìm scissam, sed viuam & integram, vt ab illo pasti & refecti, qui seipsum præparat cibum, ab eo vitam accipiant sempiternam. Ità iã cernis amice lector, quàm bellè nostris Aduersarijs sua illa ex Augustino allata figura patrocinetur.

Atq; tametsi omnibus hactenùs prolatis eius viri testimonijs, maximeq; primo illo in Psal. 33. loco (vbì, sicut diximus, in Christo secũdùm literã impletũ asserit, quod de Dauide scriptura cômemorat, *Ferebatur, inquiens, manibus suis, tum uidelicet, quandò commẽdans ipsum corpus suum,* ait: *Hoc est corpus meum,* plùs satis demonstratum est, eũ illa ipsa Seruatoris verba nô metaphoricè, sed propriè & accepisse, & accipienda docuisse: at tamen vt omnes magìs magisq; compertũ & exploratum habeant, Aduersarios nostros, vbì in suas eum partes detorquere nituntur, summam illi vim & iniuriam inferre, equidem ea illius pergam adferre testimonia, quæ idem doceant euidentiùs.

Alia Augustini testimonia, eũ Christi verba propriè, non metaphoricè, accepisse.

Libro igitur Sermonum de verbis Domini, quem etiam acer ille censor Erasmus, in certis Augustini operibus numerandum putat, is

qui ordine est vicesimusoctauus sermo, penè ad verbum ex sexto capite libri 5. de Sacramentis, quorum Ambrosius eius præceptor, à quo ille catholicam est edoctus fidem, author est, descriptus deprehenditur. Quæ enim illic habet in eam Dominicæ precationis particulam, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* cum Ambrosio mirè consentiunt. *Memini*, inquit, *sermonis mei. Cùm de Sacramentis tractarem, dixi uobis, quòd ante uerba Christi quod offertur, panis dicatur: ubi Christi uerba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Quarè ergò in oratione Dominica, quæ posteà sequitur, ait Panem nostrum? Panem quidem dixit, sed* ἐπιούσιον *dixit, hoc est, supersubstantialem. Non iste panis qui uadit in corpus, sed ille panis uitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Hactenùs Augustinus: qui quidem vt illa Domini verba, HOC EST CORPVS MEVM, ipsi fuerint intellecta, luculentiùs exprimere vix potuisset: qnandoquidem affirmare non dubitat vbì verba consecrationis deprompta fuerint, non panem esse, qui in ventrem eat, sed panem illum supersubstantialē vitę æternæ, id est, corpus Christi, qui animæ nostræ substantiam fulciat.

Ante consecrati͂ois verba panis est, post ea corpus.

Et nè q̄d hic locus dubitatiõis tuo in aĩo relinquat, hãc eãdẽ eiusdẽ sententiã Lector ex libro sentẽtiarũ Prosperi accipias velim, vbì hæc eius verba recitãtur. *Nos aũt in specie panis & uini, quam uidemus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus: nec similiter præhendimus has duas species, quemadmodùm ante consecratione præhendebamus: cùm fideliter fateamur, ante consecrationem panem esse & uinum, quod natura formauit: post consecratiõem uerò, esse carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit.*

De Consec. Distinc. 2. C. Nos autem. Sub speciebus panis & vini, Christi carnẽ & sanguinem honoramus.

Nimirùm luculenta sunt hæc; ex quibus id etiã discere licet haud obscurè, quid patres consecrationis vocabulo velint intelligi, vbì de celsissimi Sacramenti huius consecratione agunt: non aliud sanè, quàm conficiendi vocula, quæ quid sibi velit, suprà in præfatione, quam Patrum testimonijs præfiximus, explicatum est.

Consecrare, quid sit patribus.

Fol. 68.

Aduersarij verò, vt Christum è V. Sacramento nobis suffurentur & eripiant, magnoperè in eam incumbunt curam, vt consecrationis vocabulum admodùm eleuẽt, perindè àc si Patribus nihil significet aliud, q̄ olim vel Ciceroni, vel ethnicis Iurecõsultis significãrit, nẽpè, rei

Aduersarij consecrati͂ois vocabulũ idẽ apud Patres significare volunt, quod apud ethnicos, vt illud eleuent.

rei alicuius ex vſu prophano ad ſacrum tranſlationem. Sed nè quęſo fucum hîc tibi fieri patiaris lector. Vt enim tute hîc cernis, Cõſecrare, patribus non ſolùm ſignificat panem & vinum è prophano transferre vſu, vti ea in Aduerſariorum cœnis (nè dicam compotationibus) carnem & ſanguinem CHRISTI ſignificent: ſed eiuſmodi creaturas à prophano vſu ſeparatas, virtute verborum Chriſti, in eius verum corpus & ſanguinem conuertere: cùm nos Chriſtiani (vt Auguſtinum paulò antè dicentem audiſti, *fideliter fateamur ante cõſecrationem panem eſſe & uinum, quod natura formauit: poſt conſecrationem uerò eſſe carnem & ſanguinem Chriſti, quod benedictio conſecrauit.* Hinc igitur colligas velim, vt Auguſtino ea Chriſti verba, HOC EST CORPVS MEVM, fuerint intellecta.

Deſcriptiões duæ V. Sacramenti, Auguſtino authore

Quem eius intellectum & interpretationem vt poſſis etiam fuſiùs perdiſcere, noueris duobus locis eum hoc præſtantiſſimũ Sacramentum ſtudio haud vulgari deſcripſiſſe: è quibus prior eſt lib. 3. de Trinitate, cap. 4. poſterior lib. 20. contra Fauſtum Manichæum, cap. 23.

Libro 3. de Trinitate, cap. 4. ſic habet: *Apoſtolus Paulus potuit ſignificando prædicare Dominum Ieſum* CHRISTVM, *alitèr per linguam ſuam, alitèr per Epiſtolam, alitèr per Sacramentum corporis & ſanguinis eius: Nec linguam quippè eius, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos lingua editos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, corpus Chriſti & ſanguinem dicimus: ſed illud tantùm. quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritalem, in memoriam pro nobis Dominicæ paſſionis. Quod cùm per manus hominum ad illam uiſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur ut ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu Dei.*

Manus hominum faciunt externas Sacramẽti ſpecies, ſed Spiritus ſanctus inuiſibili operatione ſua efficit inde corpus Chriſti.

Hæc quidem ſancti viri deſcriptio non oſcitanter penſitanda eſt, vtpotè quæ ad intelligenda ea Domini verba, HOC EST CORPVS MEVM, non parùm faciat. Duo quædam hîc referuntur: Primum eſt, tametſi id quod ex terræ fructibus acceptum eſt, per manus hominum ad viſibilem ſpeciem perducitur, non poſſe tamen illud tam magnum fieri ſacramentum, niſi prece myſtica (putà, ſacroſancti Canonis) ſit conſecratum, idque operante inuiſibiliter Spiritu DEI. Itaq; hoc loco Auguſtinus ſoli id tribuit ſpirituiſancto, quòd ſua inuiſibili

Spiritusſancti operatiõe fit conſecratio.

Canon S. Miſſæ.

uisibili operatione propositas creaturas tam magnum efficiat sacramentum: quam Sancti spiritûs efficacissimam in ijs creaturis operationem non potes secùs accipere, quàm vbi ante consecrationem nō nisi panis & vinū fuit, hominum manibus præparata, illic iam facta consecratione verum Christi corpus & sanguinem coràm adesse, nō quidem humana, sed Sanctispiritûs virtute & operatione effecta. Quod quid est aliud dicere, quàm quod ante illum ea de re scripsit eius præceptor Ambrosius lib. de ijs, qui initiantur mysterijs? *Quòd si tantùm*, inquit, *ualuit humana benedictio, ut naturam conuerteret, quid dicemus de ipsa consecratione diuina, ubi uerba ipsa Domini Saluatoris operantur?* Itemq; *lib.4.de Sacramentis, cap. 5. Vbi uerba Christi*, ait, *operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.* Cap.9.

Neq; vllam apud me dubitationem habet, quin beatus Fulgentius hæc D. Augustini magistri sui verba sibi proposita habuerit, cùm ad Monimum scriberet lib.2. *Spiritumsanctum Ecclesiæ sacrificium, quod omni Trinitati offertur, consecrare & sanctificare.* Quo loco etiam idem Fulgentius *Consecrare* non alia significatione dixisse putandus est, quàm creaturas in Christi corpus & sanguinem conuertere. Spiritussanctus consecrat V. Sacramentum.

Iam secundò, vtì de Augustini huius loci sententia minùs hęsites, audis eum dicentem, V. Sacramentum vbì prece mystica consecratū sit, nos ritè sumere ad salutem. Quòd si ille sensit, vt perspicuum est eū sensisse, V. Sacramētum diuina virtute sua nostram efficere salutem, quis non videat plus hîc esse quàm figuram, ipsum videlicet verum Christi corpus cum eius diuinitate coniunctum, cui soli salutis nostræ operatio accepta referenda est, figuræ nequaquàm? Psal.3.

Quanuìs autem memorata V. Sacramenti descriptio, quæ apud Augustinum lib.3. de Trinitate habetur, tam sit illustris, vt nulla ei quibusuis calumnijs possit offundi caligo, at tamen miser Oecolampadius in ea fuit sententia, vt se crederet eiusdem libri cap.10. virum sanctum in suas partes detorquere posse: quod tamen, vbì locus ille exactè inspicitur, fallaciosè fecisse depræhenditur. Cauillum eius, & quæ ab illo adferuntur, agè excutiamus. Vir sanctus eo loco cómemorat, vtì Deus in veteri Testamēto sæpenumerò hominibus se demonstràrit, aliquandò in angelo, aliquandò in electis viris Dei: mul- Obiectio Oecolāpadij.

HH tosq;

tosq; recésset modos, quibus Deus modò in angelis, modò in electis suis sese demóstrârit, apparuerit, & significârit. Atq; inter alias significationes eiusmodi, per eius electos factas, duo quædam earundem genera refert his verbis: *Aliquandò ad hoc fit eadem species, (scilicet, Christum significans) uel aliquantulùm mansura, sicut potuit serpens ille æneus exaltatus in eremo: uel peracto ministerio transitura, sicut panis ad hoc factus, in accipiendo sacramento consumitur.* Quib' addit hæc: *Itaq; illa quæ p angelos fiūt, quo difficiliora & ignotiora, eo mirabiliora sunt nobis: ut quod Mosi angelus apparuerit in rubo, & id genus pleraq; alia. Quæ autem per homines* Dei *fiunt, quia hæc hominibus nota sunt, quòd per homines fiant, honorem tanquàm religiosa possunt habere, stuporem tanq̃ nota non possunt.* Ex his Augustini verbis miser ille Oecolampadius hoc texit cauillum:

Audis hic, inquit, Augustinum duo quædã commemorare. Primo, panem ad hoc factum, in accipiendo sacramẽto consumi. Sacramẽtum igitur & est & permanet panis. Deinde, hæc tãquam ab hominibus in ijs speciebus, quæ notæ sunt, facta, stuporem habere nõ posse & admirationem. Inde vero colligi licet, nullam fieri panis in corpus Christi mutationem, quando ea absque ingenti & incomprehẽsibili miraculo fieri non posset.

Dilutio. Verùm hic Oecolampadius totus à scopo aberrat, & ante victoriã triumphum agit. Quòd enim ad priorem cauilli eius partem attinet, qua vult panem in accipiendo sacramento cósumi, etiamsi ponamus, aut illi demus Augustinum hic nõ de propositionis panibus, qui veteris Instrumenti quoddam fuêre sacramentum, agere, quod tamen quibusdam placet Theologis: sed de illo pane, qui ad altaris sacramẽtum assumitur: at nihilo minùs ex illius eius loci verbis hoc fit testatissimum, cum illic non nisi de externis panis speciebus, quæ hominum fiant manibus, habere sermonem: quas nimirùm dubiũ non est, percepto V. Sacramento, quòd tum suum peregerint ministerium, consumi: neutiq̃ verò de ipso Christi corpore, sub illis substantialiter contento: quod sanè non hominum fit manibus, sed operante inuisibiliter spiritu Dei ex creaturis efficitur. Eúdem in modum, quòd ad alteram cauilli partem attinet, nempè, per homines factas significationes non esse admiratione dignas, ex ipsius Augustini, quibus

Marc. 2. Lucæ 6.

ibidem

ibidèm vtitur, verbis æquè perspicuum est, hæc eum non de Christi corpore, sed (etiam si ea ad Sacramentum referenda forent) de solis externis panis ac vini speciebus dicere, quæ quòd notæ sint, stuporé nemini adferre possunt.

Quæ cùm citra vllam controuersiã ità se habeant, oratum te velim amice Lector, memoratũ cap. 4. eiusdem libri tertij, vndè prioré Sacramenti descriptioné protulimus, cum hoc 10. cap. vndè suũ Oecolampadius cauillũ & calumniam excerpsit, sedulò conferas: cõperturus proculdubiò luce clariùs in ipso 4. cap. vbì de re Sacramenti, sub speciebus facta cõsecratione substantialiter p̃sente agit, asserere eum illã ipsam Sacramenti rem non hoĩm manibus fieri, sed operãte inuisibiliter spiritu Dei, eamq; ritè sumi à nobis ad salutem spiritalem & sempiternã: Porrò 10. cap. vbì de solis agit speciebus externis, affirmare eum, pané ad hoc factum, scilicet hoĩm manibus, in accipiendo sacramento consumi. Itemq; illic, vbì de inuisibili Christi corpore, (i. re Sacramenti) verba facit, docere eum, nõ posse nos illud Christi corpus, nisi operante inuisibiliter Dei spiritu, in Sacraméto habere: q̃ quidem operatio incompræhensibilis & vltra modum stupéda & plena miraculi est: hîc verò, vbì de sola externa visibili specie, hoĩm manibus effecta, sermonem texit, asseuerare eum, hanc tanq̃ hominibus notam, stuporem habere non posse. Idq; adeò etiam alij Patres confirmant & asserunt, vt pauloantè ex Ambrosio didicimus: nempè ea causa Dñm nobis verum idemq; sanctissimũ corpus suum sub his notis panis & vini speciebus præbere, vt sinè horrore illud sub ijsdé dignè & reueréter accipere possimus. Quî tandèm igitur Oecolampadio in mentem venire potuit dicere, Augustinum in ea fuisse sententia, in V. Sacramento nullum esse præpotentis Dei diuinum miraculum? cùm tamé vir ille sanctissimus, vt suprà dictũ est, in Psal. 33. multis ijsdemq; subindè repetitis verbis studiosissimè testetur & doceat, Christum Dñm, cùm Apostolis cõmendaret ipsum corpus suũ, dicens, HOC EST CORPVS MEVM, tam insigne declarâsse miraculum, vt nullus vnq̃ eiusmodi facere potuerit, nec quisquam vnq̃ facturus sit, videlicet seipsum tulisse in manibus suis.

4. Cap. agit Augustinus de vero Christi corpore in Eucharistia: decimo verò, de speciebus externis.

Christus suũ nobis corpus sub visibilibus præbet speciebus terrenis, nè nobis sit horrori.

Sed q̃d nos pro germana verborũ Augustini in memorato 10. cap. haurienda intelligentia, tam altè repetere necessè est? Vel illud ipsum

duntaxat caput, non trűcatìm pro nostro commodo, vt Oecolampadius more suo fecit, sed à capite ad calcem vsq; perlegamus: inueniemus proculdubiò virum sanctum illic luculentum ferre testimoniű, ipsius ætate omnes è religione Christianos, cuiuscunque illi ætatis fuissent, pro certo ac indubitato habuisse, in V. Sacramento Christű re vera præsentem adesse. Verba eius hæc sunt: *Sicut infantes non nôrunt, quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur, undè uel quomodò conficiatur, undè in usum religionis assumatur: & si nunq̃ discant experimento uel suo uel aliorum, & nunq̃ illam speciem rerű uideant, nisi inter celebrationem sacramentorum cùm offertur & datur, dicaturq; illis authoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omninò in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de latere tali percusso liquorem illum omninò fluxisse.*

Augustini ætate Christiani suas docuere ꝓles baptizatas, credere V. Sacramentű esse corpus & sanguinem Domini.

Haud obscurè, vt equidem arbitror, his verbis Augustinus testatum efficit, eius seculo catholicam Christi Ecclesiam, authoritate grauissima veram corporis CHRISTI in Eucharistia præsentiam docuisse, & omnes è religione Christianos eam certissimè credidisse: adeoque parentes suis tenellis prolibus, quas in Ecclesiasticis cœtibus ad Diuina officia secű duxère, eam studiosissimè tradidisse. Itaque eiusmodi infantes, antequàm rationis essent compotes, discerentq; vndè vel quomodò illæ hostiarum & calicis species assumptæ & institutæ essent, nihil potuisse credere aliud, nisi omninò in illis speciebus Dominum oculis quondàm apparuisse mortaliű: id quod hodieq; etiam apud nos catholicos puerulis vsuuenire potest, vt ità sentiant.

Augustini tẽporibus Christus in V. Sacraméto adoratus est.

Indè porrò etiam hoc animaduerti licet, Augustini æuo in catholica Ecclesia Christum Dñm in V. Sacramento, ceu re vera in illo & substantialiter præsentem, à Christianis omnibus reuerenter adorari consueuisse. Alioquì enim parentes suas proles, ità vt dictum est, authoritate grauissima non instituissent ac informâssent, sed in ea quam diximus opiniõe eos hærere permisissent. Quanquàm hoc loco nihil opùs est, probare vt velimus, V. Sacramẽtum ob Christi veram realemq; ꝑsentiam ea tempestate pasśìm in Christi Ecclesia adorari solitum, cùm id Augustinus in Psal. 98, vt est suprà dictum, clarissi-

rissimè testetur, & infrà suo loco ex illo alijsque patribus latiùs docendum sit.

Atq; nè tibi Aduersarij iam memoratum Augustini de Trinitate lib.3.cap.10.locum rursus malitiosè deprauent, obserua Lector, ecquid Augustinum hæc vt de pusionibus commemoraret, permouerit. Paulò ante eum locum docet, siue homines admirentur, siue non admirentur, non id efficere, vt diuersum sit in seipso, quod interìm per externas species significatur: quandò id quod significatur, idipsum est, id est, Deus vel spiritussanctus. *Illas*, inquit, *nubes & ignes quomodò fecerint uel assumpserint angeli ad significandum quod annunciabant, etiamsi Dominus uel Spiritussanctus illis corporalibus formis ostendebatur, quis nouit hominum? quibus utiquè quanto difficiliora & ignotiora, eo & mirabiliora sunt: angelis uerò, tanquàm suæ actiones, notæ atque faciles fuère.* Ità & de V. Sacramento se habere asserit. Parentibus, propterea quòd nôrint, vndè externę V. Sacramenti species in vsum religionis assumptæ sint, stupori & admirationi tanquàm notas, illas esse non posse: paruulos verò, tanquàm ignotas, admirari eas species externas: interìm nihilo minùs rem significatã, id est, Christũ ipsum re vera pręsentem, neque admiratione, neq; non admiratione impediri, quô minùs semper vnus atq; idem sit.

Quæ quidem omnia in prioris V. Sacramenti descriptionis elucidationem eô mihi fusiùs commemorata sunt, lector, vt fœdissimã Aduersariorum fallaciam & imposturam exactiùs cognitam habere queas, nempè vt illi Augustini verba non rarò dedita opera ac malilitiosè truncatìm proferant, & dictiones quasdam, quas ad impiam suam confirmandam sententiam detorquent, hincindè ex eius scriptis & monimentis excerpant, omissis interìm de industria, aut certè turpiter & vitiosè tum præcedentibus, tum consequentibus verbis, alijsq; illius lucubrationibus, vndè germana eius mens & sententia posset dephrehendi. quod sanè idem Augustinus etiam Manichęis eadem arte pręditis, libro contra Adimantum, cap.14. hac oratiõe improperat: *Vt manifestiùs*, inquit, *appareat istorum fraus, qui particulas quasdam de scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos: non connectentes quæ suprà & infrà scripta sunt, ex quibus uoluntas & intentio scri-*

Hæreticorũ ingenium & consuetudo.

ptoris possit intelligi. Et hæc quidem de prima sacramenti descriptione dixisse satis sit.

Altera Sacramenti descriptio.

Altera verò descriptio, quę habetur lib. 20. cōtra Faustū Manichęum, cap. 13. priori admodùm assimilis est, nec minùs atquè illa opportunitatis habet ad docendum, virum sanctissimum ea Christi verba, HOC EST CORPVS MEVM, non metaphoricè, sed propriè accepisse. Ipsum agè Augustinum loquentem audiamus: *Noster autem panis & calix,* inquit, *nō quilibet quasi propter Christum in spicis & in sarmētis ligatum, sicut illi (Manichæi) desipiūt: sed certa consecratiōe mysticus fit nobis, nō nascitur. Proindè quod non ità fit, quāuis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis.*

Nō panis tercenus, sed quod ex pane certa cōsecratione efficitur, Eucharistia est.

Cuius quidem descriptionis vt aliqua notio certior habeatur, scire operæprecium fuerit, amentissimos Manichęos in prępotentis Dei contumeliā asserere non dubitâsse, duo ęx om̄i æternitate fuisse principia, bonum & malum, quę inter se commissa pugna, cōmixta essent in creaturis: atq; ità diuinam naturā & Christum in spicis & botris ex vite pendentibus tantispèr ligatum fuisse, donec per Manichæorum electos, (sic enim illi pcipuos suos Rabinos appellabant) creaturas illas in cibū accipientes, ab illa captiuitate solutus & expiatus esset.

Manichæorū horrenda blasphemia.

Prò nefandam & immanem blasphemiam. Et tamē ij Tartarei dæmones satanica sua fallacia pasśim in orbe terrarum plurimos sibi adiunxêre, & Christi Ecclesiam supra modum afflixêre. Cùm his ergò insignis ille athleta Augustinus, quem tamen illi iam antè annis nouem suis implicatum nexibus tenuerant, multis lucubrationibus, contra illorum amentiam editis, confligit athleticè. Cùm ergò illi inter alia garrirent, se cum catholicis eiusdem ferè esse religionis & deuotionis erga panem & calicem, Augustinus illis respondit: *Non ità est, ut uos persuasum habetis Manichæi: Non quilibet panis & calix quasi propter Christum in spicis & sacramētis ligatum, nobis est sacramētum: non nobis Christus in agro nascitur: aliud eò pertinet ut sit sacramentum, nempè diuina consecratio, quæ fit illis uerbis Dominicis,* HOC EST CORPVS MEVM. *Hac,* inquit, *cōsecratione nobis ille panis fit mysticus, sub quo mysterio Christus tegitur & cōtinetur: quicquid uerò ità non fit, scilicet hac consecratione, alimentum est refectionis,*

non

non sacramentum religionis. Obserua quod ait, *Quod non ita sit.*

Atq; vt eã suã mentẽ & sententiã prodat manifestiùs, ait eodẽ loco: *Licèt benedicamus, gratiasq; agamus Domino in omni eius munere, non solùm spirituali, uerùm etiã corporali, non tamen hac communi benedictiõe & gratiarum actiõe ex pane & uino nobis fieri Sacramẽtum: sed has creaturas certa diuinaq; consecratione mysticas fieri, id est, in sacramẽtum transire:* quibus ille mensam Dñi à communi fidelium panis fractione (à qua certè Aduersariorũ cœna, vt in 20. scripturę testimonio suprà dictũ est, non multùm discrepat) luculenter admodùm distinguit & separat: atq; ità certum testatumq; efficit, diuina cõsecratione Christum nobis in Eucharistia præsentem exhiberi, idq; substantialiter. Nanq; alioquì, vt cordatus quisq; facilè potest animaduertere, dilutio eius, qua immanissimum Manichæorum errorem refellit, prorsus elumbis & eneruis erit. Discrimẽ inter sacramẽti consecrationẽ, & vulgarem cibi benedictionẽ.

Adeoque vir sanctiss. eodem capite ad Faustum hæreticum versa oratione, *Quomodò ergò,* inquit, *comparas panem & calicem nostrum, & parem religionem dicis, errorem longè à ueritate discretum, peiùs desipiens quàm nõnulli* (putà, Ethnici) *qui nos propter panem & calicem, Cererem ac Liberum colere existimant?* Quòd Christiani olim, vt hodieq;, sacramentũ in magno honore haberent, gẽtiles putabant eos Bacchũ & Cererẽ colere.

His sanè haud obscurè indicat, (sicut & illis, quæ subijcit, *Quamuis panis & calicis sacramentum nostro ritu amplectamur*) Christianos eius seculo V. Sacramentum diuino affecisse honore. Nõ enim potuissent alioquì ethnicis ob huius V. Sacramenti cultum in eã venire suspicionem, quòd Cererem Bacchumq; colerent.

Habes igitur Lector ex gemina hac descriptione, Augustinũ Christi verba, HOC EST CORPVS MEVM, nõ metaphoricôs, sed propriè & secũdùm literam accepisse, cùm ille tam pręclarè testetur, panem & vinum non tam magnũ effici posse sacramentũ, putà sub quo Christus pręsens adsit, nisi prece mystica, cui ipsa quoquè cõsecrationis verba inserta sunt. Canõ Missæ.

Vndè id quoquè haud difficulter licet intelligi, quodnã Aduersarij habeant sacramentũ, cùm illi prece canonica, vel sacrosancto Canone, qui ad diuinam pertinet consecrationẽ, eamq; in se complectitur, iuxta Apostolicam & Ecclesiasticam ordinationem non vtantur. Aduersarij cùm non cõsecrẽt, nõ habent verum sacramentũ.

Porrò

Porrò super hæc omnia, omninò perſpectum vt habeas, quinam Auguſtinus verba ſeruatoris, HOC EST CORPVS MEVM, intellexerit, in manum ſumas Epiſtolam eius 118. ad Ianuarium, ex qua poteris hinc planè certior effici. Habes illic inter cætera: *Dixerit aliquis non quotidiè accipiendam Euchariſtiam. Quæſieris, quare? Quoniam, inquit, eligendi ſunt dies, quibus purius homo continentiusq; uiuit, quô ad tãtum ſacramentum dignus accedat. Qui enim manducauerit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Alius contrà: Immò, inquit, ſi tãta eſt plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda ſint, authoritate antiſtitis debet quiſq; ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam: non ut arbitrio ſuo, cùm libet, uel auferat ſe communioni, uel reddat. Cæterùm ſi peccata tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſquam homo iudicetur, non ſe debet à quotidiana medicina dominici corporis ſeparare. Rectiùs inter eos fortaßè quiſquam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Chriſti pace permaneant, faciat autem unuſquiſq;, quod ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum ſacramentũ certatìm honorare contendunt. Neq; enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit, Zachæus ille & centurio, cùm alter eorum gaudens in domũ ſuam ſuſceperit Dominum: alter dixerit,* Non *ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Et paulò infrà: *Nam & iſte honorando, non audet quotidiè ſumere: & ille honorando, non audet ullo die prætermittere. Contemptum ſolum non uult cibus ille, ſicut manna faſtidium. Indè enim & Apoſtolus indignè dicit acceptum ab eis, qui non diſcernebant à cæteris cibis ueneratione ſingulariter debita. Continuò quippe cùm dixiſſet, Iudicium ſibi manducat & bibit: addidit ut diceret,* Non *diiudicans corpus.*

Euchariſtia nũ quotidiè accipienda, néc ne.

Magnis obnoxij peccatis olim non à ſtatim facta confeſſione abſoluebantur, ſed abſtinebãtur, donec impoſitã cõpleſſent ſatisfactionẽ. His impius contradicit Luterus.

Euchariſtia, eſt medicina Dominici corporis.

Luc 19. Matt. 8.

Num. 21. 1. Cor. 11.

Equidem, hîc libens interìm prætericro, Auguſtinum Euchariſtiam, corporis & ſanguinis dominici medicinam, itemq; totiès corpus & ſanguinem, atq; etiam ſaluberrimum nuncupare ſacramẽtum. Id verò notatu dignum mihi videtur, eum vtrunq; hoc religioſorum

ac Deum timentium hominum genus, de quotidiana communione diſceptantium, duobus illis, quorum eſt métio in Euangelio, pijs admodùm viris, Zachæo & Centurioni comparari: quo ille ſatìs innuit, Chriſtum Dominum in V. Sacramento non minùs ſubſtãtialiter ſub tectum, id eſt, in corpus noſtrum, idq́; in vtriuſque hominis ſalutem ingredi, atquè olim in Zachæi domũ ſubſtantialiter ingreſſus ſit: nos quoquè Dominum in V. Sacramento ſuſcepturos, dicere debere cum Centurione: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: quod etiam Origenes, vt ſuprà fol. 116. annotatum eſt, docet.

Præthereà habet hîc Auguſtinus, cibo huic venerationẽ quandam ſingulariter deberi, eáq́; ſpeciatìm, vt à cæteris cibis longè eũ diſcernamus, nec vſitati panis loco habeamus: qui verò id non faciant, eos ex Apoſtoli ſententia iudicium ſibi mãducare & bibere. Hîc iam expendas Lector, num Aduerſarij, qui ex V. Sacramento panem faciũt communem & terrenum, hanc æternæ damnationis ſententiam à ſe poſſint amoliri. Auguſtinus vult V. Sacramentũ pro vulgari pane duci non debere, ſed illi venerationem ſingulariter debitam eſſe præſtandam: immò Dominum ipſum in illo adorandum, dicendũq́; Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. *Non dijudicare corpus Domini, qd ſit Apoſtolo.* *Matt. 8.*

De qua quidem veneratione ſingulariter tanto ſacramento debita, eadẽ Epiſtola etiam alteri quæſtiõi, Vtrùm iam refecti, die illa ſumere debeãt Euchariſtiã, hunc in modũ reſpondẽs, iſta cõmemorat: Ex *hoc enim* (ſcilicet tempore, quo diſcipuli ſeruatoris, eius corpus & ſanguinem acceperunt) *placuit Spirituiſancto, ut in honorem tãti Sacramenti, in os Chriſtiani prius dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi.* Ait porrò *Apoſtolum Corinthios arguiſſe & emẽdâſſe, quòd menſis ſuis tantum ſacramentum miſcerent.* Nanq; *ſaluator*, ait, *quò uehementius commendaret myſterij illius altitudinem, ultimum hoc uoluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paßionem digreſſurus erat.* *Placuit Spirituiſancto, vt corpus dominicũ ante omnem cibũ ſumatur.*

Si quidem ſatìs ſuperq́; non docent hęc omnia, Auguſtinum Chriſti verba, HOC EST CORPVS MEVM, non pro ſolo pane, quod illi Aduerſarij impudentiſſimè affingũt, ſed de ipſiſſimo ſeruatoris corpore accepiſſe, iam planè quid dicam non video: pręſertìm vbì ille verba ea, quibus hoc V. Sacramentum inſtitutum eſt, ſupremam Domini

II mini

V. Sacramẽti institutio, Christi suprema voluntas fuit.

mini saluatoris volũtatem fuisse testatur, quam idem Dominus suorum discipulorum cordibus & memoriæ, ceu altissimum mysterium, infigere voluerit. Ex quo potest liquidò perspici, Augustinum ea ipsa verba haud secùs accepisse, quàm sint testatoris extrema accipienda verba, queádmodùm antè dictum est latiùs 18. & 19. scripturæ testimonio, ipseq; adeò Augustinus id docet Tractatu 10. in Epistolá Iohannis, vbì inducit hęredé de verbis nouissimis Patris sic loquenté: *Ego non faciam, quod mihi pater efflans animam, nouissimè mandauit? quod ultimũ sonuit in aures meas, proficiscente hinc patre meo? Quæuis alia uerba ipsius aliter habere possum, nouissima uerba plùs tenent.* Et deindè sic subinfert: *Custodiuntur uerba nouissima hominis morientis: quid sibi sperant illi, qui uerba nouissima sedentis in cælo non custodiunt, uidentis desuper an contemnatur, an non contemnatur?*

Augustinus panẽ cómunem opponit Eucharistiæ, tanquàm qui diuersæ ab illa substantiæ sit.

Prætereà studiosus Lector non potest esse nescius, viro huic sanctissimo, quotiès simul de pane communi, & corpore Domini in Eucharistia loquitur, panem & sacrosanctã Eucharistiam longè diuersa esse Disparata: quæ causa est, vt ea sibi mutuò opponere solitus sit, tanquàm quæ non eiusdem sint substantię. Epistola 64. sic habet: *Accipiamus cum eis corpus, cum quibus panem comedere prohibemur?* Quo loco dolet, Afros suos cum ebriosis accipere solere Christi corpus, cum quibus tamen ex Pauli pręscripto 1. Cor. 5. meritò nec panẽ sumere deberent.

Sacramentũ est preciũ nostrũ, quo empti sumus, & vita.

Vnum adhuc adferemus locũ ex Sermone illius 2. de verbis Apostoli, quo planum testatumq; fiat id quod probãdum suscepimus, esse videlicet Chr̃i verba propriè accepisse, atq; indè ad alias nos ratiões conferemus. Eius verba sic se habent: *Audiuimus ueracem magistrum, diuinum redemptorem, humanum saluatorem commendantem nobis preciũ nostrum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore & sanguine suo, quod corpus dixit escam, sanguinem potum, sacramentum fidelium. Agnoscunt fideles. Audientes* (id est, catechumeni) *autẽ quid aliud quàm qui audiunt? Cùm ergò commendans talem escam & talem potum, diceret, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis uitam in uobis: & hoc diceret de uita, quis alius quàm ipsa uita? erit*

autem

autem illi homini mors, non uita, qui mendacem putauerit uitam: scandalizati sunt discipuli eius &c. Nimirùm satis hîc perspicuè asserit, Christum magistrum veracem, & qui mentiri nesciat, luculentis testatum esse verbis, fidelium sacramentum, nobis ab ipso commendatum & relictum, eius esse corpus & sanguinem, nec alium sanguinem, quàm qui est precium nostrum, quo empti sumus: itemque esse hęc veram escam & verum potum, adeoq; vitam ipsam: deniquè illis omnibus, qui vitam, id est, Christum de vita (vt dictum est) testificantem, mendacem putauerint, (id quod Aduersarij faciunt) non vitam, sed mortem fore sempiternam.

Pergit autem, & eodem loco, vt alijs omnibus, id explicat, vndè Capernaitæ scandali ansam arripuerint: nempè, *quòd putarent Dominum de corpore suo, quod uidebant, partes facturum, & membra sua concisurum, ijsq; daturum.* Sed vt has ex eorum animis nimiùm horrendas cogitationes euelleret, addit dixisse Dominum: Capernaitas quid offenderit.

Quid ergò si uideritis filium hominis ascendentem, ubi erat priùs? Certè qui integer ascendere potuit, consumi non potuit: Ergò & de corpore ac sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem, & tam magnam breuiter soluit de sua integritate quæstionem. Manducēt ergò qui manducant, & bibant qui bibunt, esuriant & sitiant, uitam manducent, uitā bibant. Illud mãducare, refici est: sed sic reficeris, ut nō deficiat undè reficeris. Illud bibere, quid est nisi uiuere? Manduca uitam, bibe uitam, habebis uitam, & integra est uita. Tunc autem hoc erit, id est, uita erit unicuique corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento uisibiliter sumitur, in ipsa ueritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur. Audiuimus enim ipsum Dominum dicentem: Spiritus est qui uiuificat, caro autem non prodest quicquam. Verba quæ locutus sum uobis, spiritus & uita sunt. Sed sunt, inquit, *quidam qui non credunt: ipsi dicebant, Durus est hic sermo: quis potest eum audire? Durus est, sed duris: id est, incredibilis, sed incredulis* &c. Edere & bibere V. Sacramentū, q d sit. Iohan. 6.

Hac oratione Augustinus, aduersariorū philosophica planeq; stolida aduersùs Christi virtutē omnipotentē argumenta oīa, prorsus

subruit & eneruat. Si Christus, inquit, in cęlum integer aſcēdere potuit, poteſt etiam integrum & ſinè defectu fidelibus ſuis edendū prębere corpus ſuum, & in eodē vitam nobis ſalutemq; conferre. Simul obſerua, quàm crebrò hîc V. Sacramentū vitam nuncupet, & Aduerſariorum noſtrorum caſtiget incredulitatē. *Durus eſt*, ait, *ſermo Chriſti, ſed duris: id eſt, incredibilis, ſed incredulis.* Quæ non poſſunt de figura accipi. Cui enī durus & incredibilis poſſit ſermo videri, ſi quiſpiam (vt nihil de Chriſto Deo & homine loquar) corporis ſui figuram alijs relinquat? Atq; nè poſſit vllam habere dubitationem, Auguſtinum hoc loco V. Sacramētum (id eſt, veritatem corporis & ſanguinis Chriſti, quæ nos in myſterio accipimus) vitam appellare, audi quid ille hinc ſcriptum reliquerit lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 24: Optimè, inquit, *Punici Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud quàm ſalutem, & ſacramētum corporis Chriſti nihil aliud quàm uitam uocant. Vndè, niſi ex antiqua (ut exiſtimo) & Apoſtolica traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter baptiſmum & participationem Dominicæ menſæ, non ſolùm non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & uitam æternam poſſe quenquam hominum peruenire? Hoc enim & ſcriptura teſtatur, ſecundùm ea quæ ſupradiximus. Nam quid aliud tenent, qui baptiſmum nomine ſalutis appellant, niſi quòd dictum eſt* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis: & quod Petrus ait* 1. Pet. 3. *Sic & uos ſimili forma baptiſma ſaluos facit? Quid aliud etiam, qui ſacramentum mēſæ Dominicæ uitam uocant, niſi quod dictum eſt Iohan. 6. Ego ſum panis uitæ, qui de cælo deſcendi: & panis quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi uita: & , Si non manducaueritis carnem filij hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis uitam in uobis &c?*

Increduli in V. Sacramentū impingūt.

Probatur, Auguſtinū corpus Chriſti in V. ſacramēto vitam appellare.

Afri baptiſmum ſalutē, & Euchariſtiam vitam nūcupàrunt.

Apoſtolica Traditio.

Iohan. 3.

Iohan. 6.

Hæc velis nolis, de V. ſacramento dicta fatearis oportet. Num tu igitur perſuaſum habes, Apoſtolos Chriſti Eccleſijs tradituros fuiſſe, vt V. Sacramentum vitam nuncuparent, ſi id illi figurę duntaxat loco habuiſſent? Aut quî tandèm Afri optimè, quod illis Auguſtinus tribuit, Sacramentum corporis Chriſti nihil aliud quàm vitam vocâſſent, ſi vir ſanctus illud nō niſi figuram eſſe putâſſet? Qua enim ratione figura nihil aliud quàm vita dici queat?

His

His consimilia scribit Tractatu 27. in Iohannẽ, in ea D. Petri verba, Verba vitæ æternę habes: *Vitam æternam*, inquit, *habes in ministratione corporis & sanguinis tui. Et nos credimus & cognouimus. Non cognouimus & credimus, sed credimus & cognouimus. Credimus enim, ut cognosceremus. Nam si priùs cognoscere, & deindè credere uellemus, nec cognoscere nec credere ualeremus. Quid credimus, & cognouimus? Quia tu es Christus filius Dei uiui: id est, quia ipsa uita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo, nisi quod es.*

In Christi corpore & sanguie, quæ accipimus, vita est æterna & Christus ipse.

Hactenùs generatìm docere volui, Augustinum Christi ea verba, HOC EST CORPVS MEVM, non tropicè, sed secundùm literam & vt sonant, planè simpliciterq; intellexisse. Iam porrò etiam hoc testatum efficiam, cum cunctis illis propemodùm rationibus, q̃ suprà in scripturę testimonijs proferendis speciatìm à me alię post alias allatę sunt, eodem modo in huius veritatis confirmationem vsum esse.

Et principiò quidem docuisse illum, Christum in sacrosancta cœna sua veteris testamenti figuras, ceu præuias quasdã vmbras & signa præsignificantia, huius institutione V. Sacramenti, ceu rei illis figuris significatæ, & absoluisse & abrogâsse, id quod nos iam antè in secundo scripturę testimonio prolixè annotauimus, multis operũ eius locis probari potest. I.

August. docet V. Sacramẽto, ceu Re significata, figuras veteris testamẽti esse abolitas.

In oratione Psal. 39. scribit hunc in modum: *Quandò promittebatur, tunc dicebatur: cùm autem datum est quod promissum est, ablata sunt uerba promissiua, data sunt completiua. Sacrificia ergò illa, tanq̃ uerba promissiua, ablata sunt. Quid est, quod datum est completiuum? Corpus quod nôstis, quod non omnes nôstis: quod utinàm qui nôstis omnes, non ad iudicium noueritis.* Et paulò pòst: *Sacrificium, inquit, & oblationem noluisti. Quid ergò? Nos iam hoc tempore sinè sacrificio dimissi sumus? Absit. Corpus autem perfecisti mihi. Ideò illa noluisti, ut hoc perficeres: illa uoluisti, antequàm hoc perficeres. Perfectio promissorum, abstulit uerba promittẽtia. Nam si adhuc sunt promittentia, nondùm impletum est quod promissum est. Hoc corpus promittebatur quibusdam signis: ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est ueritas promissa. In hoc corpore sumus, huius corporis participes sumus: quod accipimus, nouimus: & qui non nôstis, noueri-*

tis: & cùm didiceritis, non ad iudicium accipiatis. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Perfectum enim est nobis corpus, perficiamur in corpore.

Eius generis præclarissimam habet institutionem lib. 17. de Ciuitate Dei, cap. 20. vbì ait, *hanc Salomonis sententiam qua apud illum Sapientia utitur, Venite & manducate de panibus meis, & bibite uinum quod miscui uobis, per Christum impletam esse, quandò is nouum sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech instituit: sequi propterea in Salomone: Derelinquite insipientiam, ut uiuatis: & quærite prudentiam, ut habeatis uitã. Participem autem,* inquit, *fieri mensæ illius, ipsum est incipere habere uitã. Nam & in alio libro, qui uocatur Ecclesiastes, ubì ait: Non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet, quid credibilius dicere intelligitur, q̃ quod ad participationem mensæ huius pertinet, quam & sacerdos ipse mediator testamenti noui exhibet secundùm ordinem Melchisedech de corpore & sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificijs ueteris testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam uocem illam in Psal. 39. eiusdem mediatoris per prophetam loquentis agnoscimus: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi: quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur. Nam istum Ecclesiasten in hac sententia manducandi & bibendi, quam sæpè repetit, plurimumq́; commendat, non sapere carnales epulas uoluptatis, satis illud ostendit, ubi ait: Melius est ire in domum luctus, quàm ire in domum potus.* Hucusquè Augustinus.

Prou. 9.

Eccles. 2. 3.

Eccles. 7.

Domum luctus intelligi vult sacras ædes, vbi in Missæ sacro, Christi acerba passio cogitanda est.

Hæc nimirùm nulla opus habent explicatione, cùm per se satis superq́; luculenta sint, perspicueq́; doceant, corpus Christi in V. Sacramento nõ figuram esse, sed ipsam antè significatam & præfiguratam rem, qua cunctæ veteris testamenti figuræ completæ & antiquatæ sint.

Idem verò etiam euidentiùs docet vir sanctus Epistola 86. ad Casulanum, vbì errorem Vrbici cuiusdam hominis schismatici confutat. *Vrbicus ille in sui erroris confirmationem inter alia ait, uetera sic transisse, ut in Christo cederet ara altari, gladius ieiunio, precibus ignis, pani pecus,*

Vrbici sectarij error.

cus, poculo sanguis. Sed Augustinus eum hæc dicentem nescire ait altaris nomen, magis legis & prophetarum literis frequentatum, & altare DEO prius in tabernaculo, quod per Mosen factum est, collocatum. Aram quoquè in Apostolicis literis inuenire, ubi martyres clamant sub ara Dei. Dicit cessisse pani pecus, tanquàm nesciens, & tunc in Domini mensa panes propositionis poni solere, & nunc se de agni immaculati corpore partem sumere. Dicit cessisse poculo sanguinem, non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem. Quanto ergò meliùs & congruentiùs uetera transisse, & noua in Christo facta esse sic diceret, ut cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, pecus pecori, sanguis sanguini?

Exod.20.31. 24.29. Leui.1. Apocal.6. vbi vulgata versio habet altare. Ex altari sumimus corpus & sanguinem agni immaculati.

Hîc ille disertis asseuerat verbis, panes propositionis iam in Christo cessisse non ipsis simili pani typico, vt nostri blaterant Aduersarij, sed corpori agni immaculati: itemque veteris testamenti pecorinum sanguinem non alteri æquè typico, sed ipsius Christi sanguini, quem nunc ex poculo vel calice sumimus, cessisse.

Non minùs apertè idem ille testatur in quæstionibus super Leuiticum, lib.3. cap.57. vbi hanc mouet quidem quæstionem, non tamē soluit. Cùm Dominus dicat, *Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis uitam in uobis: quid sibi uult, quòd à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantoperè populus prohibetur, si illis sacrificijs unum hoc sacrificium significabatur, in quo uera sit remissio peccatorum: à cuius tamē sacrificij sanguine in alimētum sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur, qui uolunt habere uitam?* Rursus hîc testatum efficit, veteris legis sacrificia hoc altaris sacrificium, in quo vera est remissio peccatorum, significâsse, eique cessisse, iamque verum nos sanguinem in Eucharistia percipere. Quæ quidem omnia satìs probant, Augustinum perpetuò id docuisse, Christum in sacrosancta Cœna in locum typicorum omnium sacrificiorum, quæ tum abrogauit, hoc verum corporis & sanguinis sui sacrificium substituisse.

Leuit.7. Tametsi vetus lex à sanguine bibendo grauiter arcet, attamē in noua lege, Christi sanguinem bibimus.

Porrò cùm in memorato secundo Scripturę testimonio etiā illud annotauerimus, ea verba, quibus aliquid diuinitùs iubetur, vel qbus 2.

Quæ ad fidē, præcepta Dei

Sacra-

& Sacraméta attinent, proprié accipiéda sunt.

Sacramenta instituuntur, pro genuina ac propria significatione sua, nō autem metaphoricôs accipi oportere, idem quoquè Augustinus docet lib.2.de Doctrina Christiana, cap.9. vbi sic habet: *In his enim quæ apertè in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq; uiuendi.* Nihil verò fidem nostram supra intellectū nostrum perindè flagitat, quàm venerãda sacraméta, atq; inprimìs hoc mirificissimum corporis Christi sacramétum, vtì in Augustini aliorumq; patrum iam antè prolatis authoritatibus prolixè videre licet, & deincèps quoquè perspicere licebit. Cùm ergò hæc ità se habeant, metaphoræ nullus hîc locus est: alioquì nostram de hoc V. Sacraméto fidem prorsus in dubium vocabimus: immò pro cuiusq; temeritate ac libidine nō nisi vanissimo insomnio illa innitetur: vtì iam prô dolor nostra ætate scelestissimi metaphoristæ hoc suo in errore instar hydræ plùs quàm decem sunt capitum, quandò cuiq; è suo natus cerebro tropus inprimìs arridet, cùm tamen oṁes cum vera certaq; catholicæ Ecclesiæ pugnent sententia.

Aduersarij fidem V. Sacraméti prorsus incertam efficiunt.

3. Tertiò, Augustinum indè quòd in Luca & Apostolo Dominus nō solùm ait, HOC EST CORPVS MEVM: sed adiungit etiam, *Quod pro vobis datur*: nec simpliciter dicit, HIC EST SANGVIS MEVS: sed annectit, *Noui testamenti, qui pro vobis fundetur*: quodq; apud Matthæum habetur, *In remissionem peccatorum*: ex his, inquam, id accepisse virum sanctissimum, Christum in V. Sacramento idem illud nobis præbere corpus, quod pro nobis crucifigendū tradiderit: eundemq; sanguinem, quem id temporis nostræ salutis causa in remissioné peccatorum fuderit, nobis substantialiter impartiri, vtì suprà in tertio Scripturæ testimonio explicatum est, id nimirùm ex eius scriptis copiosissimè potest edoceri.

Augustinus corpus & sanguiné in Eucharistia, pro ijsdé habuit, quæ pro nobis in cruce immolata sūt in remissioné peccatorū.

Confessionum lib.9.cap.13. *Corpus Christi in V. Sacramento uocat uictimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis.* Refert ibidèm matris suæ Monicæ supremam voluntatem, hisce Deum sermonibus appellans: *Imminente die resolutionis suæ, nō cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus: aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulcrum patrium.* Non *ista mādauit nobis, sed tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit,*

Corpus Christi in Eucharistia, victima sancta.

uit, cui nullius diei prætermißione seruierat, undè sciret dispensari uicti- mam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis &c.

Aduersarij hæc pia siderilia desideria condemnant. Coloss. 2.

Sæpiùs quoquè V. Sacramentum appellat *precium quo empti sumus*, vt habes Epistola 162. & 163. contra Donatistas: itemq; *carnem sacrificij nostri, corpus sacerdotis nostri*, lib. 4. de Trinitate, cap. 14. vbì ista leguntur. *Quid tam mundum pro mundandis uitijs mortalium, quàm sine ulla contagione carnalis concupiscëtiæ, caro nata in utero & ex utero uirginali? Et quid tam gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri?*

Eucharistia, precium est, quo empti sumus. Caro nata ex virgine, Caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri.

Indè est, quòd totiès idem V. Sacramentum vocat sacrificium corporis Christi, & sacrificium Mediatoris. Epistola 120. ad Honoratũ, dicit Christum Psal. 21. vbì ait, *Vota mea reddam coram timentibus eũ: edent pauperes & saturabuntur, uota sua sacrificium uelle intelligi corporis sui, quod est fidelium sacramentum.*

Sacrificium Mediatoris.

Lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 20. ità scribit: *Per hoc* (putà, quòd formam serui accepit) *& sacerdos est Christus: ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum, quotidianum esse uoluit Ecclesiæ sacrificium, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus: tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri.*

Ecclesia Christū offert patri in V. Sacramento.

Contra Faustum lib. 20. cap. 18. *Hebræi*, inquit, *in uictimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & uarijs modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ uictimæ, quam Christus obtulit. Vndè iam Christiani, peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.*

In Missa Christi corpus offertur & sumitur.

Libro 1. contra Cresconium, cap. 25. vbì docet *diuinum hoc Sacramentum malè utentibus perniciosum fieri, illud unicum pro salute nostra sacrificium nuncupat.*

Vnicum pro salute nostra sacrificium.

In Enchiridio cap. 110. *Neq; negandum est*, ait, *defunctorum animas pietate suorũ uiuentiũ releuari, cùm pro illis sacrificiũ mediatoris offertur.*

Sacrificium mediatoris. Id negāt Aduersarij.

Libro 22. de Ciuitate Dei, cap. 8. plura de huius sacrificij efficacia commemorat: *Vir*, inquit, *tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Tussalensi fundum Cubedi appellatum, ubì cùm afflictiōe ani-*

malium & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum uim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantùm potuit, ut cessaret illa uexatio, Deoq; protinus miserante cessauit.

Sacrificium corporis Christi profligat dæmones.

In Iohannem Tractatu 24. de altari scribit in hæc verba: *Nam quæ est mensa potentis, nisi unde sumitur corpus & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis?*

Sermone 21. de Sanctis, his vtitur verbis: *Sub ara Dei, inquit Iohannes, uidi animas occisorum. Quid reuerentius, quid honorabilius dici potest, quàm sub illa ara requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offerũtur hostiæ, in qua Dominus est sacerdos, sicut scriptum est: Tu es sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech? Rectè sub altario iustorum animæ requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur. nec immeritò illic iusti sanguinis uindictam postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur,* (putà, in perceptione illius.)

Cur olim martyres sub altari sepulti.

Super altare Christus est sacerdos, idemq; offert corpus suũ, & sanguinẽ suum spiritaliter fundit pro peccatis.

Libro 2. de Visitatione infirmorum cap. 4. *Illud etiam uiuificum,* ait, *Dominici corporis supplementum suscipere fili mi non renuas: quin potiùs illud auidißimè quæras, fideliter comedas. Cibus ille etenim incomparabilis, ineffabilis, uiaticum tibi erit saluberrimum, redemptionis tuæ precium, redemptoris monimentum, & redempti munimentum.*

Communio morientium ab Aduersarijs contemnitur.

Ex his omnibus satis licet perspici, Augustinum hæc verba, *Quod pro vobis datur,* de vero Christi corpore, quod in sacrosancta Eucharistia substantialiter habetur & immolatur, accepisse. Quòd vero etiam ea verba, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur,* de vero Christi sanguine, vt is in V. Sacramento substantialiter adest, acceperit, id quoquè ex ijs quæ sequuntur sententijs eius potest liquidò animaduerti.

Lib. 12. contra Faustum, cap. 20: *Quòd columba,* inquit, *post alios septem dies dimissa, reuersa non est, significat finem seculi, quandò erit sanctorum requies: non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quandiù bibitur quòd de Christi latere manauit: sed iam in ipsa perfectione salutis æternæ, cùm traditur regnum Deo & patri, ut in*

Genes. 8.

Christiani bibũt quod de Christi latere manauit.

illa

illa perspicua contemplatione incommutabilis ueritatis, nullis mysterijs corporalibus egeamus.

Lib.1.de peccatorum meritis & remissione, cap.24. Non *dubitemus*,ait,*etiam pro infantibus baptizatis sanguinem fusum, qui priusquàm funderetur, sic in sacramento datus & commendatus est, ut diceretur:* HIC EST SANGVIS MEVS &c.

Verba, Hic est sanguis meus, Christus de suo, fusus est, sanguine dixit.

Tractatu 31. in Iohannem, loquens de Iudæis, D. Petri & aliorum Apostolorum sermone compunctis & conuersis: *At verò*, inquit, *illi uiderunt Christum suo scelere morientem, & crediderunt in Christũ suis sceleribus ignoscentem: quousquè biberent sanguinem quem fuderant, de sua salute desperauerunt.*

Iudæi credẽtes, illum quẽ fuderãt, sanguinem biberun.

De Symbolo ad catechumenos lib.1.cap.6.sic habet: *Quãtum nefas est occidere Christũ? Iudæi tamẽ cum occiderũt, & multi in eũ posteà crediderunt, & biberunt sanguinem, dimissum est illis peccatũ quod cõmiserũt.*

Itemq; de vtilitate Pœnitẽtiæ, cap.1. *Hoc aũt miraculo* (putà ꝙ Apostoli linguis oĩbus loquerentur) *territi Iudæi, consiliũ uitæ ab Apostolis petiuerunt. Tunc eis Petrus annũciauit, eũ colendũ quem crucifixerunt, ut eius sanguinem iam nôssent bibere credentes, quem fuderant sæuientes.* Act. 2.

In Psal.33. Concione 2. qui locus iam antè fusiùs allatus est, *docet, nos manducando crucifixum & bibendo illuminari.*

In eiusdem Psalmi versum illũ, Mors peccatorũ pessima, scribit his verbis: *Verè magnus Dominus, & misericordia eius uera, qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, & sanguinem bibere.*

Christus nobis edendum dedit corpus suum, in quo tanta ptulit.

In Psal.65. de Iudæis ad fidem conuersis, hunc in modũ loquitur: *Fusus Domini sanguis datus est homicidis, non ut dicam deicidis: quia si cognouissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. Modò homicidis donatus est fusus sanguis innocentis: & ipsum sanguinem quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt.* 1.Cor.2.

Rursus in Psal.93. *Nanq; de his*, ait, *qui crucifixerunt Christum, facta sunt posteà miracula, quando de ipso numero Iudæorum crediderunt, & donatus est illis sanguis* CHRISTI. *Impias manus & cruentas de sanguine* CHRISTI *portabant: lauit eos ipse, cuius sanguinem fuderunt.*

Adiuncti sunt corporis ipsius, id est, Ecclesiæ, qui corpus eius mortale, quod uiderant, persecuti sunt. Fuderunt precium suum, (putà, quo empti sunt) *ut biberēt precium suum.*

Acto 2. Item in Psal. 94. de multis illis Iudæorum millibus per Petrum cōuersis ità dicit: *Tāta auiditate Dei laudis & suæ accusationis cōuersi sunt, ut qui primò sanguinem Domini fuderunt sæuientes, bibere discerent iam credentes.*

In Psal. 100. versum illum, Superbo oculo & insatiabili corde, huic non conuescebar, hæc eius verba leguntur: *Iudæi pascebantur tanquàm de pœna Domini. Nam & nos de cruce Domini pascimur, quia corpus ipsius manducamus.*

Postremò ex sancti viri Sermone ad Neophytos, Iuo Carnoteñ Episcopus, quem etiam suprà citauimus, in memorata ad Haymericū Abbatem Epistola hanc profert sententiam: Hoc *accipite in pane, (id est, panis specie) quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod manauit de Christi latere.*

Christi corpus & sanguinem in Sacramento ꝓ viuis & defunctis in peccatorum remissioné offerri.

Iam porrò etiam illa Christi verba, In remissionem peccatorum, Augustinum ad V. Sacramentum retulisse, vt ꝙ in illo caro & sanguis Domini in peccatorum remissionem offeratur, idq; non pro viuis duntaxat, sed etiam vita functis, ipse sibi locuples testis est, vt iā memoratum est, lib. Confessionum 9. cap. 13. & Quæstionū super Leuiticum lib. 3. cap. 57. vbì ait, *in hoc sacrificio, ueteris legis sacrificijs significato, ueram esse peccatorum remissionem.*

In Enchiridio quoquè cap. 110. sacrificia altaris, q̄ in Ecclesia fiunt, docet propitiationes esse, nō solū pro viuis, sed etiam defunctis fidelibus, qui tamē absq; peccatis mortiferis hinc decesserint. *Pro nō valdè malis,* inquit, *propitiatiōes sunt.* Et paulò pôst: *Quibus aūt prosunt, aut ad hoc ꝓsunt, ut plena sit remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa dānatio.*

Eundem in modum scribit Sermone 2. de Verbis Apostoli, vbì V. Sacramentum appellat salutare sacrificium. Verba eius sic se habent: *Sacrificio salutari & eleemosynis, quæ eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, ut cum eis misericordiùs agatur à* Domino, *quàm eorum peccata meruerunt.*

Equidē

Equidem ex his omnibus plùs satìs id constare mihi persuadeo, Augustinum ea Christi verba, *Hoc est corpus meū, quod pro vobis datur:* itemq; ea, *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionē peccatorum,* de corpore & sanguine Domini in sanctissima Eucharistia & accepisse, & accipienda docuisse: putà quòd idē Domini corpus, quod in cruce immolatum est, idemq; sanguis, qui in cruce fusus est, secundùm substantiam sit & realiter.

Quartò ea quoquè Seruatoris verba, quę sunt apud Iohannē 6. cap. IIII. Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, non secùs intellexisse Augustinum, atquè suprà in quinto scripturæ testimonio annotatum est, nempè, Christū ijs polliceri, se nobis carnē suam in V. sacramēto edendā prębiturum, eāq; adeò carnem, quā pro mundi vita daturus esset cruci: deindè dictionem illā, panis, non terrenum, sed cęlestem eo loco panem, i. Christi diuinitatem cuncta pascentem, eiusq; deificatā carnem, qua nos in corpore & anima ad vitam reficimur & alimur immortalē, ei significâsse, principiò haud obscurè liquet lib. I. de peccatorum meritis & remissiōe cap. 24. iam antè citato, *ubi Afros suos uel Punicos Christianos optimè dicit Sacramētum corporis Christi nihil aliud uocare q̄ uitā, idq; proptereà quòd Dominus dixerit, Panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi uita.*

Christus Iohan. 6. suā nobis verā carnē in cibū pollicitus est.

Panis, Iohan. 6. quid sit.

In eādē sententiā scribit Tractatu 26. in Iohannē, eadē Dñi verba interpretans. Hoc *quandò,* inquit, *caperet caro, (id est, homo carnalis) quòd dixit panem carnem? Vocatur caro, quod non capit caro. Et ideò magis non capit caro, quia uocatur caro.* Hoc *enim exhorruerūt, hoc ad se multùm esse dixerunt, hoc enim non posse fieri putauerunt. Caro mea est,* inquit, *pro mundi uita.* Nôrunt *fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si uolunt uiuere de spiritu Christi. De spiritu Christi non uiuit, nisi sit corpus Christi.* Et pòst pauca: *Indè est, quòd exponens nobis Apostolus Paulus hūc panem, Vnus panis,* inquit, *unū corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, ô signum unitatis, ô uinculum charitatis. Qui uult uiuere, habet ubi uiuat, habet undè uiuat.* Accedat, *credat, incorporetur ut uiuificetur.*

Perspicuè ex his animaduertis, eum memorata Dñi verba Iohā. 6.

Porrò super hæc omnia, omninò perspectum vt habeas, quinam Augustinus verba seruatoris, HOC EST CORPVS MEVM, intellexerit, in manum sumas Epistolam eius 118. ad Ianuarium, ex qua poteris hinc planè certior effici. Habes illic inter cætera: *Dixerit aliquis non quotidiè accipiendam Eucharistiam. Quæsieris, quarè? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus puriùs homo continentiusq; uiuit, quò ad tantum sacramentum dignus accedat. Qui enim manducauerit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Alius contrà: Immò, inquit, si tãta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, authoritate antistitis debet quisq; ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam: non ut arbitrio suo, cùm libet, uel auferat se communioni, uel reddat. Cæterùm si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet à quotidiana medicina dominici corporis separare. Rectiùs inter eos fortaßè quisquam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Christi pace permaneant, faciat autem unusquisq;, quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentũ certatim honorare contendunt. Neq; enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus ille & centurio, cùm alter eorum gaudens in domũ suam susceperit Dominum: alter dixerit, Non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Et paulò infrà: Nam & iste honorando, non audet quotidiè sumere: & ille honorando, non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non uult cibus ille, sicut manna fastidium. Indè enim & Apostolus indignè dicit acceptum ab eis, qui non discernebant à cæteris cibis ueneratione singulariter debita. Continuò quippe cùm dixisset, Iudicium sibi manducat & bibit: addidit ut diceret, Non diiudicans corpus.*

Eucharistia nũ quotidiè accipienda, nécne.

Magnis obnoxij peccatis olim non à statim facta confessione absoluebantur, sed abstinebãtur, donec impositã cõplessent satisfactionẽ. His impius contradicit Luterus.

Eucharistia, est medicina Dominici corporis.

Luc 19. Matt. 8.

Num. 21. 1. Cor. 11.

Equidem, hîc libens interim præteriero, Augustinum Eucharistiam, corporis & sanguinis dominici medicinam, itemq; totiès corpus & sanguinem, atq; etiam saluberrimum nuncupare sacramẽtum. Id verò notatu dignum mihi videtur, cum vtrunq; hoc religiosorum

ac Deum timentium hominum genus, de quotidiana communione disceptantium, duobus illis, quorum est mētio in Euangelio, pijs admodùm viris, Zachæo & Centurioni comparari: quo ille satìs innuit, Christum Dominum in V. Sacramento non minùs substātialiter sub tectum, id est, in corpus nostrum, idq; in vtriusque hominis salutem ingredi, atquè olim in Zachæi domū substantialiter ingressus sit: nos quoquè Dominum in V. Sacramento suscepturos, dicere debere cum Centurione: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: quod etiam Origenes, vt suprà fol. 116. annotatum est, docet.

Prætereà habet hîc Augustinus, cibo huic venerationē quandam singulariter deberi, eáq; speciatìm, vt à cæteris cibis longè eū discernamus, nec vsitati panis loco habeamus: qui verò id non faciant, eos ex Apostoli sententia iudicium sibi mãducare & bibere. Hîc iam expendas Lector, num Aduersarij, qui ex V. Sacramento panem faciūt communem & terrenum, hanc æternæ damnationis sententiam à se possint amoliri. Augustinus vult V. Sacramentū pro vulgari pane duci non debere, sed illi venerationem singulariter debitam esse pręstandam: immò Dominum ipsum in illo adorandum, dicendúq;: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Non dijudicare corpus Domini, qd sit Apostolo. Matt. 8.

De qua quidem veneratione singulariter tanto sacramento debita, eadē Epistola etiam alteri quæstiōi, Vtrùm iam refecti, die illa sumere debeāt Eucharistiā, hunc in modū respondēs, ista cōmemorat: *Ex hoc enim* (scilicet tempore, quo discipuli seruatoris, eius corpus & sanguinem acceperunt) *placuit Spirituisancto, ut in honorem tāti Sacramenti, in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Ait porrò Apostolum Corinthios arguisse & emēdāsse, quòd mensis suis tantum sacramentum miscerent.* Nanq; *saluator*, ait, *quò uehementius commendaret mysterij illius altitudinem, ultimum hoc uoluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad paßionem digreßurus erat.* Placuit Spirituisancto, vt corpus dominicū ante omnem cibū sumatur.

Si quidem satìs superq; non docent hęc omnia, Augustinum Christi verba, HOC EST CORPVS MEVM, non pro solo pane, quod illi Aduersarij impudentissimè affingūt, sed de ipsissimo seruatoris corpore accepisse, iam planè quid dicam non video: pręsertìm vbì ille verba ea, quibus hoc V. Sacramentum institutum est, supremam Do-

V. Sacramẽti institutio, Christi supre ma voluntas fuit.

mini saluatoris volũtatem fuisse testatur, quam idem Dominus suorum discipulorum cordibus & memorię, ceu altissimum mysterium, infigere voluerit. Ex quo potest liquidò perspici, Augustinum eaipsa verba haud secùs accepisse, quàm sint testatoris extrema accipienda verba, queadmodùm antè dictum est latiùs 18. & 19. scripturæ testimonio, ipseq; adeò Augustinus id docet Tractatu 10. in Epistolã Iohannis, vbì inducit hęredẽ de verbis nouissimis Patris sic loquentẽ: *Ego non faciam, quod mihi pater efflans animam, nouissimè mandauit? quod ultimũ sonuit in aures meas, proficiscente hinc patre meo? Quæuis alia uerba ipsius aliter habere possum, nouissima uerba plùs tenent.* Et deindè sic subinfert: *Custodiuntur uerba nouissima hominis morientis: quid sibi sperant illi, qui uerba nouissima sedentis in cælo non custodiunt, uidentis desuper an contemnatur, an non contemnatur?*

Augustinus panẽ cõmunem opponit Eucharistiæ, tanquàm qui diuersæ ab illa substantiæ sit.

Prætereà studiosus Lector non potest esse nescius, viro huic sanctissimo, quotiès simul de pane communi, & corpore Domini in Eucharistia loquitur, panem & sacrosanctã Eucharistiam longè diuersa esse Disparata: quæ causa est, vt ea sibi mutuò opponere solitus sit, tanquàm quæ non eiusdem sint substantię. Epistola 64. sic habet: *Accipiamus cum eis corpus, cum quibus panem comedere prohibemur?* Quo loco dolet, Afros suos cum ebriosis accipere solere Christi corpus, cum quibus tamen ex Pauli pręscripto 1. Cor. 5. meritò nec panẽ sumere deberent.

Sacramentũ est preciũ nostrũ, quo empti sumus, & uita.

Vnum adhuc adferemus locũ ex Sermone illius 2. de verbis Apostoli, quo planum testatumq; fiat id quod probãdum suscepimus, eũ videlicet Chri verba propriè accepisse, atq; indè ad alias nos ratiões conferemus. Eius verba sic se habent: *Audiuimus ueracem magistrum, diuinum redemptorem, humanum saluatorem commendantem nobis preciũ nostrum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore & sanguine suo, quod corpus dixit escam, sanguinem potum, sacramentum fidelium. Agnoscunt fideles. Audientes* (id est, catechumeni) *autẽ quid aliud quàm qui audiunt? Cùm ergò commendans talem escam & talem potum, diceret, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis uitam in uobis: & hoc diceret de uita, quis alius quàm ipsa uita? erit*

autem

autem illi homini mors, non uita, qui mendacem putauerit uitam: scandalizati sunt discipuli eius &c. Nimirùm satìs hîc perspicuè asserit, Christum magistrum veracem, & qui mentiri nesciat, luculentis testatum esse verbis, fidelium sacramentum, nobis ab ipso commendatum & relictum, eius esse corpus & sanguinem, nec alium sanguinem, quàm qui est precium nostrum, quo empti sumus: itemque esse hęc veram escam & verum potum, adeoq; vitam ipsam: deniquè illis omnibus, qui vitam, id est, Christum de vita (vt dictum est) testificantem, mendacem putauerint, (id quod Aduersarij faciunt) non vitam, sed mortem fore sempiternam.

Pergit autem, & eodem loco, vt alijs omnibus, id explicat, vndè Capernaitæ scandali ansam arripuerint: nempè, *quòd putarent Dominum de corpore suo, quod uidebant, partes facturum, & membra sua concisurum, ijsq; daturum.* Sed vt has ex eorum animis nimiùm horrendas cogitationes euelleret, addit dixisse Dominum: Capernaitas quid offenderit.

Quid ergò si uideritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Certè qui integer ascendere potuit, consumi non potuit: Ergò & de corpore ac sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem, & tam magnam breuiter soluit de sua integritate quæstionem. Manducēt ergò qui manducant, & bibant qui bibunt, esuriant & sitiant, uitam manducent, uitā bibant. Illud mãducare, refici est: sed sic reficeris, ut nō deficiat undè reficeris. Illud bibere, quid est nisi uiuere? Manduca uitam, bibe uitam, habebis uitam, & integra est uita. Tunc autem hoc erit, id est, uita erit unicuique corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento uisibiliter sumitur, in ipsa ueritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur. Audiuimus enim ipsum Dominum dicentem: Spiritus est qui uiuificat, caro autem non prodest quicquam. Verba quæ locutus sum uobis, spiritus & uita sunt. Sed sunt, inquit, quidam qui non credunt: ipsi dicebant, Durus est hic sermo: quis potest eum audire? Durus est, sed duris: id est, incredibilis, sed incredulis &c

Edere & bibere V. Sacramentū, qd sit.

Iohan. 6.

Hac oratione Augustinus, aduersariorū philosophica planeq; stolida aduersùs Christi virtutē omnipotentē argumenta om̄ia, prorsus

subruit & eneruat. Si Christus, inquit, in cęlum integer ascédere potuit, potest etiam integrum & sinè defectu fidelibus suis edendũ prębere corpus suum, & in eodé vitam nobis salutemq; conferre. Simul obserua, quàm crebrò hîc V. Sacramentũ vitam nuncupet, & Aduersariorum nostrorum castiget incredulitaté. *Durus est*, ait, *sermo Christi, sed duris: id est, incredibilis, sed incredulis.* Quæ non possunt de figura accipi. Cui ení durus & incredibilis possit sermo videri, si quispiam (vt nihil de Christo Deo & homine loquar) corporis sui figuram alijs relinquat? Atq; nè possit vllam habere dubitationem, Augustinum hoc loco V. Sacramétum (id est, veritatem corporis & sanguinis Christi, quæ nos in mysterio accipimus) vitam appellare, audi quid ille hinc scriptum reliquerit lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 24: *Optimè, inquit, Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem, & sacramétum corporis Christi nihil aliud quàm vitam uocant. Vndé, nisi ex antiqua (ut existimo) & Apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter baptismum & participationem Dominicæ mensæ, non solùm non ad regnum Dei, sed nec ad salutem & uitam æternam posse quenquam hominum peruenire?* Hoc enim *& scriptura testatur, secundùm ea quæ supradiximus. Nam quid aliud tenent, qui baptismum nomine salutis appellant, nisi quòd dictum est* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis: & quod Petrus ait* 1. Pet. 3. *Sic & uos simili forma baptisma saluos facit? Quid aliud etiam, qui sacramentum mẽsæ Dominicæ uitam uocant, nisi quod dictum est* Iohan. 6. *Ego sum panis uitæ, qui de cælo descendi: & panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi uita: &, Si non manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis uitam in uobis &c?*

Increduli in V. Sacramentũ impingũt.

Probatur, Augustinũ corpus Christi in V. sacramẽto vitam appellare.

Afri baptismum salutẽ, & Eucharistiam vitam nũcupârunt.

Apostolica Traditio.

Iohan. 3.

Iohan. 6.

Hæc velis nolis, de V. sacramento dicta fatearis oportet. Num tu igitur persuasum habes, Apostolos Christi Ecclesijs tradituros fuisse, vt V. Sacramentum vitam nuncuparent, si id illi figurę duntaxat loco habuissent? Aut quî tandèm Afri optimè, quod illis Augustinus tribuit, Sacramentum corporis Christi nihil aliud quàm vitam vocâssent, si vir sanctus illud nõ nisi figuram esse putâsset? Qua enim ratione figura nihil aliud quàm vita dici queat?

His

His consimilia scribit Tractatu 27. in Iohanné, in ea D. Petri verba, Verba vitæ æternę habes: *Vitam æternam,* inquit, *habes in ministratione corporis & sanguinis tui. Et nos credimus & cognouimus. Non cognouimus & credimus, sed credimus & cognouimus. Credimus enim, ut cognosceremus. Nam si priùs cognoscere, & deindè credere uellemus, nec cognoscere nec credere ualeremus. Quid credimus, & cognouimus? Quia tu es Christus filius Dei uiui: id est, quia ipsa uita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo, nisi quod es.*

In Christi corpore & sanguine, quæ accipimus, vita est æterna & Christus ipse.

Hactenùs generatìm docere volui, Augustinum Christi ea verba, HOC EST CORPVS MEVM, non tropicè, sed secundùm literam & vt sonant, planè simpliciterq́; intellexisse. Iam porrò etiam hoc testatum efficiam, cum cunctis illis propemodùm rationibus, q́ suprà in scripturę testimonijs proferendis speciatìm à me alię post alias allatę sunt, eodem modo in huius veritatis confirmationem vsum esse.

Et principiò quidem docuisse illum, Christum in sacrosancta cœna sua veteris testamenti figuras, ceu præuias quasdã vmbras & signa præsignificantia, huius institutione V. Sacramenti, ceu rei illis figuris significatæ, & absoluisse & abrogâsse, id quod nos iam antè in secundo scripturę testimonio prolixè annotauimus, multis operũ eius locis probari potest. 1.

August. docet V. Sacraméto, ceu Re significata, figuras veteris testaméti esse abolitas.

In oratione Psal. 39. scribit hunc in modum: *Quandò promittebatur, tunc dicebatur: cùm autem datum est quod promissum est, ablata sunt uerba promissiua, data sunt completiua. Sacrificia ergò illa, tanq̃ uerba promissiua, ablata sunt. Quid est, quod datum est completiuum? Corpus quod nôstis, quod non omnes nôstis: quod utinàm qui nôstis omnes, non ad indicium noueritis.* Et paulò pòst: *Sacrificium,* inquit, *& oblationem noluisti. Quid ergò? Nos iam hoc tempore sinè sacrificio dimissi sumus?* Absit. *Corpus autem perfecisti mihi. Ideò illa noluisti, ut hoc perficeres: illa uoluisti, antequàm hoc perficeres. Perfectio promissorum, abstulit uerba promittẽtia. Nam si adhuc sunt promittentia, nondum impletum est quod promissum est. Hoc corpus promittebatur quibusdam signis: ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est ueritas promissa. In hoc corpore sumus, huius corporis participes sumus: quod accipimus, nouimus: & qui non nôstis, noueri-*

cus,poculo sanguis.Sed Augustinus eum hæc dicentem nescire ait altaris nomen,magis legis & prophetarum literis frequentatum,& altare DEO prius in tabernaculo,quod per Mosen factum est,collocatum. Aram quoque in Apostolicis literis inuenire,ubi martyres clamant sub ara Dei.Dicit cessisse pani pecus,tanquam nesciens, & tunc in Domini mensa panes propositionis poni solere,& nunc se de agni immaculati corpore partem sumere.Dicit cessisse poculo sanguinem,non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem.Quanto ergò meliùs & congruentiùs uetera transisse, & noua in Christo facta esse sic diceret, ut cederet altare altari, gladius gladio,ignis igni,panis pani,pecus pecori,sanguis sanguini?

Exod.20.21. 24.29.
Leui.1.
Apocal.6.vbi vulgata versio habet altare.
Ex altari sumimus corpus & sanguinem agni immaculati.

Hîc ille disertis asseuerat verbis,panes propositionis iam in Christo cessisse non ipsis simili pani typico,vt nostri blaterant Aduersarij,sed corpori agni immaculati:itemque veteris testamenti pecorinum sanguinem non alteri æquè typico,sed ipsius Christi sanguini, quem nunc ex poculo vel calice sumimus,cessisse.

Non minùs apertè idem ille testatur in quæstionibus super Leuiticum,lib.3.cap.57.vbì hanc mouet quidem quæstionem, non tamē soluit.Cùm Dominus dicat,*Nisi manducaueritis carnem meam,& biberitis meum sanguinem,non habebitis uitam in uobis: quid sibi uult, quòd à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantoperè populus prohibetur, si illis sacrificijs unum hoc sacrificium significabatur, in quo uera sit remissio peccatorum:à cuius tamē sacrificij sanguine in alimētum sumendo,non solùm nemo prohibetur,sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur,qui uolunt habere uitam?* Rursus hîc testatum efficit,veteris legis sacrificia hoc altaris sacrificium,in quo vera est remissio peccatorum,significâsse,eique cessisse,iamque verum nos sanguinem in Eucharistia percipere. Quæ quidem omnia satìs probant, Augustinum perpetuò id docuisse,Christum in sacrosancta Cœna in locum typicorum omnium sacrificiorum, quæ tum abrogauit,hoc verum corporis & sanguinis sui sacrificium substituisse.

Leuit.7.
Tametsi vetus lex à sanguine bibendo grauiter arcet, attamē in noua lege, Christi sanguinem bibimus.

Porrò cùm in memorato secundo Scripturę testimonio etiā illud annotauerimus,ea verba,quibus aliquid diuinitùs iubetur, vel qbus 2.

Quæ ad fidē, præcepta Dei

Sacra-

Sacramenta instituuntur, pro genuina ac propria significatione sua, nō autem metaphoricôs accipi oportere, idem quoquè Augustinus docet lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 9. vbì sic habet: *In his enim quæ apertè in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq; uiuendi.* Nihil verò fidem nostram supra intellectū nostrum perindè flagitat, quàm venerāda sacramēta, atq; inprimìs hoc mirificissimum corporis Christi sacramētum, vtì in Augustini aliorumq; patrum iam antè prolatis authoritatibus prolixè videre licet, & deincèps quoquè perspicere licebit. Cùm ergò hæc ità se habeant, metaphoræ nullus hîc locus est: alioquì nostram de hoc V. Sacramēto fidem prorsus in dubium vocabimus: inmò pro cuiusq; temeritate ac libidine nō nisi vanissimo insomnio illa innitetur: vtì iam prô dolor nostra ætate scelestissimi metaphoristæ hoc suo in errore instar hydræ plùs quàm decem sunt capitum, quandò cuiq; è suo natus cerebro tropus inprimìs arridet, cùm tamen oēs cum vera certaq; catholicæ Ecclesiæ pugnent sententia.

& Sacramēta attinent, propriè accipiēda sunt.

Aduersarij fidem V. Sacramēti prorsus incertam efficiunt.

3. Tertiò, Augustinum indè quòd in Luca & Apostolo DOMINUS nō solùm ait, HOC EST CORPVS MEVM: sed adiungit etiam, *Quod pro vobis datur*: nec simpliciter dicit, HIC EST SANGVIS MEVS: sed annectit, *Noui testamenti, qui pro vobis fundetur*: quodq; apud Matthæum habetur, *In remißionem peccatorum*: ex his, inquam, id accepisse virum sanctissimum, Christum in V. Sacramento idem illud nobis præbere corpus, quod pro nobis crucifigendū tradiderit: eundemq; sanguinem, quem id temporis nostræ salutis causa in remissionē peccatorum fuderit, nobis substantialiter impartiri, vtì suprà in tertio Scripturæ testimonio explicatum est, id nimirùm ex eius scriptis copiosissimè potest edoceri.

Augustinus corpus & sanguinē in Eucharistia, pro ijsdē habuit, quæ pro nobis in cruce immolata sūt in remissionē peccatorū.

Confessionum lib. 9. cap. 13. *Corpus Christi in V. Sacramento uocat uictimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis.* Refert ibidem matris suæ Monicæ supremam voluntatem, hisce Deum sermonibus appellans: *Imminente die resolutionis suæ, nō cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus: aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulcrum patrium. Non ista mādauit nobis, sed tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit,*

Corpus Christi in Eucharistia, victima sancta.

uit, cui nullius diei prætermißione seruierat, unde sciret dispensari uicti-mam sanctam,qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis &c. Aduersarij hæc pia fidelium desideria condemnant. Coloss. 2.

Sæpiùs quoquè V. Sacramentum appellat *precium quo empti sumus*, vt habes Epistola 162. & 163. contra Donatistas: itemq; *carnem sacrificij nostri, corpus sacerdotis nostri*, lib. 4. de Trinitate, cap. 14. vbi ista leguntur. *Quid tam mundum pro mundandis uitijs mortalium, quàm sine ulla contagione carnalis concupiscẽtiæ, caro nata in utero & ex utero uirginali? Et quid tam gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri?* Eucharistia, precium est, quo empti sumus. Caro nata ex virgine, Caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri.

Indè est, quòd totiès idem V. Sacramentum vocat sacrificium corporis Christi, & sacrificium Mediatoris. Epistola 120. ad Honoratũ, dicit Christum Psal. 21. vbi ait, *Vota mea reddam coram timentibus eũ: edent pauperes & saturabuntur, uota sua sacrificium uelle intelligi corporis sui, quod est fidelium sacramentum.* Sacrificium Mediatoris.

Lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 20. ità scribit: *Per hoc* (putà, quòd formam serui accepit) *& sacerdos est Christus: ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum, quotidianum esse uoluit Ecclesiæ sacrificium, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus: tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri.* Ecclesia Christũ offert patri in V. Sacramento.

Contra Faustum lib. 20. cap. 18. *Hebræi*, inquit, *in uictimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & uarijs modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ uictimæ, quam Christus obtulit. Vndè iam Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.* In Missa Christi corpus offertur & sumitur.

Libro 1. contra Cresconium, cap. 25. vbi docet *diuinum hoc Sacramentum malè utentibus perniciosum fieri, illud unicum pro salute nostra sacrificium nuncupat.* Vnicum pro salute nostra sacrificium.

In Enchiridio cap. 110. *Neq; negandum est*, ait, *defunctorum animas pietate suorũ uiuentiũ releuari, cùm pro illis sacrificiũ mediatoris offertur.* Sacrificium mediatoris. Id negãt Aduersarij.

Libro 22. de Ciuitate Dei, cap. 8. plura de huius sacrificij efficacia commemorat: *Vir*, inquit, *tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Tussalensi fundum Cubedi appellatum, ubi cùm afflictiõe ani-*

malium & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum uim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantùm potuit, ut cessaret illa uexatio, Deoq; protinus miserante cessauit.

Sacrificium corporis Christi profligat dæmones.

In Iohannem Tractatu 24. de altari scribit in hæc verba: *Nam quæ est mensa potentis, nisi unde sumitur corpus & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis?*

Sermone 21. de Sanctis, his vtitur verbis: *Sub ara Dei, inquit Iohannes, uidi animas occisorum. Quid reuerentius, quid honorabilius dici potest, quàm sub illa ara requiescere, in qua* Deo *sacrificium celebratur, in qua offerũtur hostiæ, in qua* Dominus *est sacerdos, sicut scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem* Melchisedech? *Rectè sub altario iustorum animæ requiescunt, quia super altare corpus* Domini *offertur. nec immeritò illic iusti sanguinis uindictam postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur,* (putà, in perceptione illius.)

Cur olim martyres sub altari sepulti.

Super altare Christus est sacerdos, idemq; offert corpus suũ, & sanguinẽ suum spiritaliter fundit pro peccatis.

Libro 2. de Visitatione infirmorum cap. 4. *Illud etiam uiuificum,* ait, *Dominici corporis supplementum suscipere fili mi non renuas: quin potius illud auidissimè quæras, fideliter comedas. Cibus ille etenim incomparabilis, ineffabilis, uiaticum tibi erit saluberrimum, redemptionis tuæ precium, redemptoris monimentum, & redempti munimentum.*

Communio morientium ab Aduersarijs contemnitur.

Ex his omnibus satis licet perspici, Augustinum hæc verba, *Quod pro vobis datur,* de vero Christi corpore, quod in sacrosancta Eucharistia substantialiter habetur & immolatur, accepisse. Quòd vero etiam ea verba, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur,* de vero Christi sanguine, vt is in V. Sacramento substantialiter adest, acceperit, id quoquè ex ijs quæ sequuntur sententijs eius potest liquidò animaduerti.

Lib. 12. contra Faustum, cap. 20: *Quòd columba,* inquit, *post alios septem dies dimissa, reuersa non est, significat finem seculi, quandò erit sanctorum requies: non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quandiù bibitur quòd de Christi latere manauit: sed iam in ipsa perfectione salutis æternæ, cùm traditur regnum Deo & patri, ut in*

Genes. 8.

Christiani bibũt quod de Christi latere manauit.

illa

illa perspicua contemplatione incommutabilis ueritatis, nullis mysterijs corporalibus egeamus.

Lib.1.de peccatorum meritis & remissione, cap.24. Non *dubitemus*,ait,*etiam pro infantibus baptizatis sanguinem fusum, qui priusquàm funderetur, sic in sacramento datus & commendatus est, ut diceretur:* HIC EST SANGVIS MEVS &c. Verba, Hic est sanguis meus,Christus de suo, fusus est,sanguine dixit.

Tractatu 31.in Iohannem, loquens de Iudæis, D. Petri & aliorum Apostolorum sermone compunctis & conuersis:*At verò*, inquit, *illi uiderunt Christum suo scelere morientem,& crediderunt in Christũ suis sceleribus ignoscentem: quousquè biberent sanguinem quem fuderant, de sua salute desperauerunt.* Iudæi credẽtes,illum quẽ fuderãt, sanguinem biberun.

De Symbolo ad catechumenos lib.1.cap.6.sic habet: *Quãtum nefas est occidere Christũ!Iudæi tamẽ eum occiderũt,& multi in cũ posteà crediderunt,& biberunt sanguinem,dimissum est illis peccatũ quod cõmiserũt.*

Itemq; de vtilitate Pœnitétiæ,cap.1.*Hoc aũt miraculo* (putà ꝙ Apostoli linguis oĩbus loquerentur) *territi Iudæi,consiliũ uitæ ab Apostolis petiuerunt.Tunc eis Petrus annũciauit,eũ colendũ quem crucifixerunt, ut eius sanguinem iam nôssent bibere credentes,quem fuderant sæuientes.* Act. 2.

In Psal.33.Concione 2.qui locus iam antè fusiùs allatus est, *docet, nos manducando crucifixum & bibendo illuminari.*

In eiusdem Psalmi versum illũ,Mors peccatorũ pessima,scribit his verbis:*Verè magnus Dominus,& misericordia eius uera, qui nobis dedit manducare corpus suum,in quo tanta perpessus est,& sanguinem bibere.* Christus nobis edendum dedit corpus suum, in quo tanta ptulit.

In Psal.65.de Iudæis ad fidem conuersis,hunc in modũ loquitur: *Fusus Domini sanguis datus est homicidis,non ut dicam deicidis: quia si cognouissent,nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent.Modò homicidis donatus est, fusus sanguis innocentis: & ipsum sanguinem quem per insaniam fuderunt,per gratiam biberunt.* 1.Cor.2.

Rursus in Psal.93.*Nanq; de his*,ait,*qui crucifixerunt Christum, facta sunt posteà miracula,quando de ipso numero Iudæorum crediderunt, & donatus est illis sanguis* CHRISTI. *Impias manus & cruentas de sanguine* CHRISTI *portabant:lauit eos ipse, cuius sanguinem fuderunt.*

Adiuncti sunt corporis ipsius, id est, Ecclesiæ, qui corpus eius mortale, quod uiderant, persecuti sunt. Fuderunt precium suum, (putà, quo empti sunt) *ut biberēt precium suum.*

Acto 2. Item in Psal. 94. de multis illis Iudęorum millibus per Petrum cōuersis ità dicit: *Tāta auiditate Dei laudis & suæ accusationis cōuersi sunt, ut qui primò sanguinem Domini fuderunt sæuientes, bibere discerent iam credentes.*

In Psal. 100. versum illum, Superbo oculo & insatiabili corde, huic non conuescebar, hæc eius verba leguntur: *Iudæi pascebantur tanquàm de pœna* Domini. *Nam & nos de cruce* Domini *pascimur, quia corpus ipsius manducamus.*

Postremò ex sancti viri Sermone ad Neophytos, Iuo Carnoteñ Episcopus, quem etiam suprà citauimus, in memorata ad Haymericū Abbatem Epistola hanc profert sententiam: Hoc *accipite in pane, (id est, panis specie) quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod manauit de Christi latere.*

Christi corpus & sanguinem in Sacramento ꝓ viuis & defunctis in peccatorum remissioné offerri.

Iam porrò etiam illa Christi verba, In remissionem peccatorum, Augustinum ad V. Sacramentum retulisse, vt ꝗ in illo caro & sanguis Domini in peccatorum remissionem offeratur, idq; non pro viuis duntaxat, sed etiam vita functis, ipse sibi locuples testis est, vt iā memoratum est, lib. Confessionum 9. cap. 13. & Quæstionū super Leuiticum lib. 3. cap. 57. vbi ait, *in hoc sacrificio, ueteris legis sacrificijs significato, ueram esse peccatorum remissionem.*

In Enchiridio quoquè cap. 110. sacrificia altaris, q̄ in Ecclesia fiunt, docet propitiationes esse, nō solū pro viuis, sed etiam defunctis fidelibus, qui tamé absq; peccatis mortiferis hinc decesserint. *Pro nō valdè malis,* inquit, *propitiatiões sunt.* Et paulò pòst: *Quibus aūt prosunt, aut ad hoc ꝓsunt, ut plena sit remißio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa dānatio.*

Eundem in modum scribit Sermone 2. de Verbis Apostoli, vbi V. Sacramentum appellat salutare sacrificium. Verba eius sic se habent: *Sacrificio salutari & eleemosynis, quæ eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, ut cum eis misericordius agatur à* Domino, *quàm eorum peccata meruerunt.*

Equidē

Equidem ex his omnibus plùs satìs id constare mihi persuadeo, Augustinum ea Christi verba, *Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur:* itemq; ea, *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remißionẽ peccatorum*, de corpore & sanguine Domini in sanctissima Eucharistia & accepisse, & accipienda docuisse: putà quòd idẽ Domini corpus, quod in cruce immolatum est, idemq; sanguis, qui in cruce fusus est, secundùm substantiam sit & realiter.

Quartò ea quoquè Seruatoris verba, quę sunt apud Iohannẽ 6. cap. IIII.
Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, non secùs intellexisse Augustinum, atquè suprà in quinto scripturæ testimonio annotatum est, nempè, Christũ ijs polliceri, se nobis carnẽ suam in V. sacramẽto edendã prębiturum, eãq; adeò carnem, quã pro mundi vita daturus esset cruci: deindè dictionem illã, panis, non terrenum, sed cęlestem eo loco panem, i. Christi diuinitatem cuncta pascentem, ejusq; deificatã carnem, qua nos in corpore & anima ad vitam reficimur & alimur immortalẽ, ei significâsse, principiò haud obscurè liquet lib. 1. de peccatorum meritis & remissiõe cap. 24. iam antè citato, *ubi Afros suos uel Punicos Christianos optimè dicit Sacramẽtum corporis Christi nihil aliud uocare q̃ uitã, idq; propterea quòd Dominus dixerit, Panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi uita.*

Christus Iohan. 6. suã nobis verã carnẽ in cibũ pollicitus est.

Panis, Iohan. 6. quid sit.

In eãdẽ sententiã scribit Tractatu 26. in Iohannẽ, eadẽ Dñi verba interpretans. Hoc *quandò*, inquit, *caperet caro, (id est, homo carnalis) quòd dixit panem carnem? Vocatur caro, quod non capit caro. Et ideò magis non capit caro, quia uocatur caro.* Hoc *enim exhorruerũt, hoc ad se multùm esse dixerunt, hoc enim non posse fieri putauerunt. Caro mea est,* inquit, *pro mundi uita. Nôrunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si uolunt uiuere de spiritu Christi. De spiritu Christi non uiuit, nisi sit corpus Christi.* Et pòst pauca: *Indè est, quòd exponens nobis Apostolus Paulus hũc panem, Vnus panis,* inquit, *unũ corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, ô signum unitatis, ô uinculum charitatis. Qui uult uiuere, habet ubì uiuat, habet undè uiuat. Accedat, credat, incorporetur ut uiuificetur.*

Perspicuè ex his animaduertis, eum memorata Dñi verba Iohã. 6.

de V. Sacramento intellexiſſe, quãdò inter cętera dicit, Nôrũt fideles corpus. Ijs enim, cùm de V. Sacramento agit, vt antè dictum eſt, & res ipſa teſtatur, verbis vti ſolet. Itéq;, qui vult viuere, habet vndè viuat. *Accedat, credat, incorporetur ut uiuificetur.*

De Cõſec. Diſtin. 2. c. Quia paſſus.

Augustinus triforme Christi corpus commemorat.

Atque vt viri ſancti mens hac in parte rectiùs capiatur, ea illius verba obſeruanda ſunt, quibus vſus legitur Feria 2. Paſchæ de ſacramentis fidelium: *Quia paſſus eſt Dominus pro nobis, commendauit nobis in iſto ſacramento ſanguinem ſuum & corpus: quod etiam fecit noſmetipſos. Nam & corpus ipſius facti ſumus, & per miſericordiam eius, quod accepimus, nos ſumus.* Audis hic eum in hac breui oratione triplicis corporis Chriſti mentionem facere. Primò enim ait, Chriſtum pro nobis paſſum in ſuo corpore. Deindè idem corpus eum nobis in V. Sacramento commẽdâſſe. Poſtremò, etiam noſipſos ſuum corpus feciſſe. Eſt hoc illi familiare admodùm, vbì de Chriſti corpore & eius ſumptione verba facit, vtì tum plerunquè ſimul de Chriſti vero corpore, & quatenùs in illo propter nos perpeſſus eſt, & quatenùs in ſuæ commemorationem perpeſſionis illud nobis in V. Sacramento commendauit: tum etiam de myſtico Chriſti corpore, quod ſunt omnes è religione probè Chriſtiani, loquatur. Idq; ille non rarò permixtìm & confusè facit, nulla adhibita euidenti vel notabili diſtinctione vel differẽtia: quę res lectori incurioſo interìm erroris, ſeu prauæ intelligentię materiam præbet.

Augustinus vt ue loq ſolitus, cùm de ſumptione corporis Chriſti agit.

Quòd autem eius ętate id apud omnes in confeſſo eſſet, verum Chriſti corpus in V. Sacramento ſubſtãtialiter adeſſe, quod ex ſuperioribus abundè percipi poteſt, crebrò ille paucis verbis hoc indicâſſe ſat habet, quæ quidem ſæpiùs iam nobis commemorata ſunt, videlicet, Nôrunt fideles: omnemq; in eo duntaxat ponit operam, probè vt edoceat, hoc Domini corpus dignè vt poſſit accipi. Vbì ſane identidèm inculcat, abſq; vera fide, Chriſtiana charitate, fraterna cõcordia, & extra catholicam Chriſti eccleſiam, nulla id ratiõe poſſe fieri. Quô porrò fit, vt nonnunquàm in eo potiùs verſetur explicando, ecquid ſpecies externæ ſignificent, & quamobrẽ Chrs in his panis ac vini ſpecieb⁹, q̃ in creaturis alijs ſuũ nobis maluerit cõmẽdare corp⁹, q̃ vt ꝓlixa oratione de vera corporis Chriſti in V. Sacrõ pſentia agat.

Augustinus cur totiès habeat, Nôrunt fideles, eoq; contentus, id ſolum doceat, vt ſit dignè accedendum

Indè

Indè adeò totiès ille fideles admonet,vt dũ externas panis & vini species,in quibus suum nobis Chr̃s corpus & sanguinẽ cõmendauit, adspiciunt, secum cogitẽt, vt sicut panis ex multis conficitur granis, & vinum ex multis botris in torculari expressum cõfluit, ità & ipsos, maximè ad V.Sacramentum accessuros,vnum in Christo,eiusq; vnici corporis mystici,quod est catholica Ecclesia,esse oportere,nec vllis hæresum sectis & schismatibus implicatos tenéri: cùm 1.Cor. 12. scriptum sit,in vno spiritu om̃es nos in vnum corpus baptizatos esse.itemq;:Vos estis corpus Christi,& membra de membro.Et rursus Ephes.4.Vnum corpus,vnus spiritus,vnus Dominus,vna fides, vnũ baptisma.Eò pertinet,quòd alibi ait:*Si uis dignè accipere corpus Christi,corpus esto Christi. Nõ abhorreas à cõpage mẽbrorum,sed sis membrũ Ecclesiæ catholicæ:hæreas corpori,uitam alioqui & spiritum ex Sacramẽto,quod est unitatis Christi & eius mystici corporis,putà Ecclesiæ sacramentum,non habiturus. Nam de spiritu Christi non uiuet, nisi sit corpus Christi.*

Quid cogitãdum species externas V. Sacramẽti cõtemplanti.

Verùm enimuerò prẹter hanc externarum V. Sacramenti specierum spiritalis significationis explanationem,loco memorato vnà etiam mentionem facit rei in Sacramento contentæ. Ea enim Domini verba, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, interpretans:*Huius,inquit,rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidiè,alicubi certis interuallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur : quibusdam ad uitam, quibusdam ad exitium. Res uerò ipsa, cuius sacramentum est, omni homini ad uitam, nulli ad exitium, quicunque particeps eius fuerit,scilicet,actu ipso & salutariter. Quòd enim etiam mali Christi corpus re uera accipiant,post ex ipso Augustino abundè docebitur.*

Cum ergò hoc loco oratione luculenta testatum id efficiat,dignè percipienda Eucharistia nos Christo non modò vnitate spiritûs, quam in baptismo consequimur, sed etiam corporis & sanguinis eius vnitate,cuius est sacramentum, incorporari, atq; indè viuificari: non possint autem eiusmodi diuini effectus, vlli vel figuræ vel creaturæ attribui vel competere: nullo iam potest negocio animaduerti, virum sanctum passim Rem Sacramenti pro vero

Cùm sacramẽtum diuinos habeat effectus,Christum in eo re ipsa adesse necesse est.

ac vitali Christi corpore, vnà cum diuinis illis effectibus & muneribus, quæ in illo nobis conferuntur, accepisse. Eundem enim in modum etiam Cyrillus qué ei socium adiunxi, argumẽtatur, libro argumentorũ euidentiũ, Quòd Spiritussanctus sit Deus & non creatura: *Cùm spiritus, inquit, deificet, quomodò esset creatus, & nõ magis deificus? Creatura enim deificare non potest.*

Augustinus de Eucharistia loquens, cur tãtoperè in Christianæ vnitatis doctrina versetur.

Non est autem quòd mireris, Augustinum, quotiès de hoc agit V. sacramento, ferè semper in catholicę Christi Ecclesiæ tractanda vnitate tanto studio versari. Eius nanq; æuo catholicam Ecclesiam immaniter lacerabant hæretici, prȩsertim amentissimi Donatistæ, qui nõ verbis tantùm, sed etiam armis & vi rem gerebant. Erant inter illos qui Circuncelliones dicerentur, homines prorsus rabidi & furiosi. Ij armati incedentes, Christianorum vitæ insidiabantur, eosq; miserè deprȩdari, iugulare, extinguere non dubitabãt, cùm interìm nihilo seciùs religiosissimi vellent haberi. (vt nostris temporibus hac in parte agatur, certa nos proh dolor docet experientia). Ijs ergò tam impotenter sæuiẽtibus, Christiq; Ecclesiam, potissimùm in Aphrica, tam crudeliter distrahentibus atq; scindentibus, pro ea temporũ suorum necessitate dat operam Augustinus, vt quoàd eius fieri possit, plebeculam suam ab hac execrabili secta retrahat & auocet, & intra catholicæ Ecclesię, quæ mysticum Christi corpus est, contineat vnitatem: quemadmodùm ipse quoquè testatur Tractatu 27. in Iohannem, vbì sic habet: *Hæc dicuntur, ut amemus unitatem, & timeamus separationẽ. nihil enim sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi*, intellige mystico, quod est Ecclesia catholica. Huic verò exhortationi inprimìs accõmoda erat parȩnesis & inuitatio ad dignam Eucharistiæ perceptionem, vt quæ summæ & arctissimæ coniunctionis & vnitatis sit sacramentum, per quã omnes nos, ceu vnius corporis membra, sub vno capite Christo, & per Christum cum deo patre, quatenùs fieri potest, vnum efficimur: id quod etiam suprà in Patrum testimonijs, prȩsertim Dionysij Areopagitȩ & Hilarij, fusiùs est annotatum.

Nihil perindè formidãdũ Christiano, atquè separari à catholicæ Ecclesiæ cõmunione.

Impij Aduersarij, Augustini ad vnita-

Est eã ob rem id in Augustino obseruandum, tametsi populo suo diligenter & sedulò inculcet, Eucharistiam charitatis & vnitatis esse

sacra-

ſacramentum,at nihilo minùs hac eum ad vnitatem exhortatiõe veram corporis Chriſti in V.Sacraméto præſentiam non ſolùm nõ excludere,ſed multò etiam magìs adſtruere & cõfirmare,cùm illa eiuſmodi arctiſſimæ & penitiſſimę coniunctionis & vnitatis pręcipua ſit cauſa efficiens:quod nos infrà ex ipſo latiùs docebimus : ex Cyrillo quoquè,qui lib.10.in Iohanné cap.13.apertiſſimè aſſeuerat, nos non ſolùm recta fide charitateq; ſyncera Chriſto ſpiritaliter cõiungi, ſed etiã communicatione carnis Chriſti corporaliter Chriſtum in nobis habitare, noſq; illi coniungi etiam corporaliter. Sed hæc ſuo loco ſeruamus.

tem exhortationes, cõtra corporis Chriſti in ſacramento veritatẽ profecrunt, tanquã ſacramentũ nil aliud ſit,quã ſymbolũ vnitatis:quod planè ab Auguſtini ſententia diſcordat.

Hæc quiſquis non oſcitãter obſeruat,ſed probè animaduertit duplici ratione nos Chriſto cõcorporari:Primò, eius corpori myſtico, Eccleſiæ catholicæ,idq; vnius cõmunicatiõe ſpiritûs,qué in lauacro regenerationis,id eſt,in baptiſmo,in nos effundit abundè:ac deindè vero eius corpori,pia ac ſalutari eiuſdem in V.Sacraméto participatione:vt indè alibì Auguſtinus,ſibi loquentem faciens DEum, ità habet:*Nec tu me in te mutabis ſicut cibum carnis tuæ,ſed tu mutaberis in me.* Atque ſi tum porrò cogitet, verum Chriſti corpus, ad poſteriorem hãc cõcorporationem obtinendã,ex altari ſalutariter & religioſè ſe ſumere non poſſe,niſi in vnitate ſit myſtici corporis eius Eccleſiæ catholicę,(non enim poteſt vitalis ſeu viuificans ſacraméti virtus in illis,qui Chriſti membra non ſint,operari)iam demùm Auguſtini ſententiam paſsìm rectiùs aſſequitur,pręſertìm in totum 6.cap.Iohãnis, Tractatu 25.26.27.Itẽ ſermone ad Infantes ad Altare.Sermone quoquè de ſacramentis fidelium,Feria 2.Paſchæ.

Chriſto dupliciter concorporamur. Tit.3. Cõfeſſio. lib. 6.cap.10.

His omnibus id ego indicatum velim, cum Chriſti illa verba,*Panis quem ego dabo,caro mea eſt,quam ego dabo pro mundi vita*,ea qua dictũ eſt,ratiõe intellexiſſe,nẽpè,Dñm in V.Sacraméto illud idẽ nobis edẽdum pbere corpus,quod in crucẽ pro mũdi vita noſtrę redẽptionis ergò dederit:quod etiã venerabilis Beda, q ſua ſcripta ex Auguſtini operibus ſtudio admirabili cõpegit, in eadẽ verba ſcribens,teſtatur hunc in modum:*Et panis quem ego dabo, caro mea eſt &c. Hunc panem tunc Dominus dedit,quando myſterium corporis & ſanguinis ſui diſcipulis tradidit:& quandò ſemetipſum Deo patri obtulit in ara crucis.*

Chriſtus Iohan 6.corpus ſuum dupliciter ſe daturum dicit.

Et vt in ipso Augustino possit etiam luculentiùs id perspici, eius ex Sermone de quarta feria, siue, de cultura agri nominici, verba huc adscribã, nihil moratus Erasmi censurã: quãdoquidem sermo ille dignus est, qui Augustino tribuatur, nec dubium est, quin eius tempestate cõscriptus sit, vt ex illo ferè postremo appáret. Eo igitur sermone animam Christianam hũc in modum appellat: *Mensa sponsi tui panẽ habet integrũ, & calicem sanctum: quẽ panem etsi fractũ cõminutũq; uidimus in passione, integer tamẽ mãsit in illa sua cum patre indiuidua unitate.* De *isto pane, & de isto calice dicebat ipse* Dominus: Panis *quẽ ego dedero, caro mea est, pro seculi uita. Et calix quẽ sanctificauero, sanguis meus est, q pro uobis fundetur in remissionem peccatorum. Superiùs enim dixerat,* Nisi *mãducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, nõ habebitis uitã in uobis. Quod uerbũ audientes nec intelligentes discipuli, dixerunt: Durus est hic sermo, quis eũ potest audire? Et multi ex hoc uerbo scandalizati discesserũt. Cùm uideret aũt Iesus, ait reliquis:* Nunquid *& uos uultis ire?* Tunc *Petrus, qui sanctæ portabat figurã Ecclesiæ, respondit pro omnibus:* Et *ad quẽ ituri sumus? Verbũ uitæ habes, & dimittimus te? Videtis dilectissimi, quid sit exire, quid permanere. Qui exiérunt, quia Christi uerbum non intellexerunt, non iam discipuli, sed hæretici permanserunt: qui perstiterũt, uerbum uitæ tenuerunt. Agnoscite hæretici exitum uestrum.*

Petrus Ecclesiæ typũ gessit.

Aduersarij non capiẽtes humana ratione verba Christi, cum Capernaitis à Christo abeunt.

His verò extremis verbis id pulchrè quadrat, quòd in Psalmi 54. versum illum, *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula:* scribit, *hanc primam hæresim in discipulis Christi uelut ad duritiam sermonis ipsius factam.* Vt igitur hæc prima fuit hęresis, ità his nostris vltimis temporibus ab inferis excitata est, futura fortasis etiam nouissima hæresis ante Seruatoris reditum, ad quem vsque in catholica Ecclesia verum eius corpus in V. Sacramento permanebit. Qua in re Antichristo eius inseruiunt administri & organa, homines desertores, qui à fide, quam Christus suos primùm docuit Apostolos, & deindè Ecclesia ab Apostolis acceptam, hactenùs inconcussam retinuit, in qua ipsi etiam apostatæ educati sunt, turpiter defecére: retroq; abeuntes, verbo vitę relicto, in suis philosophicis somnijs acquiescunt, atq; ità increduli & execrabiles efficiuntur hæretici. Nos verò, qui

Prima hæresis Sacramentariorũ fuit.

1. Cor. 11.

Chri-

Christum & eius catholicam Ecclesiam diligimus, Augustino potiùs auscultabimus, & quod ille Petrum fecisse dicit, imitabimur: *Petrus enim*, inquit, *etsi nondùm intelligebat secretum sermonis* Domini, *sed bona esse uerba quæ non intelligebat, piè credebat. Ergò si durus est sermo, & nondùm intellectus est, durus sit impio: tibi autem pietate molliatur, quia quandoquè soluetur, & fiet tibi oleum, & usque ad ossa penetrabit.* Hæc Augustinus in Psalm. 54. quæ vtinàm vellicâssent Oecolampadio aurem: certè nunquàm ille tam esset fœdè & horribiliter prolapsus, neque tot secũ Christiana religione initiatas animas, in tartara pertraxisset. Christi sermo de corpore & sanguine suo, quãuis nõ intelligatur à nobis, nõ debet nobis durus videri.

VI. Quintò, etiã hoc Augustinum docuisse, Christũ suâ illam promissionem Iohan. 6. *Panis quẽ ego dabo, caro mea est*, nobis re ipsa in V. Sacramenti ministratione præstare, nec promissum aliud pro alio facere, neq; per figuram nos admonere duntaxat, vt suum corpus non in Sacramẽto, sed alibì quæramus &c. quod Aduersarij somniãt, & iam antè in 6. Scripturæ Testimonio confutatum est: id quidẽ locis non paucis ex eius scriptis probari potest. Augustinus Christũ asserit, quod Iohan. 6. pollicitus est, in cœna implesse.

Constat enim ex eius suprà memoratis testimonijs, docere eũ atq; confiteri, *Ex altari dispensari victimã sanctam, qua deletũ est chirographũ, quod erat contrariũ nobis*, Lib. 9. confessio. cap. 13. & Sermone Dñic. 1. Aduentûs. *Itemq; Christũ nobis carnẽ suã manducandam, bibendũq; sanguinẽ dare*, cõtra Aduersariũ legis & prophetarũ, lib. 2. cap. 9. *Christũ nobis dedisse mãducare corpus suũ, in quo tanta perpessus est, & sanguinẽ bibere*, In Psalm. 33. Concione 2. Christum *cùm diceret, Hoc est corpus meũ, vltra omnẽ hominum facultatem, seipsum tulisse in manibus suis*, Ibidèm. *Christũ ceu sacerdotem ipsum & mediatorem noui Testamenti mensam exhibere de corpore & sanguine suo*, lib. 17. de Ciuitate Dei, cap. 20. & Tractatu 11. in Iohannẽ. *Corpus Christi nobis ministrari per sacerdotes*, Homil. 26. in 50. Homilijs. *In os Christiani dominicum corpus intrare &c.* Epistola 118. ad Ianuarium, & Sermone 215. de Tempore. *Credentes Christum fideli corde & ore suscipere*, cõtra Aduersariũ legis & prophetarũ, li. 2. ca. 9. *Christianum quẽlibet de agni immaculati corpore partẽ sumere, & accipere in poculo sanguinẽ*, Epistola 86. ad Casulanũ. Deniquè corpus Chri in

Eucharistia substantialiter actu ipso nos accipere, sumere, participare, &c. innumeris sancti viri sententijs doceri possit. Videat eum, qui volet, De sermone Domini in monte, in eā precatiunculā, Panem nostrum quotidianū &c. itemq; in Psal. 33. & 84. Contra literas Petiliani lib. 2. cap. 37. & Sermone 252. de Tempore.

Magnam quoquè suprà attulimus authoritatū eius copiā, quibus id afferitur, Christum idem illud corpus, quod ad crucē obtulit, eūdemq; sanguinem, quem in cruce fudit, nobis in V. Sacramento prębere, vtì ea in illo in nostram salutē accipiamus, edamus, bibamusq;. Et speciatìm quidem, quòd nobis corpus illud & sanguis in cibum conferantur, perspici satìs potest ex ijs, quę habet in quæstiōibus super Leuiticum lib. 3. cap. 57. Et quanuìs nullo negocio eius generis multò plura ex illo testimonia produci queant, quādò tamen ea studioso operum eius lectori passìm obuia sunt, quorsùm attinet illis prolixiùs immorari?

Augustinus veracorporis Christi in Eucharistia psentiam, multis ijsdemq; luculētis dictionibus indicat.

Id interìm obseruet lector, has atq; id genus alias Augustini dictiones, putà, *Exhibere, Dispensare, Erogare, Dare, Ministrare, Sumere, Accipere, In os intrare, Participare, uel esse participem, communicare, Edere & Bibere corpus et sanguinē Christi, nec alia q̄ quæ in cruce pepēderint*, veram corporis & sanguinis Christi in Eucharistia pręsentiā clarissimè & irrefragabiliter indicare. Non enim absentia, sed præsentia exhibentur, dispensantur, distribuuntur, ministrantur, dantur, sumuntur, accipiuntur, communicantur, &c.

Quinetiam alibì hæc eius verba leguntur: *Quanta solicitudine obseruamus, quandò nobis corpus ministratur, ut nihil de ipso in terram cadat?* Libro L. Homiliarum, Homil. 26. Sermone quoquè 252. de Tempore, *Mulieres*, inquit, *quomodò nitidū exhibēt linteolū, ubi corpus Christi accipiūt?* Nō potest aūt siue in terrā decidere, siue linteolo excipi, nisi quod corā adsit. Itaq;, vt cordat⁹ q́sq; facilè intelligit, oēs illę paulò antè memoratę dictiōes verā corporis Chrī in Eucharistia p̄sentiā deposcūt.

VI. Augustinus testis est, Christi corpus in sacramēto sacere ad ani-

Sextò, passìm vir sanctissimus etiam hoc testatū efficit, Chrī corpus nō tātùm ore simul & corde (vt dictū est) percipi, verùm etiā idē corp⁹ in V. sacramēto cibū esse eiusmodi, q nō animā dūtaxat sustētet, sed corpus quoquè immortalitati afferat: quod sanè nulli potest

figuræ

figuræ tribui, vt est suprà probatum copiosiùs in 7. Scripturæ testimonio. Docent hoc ea, quæ tractatu 26. in Iohannem habet, vbi illa Domini verba, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, exponens: *Nè putarēt*, inquit, *sic in isto cibo & potu promitti uitam æternam, ut qui ea sumerent, iam nec corpore morerētur, huic cogitationi dignatus est occurrere.* Nam cùm dixisset, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam: continuò subiecit & dixit, Et ego resuscitabo eum in nouissimo die: ut habeat interim secundùm spiritum uitam æternam in requie, quæ sanctorum spiritus suscipit: quòd autem ad corpus attinet, nec caro eius uita æterna fraudetur, sed in resurrectione mortuorum in nouissimo die.* — mæ & corporis tuendam immortalitatem.

Huc facit, quòd vir sanctus hoc celsissimum Sacramentum totiès *salutem* appellat, lib. 2. contra Epistolam Petiliani, & in Iohannem Tractatu 5. vbi sic habet: *Iudas sibi sumebat iudicium, Petrus salutē.* Tum etiam *sacrificium salutare*, Sermone 32. de verbis Apostoli. Itemque *saluberrimum sacramentum*, Epistola 118. ad Ianuarium. *Vitam quoquè*, lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 24. & de verbis Euágelij, quod refertur à Beda: *Vita manducatur: nec occiditur vt manducetur, sed mortuos viuificat.* Ad hæc, *panem vitæ nostræ*, Sermone 28. de Verbis Domini. Prætereà, *corpus Christi, in quo vita nostra consistit*, Sermone Dominicę primę Aduentûs. Necnon, *viuificum corporis Domini Sacramentum*. (textus Augustini habet, supplementum) lib. 2. de Visitatio. infirmorum cap. 4. Deniquè, *sacrosanctum & viuificum mysterium corporis & sanguinis Christi, quo quotidiè in Ecclesia pascimur & potamur* &c. Libro Meditationum, cap. 14.

Augustinus vocat Sacramentum, salutem. Sacrificium salutare. Saluberrimũ sacramẽtum. Vitam. Panem vitæ nostræ. Viuificũ corporis Dominici sacramentum. Sacrosanctũ & viuificum mysterium.

Septimò, non nisi figuram & vmbram quandam huius V. Sacramenti manna fuisse, hoc verò V. Sacramentũ non vmbram, sed Rem ipsam olim manna præfiguratam esse, omninò sensisse Augustinum, vtì quoquè sentiendum nos suprà docuimus in 8. Scripturæ Testimonio, non paucis scriptorũ eius locis planũ testatumq; fieri potest. — 7. Augustino manna est figura V. sacramenti.

Libro Quæstionum ex Veteri Testamento, Quæst. 20. scribit hũc in modum: Dixit *Apostolus inter cætera: Petra aũt erat Christus: ut quia Christi uirtute aqua fluxit de petra, petra appellatus sit Christus. Simili modo, & quia manna potestate eius uenit de cælo, manna, i. Christus, panis* — 1. Cor. 10.

dicatur:quod tunc factum (scilicet manna) eius rei, quæ nunc in Ecclesia offertur, figura fuisse existimetur. Id uerò docere euidentius: *Et quia, inquit, maior est gratia nunc (putà in nouo Testamento) quàm in prophetis, & libertas data per Christum, ad comparationem temporum & gratiarũ, Christiani angeli dicti sunt, & Iudæi homines, dicente Propheta, Panem angelorum manducauit homo.* Quibus id asserere uult Augustinus, Iudæos non nisi figuram quandam comedisse ueri panis angelorum, id est, corporis Christi, quod est cibus Christianorum.

Gratia noui Testamenti maior est, quàm veteris.

Psal. 77.

Eodẽ libro in Quæstionibus ex nouo Testamento, Quest. 95. *Manna, inquit, typus est escæ spiritalis, quæ resurrectiõis Domini ueritas facta est in Eucharistiæ mysterio.* Vbi notãdũ venit, vt instàr aliorũ Patrũ affirmet, sacrosancta Eucharistia, quã Chrs suis reliqt fidelibus, eius resurrectionẽ validissimè adstrui: siquidẽ Christus corpus suũ neutiq̃ nobis præstaret in Eucharistia, si illud à mortuis non esset excitatum.

Eucharistia est veritas dominicæ resurrectionis.

Tractatu 11. in Iohannẽ: *Quandò autẽ, ait, manna manducauit populus Israel? Cùm transisset mare rubrũ. Mare autem rubrum quid significet, audi Apostolum: Nolo autẽ uós ignorare fratres, qa omnes patres nostri sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt. Vt quid per mare transierunt? & quasi causam quæreres ab illo, secutus ait: Et omnes in Mose baptizati sunt, in nube & in mari. Si ergò figura maris tantũ ualuit, species baptismi quantum ualebit? Si quod gestum est in figura, traiectum populum ad manna perduxit, quid exhibebit Christus in ueritate baptismi sui, traiecto per eũ populo suo? Per baptismum suum traiecit credentes, occisis omnibus peccatis, tanq̃ hostibus consequentibus: sicut in illo mari omnes Aegyptij perierunt. Quò traiecit fratres mei? quò traiecit per baptismum Iesus? cuius figurã tũc gerebat Moses, qui per mare traijciebat, quò traiecit? Ad manna. Quod est manna? Ego sum, inquit, panis uiuus, qui de cælo descendi.*

1. Cor. 10.

Manna nostrum, Christus ipse est in V. Sacramento.

Audis hic mare rubrum baptismi figurã fuisse, baptismum aũt veritatẽ ipsam illo mari significatã: itidemq; manna figurã fuisse V. Sacramenti corporis & sanguinis dñi: Sacramẽtum verò, quod iam baptizatis porrigitur, ipsissimũ esse panem viuũ, qui de cælo descẽderit.

Aduersarij nostri, q̃ hæc loca vel non legerint, vel non magnoperè animũ in eos intẽderint, vt olim Berengarium & Bertramũ patres

eorũ ex imperitia fecisse constat, è contrario aliũ ex Augustini Tractatu 26. in Iohanné proferunt locum, eumq; quanuis frustrà in suas detorquere partes nitunt: quẽ ego ea causa huc adscribere & explicare statui, vt hostes suoipsorum gladio iugulent. Iam antè in Præfatione in Patrum testimonia, id mihi cómemoratum est, Augustinum ea Apostoli de Patribus verba, q̃ sunt 1. Cor. 10. cap. eos oẽs eandem escam manducâsse, quãdoq; perindè accepisse, àcsi eandem quã nos, escam comederint: cùm tñ ea nó sit genuina ac propria illorũ verborum mens & sententia, vt est ibidèm ex Chrysostomo fusiùs declaratum. Verùm vtcunquè se habeat, Augustinus illi suæ iam dictę expositioni, aliam subiungit, qua Seruatoris ea interpretatur verba, *Hic est panis, qui de cælo descendit*, quæ eiusmodi est: *Patres omnes eandem escam spiritalem manducauerunt. Spiritalem utiquè eandem, nam corporalẽ alteram: quia illi manna, nos aliud. Et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos: sed specie uisibili quidem, tamen hoc idem significante uirtute spiritali. Quomodò enim eundem potum? Bibebant, inquit, de spiritali sequente petra: petra autem erat Christus. Indè panis, indè potus. Petra Christus in signo, uerus Christus in uerbo & in carne.*

Aduersariorũ obiectio.

Ex his Aduersarij præclarum quiddam sibi intellexisse videntur: aiunt Augustinum hoc testari loco, nos iam in Sacramẽto re vera vel substãtialiter nihil accipere aliud, quàm olim Patres in mãna & aqua è petra manante pceperint. Sed nó vident, q̃ fœdè ipsi sibi imponãt, ꝙ Augustinũ hoc loco non probè capiant, multoq; minùs locis alijs, vbi ipse se pulchrè explicat, vt hæc sua dicta velit accipi. Equidem haud inuitus hoc illis assentior, affirmare hîc eum, & olim patribus visibile manna & petram, & nobis iam visibiles panis viniq; species vnum idemq; significare, putà, Christum Iesum: ità vt res illa, quam patribus manna & petra, nobis autem externæ V. sacramenti species designant, vna atq; eadem sit, id est, Christus Iesus. Porrò id eum asserere, nos eiusmodi significatam rem nó magìs præsentem, neq; veriùs, ꝙ ad substantiã attinet, habere & accipere, quàm Patres in manna & aqua non nisi typicè habuerint & perceperint, nulla ego vnq̃ ratione illis concessero: immò verò etiam liberè fidenterq; asseuerare non dubitauero, eum non alijs duntaxat, sed hoc ipso quoquè loco planè diuersum expreßè euidenterq; docere.

Obiectionis confutatio.

Augustini ea loca, quibus ait nos eandẽ cum patribus escam mãducare, vt accipienda.

Quod

Quod vt omnibus in proſpectu ſit, aduertatur obſecro, cũ in hoc quidem manna cum V. Sacramento comparare atq; conferre, ꝙ vt olim nemo ex patribus per mãna ſeruari potuit à morte temporaria, ità ne nunc quidem quenquam Euchariſtiæ perceptione eam morté euadere: ſed præter hoc etiam illud inter vtrunque eum diſcrimen adhibere, quòd vbì quondàm Dñs de manna dixerit, *Non Moſes dedit vobis panem de cælo*: ibì iam nobis verum illum dari panem, qui de cęlo deſcendit: qui tamen cùm nos à morte corporis non tueatur, multo minùs id mãna potuiſſe: atq; indè haud ægrè poſſe animaduerti, verba illa Domini, *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt*, de morte corporali & temporaria neutiquàm accipi debere. *Quantùm*, inquit, *pertinet fratres ad mortem iſtam uiſibilem & corporalem, nunquid nos non morimur, qui manducamus panem de cælo deſcendentem?* Et paulò pòſt: *Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Vndè dicit Apoſtolus: Iudicium ſibi manducat & bibit. Videte ergò fratres: panem cæleſtem ſpiritaliter manducate, innocentiã ad altare apportate* &c. Atq; vt memorata Dñi verba, *Non Moſes dedit vobis panem de cælo*, ad manna referenda ſunt: ità è diuerſo ea Dñi verba, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternùm: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, de V. Sacraměto accipit: ſiquidem illic ait: Nôrunt fideles corpus Chriſti &c. quod ſuprà commemorauimus.

Diſcrimẽ inter manna & corpus Chriſti in Euchariſtia.
Iohan. 6.
1. Cor. 11.
Vide hic, qd Auguſtino ſit ſpiritaliter manducare.

Eſtq; hoc ſanè germanum inter manna & Euchariſtiam diſcrimẽ, quòd licèt manna Deus præſtiterit, atq; ex aëre, quem ſcriptura plerunquè cælum vocat, pluérit, at tamen cibus corruptibilis, & non panis ille perpetuò durabilis, nec vlli obnoxius corruptiói fuit, qui dat vitam mundo, cuius duntaxat typum geſſit. Porrò in V. Sacramento Chriſtus ſuam nobis, vt ipſe teſtatur, carnem præbet, quã pro mũdi dedit vita: & vt Lucas 22. cap. & Apoſtolus 1. Cor. 11. habẽt, corpus illud quod pro nobis datum & traditum eſt: atq; vt Mattheus 26. cap. & Lucas cap. 22. referũt, ſanguinem illũ qui pro nobis fuſus eſt in remiſſionem peccatorum: hoc eſt, illud nobis largitur corpus, quod omnes nos, quotquot in Adamo mortui eramus, viuificat: illumq́ue ſanguinem, cuius profuſione nobis peccata condonantur: quos ſanè diuinos effectus neq; manna, neq; quæuis aliæ veteris Teſtamenti figuræ,

Manna.
Euchariſtia.
Diuini Euchariſtiæ effectus.

guræ, qualesquales illæ fuerint,habuêre:id quod efficacissimè probat Apostolus ad Hebræos,præsertim 7.8.9.& 10.cap.

Nec tamen interìm nescius sum,legi apud Augustinum loco suprà dicto etiam ista: *Manducauit manna & Moses, manducauit manna & Aaron, manducauit manna & Phinees, manducauerunt ibi multi qui Domino placuerunt, & mortui non sunt. Quarè? Quia uisibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurièrunt, spiritaliter gustauerunt, ut spiritaliter satiarentur*,&c.

Verùm hæc non ità accipiẽda sunt,quòd manna vitam in se reuerà vel substantialiter habuerit,illisq; contulerit:sed quòd per fidem in venturum Christum,quem manna significauit,in vitam æternam seruati sint:non sic tamen,vt tum eam consequerentur,cùm eos oẽs constet in Abrahæ sinum descendisse,nec indè potuisse egredi, donec Christus in carnem veniens,pro mundo pateretur: eaq; perpessione transacta,ad inferos descenderet:eosq;,qui per fidem eius aduentum præstolabantur, ex illo carcere extraheret & vindicaret in libertatem,vtì habes 1.Pet.3.& in Epistola ad Ephesios 4.cap.descẽdisse eum in inferiores partes terræ,& captiuam duxisse captiuitatẽ: tum demùm,inquam,vitę promissionem sunt adepti:sicut Paulus ad Heb.11.testatur eos quidem fidei testimonio probatos,non tamẽ accepisse repromissionem vsq; ad Domini aduentum.

Patres per fidem in Christum, seruati sunt in vitã æternam,quã tamen post Christi aduẽtũ demùm re ipsa adepti sunt.

Nimirùm Aduersarij nostri si non hinc indè subsultìm & particulatìm,sed totum Augustinum diligenter perlegissent, maximè Tractatum eius de Vtilitate pœnitentiæ,qui in L. Homiliarum libro vicesimęseptimę homiliæ locum obtinet, vbì ipsus sese interpretatur, quo pacto in suprà scripto 26.Tractatu in Iohannem, sua velit dicta accipi:certè illi nunquàm tanta absurditate & importunitate virum sanctissimum in suas partes detorquere conati essent,quandò ille nõ modò nihil pro ipsis facit,sed eis etiam planè aduersus est. Sed principiò iam videamus,vt ille suí sit interpres eo in loco, quòd patres manna in deserto manducauerunt,& tamen mortui sunt. Ipsa eius verba huc adscribemus:*Manna de cælo apertè ab ipso Domino exponitur.Patres uestri manducauerunt*,inquit,*manna in eremo,& mortui sunt. Quandò enim uiuerent?Figura enim prænunciare uitam posset, uita esse nõ posset.*

Patres vt in deserto mãna spiritaliter ederint,nec mortui sint.

posset. Manducauerunt, inquit, *manna, & mortui sunt, id est: Manna quod manducauerunt, non illos potuit de morte liberare: non quia ipsum manna mors eis fuit, sed quia à morte non liberauit. Ille enim liberaturus erat à morte, qui per manna figurabatur. De cælo certè manna ueniebat: attende quem figurabat: Ego sum*, inquit, *panis uiuus, qui de cælo descendi.*

Manna & Eucharistia, quòd ad res corporeas & visibiles attinet, idē sunt: non autē eo nomine, q̃ nō lōge plus habeatur in Eucharistia, q̃ in manna.

Ex his perspici liquidò potest, quid sibi velit, quòd memorato 26. Tractatu in Iohannem ait, patres eandem, quam nos, escam manducasse: videlicet escam illorum, cùm nostra hactenùs vnam eandemq; esse, quòd iam dictę res corporeæ illis olim collatę, & externæ V. Sacramenti species, quibus nos iam ex Christi institutione vtimur, vnū idemq; significent, nempe Christum: non autem eo nomine, quòd sub externis V. Sacramenti speciebus non multo amplius sit & accipiatur, quàm sub illis veteris testamenti rebus fuerit & acceptum sit. *Diuersa, inquit, specie uisibili, tamen hoc idem significante uirtute spiritali:* hoc est: Patres manducauerunt eundem cibum, & biberunt eundem potum, significatione, non essentia. Vt enim iam antè ad longum annotauimus, alijs locis clarissimè testatur, inter veteris ac noui Testamenti Sacramenta hoc interesse, quòd illa res futuras tantùm significârint, hęc verò eas re ipsa exhibeant. *Nostra, inquit, Sacramenta realiter exhibent, quod illa significabant*, lib. 17. de Ciuitate Dei, cap. 20. & Tractat 11. in Iohannem, locis suprà citatis.

Patres eundē quem nos cibum manducauerunt, significatione, non rei veritate.

Quod multis? Consule iam totiès memoratum 26. Tractatum in Iohannem, & inuenies illum mannæ solam figuram tribuere. *Hunc panem*, inquit, *significauit manna*. Itemq;: *Manna vmbra erat, iste veritas* &c. Ecquis verò tam sit impius, vt V. Sacramētum non nisi vmbram cēseat appellādam, cū Christus dicat, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS? Itemq;: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus?* Et vt paucis rem omnem expediam, patres eādem, quam nos, escam mādûcârunt, sed illi significatione, nos re ipsa & essentia: habuerunt illi eundem fidei spiritū 2. Cor. 4. vndè etiam Augustinus dicit, eos fide idem quod nos, manducâsse: sed necdùm illi tum promissionem acceperant, quam nos sumus consecuti: siquidem illi verba habuére promittētia, nos promissam veritatem, vt est suprà diffusè commemoratum ex enarratione eius in Psal. 39.

Patres verba habuere promittētia, nos promissam veritatem.

Certè

Certè quisquis non omninò mentis inops est, non potest ille non fateri, tum fidei Christianæ, tum ipsi quoquè rationi prorsus esse cõtrarium, Patres tantundẽ in manna & aqua è petra manante habuisse re vera & substãtialiter, priùs quàm Christus venisset in carnẽ, atquè nos modò in V. Sacramento habeamus. Eucharistiæ enim Sacramẽtum tum primùm Christus instituit, cùm iam humanam sumpsisset naturam, eoq; instituendo his vsus est verbis, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS: cuiusmodi sanè verba in mãna & aquam è petra profluẽtem quondàm in deserto proferre nõ potuit, ꝙ id temporis carnem & sanguinem necdùm assumpsisset: id quod à Cypriano Sermone de Cœna dñi elegantissimè est explicatũ his verbis: *Manducauerant & biberant* (patres) *de eodem pane secundùm formam uisibilem: sed ante uerba illa cibus ille cõmunis tantùm nutriendo corpori cõmodus erat, & uitæ corporalis subsidiũ ministrabat. Sed ex quo à Domino dictum est,* Hoc facite in meam cõmemorationem: *hæc est caro mea, & hic est sanguis meus, quotiescunq; his uerbis & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni consecratus, ad totius hominis uitam salutemq; proficit* &c. Prætereà verò frustrà Christus in carnem venisset, & V. Sacramẽtum suum frustrà instituisset, si vmbrę & figuræ eandem quam Eucharistia, habuissent efficaciam.

Insania est, dicere patres in figuris tãtũdẽ habuisse, atq; nos in V sacramẽto.

Est porrò etiam aliud quoddam maius discrimen inter illud mare & nostrũ baptismũ, illudq; manna & aquã è petra manantẽ, nostrũq; V. Sacramentũ. Quis enim affirmare ausus sit, Iudęos in mari rubro tum originali, tũ cęteris esse vitijs & peccatis absolutos, participesq; sancti spiritùs effectos, & ęternę vitæ hęredes esse institutos? quę tamen oĩa nos in baptismo cõsequimur. Quis etiam dicere nõ dubitet, Iudęos in manna & aqua vitã re ipsa & substantialiter percepisse, cùm Christus diuersum asserat? ea verò nos in Eucharistia substantialiter potímur. Hortatur Apostolus, vt ante accessum ad V. Sacramentum ꝓbemus nos, nè iudiciũ nobis mãducemus, non dijudicantes corpus dñi, scilicet à manna. Atquì olim nõ Israelitę dũtaxat, sed etiã aduenę, qui circa & inter illos versabanť, absq; illa dijudicatione indiscriminatìm mãna vescebanť: & aqua nõ in hoĩm tantùm, sed etiã pecorũ cessit vsum. Vndè nõ incongruè Augustinus ea vmbras appellat, idq;

Tit. 3. Iohan. 6. 1. Cor. 11. Exod. 16. Exod 17. Num. 20. 1. Cor. 10.

1.Cor.10. conuenienter Apostolicæ sententiæ oĩa patribus in figura cõtigisse.

Manna non idem fuit, quod nos modò accipim9.

Quòd si Aduersarij ea de re ex ipso Augustino velint vberiùs institui, suprascriptum eius Tractatum de Vtilitate pœnitentiæ in manus sumant, lecturi illic hauddubiò ea quæ sequuntur: *Quid ergò? ait aliquis. Hoc erat manna illud, quod ego nunc accipio? Ergò nihil modò uenit, si antè iam fuit? Ergò euacuatum est scandalum crucis? Quomodò ergò eundem, nisi quia addidit, spiritalem?* Id uerò his uerbis posteà explicat: *Sed figuris tẽporalibus promittebantur & prænunciabantur æterna. Sicut ergò ille (Iosue) non uerus Iesus, nec illa terra promissionis uera, sed figurata: ità manna non cibus uerè cælestis, sed figuratus: ità petra illa non uerè Christus, sed figuratus, & sic omnia.*

Galat. 5.
1.Cor.10.

Docent hæc euidentissimè, quàm malignè Aduersarij verba Augustini ex Tractatu 26. in Iohannem proferant: qui non minùs inscitè & perperàm illam eius ex Tractatu 25. memorabilem citant sententiam: *Vt quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducâsti.* Quæ illi verba in sua detorquent falsam opinionem, perindè àc sic ijs id velit Augustinus, nos corpus Christi in V. Sacramento non nisi animo per fidem, vt olim patres manna, non autem re vera & substantialiter accipere: cùm tamen non ignorent eum multis alijs locis, vt iam antè copiosissimè indicatum est, disertis affirmare verbis, nos Christi corpus non fide tantùm, sed simul corde & ore accipere: quod illa quoq; Seruatoris verba, *Accipite & manducate, hoc est corpus meum*, flagitare dubium non est.

Alia Aduersariorum obiectio

Dilutio: & vt Augustinus accipiendus sit hoc loco.

At illi nihilo minùs Andabatarum in morem, clausis oculis videre nolunt, Augustinum hæc sua verba non de sacramentali communione, sed in sermonis Christi, quem Iohannis 6. cap. habuit, exordium protulisse, quod eiusmodi est: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* Cùm enim Iudæi, qui ex septem illis panibus comederant, alimenti corporei causa Dominum insequerentur, obiurgauit eos, dicens vt cibum operarentur, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam: aitq; porrò se illum esse cibum, & vt in ipsum crederent. In hęc igitur verba scribit Augustinus: *Vt quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducâsti.* tanq̃ diceret: Noli imitari Iudæos. Si quidẽ ad Christũ venire statuisti, vide nè ventris causã illũ adeas: sed

crede

crede in illum, & manducâsti escam animæ tuæ semper mansuram, ipso dicente: Qui credit in me, habet vitam æternam. At vbi Augustinus porrò de sacramētali corporis & sanguinis Christi sumptiōe, quam Christus illis demùm quę sequuntur verbis, *Et panis quē ego dabo, caro mea est, pro mundi vita*, promittit, sermonem texit, ibi certè nō simpliciter ait, *Crede, & manducâsti:* sed ità potiùs, *nos mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumq́; sanguinem dantem, fideli corde atq́; ore suscipere.* Contra Aduersarium legis & prophetarum, lib. 2. cap. 9. Iohan. 6.

Nec tamen inficiàs ire velim, hâc Augustini sententiā, Vt quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducâsti: non incōmodè ad hominem animalem & carnalem referri posse, qui Eucharistiā sumpturus, sola corporis præparatiōe eò se accommodat, parùm aut nihil in eo solicitus, vt intrinsecùs sese probet & exploret, fidemq́; suam, quę per dilectionem, vtì vir sanctus hoc ipso Tractatu 26. in Iohānem ex Apostolo commemorat, operatur, per Dei gratiam intra se excitet: quod tamen potissimū à nobis hîc exigitur, quandoquidē in hac esca nō ventris, sed mentis expletionē quærimus, idq́; per fidem, qua gustādum nobis est, quàm suauis sit Dominus, vt idem habet in Psal. 54. versiculum illum, Qui simul mecum dulces capiebas cibos. Gal. 5.

Non est autem, cur cuiquam hęc iam dictę sententię explicatio insolens videatur, cùm eundem in modum Dauidem loqui certum sit: Vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere. Iacta super Dominū curam tuam, & ipse te enutriet. Quorum non ea mens est, non debere quenquam in comparandis vitę sustentandę necessarijs rebus operā ponere, sed omnem operam ijs rebus inaniter tribui, nisi Deus eam fortunet, velitq́; prosperos habere successus. Ità ergò etiam Augustinus, *Quid paras*, ait, *dentes & ventrem? Crede, & manducâsti:* hoc est, frustrà huic cibo corpus tuum pręparas, si animo imparato, fidei expers accedas: qui tamen alibì, vt diximus, docet, post conscientiæ probationem & explorationem, etiam casto & mundo corpore, quoàd fieri potest, reuerenter accedere nos debere. Psal. 126. Psal. 54.

Et hæc quidem hactenùs dixisse satìs sit, ad paulò antè allatā partis aduersæ obiectionem tum indicandā, tum confutandā, docendumq́; qua ratione Augustino patrum esca vel eadem, vel non eadem cum

nostra fuerit: quandò ille manna non nisi vmbræ loco habet, porrò Christi corpus in Eucharistia pro ipsissima re & veritate. Quod vel eo quoquè nomine minùs cuiquam dubium videri debet, quòd generatim ex Apostolo id passim doceat, in veteri Testamento patribus omnia in figura contigisse: in nouo autem, per quod figuræ abolentur, in ipsa rei veritate. *Temporalium rerum promissiones*, inquit lib. 4. cōtra Faustū, cap. 2. & lib. 6. cap. 2. *testamento ueteri cōtineri, & ideò uetus testamentum appellari, nemo nostrûm ambigit: & quòd æternæ uitæ promissio, regnumq; cœlorum ad nouum pertinet testamentum, sed in illis temporibus figuras fuisse futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos finis seculorum obuenit, non suspicio mea est, sed Apostolicus intellectus est, dicente Paulo cùm de talibus loqueretur:* Hæc omnia in figura contingebant illis &c.

1. Cor. 10.

8. Octauò, Augustinus Tractatu, quem diximus, 25. in Iohannem, ea interpretans verba: Dixerunt ergò ei, *Quod ergò tu facis signum?* &c. luculenter asserit, Capernaitas Domini sermonem Iohan. 6. in eo rectè ac probè cepisse, quòd in suis promissióibus eo capite expressis, Mosi sese longè anteponeret: & quanuìs alioqui cuncta ab ipso Domino antè perpetrata miracula illo in manna patribus ipsorum in deserto exhibito miraculo inferiora ducerent, hic tamen eiusmodi se miraculum designaturum polliceretur, quod & māna ipsum & quæuis Mosis miracula longo post se relinqueret interuallo. Vndè porrò ex beati viri certissima sententia id consequens fit, incredulos illos Capernaitas Dominum hîc multò meliùs intellexisse, quàm huius æui Aduersarios nostros, qui ex illa, quam hîc Dñs se daturum recipit, esca meram nitur t ... figuram efficere, nec in V. Sacramento vllū Dei miraculum volunt agnoscere: vtì nos ad longum contra illos in 10. 11. 12. Scripturæ Testimonijs planum testatumq; fecimus.

Capernaitæ Domini verba, licèt ijs nó crederent, tamen rectiùs, atquè Aduersarij nostri, cepere.

9. Nonò, quādoquidem suprà in 13. Scripturę Testimonio etiā illud probatum est, in V. Sacramēto nō solùm corpus & sanguinē Christi, sed totum adeò Chrm, deū & hominē substantialiter adesse, idq; ob personę Christi inseparabilem vnitatē, equidem committere nō possum, quin hoc loco ipsius Augustini de hac personæ Chri indiuidua vnitate sententiā proferā, quā ille Tractatu 27. in Iohānē haud obscurè

Ob personæ Christi inse-

ſcurè indicat, ea Dñi verba exponens: *Si ergò uideritis filium hominis aſ-ſcendentem, ubi erat prius? Nulla eſſet, ait, quæſtio, ſi ità dixiſſet: Si uideritis filium Dei aſſcendentem ubi erat prius. Cùm uerò filiũ hominis dixit aſ-ſcendentẽ ubi erat prius, nunquid filius hominis in cælo erat prius, q̃ in terra eſſe cœpit? Hic quidem dixit, ubi erat prius, quaſi tunc non ibi eſſet, quandò hæc loquebatur. Alio autem loco ait, Nemo aſſcẽdit in cælũ, niſi qui de cælo deſcendit, filius hominis qui eſt in cælo. Non dixit, Erat: ſed, Filius,* inquit, *hominis qui eſt in cælo. In terra loquebatur, & in cælo ſe eſſe dicebat. Quò pertinet, niſi ut intelligamus, quod etiã priſtino ſermone commẽdaui charitati ueſtræ, unam perſonam eſſe Chriſtũ, Deum & hominẽ, nõ duas, nè fides noſtra non ſit trinitas, ſed quaternitas? Chriſtus ergò unus eſt. Verbum, anima & caro, unus Chriſtus, filius Dei & filius hominis, unus Chriſtus: filius Dei ſemper, filius hominis ex tempore: tamen unus Chriſtus ſecundùm unitatem perſonæ, in cælo erat, quãdò in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cælo, quẽadmodùm filius Dei erat in terra: filius Dei in terra, in ſuſcepta carne: filius hominis in cælo, in unitate perſonæ.* Hactenùs ille. Indè verò illa Dñi verba, Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquã, hunc in modum explanat: *Caro non prodeſt quicquã, ſed ſola caro. Accedat ſpiritus ad carnẽ, & prodeſt plurimùm. Nam ſi caro nihil prodeſſet, uerbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis.*

parabilẽ vnitatẽ, Deus & homo eſt in V. ſacramẽto. Iohan. 6. Iohan. 3. Spiritus eſt q viuificat &c. vt intelligẽdum. Iohan. 1.

Ex his ſanè perſpicuè licet intelligi, quàm immani in errore verſentur, qui cũ iamolim damnato Neſtorio Dñm Chriſtum diuidũt, nec affirmare verentur, non integrum Chriſtum, ſed ſolam carnẽ & ſanguinem eius abſq; diuinitate in V. Sacramento adeſſe.

Decimò, vtì nos ſupra in 14. Scripturę Teſtimonio planũ fecimus, Chriſtum cum Apoſtolis ſuis primò paſcha comediſſe, nec illud tamen, quanuìs ipſum congruè admodùm ſignificaret, corpus ſuũ dixiſſe, ſed ſimpliciter paſcha, ſimulq; oſtẽdiſſe illud hactenùs figuram fuiſſe, deincèps abrogandã: poſteà verò eius loco ſacramentũ ſuũ, nõ vt figuram, ſed tanq̃ id quod paſcha antè deſignâſſet, inſtituiſſe, (nãque alioquì ſuperuacaneum fuiſſet, figuram alteram alteri ſubſtituere) idque non panem & vinum, ſed diſertis verbis corpus & ſanguinem ſuum appellâſſe, teſtatumq; eſſe, illud nunq̃ abrogãdum, 10.

ſed

sed ad reditũ vsq; suum perpetuò permansurum: vt hoc ipso doceret euidentissimè, verum corpus & preciosum esse sanguinem suũ: Ità & Augustinus hoc inter Pascha ceu figuram, & corpus Christi in Eucharistia discrimen & intellexit, & indicauit.

Augustinus ex Domini verbis inter Pascha & Eucharistiã discrimen indicat.

Vt enim suprà annotauimus, Epistola 86. ad Casulanũ cõtra Vrbicũ asserit, *in mensa Domini nõ pani pecus*, (quod Vrbicus somniabat) *sed agni immaculati corpori cessisse: & sanguinẽ pecudis* (i. agni paschalis) *nõ uino, sed sanguini qui in poculo uel calice sit, cessisse*. Itẽ cõtra literas Petiliani lib. 2. ca. 37: *Sicut aliud est*, inquit, *carnis circũcisio Iudæorum, aliud aũt quod octauo die baptizatorũ nos celebramus: & aliud est pascha quod adhuc illi de oue celebrãt, aliud aũt quod nos in corpore et sanguine Domini accipimus: sic alius fuit baptismus Iohãnis, alius est baptismus Christi*. Et de Cataclysmo cap. 4. sic habet: *Nec relinquetis ex eo quicquã, ait scriptura, usq; manè*. *Hoc nũc agitur. Comeditur enim agnus per noctẽ huius seculi, ut cum manè illud uenerit, quod uesperum non habebit, non iam offeratur sacrificium imaginis agni, sed ipsum agnũ quem quotidiè comedimus, & cuius sanguinem bibimus, inueniamus illic eum sacerdotem perfectum, quẽ constat hic pro nostra salute occisum*. Hæc Augustinus: q cùm dicat nos in nocte huius seculi imaginis agni sacrificium offerre, veritatẽ corporis eius etiãdum sacramẽti mysterio opertã, ab ea distinguit nuda, apta & cõspicua eiusdẽ corporis veritate, quã in futuro seculo facie ad faciẽ cõtẽplaturi sum⁹: quod idẽ ante illũ fecẽre Gregori⁹ Naziãzenus, Hesychi⁹, & Ambrosi⁹, vt ex eorũ suprà positis cõstat testimõijs.

XI. Vndecimò, non est vlla ratione credendũ, Augustinum in Eucharistia Christũ adoraturum fuisse, nisi ille pro certo ac indubitato habuisset, cum illic substantialiter & re vera adesse. Atquì adorauit ille Christum in Eucharistia, & alios, vt idem facerent, hortatus est, vt in superiorib⁹ eius authoritatibus non paucis licet perspici, ijs pſertim, quas ex Cõcione ei⁹ in Psal. 98. & ex lib. 3. de Trinitate cap. 10. & lib. 20. cap. 18. cõtra Faustũ, & Epistola 118. ad Ianuariũ protulimus. qua in re si ille errauit, ipsius Dñi verbis miserè ei impositum esse fateamur oportet: quod quidem de illo tam præcellentis ingenij & luminis viro absurdum sit dicere: vtì iam suprà in 21. Scripturę Testimonio, & in Irenæi authoritatibus annotatum est.

Augustinus Christum in Eucharistia adorauit.

Duo-

Duodecimò, Augustinum ea Apostoli verba, Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini, non de symbolici panis & vini, sed veri corporis & sanguinis Christi esu & potatiõe accepisse, vtì etiam necessariò ea accipi oportere docuimus suprà in XXIII. scripturæ Testimonio, multis ex illo prolatis locis testatum potest effici. Epistola 152. scribit his verbis: *Quicunque in Ecclesia Catholica corpus Christi manducauerit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* In Psalmum 39. vbì nos promissum ait habere corpus in Sacramento, his, vt iam antè dictũ est, verbis vtitur: *Quod accipimus, nouimus: & qui non nôstis, noueritis: & cùm didiceritis, non ad iudicium accipiatis. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* XII. 1 Cor. 11. Augustinus Apostoli verba, Qui manducat & bibit indignè, &c. de vero Christi corpore accepit.

Et nè quis panem cogitet terrenũ, Sermone Dominicæ 2. Aduentûs, qui est secundus de Tempore, ait, *ad altare accessuros debere nos cum Dei adiutorio totis uiribus præparari, & omnes latebras animæ nostræ diligenter adspicere, nè fortè sit in nobis aliquod peccatum absconditum. Si enim uiderit Christus charitatis luce nos uestitos, corpus & sanguinem suum nobis non ad iudicium, sed ad remedium per sacerdotum suorum ministerium dispensabit.* Et paulò pòst: *Hæc ergò, fratres dilectissimi, non transitoriè, sed cum ingenti tremore debemus attendere. Inuitati enim sumus ad nuptias, ubì nosipsi, si benè agimus, sponsæ erimus. Cogitemus ad quales nuptias, cõsideremus ad qualem sponsum, uel ad quale conuiuium inuitati sumus. Inuitati enim sumus ad mensam, ubi non inuenitur cibus hominum, sed panis ponitur angelorum.* Eodem Sermone etiam hæc habentur: *Cur pauper indignus est accipere reliquias ciborũ tuorum, qui tecum ad conuiuium inuitatus est angelorum?* Ad Eucharistiam vti nos præparare debeamus. Matth. 22. Lucæ 14. Inuitamur ad mensam, vbì non hominũ, sed angelorũ cibus proponitur.

Sermone quoquè primo in Anniuersario dedicationis Ecclesiæ, qui est 252. de Tempore, *eum qui altare Domini indignus præsumit accedere, illam ait sententiam mereri, Ligate illi manus & pedes, & proijcite eum in tenebras exteriores: ibì erit fletus & stridor dentium.* Ac deindè eadem concione, *Omnes uiri,* inquit, *quandò communicare desiderant, lauãt manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubì corpus Christi accipiant. Non est graue, quod dico fratres: quomodò uiri lauant* Matth. 22. Obserua, Christi corpus etiã ante sumptionem adesse.

NN aqua

aqua manus suas, sic eleemosynis lauet cōscientias suas: similiter & mulieres, quomodò nitidū linteolū, ubì corpus Christi accipiant, sic corpus castum cor mundū exhibeant, ut cum bona cōscientia Christi Sacramēta accipiant.

Hæc omnia cuiuis id testatum possunt efficere, Augustinū supradicta Pauli verba de indigna Eucharistiæ ad iudicium sumptione, nō de symbolici panis & vini, sed de veri corporis & sanguinis Christi perceptione, accepisse.

XIII. Decimotertiò, quemadmodùm suprà in XXIIII. scripturę testimonio, ꝓbatum est, Apostolū hisce verbis, Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, nō dijudicans corpus Domini, id citra ambiguitaté asseuerâsse, corpus Christi in V. Sacramēto substantialiter & re vera nedùm à bonis, sed etiam malis, quanq̃ ab istis nō salutariter accipi, idē quoquè Augustinus tradit li. 5. de Baptismo contra Donatistas, cap. 8. his verbis: *Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentū, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia nō ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilo minùs erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Non ergò quærant in Catholica hæretici quod habent, sed quod non habent, id est, finem præcepti charitatem, sinè qua multa sancta haberi possunt, sed prodesse non possunt.*

Augustini sententia est, nedū bonos, sed etiam malos corpus Christi in Eucharistia re vera accipere, sed malos non salutariter.

1. Cor. 11.
1. Tim. 1.

Meo quidem iudicio, non potuisset Augustinus Aduersarios nostros sui erroris & conuincere & arguere euidentiùs. Ait in V. Sacramento corpus & sanguinem Domini non minùs illis porrigi, qui id indignè sumant, quàm qui dignè: licèt illis ipsorum culpa exitio, istis saluti sit. Deindè reijcit de veritate corporis Christi in V. Sacramēto disputationem, quòd ea nihil habeat dubitationis: porrò charitatis, cōcordię & vnitatis potiùs, cùm earū expertes sint, vult studiosos esse hęreticos: quandoquidem sinè ijs V. Sacramentū nihil ꝓdesse queat.

Hæretici de corpore Christi, quod nos in Sacramēto certissimè habemus, dispu tant, negligunt q; charitatē, quā non habent.

Præterea Augustini eam indubitatā esse sententiam, etiam Iudam proditorem verum Christi corpus æquè àc alios Apostolos, re ipsa & substantialiter, non tamen salubriter accepisse, nō parùm multa operum eius loca testantur. Epistola 162. contra Donatistas, *Tolerat*, inquit

Iudas proditor æquè àc alij apostoli, verū corpus Domini accepit.

quit, *ipse Dominus Iudam, diabolum, furem & venditorem suum: finit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles nouerunt, precium nostrũ.* Lib. I. de Adulterinis coniugijs, cap. 27. ait *ipsum Dominum suo traditori sanctum dedisse, idq́ hunc in suam perniciem sine culpa dantis, cum dignis indignum accepisse.* Tractatu prætereà 5c. in Iohannem, *De vno pane,* inquit, *& Petrus & Iudas accepit, Petrus ad vitam, Iudas ad mortem.*

Contra Cresconium Grammaticũ lib. I. cap. 25. vbi aduersùm Donatistas docet permultùm interesse inter ipsam rerum veritatem, siue res ipsas, & earũ abusum, post multa eum in finem allata exempla, corpore & sanguine Domini eam orationem absoluit, ità dicens: *Quid de ipso corpore & sanguine Domini, unico sacrificio p salute nostra, quanuis ipse Dominus dicat: Nisi quis mãducauerit carnẽ meam, & biberit sanguinẽ meum, nõ habebit in se uitã: nónne idem Apostolus docet etiam hoc perniciosum malè utentibus fieri? Ait enim: Quicunq; manducauerit panẽ & biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

Itidèm cõtra literas Petiliani li. 2. ca. 55. *Hi utiq; dicturi sunt,* inquit: *In nomine tuo manducauimus & bibimus, & audituri:* Nõ noui uos: *qui corpus & sanguinẽ eius in Sacramento manducant & bibunt, & membra eius toto orbe diffusa* (id est, Catholicam Ecclesiam) *non agnoscunt.* Agit illic contra Donatistas, qui satanica quadam arrogantia & maligna sui ab Ecclesia separatione se solos pro Christianis habebant: porrò Ecclesiæ Catholicæ studiosos in membris Christi neutiquàm numerandos esse censebant, vtì hodieq; nostri faciunt Aduersarij. Matth. 7.

Item cõtra Fulgentium Donatistam Dialogo, Catholicus sui collocutoris sexto argumento inter cætera hunc in modum respondet: *Sicut enim, qui manducat & bibit sanguinẽ Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit: sic & qui accipit indignè Baptisma, iudiciũ accipit, nõ salutem. Nam & Iudas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonũ Baptisma Christi percepit: sed quia bono benè non usi sunt, mali malè utendo deleti sunt. Bonũ est Baptisma, bonũ est Christi sanguis & corpus, bona est & lex, sed si quis ea legitimè utatur.* 1. Tim. 1.

Verùm his Aduersarij acerrimè sese opponunt, quòd eorũ abominandum errorem validissimè subruant ac euertant: quandoquidem id ijs asseritur, corporis Christi comestionẽ non in sola fide sitã esse.

Aduersariorũ obiectio. Itaque obijciunt illi, Augustinum Tractat. 26. in Iohannem, in ea domini verba, Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, scribere hũc in modum: *Hoc est ergò manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere: ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo nõ manet Christus, proculdubiò nec manducat spiritaliter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licèt carnaliter & uisibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est, de quibus* Matth. 5. *dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.* Itemq; alium eius locum proferunt ex lib. 21. de Ciuitat. Dei, cap. 25. quo illum idẽ affirmare aiunt. Verba Augustini hæc sunt: *Denique ipse Dominus di-* Iohan. 6. *cens, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo, ostendit quid sit non sacramentotenùs, sed reuerà corpus Christi manducare, & eius sanguinem bibere. Hoc est enim in Christo manere, ut in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixit, tanquàm diceret: Qui non in me manet, & in quo ego nõ maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum*, &c. Ex his igitur inferũt, malos Christi corpus in V. Sacramento re vera & substantialiter nõ accipere: vndè porrò etiam hoc volunt effici, Christi corpus in V. Sacramento substantialiter non haberi.

Dilutio. Sed quæso te, amice Lector, certum habeas Aduersarios nostros hoc vel maximè laborare vitio, quòd ex Augustino reliquisq; patribus voculas quasdam & sententias, vbì ipsis commodum videtur, hincindè non bona fide excerpant & cõgerant, easq; in suam damnatam sententiam, quam Patribus summa vi & iniuria affingere non dubitant, detorquere nitantur: porrò loca alia, quibus patres mentem suam luculenter aperiunt, vt est eiusmodi hominum ingenium, nec legere, nec audire velint.

Augustinus de vera corporis Christi perceptione bifariam loquitur. Nôsse igitur operæprecium fuerit, Augustinum de vera corporis Christi perceptione duplici ratione scribere solere. Interdùm enim veram ille perceptionem vel sumptionẽ dicit, eo duntaxat nomine,

quòd

quòd corpus Christi re vera & substantialiter sit in V. Sacramento. Quandoquè autem verã appellat, ratione veræ & actualis, vt vocant, adeptionis diuinæ gratiæ & salutis, cuius causa Sacramentum ipsum institutum est. Priori modo scribit lib. 5. de Baptismo, quod iam antè recitatum est: *Indignè quisq; sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim & sanguis Domini nihilo minùs erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, iudicium sibi mãducat & bibit.* Posteriori modo, locis iam iamq; memoratis, quæ Aduersarij in suas detorquere partes moliuntur, id asserit, illos Christi corpus reuerà, id est, efficaciter siue cum effectu quodam ad salutem, acciperet, qui in seipsis sentiant, se in Christo per veram fidem & charitatem non fictam manere, atque vicissim Christum in ipsis: ità vt ab effectu possit quis conijcere, num V. Sacramentum ad vitam nécne acceperit. 1. Cor. 11.

Minimè verò ea dictorum Augustini mens est, (quam Aduersarij esse volunt) edere illud & bibere nihil omninò esse aliud, quàm manere in Christo: siue manere in Christo, causam efficientem esse eius comestionis: tanquàm illi nihil accipiant, qui fide & charitate Christo non adhærescant: sed id potiùs sentit, vt iam dictum est, Augustinus, permansionem in Christo, effectum & signum esse euidens, nos corpus illius nedùm in Sacramento substantialiter, sed etiam in spiritu & veritate ad animarum nostrarum vitam & salutem salutariter accepisse: quod idem ipse quoquè sub initium Tractatûs 26. in Iohãnem, testatur his verbis: *Signum quia manducauit & bibit,* (intellige ad salutem) *hoc est, si manet & manetur, si habitat & inhabitatur, si hæret & non deseratur.* In summa, in Augustino dictio, Reuerà, quandoquè exprimit veritatem manducati corporis, quam boni & mali indiscriminatìm accipiunt: quandoquè veritatem dignæ sumptionis, ex parte manducantis, quæ in solis bonis inuenitur.

Aduersarij vt Augustini sententiam deprauent.

Mansio in Christo, non est causa efficiens, sed effectus comestionis.

Dictio, Reuerà, ab Augustino bifariàm sumitur.

Quæ quidem ità se habere vt non dubitemus, alibì ipsus sese clarissimè interpretatur, scilicet Sermone XI. de verbis Domini, vbì sic habet: *Illud etiam quod ait, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo, quomodò intellecturi sumus? Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quòd iu-* Iohan. 6. 1. Cor. 11.

dicium sibi manducent & bibant, cùm ipsam carnē manducent & ipsum sanguinem bibant? Nunquid & Iudas magistri uenditor & traditor impius, quanuis primùm ipsum manibus eius confectum Sacramētum carnis & sanguinis eius cum cæteris discipulis, sicut apertiùs Lucas Euangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi deniquè, qui uel corde ficto carnem illam manducāt & sanguinem bibunt, uel cùm mādúcauerint & biberint, apostatæ fiunt, nunquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam certus modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducauerit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo: quem modum utiquè ipse uidebat, quandò ista dicebat.

Lucæ 22.

Christus de certo quodā corpus suum edendi modo loquitur, vbi ait, Qui manducat &c. in me manet &c.

Ecquid ad hæc dicitis Aduersarij? Augustinus oratione illustri fatetur hîc improbos Christi corpus in V. Sacramento edere, & potare sanguinem: eoq; referendum esse quod Apostolus ait, eos iudicium sibi manducare & bibere, quòd non dijudicent corpus Domini: interìm nihilo minùs addit, certum esse modū cibum hunc edendi, quo qui edit, illum vitam edere: ad eumq; modum illa Domini verba pertinere, quibus ait: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo.

Quæ si probè capiantur, nullo negocio tum locis memoratis, tum alibì Augustinus quid sibi velit, perspectum habere licebit: vt inter cætera, quòd ait Tractatu 59. in Iohannem: *Apostoli manducabant panem Dominum, Iudas verò panem Domini contra Dominū. Illi vitam, ille pœnam. Qui enim manducat indignè* &c. Item Sermone 2. de verbis Apostoli: *Illud manducare, est refici. Illud bibere, quid est nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam, & integra est vita* &c.

Triplex Eucharistiæ cōmunio, prima sacramentalis, altera spiritalis, tertia & sacramentalis & spiritalis.

Quæ omnia vir sanctiss. de digna communione dicit, quæ non sacramētotenùs tantùm, sed simul etiam spiritaliter in vera fit fide per charitatem operante. At nihilo seciùs idem ipse, vt dictum est, alibi fatetur, etiam malis esse re vera corpus Christi in Sacramento quod accipiunt: non tamen ad salutem, sed ad iudicium: adeò vt mea quidem sentētia satis iam proditum sit, quàm fallaciosè Aduersarij eius mentem & sententiam proferant atque peruertant.

Porrò identidem copioseq; etiam hoc illum testari, corpus & sangui-

guinem Christi, non solùm per fidem corde vel animo, sed etiam ore Christianos accipere, quod tamen Aduersarij admittere nolunt, iam antè abundè probatum est, maximè ex Epistola 118. ad Ianuarium, & lib. 2. contra Aduersarium legis & prophetarum, cap. 9. quibus addi potest, quod Sermone 215. habetur: *Videte tamē*, inquit, *fratres charissimi, si iustum est, vt ex ore Christianorū, vbi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum quasi venenum diaboli proferatur.*

Decimoquartò, Augustinum illas Apostoli sententias, 1. Cor. 10. XIIII Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis & vnū corpus multi sumus, omnes quidem de vno pane & de vno calice participamus &c. & ad Ephe. 5. Membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius &c. eū in modum & accepisse, & accipiendas tradidisse, nos digna V. Sacramenti perceptione, non modò in fide spiritaliter, verùm etiam substantialiter Christi communionem adipisci, adeò vt non vnus duntaxat spiritus, sed vnum etiam cum illo corpus vera hac carnis eius communicatione vel participatione efficiamur, vtì in xxv. scripturæ testimonio suprà latiùs demonstratum est, multis id quidem locis perspicuum fieri potest.

Augustini sententia est, nos Eucharistiæ pceptione nō tantùm spiritaliter, sed etiā corporaliter Christo coniūgi & vniri.

Contra Aduersariū legis & ꝓphetarum libro, scripsit aduersùs incertū quendā legis & ꝓphetarū insectatorem, vetus Testamentū irridentē, & inter cætera etiā S. Abraham eo nomine criminantem, ꝙ ex ancilla Agar Ismaelē genuerit, Sara viuēte. Cui respondēs Augustin⁹, sanctum virum defendit, primò iuxta literam, vt ꝙ ad preces & iussu Saræ coniugis suæ Agar vxorem duxerit, quod tum permissum erat. Deindè ostendit, hac in re quantum latuerit, nobisq; significatum vel præfiguratum sit Sacramentum: *Nos autem audiamus*, inquit, *& intelligamus duo Testamenta in duobus filijs Abrahæ*, (Ismaële & Isaac) *duabusq; mulieribus* (Agar & Sara) *eius commixtione fœtatis: sicut duos in carne vna, Christum & Ecclesiam, istis nolentibus, sine vlla obscuritate cognoscimus: sicut mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumq; sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus: quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere.*

Gen. 16. Lib. 2. cap. 9.

Ore & corde mediatorem Dei & hominū, hominem Christum Iesum accipimus, sicq; vna cum illo caro efficimur.

Quæ mur.

Quæ ſanè illuſtris eſt & perſpicua oratio, qua ille teſtatur, probè Chriſtianos ſinè vlla obſcuritate cognoſcere, ſe in Chriſto vnā effici carnē, quandoquidem ſuam ille eis carnem edendam,& bibendū ſanguinem largitur: & quanuìs incredulis id horribile videatur, at nihilo ſeciùs à probè Chriſtianis vera ac firma fide piè,deuotè ac ſedulò coli & exerceri. At noſtrorum Aduerſariorum animis tam denſa eſt prô dolor offuſa caligo, id vt non poſſint intelligere.

Ego verò ità ſentio,ſi quidem hūc ipſum iam memoratum locum ſtudiosè lectitârunt, probeque ſunt aſſecuti, eos re ipſa comperiſſe, quàm fœdè ac turpiter in eo hallucinentur & errent,quòd improba temeritate virum ſanctum Tractat. 26. in Iohannem, illa Seruatoris verba interpretantem, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem,habet vitam æternam,in ſuas partes contra catholicæ Eccleſiæ ſententiam (quam eo ipſo loco & alijs paſsìm apertiſſimè tuetur)rapere ac detorquere nituntur. Verba illius, quibus ipſi abutuntur,hæc ſunt: *Hunc itaque cibum & potum, ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum,quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis, & uocatis, & iuſtificatis, & glorificatis ſanctis & fidelibus eius.* Hæc,inquam,verba illi falsò interpretantur, perindè àc ſi ijs id ſibi velit Auguſtinus,V. Sacramentum ſignificare duntaxat ſocietatem fidelium, fide & charitate coniunctorum:quod tamen ab illius mente prorſus abhorret: quin potiùs hoc ille ijs vult verbis, nos ex eo ipſo, quòd Chriſtus fidelibus ſuis ſuum corpus & ſanguinem edendum bibendumq; præbet, id intelligere debere, nos cum illo ceu capite, vnum corpus,& inuicèm membra eſſe. Teſtâtur hoc nihil obſcurè eius eodem loco tum præcedentia, tum ſequentia verba. *In hoc*, inquit, *cibo & potu, id eſt, corpore & ſanguine Domini, habet qui ſumit vitam, & hanc vtiquè æternam.* Item cùm illic *vnitatem corporis & ſanguinis dicat eſſe rem Sacramenti*, ſatìs innuit, nos vnius eiuſdemq; corporis & ſanguinis fieri participes. Et cùm ità ſubijcit, *Participatiōe filij per vnitatē corporis eius & ſanguinis*(quod illa mãducatio potatioq; ſignificat) *nos efficimur meliores*: nō vult Euchariſtiam ipſam ſignificare corpus & ſanguinem,quę in ea verè participamus:ſed vult ipſam manducationem vnius eiuſdemque corporis, ſignificare nobis hanc vnitatem myſticam capitis & membrorum. Satìs quoquè luculenter exprimit mentem

Obiectio.

Dilutio. Ex eo,quòd cuncti idem Chriſti corpus accipimus,intelligere debemus, omnes nos vnū myſticum corpus effici.

tem

tem suam, dum ait: *Viuimus ergò nos propter ipsum, manducantes eum, id est, ipsum accipientes vitam æternam, quam non habemus ex nobis.* Et multò etiam clariùs Tractatu sequenti 27. in principio: *Hoc ergò nos docuit, ait, & admonuit mysticis verbis, vt simus in eius corpore sub ipso capite in mẽbris eius, edentes carnem eius, non relinquentes vnitatem eius.* Quæ quidem omnia satìs id indicant, Augustinum ea causa cibum hunc & potum societatem sanctorum appellare, quòd eius cibi potusq; digna & spiritalis perceptio, veram pacem, & plenam perfectamq; credentium vnitatem salubriter efficiat ac operetur. Augustinus cur escã hãc, societatẽ sanctorũ vocet.

Quod etiam indè potest haud difficulter animaduerti, quòd, vt ipse memorato 26. Tractatu in Iohannem scribit, *Propterea Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis:* tanquàm diceret: Vt ex multis granis vnus panis conficitur & constat, & ex multis acinis vinum confluit, ità & nos multi hac esca diuina vnum in Christo corpus efficimur: quandoquidem in eius carne & sanguine istiusmodi beatam societatem & communionem adipiscimur. Nanque corpus eius, verum est granum tritici, multum fructum adferens, & in multa millia excrescens: idemq; vera vitis est, vndè palmites (id est, fideles) omnes succum accipere necesse est. Iohan. 12. Iohan. 15.

Atque eam ob rem Tractatu 80. in Iohannem, explicans illud, Ego sum vitis vera, scribit his verbis: *Iste locus euangelicus, fratres, ubi se dicit Dominus uitem, & discipulos suos palmites, secundùm hoc dicit, quòd est caput Ecclesiæ, nos quoque membra eius, mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Vnius quippe naturæ sunt uitis & palmites. Propter quod cùm esset Deus, cuius naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset uitis humana natura, cuius & nos homines palmites esse possimus.* Discis ex his, Christum non eo solo nomine factum hominem, vt nostræ esset naturæ particeps, sed eò potissimùm, vt nos vicissìm susceptæ ab illo humanæ eiusdemq; deificatæ naturæ, perindè vt vitis palmites, re vera & substantialiter consortes efficeremur: id quod certissimè fit vera corporis & sanguinis eius communicatione, qua nos illius caro & ossa efficimur. Christus vera vitis est secũdùm humanitatẽ, cuius cõmunione nos eius palmites sumus.

Habes igitur, vt accipiendus sit Augustinus, vbì ait Sacramentum

hoc esse, vel significare societatem sanctorum: quod eò quoquè tibi contulerit, vt non hoc duntaxat in Iohannem loco, sed vbicunquè eodem modo loquitur, eius menté possis assequi, pręcipueq; sermone ad infantes ad altare, vbì ait *mysterium Christianorum in mēsa* (id est, altari) *positum esse*: quibus id vult, corporis & sanguinis Christi perceptionem eius nos cōmonefacere debere, quotquot vnius eiusdemq; corporis & sanguinis participes sumus, vnum omnes corpus effici: nó autem hoc asserit, V. Sacramentum signum duntaxat esse nostræ in fide & charitate vnitatis: ex quibus omnibus perspici licet, vtì memoratos Pauli locos 1. Cor. 10. & Ephes. 5. ipse acceperit.

Corpus Christi in Sacraméto nó modò signū, sed ipsa causa efficiés est vnitatis nostræ.

XV.

Augustinus ea Domini verba, Ego vobiscū sum omnibus diebus &c. nó de diuinitatis eius tantum, sed etiá corporis præsentia accepit.

Postremò, eum suprema quoquè recedentis Seruatoris verba illa, Eccè ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi, non de diuinitatis eius tantùm, quæ alioquì vbiquè est, sed de alia quoquè magìs familiari, putà, corporis & sanguinis eius in V. Sacramento pręsentia, accepisse, perindè vt nos suprà in iam dicto xxv. scripturæ testimonio eiusmodi intellectū fusiùs indicauim⁹, satìs id liquet ex Tracta. 50. in Iohannem, vbì inter cætera sic habet: *Si in Petri persona significati sunt in Ecclesia boni, in Iudæ persona significati sunt in Ecclesia mali: ipsis dictum est, Me autem non semper habebitis. Quid est enim, non semper, & quid est, semper? Si bonus es, si ad corpus Christi pertines, quod significat Petrus, habes Christum & in præsenti, & in futuro. In præsenti per fidem, in præsenti per signum Christi, in præsenti per baptismatis Sacramentum, in præsenti per altaris cibum & potum. Habes Christum in præsenti, sed habebis semper: quia cùm hinc exieris, ad illum uenies qui dixit latroni: Hodiè mecum eris in paradiso. Si autem malè uersaris, uidéris habere in præsenti Christū, quia intras Ecclesiā, signas te signo Christi, baptizaris Baptismo Christi, misces te membris Christi, accedis ad altare Christi: in præsenti habes Christum, sed malè uiuendo non semper habebis.*

Luc. 23.

His verbis virum sanctissimū id euidenter satìs docere perspicuū est, nos Christum hìc in terris præsentem habere, idq; non fide duntaxat, sed etiam in baptismi Sacramento per ipsius Spiritumsanctum, quē illic in salutari expiatos lauacro effundit abundè: prætereaq; in Sacraméto altaris, per corporis & sanguinis eius cibū & potū: adeoq; etiam malos Christum dñm illic habere pręsenté, sed nó salutariter.

Tit. 3.

Quę

Quę cùm ità se habeant, equidem non parùm demirari soleo, Aduersarios etiam hocipso loco virum sanctum contra Ecclesiam tam audacter proferrē nō dubitare. Adhibet ille quidem eodē loco duas alias illorum verborum, Me autem non semper habebitis, expositiones, dicitq́; inter alia: *Secundùm præsentiā maiestatis* (putà, vbiquè pręsentis) *semper habemus Christum: secundùm præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis, Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundùm præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt.* Hęc Aduersarij volunt contra nos & Ecclesiam militare. Obiectio. Matth 26.

Verùm quandò illi prę cęteris vsqueadeò acuti & perspicaces videri volunt, mirum est, nō hic illos cernere, quàm expressè & significanter eodē loco Augustin⁹ eā Christi pręsentiam, qua est ad dexterā patris in naturali, conspicua & propria specie, sicutì visibilis in cęlos ascendit, & indè rediturus est, ab illa corporis eius p̄sentia distinguat, qua est in Sacramēti mysterio, vbì nō sub ꝑpria, sed aliena panis ac vini specie modo quodā incompręhensibili & qui naturam superet, habetur: vtq́; haud obscurè doceat, posse duo hęc simul consistere, vt quanuìs corpus eius visibili & carnali ratione, *secūdùm id quòd de virgine natus est, secundùm id quòd à Iudæis comprehēsus est, quòd ligno confixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in sepulcro conditus, quòd in resurrectione manifestatus*, præsens non habeamus: at nihilo minùs spiritaliter & inuisibiliter, sed tamen substantialiter in V. Sacramento illud habeamus: adeoq́; Christi ad patris dexteram in ꝑpria specie præsentia, facilè id nobis vt credamus persuadet, eū etiam iuxta hęc verba sua, *Hoc est corpus meum*, in V. Sacramento substantialiter adesse. Nam si id præstare nō posset, nō sederet vtiquè ad dexterā virtutis Dei, nec esset omnipotens, neq; omnia illi essent possibilia. Et quid multis opùs est, quādò ipse Augustinus vtranq; præsentiam ibidèm simul commemorat? *In præsenti*, inquit, *per altaris cibum & potum, secundùm præsentiam carnis fide tenetur, oculis non videtur.* Dilutio. Præsentia in specie ꝑpria, præsentia in mysterio.

Atque tametsi hæc sufficere possint cunctis Aduersariorum philosophicis ac futilibus confutandis argumentis, Augustinoq́; rectè intelligendo & ab illorum calumnijs vindicando, quandò tamen illi carnali sua philosophia carnales capiunt, atq; vbicunquè possunt, ex Augustino eius sententijs deprauandis præsidium sibi cōparant, lo-

Aduersariorũ Achilles.

cum quem illi potissimùm Ecclesiæ opponunt, equidem indiscussum præterire nolim. Aiunt illi Augustinum Tract. 30. in Iohannem, ità scriptum reliquisse: *Sursum est Dominus: sed etiam hic est ueritas Dominus. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, uno loco esse oportet,* (sic enim ipsi legunt) *ueritas eius ubiquè diffusa est.*

Immò scribit, aiunt illi, Epistola 57. ad Dardanum, hunc in modũ: *Noli dubitare ibì nunc esse hominem Christum Iesum, undè uenturus est, memoriterq́; recole & fideliter tene Christianam confeßionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram patris, nec aliundè quàm indè uenturus est ad uiuos mortuosq́; iudicandos: & sic uenturus est illa angelica uoce testante, quemadmodum ire uisus est in cælum, id est, in eadem carnis forma atque substantia, cui profectò immortalitatẽ dedit, naturam non abstulit. Secundùm hanc formam non est putandus ubiquè diffusus. Cauendum est enim, nè ità diuinitatem adstruamus hominis, ut ueritatem corporis auferamus.* Ac deindè, interiecto vno plus minùs folio: *Spatia,* inquit, *locorum tolle corporibus, nusquàm erunt: & quia nusquàm erunt, nec erunt.*

Actor. 1.

Aduersariorũ cõfutatio.

Hæc illi mirè iactitant, sed turpiter se delusos comperiunt. Prima quidem sententia Tract. 30. in Iohannem, nihil penitùs ad Eucharistiam pertinet. Docet enim illo loco, *ità nos audire debere Euangelium, quasi præsentem Dominum audiremus, nec dicere, O illi felices, qui eum videre potuerunt* &c. subindè ista sequuntur: *Sursum est Dominus: sed etiam hîc est veritas Dominus:* hoc est, verbum eius ad supremum vsque mundi diem habituri simus. Vbì sanè non negat Augustinus, Christi corpus esse in V. Sacramento: immò cùm dicat verbum eius esse veritatem, & veritate verbi sui illũ hîc esse nobiscum, necessariò indè consequitur, vt iuxta illud verbum suum, *Hoc est corpus meum,* re vera sit in V. Sacramento, etiamsi nos illum minimè cernamus. Vult ex illorum nos esse numero, qui non viderũt & crediderunt. vt interìm taceam emendatiora exemplaria non ità habere, vt Aduersarij proferunt, *Vno loco esse oportet,* sed, *Vno loco esse potest:* quod etiam Melanchthon confitetur.

Veritas Domini vbiquè diffusa est, vt intelligendũ.

Iohan. 20.

Porrò quòd ad aliam ex Epistola ad Dardanũ, allatam sententiam attinet,

attinet, quæso te Lector, quænam illa consequentia est, Christus in specie propria, & forma carnis, in qua resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram patris omnipotentis, non vbiquè diffusus est, vt loquitur Augustinus, ergò non est substantialiter in V. Sacramento? Itemq;, corpora siue res corporeę pro sua naturali conditione suum volunt habere locum, ipsorum quãtitati congruum: Itaque sequi hinc, quandoquidem Christi corpus non est quantitatiuè & localiter in V. Sacramento, tanquàm in loco ipsi accommodato siue proportionato, non posse id illic esse substantialiter?

Nimirùm Augustinus ipse non semèl affirmat eiusmodi illationẽ vel consequentiam esse vitiosam, vt si quis Christi corpus asserat certo quodam modo non esse præsens, indè statìm velit effici, nulla ratione vel modo id præsens esse. Non enim consequens est, Corpus Christi non est certo modo præsens, Ergò per essentiam simpliciter abest: quòd ex negatione modi, vt vocant, essendi, ineptè essentia rei simpliciter negetur. Hac enim ratione Aduersarij ex Augustini sententia etiam dicere compellentur, diuos Stephanum & Paulum, vel non fuisse iustos, vel Christum post eius ascensionẽ non verè & substantialiter vidisse, cùm scriptum sit: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio: quia ad patrẽ vado, & iam non videbitis me. In hæc enim verba scribit Augustinus Tract. 95. in Iohannem hunc in modum: *Secundùm hanc iustitiam nunquid dicturi sumus Paulum Apostolum non fuisse iustum, confitentem se Christum uidisse post ascensionem eius in cælum, de quo utiquè tempore iam dixerat, Iam non uidebitis me? Nunquid secundùm hanc iustitiam iustus non erat gloriosissimus Stephanus, qui, cùm lapidaretur, ait: Eccè uideo cælum apertum, & filium hominis stantem ad dexteram Dei? Quid ergò est, Ad patrem uado, & iam non uidebitis me, nisi quomodò sum, cùm uobiscum sum? Tunc enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis pecca ti, qui esurire poterat atque sitire, fatigari atque dormire. Hunc ergò Christum, id est, talem Christum cùm transisset de hoc mundo ad patrem, non erant iam uisuri: & ipsa est iustitia fidei, de qua dicit Apostolus: Etsi noueramus Christum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus.* Hæc ille.

Non est consequẽs, Christi corpus certo modo præsens non est, Ergò omninò non est præsens.

Iohan. 16.

1. Cor. 15.

Actor. 7.

Rom. 8.

2. Cor. 5.

Ità ergò & nos haud ægrè fatemur, nos Christum secundùm pro-

priam ſpeciem, in qua cælos aſſcēdit,& ſedet ad dexterā patris, id eſt, corporaliter & viſibiliter, & ſecūdùm quantitatē dimēſioneſq; corporeas & pręſentiam localē,in V.Sacramento pręſentē nō habere:at nihilo ſeciùs id ꝓ indubitato tenemus,& ex verbis eius,*Hoc eſt corpus meum*,quę fallere nos nō poſſunt,certò didicim⁹,nos illū ſupernaturali,inuiſibili & ſpiritali ratione in myſterio ſubſtantialiter ꝑſentem habere:nouim⁹ prętereà,vtranq; hanc pręſentiā omnipotenti Chriſti virtute ſimul poſſe cōſiſtere:maximè cùm illius ad dexterā patris ſeſſionē,nō adeò craſsè accipere nos debeam⁹, vt plęriq; ex Aduerſarijs faciunt,perindè àc ſi vno aliquo ſic ille loco incluſus aſſeruetꝰ,vt alibì eſſe nō poſſit. Hoc enim pacto fatendū erit, nō eſſe illū Paulo viſum ꝓpè Damaſcū.Dextera patris omnipotētis, qui vbiquè eſt ꝑ eſſentiā, præſentiā & potentiā,& bona illa cæleſtia,in quib⁹ Chriſtus ęternùm viuit,& vt omnipotens,nullis naturę legibus ſubiacet,& in creaturas omnes ſumma authoritate dominatur,ea ſanè captum noſtrum longiſſimè ſuperant. Itaque nimiùm vltra metas progredimur, dum mundi huius more ex imbecilla ratione noſtra ijs de rebus philoſophari inſtituimus. Quid verò tam eſſe poteſt ſumma cum dementia coniunctum, quàm diuina nos velle perſcrutari myſteria, qui etiam vulgarium rerum creatarum naturam ſatis perueſtigare nequeamus?

Seſſio Christi ad patris dexterā, nō tam craſsè cogitāda eſt,quaſi vno tantùm cæli loco incluſus teneatur.

Dextera patris quæ ſit.

Apoſtolus ait 1.Corin. 2. nec oculum vidiſſe, nec aurem audiuiſſe, nec in cor hominis aſſcendiſſe,quæ præparauit Deus ijs,qui diligunt illum:quantò igitur minùs nos illam poſſumus ſeſſionem ratione aſſequi,quam Deus Chriſto Ieſu vnigenito filio ſuo ſecundùm eius humanitatem attribuit?Idem Apoſtolus 2.Cor.5. Itaque nos,inquit,ex hoc neminem nouimus ſecundùm carnem. Et ſi cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum,ſed nunc iam non nouimus. Eadem Epiſtola cap.12. dicit ſe raptum in tertium cælū, & in paradiſum, audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et ad Epheſ. 4. his verbis ſcribit de Domino:Qui deſcendit,ipſe eſt & q̄ aſſcendit ſupra omnes cælos,vt adimpleret omnia.

Non poſſumus imbecilla ratione noſtra Chriſti ad patris dexterā,ſeſſionem cōprehendere.

Neq; tamen propterea id nos aſſerimus, quod Luterus & eius aſſeclæ quandoquè ſcribere auſi ſunt, cùm Chriſtus in perſonæ vnitate Deus & homo ſit inſeparabiliter,eam ob rem etiam humanitatem

eius

eius ęquè ăc immensam diuinitatem, vbiquè adesse. Id enim nimiùm fuerit & Eutycheti accessisse, & ab Augustino discessisse: sed hoc nos dicimus, quandoquidem Christus Deus & homo est, & corpus eius licèt humanum sit, tamen deificatum & cumprimìs admirabile corpus est, ea causa posse eum, vtpotè apud quem non est impossibile omne verbum, illud idem corpus suum vbicunquè velit substantialiter exhibere, & citra dubium iuxta sermonem illum, *Hoc est corpus meum*, locis omnibus, quibus V. Sacramentú, sicut ab illo institutum est, conficitur, etiam re vera exhibere præsens, ità tamen, vt propterea cælum deserere non cogatur.

Luc. 1. Cùm sit nihil Christo impossibile, potest, vbicunquè vult, corpus suú substantialiter exhibere.

Sed dicat fortasśis quispiam: Equidem necdùm mihi persuadere possum, Christi corpus simul multis adesse locis, itemq; eum tam exigua, vt vocant, hostia integrum contineri. Verùm nó hìc agitur amice de angusto captu tuo, sed fides duntaxat exigitur. Nam si id solum credere velis, quod tua possis exili ratione compræhendere, quo tandèm pacto incompræhensibilem illam & sacrosanctam Trinitatem in vna indiuidua diuinitate potes credere? itemque solam filij personam, humanam induisse naturam, non autem Patrem, vel Spiritumsanctum, cùm tamen hæ tres personæ in summè vna vnicæ diuinitatis essentia & natura sint? Aut quo pacto credere potuisti inscrutabilem diuinę humanęque naturę in vna persona vnionem, ità vt Deus homo, & homo Deus sit, absque vlla tamen vtriusque naturę confusione? Adeoque qui tandèm vel vlli nostrę fidei articulo assentiri potes, quandò illi omnes rationem nostram longè lateq; superant? Itaq; agitur hìc de intellectu in captiuitatem redigédo in obsequium Christi.

Nó hìc rimari debemus, sed intellectú nostrú simpliciter in captiuitatem redigere in obsequiú Christi.

2. Cor. 10.

Atquì porrò etiam forsan dicturus es, videri tibi necdùm satìs ex Augustino probatum, Corpus CHRISTI simul multis haberi locis. Agè igitur pluribus id eius sententijs doceamus. Iam antè audísti illum in Psalmum 33. disertis affirmare verbis, CHRISTVM in sacrosancta cœna discipulis suis corporaliter & visibiliter assidentem, nihilo minùs seipsum inuisibiliter & supra naturæ vsum in suis tulisse manibus, quod nullus omninò possit mortalium: quę quidem perspicuè testatum efficiunt, CHRISTVM in humana assumpti corporis forma & quantitate, locum corporeum in mensa

Augustinus testatur Christi corpus substátialiter multis simul locis esse posse.

visibi-

visibiliter occupâsse, ac nihilo seciùs nulla facta loci mutatione, stupenda quadam ratione inuisibiliter in suis se manibus gestâsse.

Non minùs impossibile est secundùm naturam, duo corpora simul eúdé obtinere locú: quod tamé in Christi corpore accidit.

An non tibi videtur nó minùs impossibile esse, si pro naturæ modo hinc loqui velimus, duo corpora simul eundem occupare locum, quàm vnum corpus simul multis adesse locis, præsentia nó locali, sed substantiali? Atquì Augustinus crebrò testatur, Christum ex clauso sacratissimæ virginis MARIAE natum vtero, eundemq; ex obsignato rediuiuum prodijsse monumento, atque etiam obseratis foribus semèl ac iterùm ad suos ingressum discipulos.

1. 2. 3. Christus clauso virginis vtero ingressus est múdú, idéq; p clausa ostia intrauit.

Epistola 3. ad Volusianum scribit his verbis: *Ipsa uirtus* (Dei) *per inuiolatæ matris uirginea uiscera, membra infantis eduxit, quæ posteà per clausa ostia, membra iuuenis introduxit. Hìc si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deū aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus, tota ratio facti est potentia facientis.* Et Sermone 159. de Tempore: Miraculum est, inquit, quòd *Dominus noster Iesus Christus in carne uera intrauerit ad discipulos per ostia clausa. Requiris à me forsitan rationem, & argumentum requiris. O homo, si rationem à me poscis, non erit mirabile: exemplum quæritur, non erit singulare. Credis nempè Dominum Christum super aquas maris firmis gressibus ambulâsse? Credis utiquè. Dicis igitur mihi: Si per ostia clausa Christus intrauit, ubì est corporis pondus? Recedant paulispèr modus & pondus. Ille hæc fecit, cui nihil impossibile est. Christus qui carnem suam potuit de sepulcro producere, nō potuit clausis ianuis ad discipulos introire? Quandò audis miraculum, serua fidem, non requirat animus rationē.* His similia habes Sermone 156. & 160. de Tempore, & Sermone 17. de Sanctis.

In Dei operibus, tota ratio facti, est potentia facientis.

Christus cōtra naturæ vsum sup mare ambulauit. Matth. 14

Christus cōtra naturam clauso exijt sepulcro.

Idem corpus Domini resurrexit, quod in monumento positum est.

De Agone Christiano, cap. 24. hæc eius verba leguntur: *Nec eos audiamus, qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale positum est in monumento. Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis: Palpate & uidete, quoniam spiritus ossa & carnem non habet, sicut me uidetis habere. Nec nos moueat, quòd clausis ostijs subitò cum apparuisse discipulis scriptum est, ut propterea negemus illud fuisse corpus humanum, quia contra naturam huius corporis, uidemus illud per ostia clausa intrare.*

intrare. Omnia enim poßibilia sunt Deo, &c. Si enim potuit ante paßionem clarificare illud sicut splendorem solis, quarè nō potuit & post paßionem ad quantam uellet subtilitatem in temporis momento redigere, ut per clausa ostia posset intrare?

Matth. 17. Christus contra naturam mortale corpus suum in monte clarificauit.

In summa, tametsi Christi corpus reuerà humanum corpus est, nō tamen vulgare, sed stupendum & admirabile corpus est, quandoquidem cum rerum omnium præpotente diuinitate coniunctum & vnitum est. Quô fit, vt illi possibile sit, quod quibuslibet alijs corporibus est impossibile. Potest illud ambulare super aquas, vt est antè dictū, Matth. 14. Mar. 6. Potest euanescere, Luc. 24. Potest per nubes cælos scandere, Luc. 24. Actor. 1. Qua igitur ratione nō possit etiam secundùm verbum suum, in V. Sacramento præsens adesse? neque id tamen crasso quodam carnali modo, sed spiritaliter & supernaturaliter, ac nihilo minùs substantialiter: non locali, sed substantiali præsentia. Quæ quidem eò dicta sint omnia, non quòd nos exactè compertum habere queamus, de loco quid sit vel non sit: sed vt nostras reuocemus cogitationes à curiosa inuestigatione, qua ratione illic sit: cùm satìs id nobis esse debeat, vt credamus eum substātialiter adesse, modum autem, quo illic adest, ipsi committamus, qui solus eum probè habet cognitum.

Christi corpus est admirabile, cùm sit cū omnipotente diuinitate in vnitate personæ coniunctum.

Credere simpliciter debemus, Christū in V. sacramento adesse substantialiter, modū verò, quo illic est, ipsi soli cōmittere.

Sed fortassìs adhuc pergis esse refractarius, & nôsse cupis, quæ sit hæc distinctio, qua dicimus quippiam alicubì substantialiter & perfectè, nec tamen secundùm suam quantitatem & loci occupationem adesse. Verùm tametsi præsentia illa Christi nobis sit incomprehensibilis, nec eam vllis verbis exprimere queamus, at tamen ad ipsas res naturales, quô tuæ curiositati nonnihil satisfaciam, te remitto, quibus in rebus huius quandam, licèt admodùm remotam, poteris similitudinem reperire. An tu ignoras, veram panis substantiam etiam in exigua panis particula perfectè ac integrè inesse? Itemq; veram vini substantiam in modico vino haberi? nec tamen iuxta quantitatem in paruo tantundem, atquè in magno, adest. Assentiris id Philosophis, posse imbecillum intellectum nostrū inuisibilem cuiuslibet rei substantiam quodam modo sinè accidentibus, quæ sub sensum cadunt, cōprehendere, id est, posse nos intelligere substantiam sinè acciden-

Etiam secundùm naturā potest, tota rei alicuius substātia esse alicubi, vbi tamen res illa secundùm quantitatem suam non sit.

tibus: quî fit igitur, Deo vt cōcedere nolis, posse eum id re ipsa efficere, quod infirma intellectûs nostri acies vtcunquē potest attingere? Quòd si huius velis exemplum aliquod consimilius & propinquius tibi dari, ad ipsum Christum respice. An nō Christus eodem temporis puncto, quo intra matris conceptus est viscera, perfectus Deus & homo extitit? Hoc si credis, nihil motus quantitatis consideratione, cur eam hîc tibi pateris esse remoræ ac impedimento?

Christus in instāti, vt vocāt, cōceptionis, in matris vtero pfectus Deus & homo fuit.

Si porrò etiam eius qualemcunque iuuat didicisse similitudinem, quòd diximus rem aliquam vnam pluribus simul locis posse adesse, ea aduertas exempla, quæ apud Augustinum leguntur Epistola 3. ad Volusianum, cuius paulò suprà meminimus, de duobus sensibus nostris corporeis, *Visu & Auditu, vt illi sint in carne, viuant in carne, & tamen sentiant extra carnem. Visus enim in cælo sidera & solem longißimè videt & sentit: Auditus sonos percipit & sentit extra carnem. Itaq; vterq; hic sensus ibì sit oportet, vbì sentit.*

Exēplis docetur, posse rem aliquam vnam pluribus locis simul adesse.

Sensus nostri ibì sint oportet, vbì sentiunt. At oculi solē in cælo &c. aures sonum procul percipiunt.

Illud etiam, quod propiùs facit ad rem, attendas, vt vna eademq; vox, idémve sermo siue verbum, cunctorum audientium aures & simul, & singulatìm feriat: ità vt vnusquilibet verissimè affirmare queat, se idem omninò verbum siue vocem, æquè atquè alios, audiuisse. Quid ergò non possit in carne sua Deus, verbum illud sempiternum, factum caro?

Eadē vox simul multorū aures realiter afficit siue ferit. 29.

Eiusmodi quidem, quibus ad credendum ceu manuducamur, dissimiles similitudines multò etiam plures adduci queant, vt etiam aliā quandam eius generis in XIII. scripturę Testimonio suprà attulimus: verùm qui probè ac piè Christianus est, non in eam debet curam incumbere, vt operum Dei vel rationes velit nôsse, vel habere similitudines. Decet enim eum verbo Dei indubitatā commodare fidē, eiq; etiam contra omnē rationē, constantissimè inhęrere: alioquì fides ei nomen suum tueri nō poterit, Rom. 4. Equidem inpręsentiarùm sat habeo, ex Augustino luce meridiana clariùs id docuisse, eum, non attentis illis, quæ ad Dardanum scribit, in quibus nè vno quidem verbo Eucharistiæ meminit, certissimè & credidisse & tradidisse, locis omnibus, quibus Christi V. Sacramentum habetur, eius quoquè verum corpus & sanguinē, adeoq; Christū totū substantialiter adesse.

Suprà in XIII. scripturæ testimonio, fol. 29.

Epilogus testimoniorum Augustini.

Atq; hactenùs viri celeberrimi testimonia protulisse hoc loco sufficiat

ficiat

ficiat: ex quibus Lector amice liquidò potes intelligere, eum summa constantia, religione & pietate docuisse, verba illa Christi, *Hoc est corpus meum*, non vt Aduersarij somniant, metaphoricôs, sed pro genuina eorum significatione, de vero Christi corpore accipi oportere: ità vt credamus Christi corpus in V. Sacramento substantialiter haberi, non quidem modo quodam naturali, sed qui naturam prorsus excedat, agente id stupêda & omnipotente virtute Spiritussancti: adeoq; Christum ceu certò præsentem in eodem V. Sacramento adorandum esse: prætereaq; virū sanctissimum omnia illa scripturæ diuinę loca, quę ad confirmandā veram corporis Christi pręsentiam suprà ꝓlata sunt, ea quoquè ratione, qua à nobis explicata ac introducta sunt, accepisse. Porrò Aduersarios nostros, impios Sacramēti oppugnatores, viro sancto nō nisi vim summam & iniuriam inferre, quandò ex quibusdā eius verbis & sententijs, quas illi hincindè ex eius scriptis decerpunt, cōgerunt, ac dedita opera truncant, mutilant & deprauant, eum in suas partes transuersum trahere moliuntur. Tum quoquè eorū pestiferas argutationes omnes, quæ in summa tribus nituntur ruinosis fundamentis, putà, quòd Christi verba vel metaphoricôs volūt accipi, vel Christi corpus non nisi spiritaliter in fide posse accipi, aut deniquè substantialem & veram Christi in Sacramento præsentiam cum eius in cælos ascensione pugnare, non nisi vanissimas esse calumnias, & somnia planè commentitiā. Postremò neminem ferè ex Patribus eos confutâsse validiùs, atquè ipsum Augustinum, quem tamen illi secum facere impudentissimè gloriantur. Aduersariorū argumēta omnia tribus nituntur putridis fundamentis.

Fateor sanè, me eius proferendis testimonijs longè atquè ipse institueram, diutiùs immoratum: sed quin ità facerem, eorū causa committere non potui, quô omnibus eorum fraus & dolus innotescat, cunctiq; perspectum habeant, quàm falsò illi execrabilē opinionem & sententiam suam catholicissimo, yt ità dicam, Augustino affingāt. Sed iam ad insignem illum athletam Cyrillum, quem ei socium esse voluimus, nostra proficiscatur oratio. Augustini authoritates curtā copiosè allatæ.

SANCTI CYRILLI EPISCOPI TESTIMONIA.

DIuus Cyrillus, celeberrimi illius Theophili Alexandrini, cuius testimonia iam antè produximus, ex fratre nepos fuit, & proximus in sede Alexandrina successor, quem veteres miris efferunt lau- CAP. 56.

 dibus,

Cyrillus magni apud veteres nominis & existimationis.

dibus, vt quem Euagrius lib. 1. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 7. *clarissimum vocet præconem, & fortem rectorum dogmatum propugnatorem*: Nicephorus quoquè lib. 14. cap. 34. *fastigium & columnam rectæ fidei*: Et cap. 36. *Ecclesiæ tubam, fines terræ personantem, & propugnatorem Ecclesiæ fortissimum, qui ab omnibus celebretur, & omnibus in ore sit*. Fuit is reuerà in scriptis diuinis eruditissim᷒ & perspicacissimus, nec minori in hæreticos zelo flagrans, atquè diui Chrysostomus, Ambrosius & Augustin᷒. Persuasum enim habuit, id quod res est, nihil perindè cum Antistitis officio pugnare, quàm inerti negligentia ac dissimulatione, studio pacis temporariæ, hæreticis locum spatiumq; præbere, & ad eorum blasphemias conniuere, eisq; permittere, vt pro sua satanica libidine & petulantia Christum & eius Ecclesiam perpetuis proscindant conuicijs & contumelijs. Ob hanc igitur eximiam virtutem, zelum & eruditionem suam, cùm temporibus Theodosij & Valentiniani iuniorum, catholicum & Apostolicum illud Concilium Ephesinum I. contra hæresiarcham Nestorium ad ipsius Cyrilli magnam instantiam indictum atque coactum esset, à beatissimo Cælestino Romano Pontifice, ceu principis Apostolorum Petri vero successore, & Christi Vicario iussus est suo, id est, Cælestini nomine illi Concilio præsidere: vt etiam eidem, Catholicæ fidei tuendæ ac conseruandæ causa, ceu egregius, inuictus & cõstantissimus athleta, nihil moratus infestationes eas omnes, quæ eo nomine non ab Aduersarijs modò, sed ab ipso etiam Theodosio Imperatore initiò cumulatìm ei sunt oblatæ, summa cum laude totius orbis Christiani præsedit ac præfuit: Testantur hoc tum prædicti alijq; historiæ Ecclesiasticæ scriptores, tum præcipuè Liberatus Archidiacon᷒ Ecclesiæ Carthagineñ, ipsaq; adeò Acta memorati, & eorum quæ posteà celebrata sunt, Conciliorum, nempe Chalcedoneñ, Constantinopolitani 5. & Constantinopolitani 6. Porrò cum Synodo illa Ephesina iam dictum Heresiarcham Nestorium, quanuìs imperantis vrbis & sedis Constantinopolitanæ Patriarchã, & cui tum etiam Imperator ipse faueret, ob huius execrabilem hæresim, qua ille etiam diuinam huius præcelsi Sacramẽti corporis & sanguinis Christi eleuauit depressitq; virtutem, Dei & catholicæ Christi Ecclesiæ authoritate à dignitate amouit, exauthorauit, & esse anathema declarauit: qua sentẽtia nostri quoquè Aduer-

Episcopi officio nihil tam aduersum est, quàm pacis tẽporariæ causa, hæreticis locum præbere.

Cyrillus Ephesino Cõcilio Cælestini Pontificis nomine præsedit. Vide Nicephorum lib. 14. ca. 34.

Cyrillus cõtra Imperatorẽ & aduersarios suos omnes perstitit.

Nestorius Cõstantinopolitanus patriarcha propter hæresim, cuius ipse architectus fuit, à Cyrillo & Concilio damnatus est.

sarij

ſarij, eodem quòd ad V. Sacramentũ attinet, errore implicati & contaminati, tenentur.

Hic igitur tantus vir, diuinitùs mirificè colluſtratus, & maximo in precio habendus, in ſcriptis & libris ſuis prȩclariſſimis, veræ corporis ac ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ, non obſcura quidem, ſed vſque eò luculenta, expreſſa, diſerta & efficacia dicit teſtimonia, vt nihil in eis Aduerſarij inueniant, quod, niſi impudẽtiſſimi eſſe velint, fuco quodam & fallacia in ſuam ſententiam detorquere auſint.

Cyrilli teſtimonia clariſſima & validiſſima.

Vult nanq; ea Domini verba, *Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſanguis meus*, perindè vt ſonant, propriè accipi oportere: ſenſum metaphoricum prorſus non admittit: figuras ad Teſtamentum vetus remittit: docet euidentiſſimè, verbis iam dictis, panem & vinum in veri corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam omnipotente & inſcrutabili Dei virtute & potentia tranſmutari, ſenſuumq; & rationis noſtræ experimẽta nullum hîc habere locum, fidemq; ſolam exigi. Tum verò ex diuinæ V. Sacramenti huius inſtitutionis rationibus & cauſis, multigeniſq; eiuſdem V. Sacramenti diuinis effectibus, quos ille præ alijs mira elegantia & perſpicuitate depromit, certam præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti planè teſtatiſſimam efficit: ipſum quoquè V. Sacramentum plerunquè Benedictionem vocat, non noſtram ob gratiarum actionem tantùm, quæ ſolet eò adhiberi, meritoque adhiberi debet: vt Aduerſarij ea Apoſtoli verba, Calix benedictionis &c. pro calice apud quem gratias ſolùm agimus: ſed eò potiùs, quòd illic coràm adſit benedictum Chriſti corpus, cuius perceptione nos benedicimur, ſanctificamur, & Chriſti corpori concorporamur in vitam æternam: vtì poſteà ex verbis eius eluceſcet. Ad hæc omnes Aduerſariorum noſtrorum calumnias, quas illi comminiſci queant, validiſſimè retundit & diluit, atque de hac re grauiſſima eundem ferè in modum loquitur, quo Chryſoſtomus, quem, Nicephoro teſte lib. 14. cap. 28. poſt eius demùm obitum maximi fecit. Deniquè quæcunque ab Auguſtino ſubobſcurè hinc dicta ſunt, ea ipſe euidentiſſimè explicat.

Cyrillus V. Sacramẽtum benedictionẽ appellat plerunquè.

1. Cor. 10.

Quæ Auguſtinus de V. Sacramento dixit ſubobſcurius, Cyrillus profert aperiſſimè.

Et principiò quidem, quòd ad germanam verborũ Chriſti, Matthęi 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. intelligentiam attinet, ad Caloſyrium Epiſcopum inter cætera ità ſcribit: *Non dubites an hoc verum ſit,*

Cyrillus verba Chriſti, Hoc eſt corpus meũ, vult

eo manifestè dicente, Hoc est corpus meum: sed potiùs suscipe verbū Saluatoris in fide: cùm enim sit veritas, nō mentitur. Nec multò pòst: *Nè enim horreremus carnē & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatē propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis.*

En quàm graphicè nostros depingit Aduersarios. Et lib. 4. in Iohannem, cap. 13. *Quærendum*, inquit, *itá semper est, vt apud eum habitemus, & ad alienas sententias nō deferamur. Sed non itá facit animus malignus. Nam quæcunq; nō intelligit, statim tanquàm friuola falsaq; per arrogantiam eycit, nulli cedens, nec aliquid supra ipsum esse existimans: quales Iudæos fuisse comperimus. Nam cùm oporteret eos, qui diuinam virtutem Saluatoris ac potestatem, signorum miraculo perceperunt, sermonem eius libenter suscipere, & si qua difficilia videbantur, eorum solutionem quærere, contrà omninò faciunt. Et quomodò potest hic carnem suam nobis dare?* Iohan. 6. *de Deo non sinè magna impietate conclamant: nec in mentem venit, nihil esse* Lucæ 1. *impossibile apud Deum. Nam cùm animales essent, vt ait Paulus 1. Cor. 2. spiritualia intelligere non poterant: sed fatuitas quædam tam magnum sibi videtur* Rom. 4. *mysterium. Sed nos magnum, quæso, à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysterijs adhibentes, nunquàm in tam sublimibus rebus illud, Quomodò, aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, & extremi supplicij causa. Ideò Nicodemus etiam cùm diceret, Quomodo hæc fieri possunt? meritò audiuit: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Iohan. 3. *Aliorū igitur, vt diximus, culpa perdocti, cùm Deus operetur, nō quæramus, Quomodo? sed operis sui viam atq; scientiam illi soli concedamus.*

Sacramētum hoc firmā deposcit fidem. Verbum hoc, Quomodò potest fieri, in Dei operibus Iudaicū est. vndè colligi licet, quo loco nostri habendi sint Aduersarij.

Et paulò pòst: *Nónne uides, quid sæpenumerò mechanici faciunt? Incredibilia uidentur nobis nōnunquam enarrare: sed tamen quia similia ipsos fecisse uidimus, posse pagi ab ipsis facilè credimus. Quomodò igitur summis cruciatibus digni nō erunt, qui rerū omnium opificē Deum itá contemnunt, ut, Quomodo, in operibus eius dicere audeāt, quē totius sapientiæ largitorē esse nō ignorant, quē omnia posse scriptura nos docuit? Si uerò tu, ô Iudæe, Quomodò, etiam nunc clamas, hanc tuam imperitiam ego quoquè secutus, libenter, quomodò ex Aegypto exiuisti, rogabo: quomodò in serpentē Mosaica fuit uirga conuersa, quomodò lepra manus affecta, uno momento temporis in pristinum statū restituta iterùm fuit: quomodò in naturā sanguinis aquæ transierunt, quomodò patres tui per maria, ut per aridam, effugerunt?* Sapien 1. Psal. 134. Exod. 14. Exod 4. Exod 7. Exod. 14.

quo-

quomodò per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit: quomodò e lapide fontes aquarum fluebant? quomodò stetit Iordanis? quomodò solo clamore inexpugnabilis Hiericho cecidit? Innumerabilia sunt, in quibus si, quomodò, quæris, uniuersam euertere tibi scripturam necesse erit, prophetarum doctrinam, & ipsius Mosis scripta contemnenti. Quarè credidisse Christo potiùs uos oportuit, & si quid arduum uidebatur, ab eo humiliter petere, quàm ueluti temulẽtos exclamare: Quomodò potest hic nobis suam carnem dare? Nónne uidetis, quia cùm hæc dicatis, statim cum ista uoce arrogantia magna significatur? Exod. 15. Exod. 17. Num. 20. Iosue 3. Iosue 6. Ex innumeris alijs supernaturalibus Dei operibus colligi licet, Christũ nobis sua omnipotente virtute, corpus suũ iuxta verbũ suum præbere.

Ad hæc deindè sequitur cap. 14. *Esaias dixit: Si enim non credideritis, nec intelligetis. Oportebat igitur fidei primùm radices in animo iácere, deindè illa quærere, quæ homini quærenda sunt. Illi uerò antequàm crederent, importunè quærebant. Hac igitur de causa Dominus, quomodò id fieri posset, non enodauit, sed fide id quærendum hortatur. Sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate: hoc est corpus meũ. Calicẽ etiam similiter circuntulit, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Perspicis, quia sinè fide quærẽtibus, mysterij modũ nequaquàm explanauit: credentibus autẽ etiam nõ quærentibus exposuit. Audiant hæc, qui ex arrogantia nondùm Christi fidem suscipere uolunt. Nisi manducaueritis, inquit, carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis uitam in uobis. Nõ enim possunt cum sanctificatione beatæ uitæ fieri participes, qui per mysticã benedictionem* (Eucharistiam intellige) *Iesum nõ susceperunt. Vita enim secundùm naturã ille est, qui ex uiuo patre genitus est: sed nõ minùs corpus quoquè suũ uiuificat: Coniunctum enim ineffabiliter est filio Dei, à quo uniuersa uiuificantur. Idcircò corpus suum dicitur, & unum cum eo est* (scilicet, in vnitate pſonæ) *Quoniã igiẽ Saluatoris caro uerbo Dei, quod naturaliter uita est, coniuncta, uiuifica effecta est, quandò eam comedimus, tunc uitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ uita effecta est.* Esaiæ 7. Primò adhibenda fides est verbis Dei: deindè modestè percontari licet, quo pacto Deus operetur. Audi Aduersarie. Eucharistia necessariò accipienda. Christi corpus verbo Dei coniunctum, viuificum seu vita effectum est.

Et nè admirationi tibi sit, cum CHRISTI carnem, ob ineffabilem eius cum diuinitate coniunctionem, vitam appellare, docet porrò, *vt Dominus in exuscitandis mortuis, non solummodò verbo atque*

imperio vt Deus vsus sit, verùm etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquàm adhibuerit. Nam quandò Synagogæ principis filiolam suscitabat, manum eius apprahendit, & erexit, eamq; & verbo, & carnis suæ tactu excitauit, vnam ab vno se Christo, Deo videlicet atque homine, operationem producens. Lucæ 7. *Quandò etiam in ciuitatem Naim ingrediebatur, tetigit corpus defuncti adolescentis, dicens: Adolescens, tibi dico, surge: simul & verbo & tactu eum excitans.*

Eidem in Eucharistia carnem accipimus, cuius tactu quondam mortui excitati sunt.

Nè quid verò hæsites, eandem carnem in V. Sacramento te accipere, quæ olim tactu suo mortuos vitæ restituit, hæc quoquè subiungit: *Quòd si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo nō viuemus, qui carnem illam & gustamus, & manducamus? Reformabit enim omninò ad immortalitatem suam participes suî. Nec velis Iudaicè, Quomodò, quærere: sed recordare, quamuis naturaliter aqua frigidior sit, aduentu tamen ignis, frigiditatis suæ oblita æstuat. Hoc sanè modo etiam nos, quamuis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitæ ab imbecillitate nostra reuocati, ad proprietatem illius ad vitam reformamur.* Mox annectit causam, cur necessaria fuerit huius V. Sacramenti institutio, simulq; latiùs explicat eam causam olim in veteri Testamento figuris quibusdam designatam fuisse, at nunc in præsenti veritate illam suo cum effectu haberi. *Oportuit enim certè,* inquit, *vt non solùm anima per Spiritumsanctum in beatam vitam ascenderet, verùm etiam vt rude atque terrestre hoc corpus, cognato sibi gustu, tactu & cibo ad immortalitatem reduceretur. Nec putet ex tarditate mentis suæ Iudæus, inaudita nobis excogitata esse mysteria: videbit enim, si attentiùs quærit, hocipsum à Mosis temporibus per figuram semper factitatum fuisse. Quid enim maiores eorum ab ira Aegyptiorum liberauit, quandò mors in primogenita Aegypti sæuiebat? nónne omnibus palàm est, quia diuina institutione perdocti, agni carnes manducârunt, & postes ac superliminaria sanguine perunxerunt, propterea mortem ab eis diuertisse? Pernicies nanque, id est, carnis huius mors, aduersùs genus humanum propter primi hominis transgressionem furebat. Terra enim es, & in terram reuerteris, propter peccatum audiuimus. Verùm quoniam per carnem suam Christus, atrocem hunc euersurus erat tyrannum, propterea id mysterium apud priscos obumbrabatur, & ouinis carnibus atque sanguine sanctificati,* (DEO ità volente) *perniciem effugiebant. Cur igitur, ô Iudæe, turbaris, præfiguratam veritatem iam videns? Cur, inquam, turbaris, si Chri-*

Vt faciunt Aduersarij.

Vt corruptibilis caro nostra cōmunicatione corporis Christi fiat immortalis.

Ratio instituti V. Sacramenti.

Præfiguratio diuinæ virtutis V. Sacramenti.

Exod. 12.

Agnus paschalis, typus fuit Eucharistiæ.

Rom. 5.

Gen. 3.

stus dicit: Nisi mãducaueritis carnẽ filij hoĩs, & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis vitã in vobis, cùm oporteret Mosaicis te legibus institutũ, & priscis vmbris ad credendũ perdoctũ, ad intelligenda hæc mysteria paratißimũ esse? Iohan. 6.

Multò etiam apertiùs manna ceu figuram opponit V. Sacramento, tanquàm ipsissimæ veritati. Eodem enim libro, cap. 16. scribit his verbis: *Distinguit Dominus rursus inter mysticam benedictionem & manna, & aquarum fluenta ex lapide & calicis sancti communicationẽ. Itá iterùm eadem repetit, nè magis mannæ miraculũ admirẽtur: sed ipsum potiùs suscipiant, q cælestis panis est, & æternæ uitæ largitor. Patres enim, inquit, uestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis, qui de cælo descendit, ut aliquis ex ipso comedat, & non moriatur. Mannæ nanq; alimentum non æternam uitam, sed breue famis remedium adferebat. Nõ ergò erat cibus uerus, id est, panis de cælo. Sanctum uerò Christi corpus, ad immortalitatem & uitam æternam nutriens cibus est. Itá inquit: Sed aquam illi ex petra biberunt. Quid igitur indè lucrati sunt, qui mortui fuerunt? Nõ erat igitur potus ille uerus: sed uerus potus est sanguis Christi, quo radicitùs mors euertitur atque destruitur. Non enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius, qui naturali uitæ coniunctus, uita effectus est. Propterea corpus & membra sumus, quia per hanc benedictionem mysterij, ipsum filium Dei suscipimus.*

Differentia inter manna & Eucharistiã ex verbis Domini Iohan. 6.

Discrimẽ inter sanguinẽ Christi in V. Sacramento, & aquam ex petra.

Ephes. 5. Corpus & mẽbra Christi sumus, eò quòd corpus eius sumimus.

Et rursus cap. 19. *Sed lex ista (vetus) inquit, ut magna in paruis figurabat: umbram enim atque imaginem futurorum bonorum, non ipsarum rerum ueritatem habebat: itá in alimento mannæ, benedictio hæc Christi figurabatur, & futura denotabatur.* Hebr. 10.

Eodem lib. cap. 28. de panibus ꝓpositionis scribit hunc in modũ: *Christus enim mensa est, in qua panes depositi sunt, quibus omnes participatione corporis sui, ad uitam æternam aluntur. Ego enim, ait, sum panis, qui descendi de cælo, & uitam æternã do mundo. Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Mensæ igitur propositio, id est, panes, sanctißimum Christi corpus, quo ad uitam æternam omnes aluntur, prorsus significat.*

Mensa panũ ꝓpositionis, sanctissimum Christi corpus in Eucharistia significauit. Iohan 6. Exo. 25. & 40.

Adeoq; non typicum vel symbolicum manna, sed verum Christi



QQ corpus,

corpus, quod pro nobis datum est in remissionem peccatorum, nos accipere, eaq; Christi verba, *Hoc est corpus meum*, de illoipso corpore, non de figura, accipi oportere: atque Eucharistiæ sumptionem non aliud esse quàm publicam confessionem, Christum resurrexisse à mortuis: nanq; aliâs verum & substantiale corpus suum nobis in V. Sacramento conferre nô posset, satis ille testatur lib. 12. in Iohanné, cap. 57. his verbis: *Visibiliter simul atq; inuisibiliter Christus omnibus appáret, inuisibiliter quidé ut Deus, uisibiliter autem in corpore. Præbet enim nobis carné suam tãgendã, ut firmiter credamus, quia templũ uerè suũ suscitauit. Quòd aũt mysticæ benedictionis cõmunio, resurrectionis Christi quædam confeßio est, uerbis ipsius probatur. Fractum enim panem distribuebat, dicens:* Hoc est *corpus meum, quod pro nobis tradetur in remißionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem.* Participatio *igitur mysterij, uera quædam confeßio & commemoratio est, quòd propter nos & pro nobis* Dominus *& mortuus sit, & reuixerit, & diuina nos benedictione propter hoc replet. Fugiamus igitur infidelitatem post tactum Christi, & firmi atque stabiles ab omni longè ambiguitate inueniamur.*

Cùm Christi corpus accipimus, fatemur eũ à mortuis resurrexisse: non enim aliàs suum nobis posset corpus largiri.

Corpus Christi in Eucharistia, illud corpus est, quod pro nobis traditũ est.

In V Sacramẽto Christum tangimus.

Conspicimus Dominũ Deũ in manibus sacerdotis.

Iterùm hîc audis catholicos Christianos rectè dicere, se in manibus sacerdotis Dominum Deum vidisse, vtì etiam suprà in authoritatib[9] Tertulliani, (fol. 102.) Chrysostomi, (fol. 196.) & Augustini annotatũ est: quod tamẽ de externis speciebus accipiendũ est, in quib[9] hîc conspicit, qui alioquì in ꝓpria specie necdùm à nobis videri potest.

In V. Sacramẽto secundùm substantiã nihil sensibile accipimus.

Eò facit, quod alibì ait lib 8. contra Iulianum, *dedisse eum nobis non manna sensibile, sed seipsum potius in sanctum, & viuificum, & sanctißimum verè cibum.* Vbì obseruãdum venit, hoc planè cõsentaneum esse cum eo, quod ex Chrysostomo suprà citatum est fol. 156. nihil nobis hîc sensibile traditũ à Christo: vndè transsubstãtiatio necessariò sequitur. Si enim Christus substantialiter nihil nobis sensibile largit, certũ est, nullum iam reliquum hîc esse panem factitium & terrenum: maximè cùm verba Christi, *Hoc est corpus meum*, de duabus substantijs accipi non possint, sed de vna duntaxat substantia, quam tamen sensus nostri percipere nequeant, necessariò accipienda sint.

Transsubstãtiatio.

Porrò Cyrillum ea quoquè Seruatoris verba, *Quod pro vobis tradetur: hoc facite in meã commemorationẽ*, cum in modũ & accepisse, & accipiendo

cipienda docuisse, nos ex Christi mandato illud eius verum corpus, quod pro nobis semel in cruce cruenta ratione oblatum est, intra catholicam Christi Ecclesiam in altari Dominico quotidiè modo incruento offerre, ipse sibi testis est ad Euoptium Episcopum in interpretatione XI. Anathematismi, vbi sic habet: *Sanctam, & viuificatricẽ, & sinè sanguine immolationem in Ecclesiis celebramus, non vnius secundùm nos hominis, q; cõmunis corpus, quod offertur, esse credentes: similiter autẽ & preciosum sanguinem: suscipientes autem potiùs tanquàm proprium corpus factum, necnon & sanguinem omnia viuificantis verbi. Communis enim caro viuificare non potest, & in hoc testis est ipse Saluator, dicens: Caro nõ prodest quicquam, Spiritus est qui viuificat. Quia enim verbi propria facta est, idcircò intelligitur & est viuificatrix, sicut ait ipse Saluator: Et sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & q comedit me, & ille viuet propter me.* Nõ poterat vir sanctus dicere euidentiùs, nos non figuram, sed idem illud corpus, quod verbum assumpsit, & in cruce cruento modo immolauit, nos in Christi Ecclesia incruenta ratione offerre: quandò, vt ait, ità persuasum habemus, id quod nobis in altari exhibetur, viuificantis verbi proprium esse corpus, & propterea ipsum quoquè esse viuificum, vndè dominus dixerit: Qui manducat me, & ille viuet propter me. Ex quibus illud quoquè discere licebit, vt Origenes illis accipiẽdus sit locis, quibus sanctissimum Christi corpus in Eucharistia toties verbi Dei corpus vel carnem appellat. Vide suprà fol. 113.

Idem corpus, quòd verbũ assumpsit, & in cruce cruento modo obtulit, Ecclesia incruenta ratione immolat.

Iohan. 6.

Vt verò Corpus CHRISTI in Eucharistia Cyrillo neutiquàm figura est, ità etiam dictionem illam, Manducare, vel, Comedere, idẽ ipse nõ figuratè, sed propriè de vera ac substantiali comestione (sicutì nec possunt comedi, nisi res corporeæ) vult accipi: vtì loco iam memorato innuit, dum ea Christi verba, *Qui manducat me*, id apud ipsum exigunt, nos illic Christi corpus habere, quod edere possim⁹. Idem etiam indicat in Iohannem lib 4. cap 15. vbì hac oratione vtit: *Quarè qui carnem Christi manducat, vitam habet æternam. Habet enim hęc caro Dei verbũ, quod naturaliter vita est. Propterea dicit: Quia ego resuscitabo eũ in nouissimo die. Ego, enim dixit, i. corpus meũ quod cõedetur, resuscitabo eum. Non enim alius ipse est, quàm caro sua: non id dico, quia natura nõ sit alius, sed quia post incarnationem in duos se diuidi filios minimè patitur.*

Cyrillus vocem illã Manducare, non vult esse figuratam.

Iohan. 6.

Christus est caro sua, secundum personæ vnitatẽ.

Virtute carnis Christi in Eucharistia excitabimur in extremo die

Simile.

Ego igitur, inquit, qui homo factus sum, per carnem meam in nouissimo die comedentes resuscitabo. Huius autem hanc subnectit rationem: *Non enim potest natura nostra, vitæ coniuncta, non viuificari. Et quemadmodùm si quis scintillam ignis in fœno aut palea occultauerit, totum indè ignitum necessariò fiet: sic verbum Dei tanquàm scintilla in naturam nostram immissum, totam indè inflammauit, atque ad vitam, interitu penitùs destructo, reduxit.*

Non diuinitas, sed corpus Christi propriè comeditur.

Iohan. 6.

Christus non tantum spiritaliter, sed etiam verè & substātialiter nos cibat.

Iohan 6.

Caro Christi dicitur de cælis descendisse, non propter se, sed ob diuinitatē cui in vnitate personæ coniuncta est.

Atquì multi etiam luculentiùs, ea domini verba, Accipite & manducate, verū poscere corpus, quod edi possit, ad Theodosium de recta fide testatur his verbis: *Viuificat quidem nos vt Deus: veruntamen non in solo hoc, quòd particeps est Spiritussancti, sed & manducabilem apponens assumptam carnem filij hominis. Dicebat enim: Amèn amèn dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quibus id vult Cyrillus, CHRISTVM non solùm diuino spiritu suo cibare nos spiritaliter, sed etiam assumpta carne substantialiter. Deindè post pauca subdit: *Ego sum panis,* inquit, *qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet inæternùm: & panis quem ego dabo, caro mea est, pro vita mundi &c. Quanuìs verum sit dicere, quòd non descenderit quidem de cælis caro, sed fuerit ex virgine secundùm scripturas. Non est autem esibile verbum,* (putà, quod de cælis descendit) *sed in vnum ambo colligens secundùm dispensatiuam vnionem.* Paulò pòst hac vtitur percontatione: *An non & ociosam confitebimur fuisse terrenam carnem ad hoc, vt posset viuificare, quatenùs pertinet ad propriam naturam? Quomodò igitur, dic, oro, viuificat caro? vel quomodo intelligitur & ex cælo esse, quod est de terra? Secundùm vnionem scilicet cum viuente & cælesti verbo.* Quibus ille hauddubiò id affirmare nititur, Christi carnem non descendisse de cælo, sed natam esse ex virgine: ac nihilo minùs dicere CHRISTVM, se esse panem qui de cælo descenderit, & eum panem esse carnem suam. Atquì verbum æternum, quod de cælo descendit, non esse esibile: & tamen asserere Christum se esse panem, qui de cælo descenderit: & si quis manducauerit ex hoc pane, &c.

Ob inseparabilē diuinitatis cū humanitate coniun-

Hæ igitur locutiones Domini, secundùm admirabilem illam diuinę humanæq; naturæ in vna persona coniunctionem & vnionē inseparabiliter de illo accipiendæ sunt, quatenùs simul & Deus & homo est,

mo est, nó autem de hac vel illa natura tantùm, ceu ab altera seorsum seiuncta. Huius enim inseparabilis vnionis causa fit, vt quicquid alterutri naturæ congruit & peculiare est, toti personæ rectè adscribatur, immò & adscribendū sit: quod idem ex Augustino iam antè allatum & expositum est.

Ratione iunctionē & vnionē, quicquid cuilibet naturæ propriū est, vni a li psonæ tribuitur p cōmunicationē idiomatum.

Eo igitur pacto, quo iam dictum est, docet Cyrill^9 Christum posse comedi, non quidem iuxta diuinam, sed humanam naturam, quam à nobis accepit: neque id solùm locis quos memorauimus, sed etiam alijs plerisque. Libro 2. ad Reginas de Recta fide, hæc eius verba leguntur: *Libenter, inquit, quærerem ex his, qui vnum diuidunt in duos Christos, vter sit, qui missus à Deo & patre, & viuens propter illum, existatq; propter hoc viuificus. Nam si quidem nudum, & secundùm seipsum verbū, quod ex ipso, quomodò manducatur à nobis, vt viuamus propter ipsum? Deus enim natura incorporeus est. Si autem solum & secundum ipsum hominem esse dicunt missum, quomodò igitur est viuificus, qui viuit propter patrem?* Tanquàm diceret: Si propriè velimus loqui, non potest ille comedi, nisi fateamini, eum ex virgine humanam induisse naturam: nec potest viuificari, nisi confiteamini eū in vna eademq; persona etiam Deū esse: quandoquidem quòd à patre missus est, nihil aliud est, quàm eum ipsum viuentem Dei filium, pro cælestis patris sui voluntate, carnem in personæ vnitate suscepisse.

Nestoriani.

Cùm Christi diuinitas ꝑpriè comedi nō possit, verba Christi de eius vera carne ꝑpriè accipi necessè est.

Quod nimirùm longè etiam elegantiùs docet in XI. Anathematismi aduersùs Theodoreti obiectiones defensione, meras Nestorij calumnias & argutationes confutans. Nestorius enim, quò Christi diuinitaté ab eius humanitate distraheret ac separaret, duasq; ex Christo personas fingeret, hac ratione argutabatur: *Qui comedit, inquit, meam carnem, & qui bibit meum sanguinem. Nunquid dixit: Qui comedit meam diuinitatem, & bibit meam diuinitatem? Qui comedit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Memoramini, quia de carne est, quod dicitur.* Deindè pergit cauillari: *Audiamus & reliqua: Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ille viuit propter me. Quem comedimus? diuinitatem, an carnem?* In eiuscemodi blasphema Nestorianaque cauillatione vel argumentatione nupèr sacramētarius quidam in hac vrbe Coloniensi iussu amplissimi Senatûs in carcerem coniectus, pertinaciter perstitit, asserens in

Vide suprà Gregorium Nyssenum fol. 149.

Christū à patre missum, quid sit.

Nestorij cauillum.

Laurentius Vorsibach sacramentarius Anno 1555. Coloniæ cōiectus in carcerem.

in V. Sacramento non adesse Christi diuinitatem, cùm Dominus dicat: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: eoque meram esse idololatriam, Christum in Sacramento adorare, &c.

Cōfutatio sacrilegæ Nestorianæ cauillationis.

Sed hanc blasphemiam Cyrillus his confutat verbis: *Nō enim quia diuinitatis nō comeditur natura, propterea sanctum corpus Christi cōmune esse cuilibet* (Nestorius) *affirmat. Scire autem necessarium est, quia sicuti prædiximus, proprium est corpus omnia uiuificantis uerbi: quoniam uero est corpus uitæ, uiuificans est. Per ipsum nanque mortalibus nostris corporibus uitam largitur, ut etiam destruat mortis imperium. Viuificat quoq; nos æquo modo sanctus spiritus Christi. Spiritus enim est qui uiuificat, secundùm ipsius Saluatoris uocem.*

Vt Christi spiritus, ità & caro Christi viuificat. Iohan. 6.

Neque me fugit, Oecolampadium magno contendisse opere, húc locum ad suam vt sententiam accommodaret: noui itidèm quosdam ex ijs, qui in Sacramentarios strinxêre calamum, huius loci causa nō parùm sudâsse, & Oecolampadium, quòd hunc locum destinata malitia corruperit, (neque enim id illi infrequens fuit) culpâsse. Verùm tanto sudore quorsum opùs est, quandò Cyrilli mens ea ex parte in propatulo est, quòd aduersus Nestorium (qui per summam impietatem & malitiam, asserenda meræ cuiusdam humanæ carnis comestione, conatus est credentium animos ad obscuras quasdam intelligentias abducere, eaq;, quæ citra humanam inuestigationem sola fide percipienda sunt, humanis cogitationibus substernere) id docere & affirmare voluit, nos in V. Sacramento non communem quādam humanam carnem, quæ rationi nostræ varias posset, easque crassas & absurdas carnales cogitationes parere, sed carnem deificatam, id est, Deum hominemque ipsum accipere: quod quì fiat, huamana ratiōe minimè explorari, sed tantùm incōcussa fide retineri oportere, cùm Dominus ipse dixerit, *Hoc est corpus meum*: id quod luculenter perspici licet lib. quarto in Iohannem, cap. decimoseptimo: Vbi sic habet: *Quoniam res ardua est, & fide magis, quàm alio modo recipitur, ideò multis atque uarijs modis mirabilem eius utilitatem exponit, fundamentum & basim fidem esse confirmans: (scilicet, qua hæc percipere nos oporteat.)*

Fides fundamentum est, quo nos verba Domini, Hoc est corpus meū, cōplecti debeamus.

Habes itaque ex his Cyrilli locis, cum ea quoquè verba, Accipite, & man-

& manducate, & bibite, non ad Christi solã diuinitatẽ velle referri, vel aliâs metaphoricè, sed ꝓprie accipi de veri corporis & sanguinis Christi cum diuinitate cõiuncti esu, qui quidem & ore & corde fieri debet, Domini verbis id expresse pre se ferentibus & flagitantib^9, quibus ait: *Accipite & comedite, & hoc facite in meam commemorationem.* Habes itidèm, eum spiritalem cum Christo vniõem, quæ fit spiritu fidei per charitatem operantis, ab ea distinguere vniõe cũ Christo, quæ sacratissimi eius corporis in Eucharistia perceptione efficit: quod idẽ cernere licet in illius Cõmentarijs in Iohã. lib. xj. cap. 26. *Sicut uirtus, inquit, sanctissimæ carnis Christi, unum corpus facit participantes: eodem arbitror pacto, in quibus indiuisibilis Dei spiritus habitat, eos omnes ad unitatem spiritalem conducit.*

Christi verba cordis & oris comestione repos̃cẽs

Gal. 5.

Duplex vnio cum Christo.

Porrò Cyrillum omnes Aduersariorum figuras planè excludere voluisse, ex ijs liquet, quæ in Iohannem lib. 3. cap. 36. ea Dñi verba, Ego sum panis vitæ, edisserens, scribit hunc in modum: Ego *sum panis uitæ, qui olim uobis figura solummodò datus, nunc adsum omnem adimplens figuram. Sum autem panis uitæ, non corporalis, qui fami solùm corporeæ remedium præstat: sed qui totum animal ad uitam æternã reformẽ, & morte superius efficiam. His autem uerbis subostẽdit sanctissimi sui corporis uitam & gratiam, qua in nobis unigeniti proprietas (id est, uita) & ingreditur, & permanet.*

Cyrillus nullis hic figuris locum esse patitur.

Per Eucharistiam intrat in nos ꝓprietas vnigeniti, id est, vita.

Discimus igitur ex locis memoratis perspicuè ac euidenter, virũ hunc sanctissimum luculenter & disertis verbis docuisse, ea Christi verba, *Hoc est corpus meum*, non figuratè vel tropicè, sed substantialiter vel realiter accipi debere: ꝙ Deus omipotente virtute sua creaturas in veram carnem & sanguinem suum transferat, influat eis vim vitæ, cuius nos Eucharistiæ perceptione participes efficimur. Illum ipsum esse, qui hîc sua agat omnipotentia: porrò species externas ꝓpterea permanere sinat, nè horrori nobis sint, si caro & sanguis nuda minimeq; opta exhiberentur. Hortatur ꝑtereà magno studio, nè vlla in his ambiguitate teneamur, nec cum incredulis Iudæis clamitemus, Quomodò? Exigit à nobis fidem firmam & incõcussam in Seruatoris verba, quæ nostræ præeat rationi, eamque ducat captiuam. Atque eius in nobis fidei confirmandæ causa, multa ex veteri Testamento producit exempla, ex quibus liceat animaduerti, quàm

Anacephalæosis superiorum Cyrilli authoritatũ.

crebrò multisq; modis olim Deus creaturas contra naturam & suprà quàm humana capiat ratio, commutârit. Simul etiam ad alia nos CHRISTI miracula remittit, quæ non minùs sint incompræhensibilia.

Causa necessaria institutionis V. Sacramenti.

Adeoq; conuenienter alijs præcedentibus patribus, necessariam quoquè diuinæ huius Sacraméti institutionis rationem indicat, eam videlicet, quòd vt spiritui nostro ad salutem necessarium est, vt cum Christi spiritu coniungatur: ità etiam corruptæ & mortali carni nostræ esse necessarium, vt Christi diuinæ ac vitali carni vniatur, idq; coniunctissimè atque arctissimè, gustando, edendo, tangendo &c. quò eadem morti & corruptioni obnoxia caro nostra eius & efficientia immortalitatem & vitam æternam consequatur. Atque hoc pacto vocem illam (Manducare, vel Edere) non hîc figuratè vult accipi de diuinæ gratiæ in solo spiritu participatione, sed de vero esu vel comestione, quandò solæ res corporeæ edi possunt. Quare id quoquè innuit, quod iam antè in Augustini testimonijs diximus, fidelibus (vtpotè qui nôrint, quo modo verum CHRISTI corpus in Sacramento edendum sit) hanc Domini orationem, Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. neutiquàm figuratam esse: cùm alioquì eadem secundùm crassum ac animalem infidelium Capernaitarum intellectum, vt ipse ait, figurata sit. Quod idem quoquè alibì sentire videtur, in Iohannem lib. 4. cap. 22. conuenienter Augustino scribens his verbis: *Ex imperitia multi, qui Christum sequebantur, verba ipsius non capientes, perturbabantur. Nam cùm audissent: Amèn amèn dico vobis, nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: ad inmanes ferarum mores vocari se à Christo arbitrabantur, incitariq; vt vellent crudas hominis carnes manducare, & sanguinem bibere, quæ vel auditu horribilia sunt. Nondùm enim mysterij huius formam & dispensationem pulcherrimam nouerant.*

Fidelibus ea Domini oratio, Nisi manducaueritis carnē &c. nō est figurata, sed infidelibus tantùm.

Iohan. 6.

Tum prætereà, vt antè dictum est, quò omnem voculæ illius, EST, itemque dictionum, Corporis & Sanguinis, tropicum vel figuratum intellectum excluderet, manna & aquam è petra, ceu meras vmbras & figuras, huic opponit V. Sacramento, tanquàm ipsissimæ veritati, in quo veram Iesu Christi carnem & sanguinem, adeoq; Iesum ipsum totum accipiamus.

Quandò

Quandò verò hanc ſuam Catholicam doctrinam, commemoranda fuſiùs antè dicta inſtitutionis Euchariſtiæ ratione, itemq; diuina, multiuaria, ſpiritali ac efficaci celſiſſimi Sacramenti huius operatione & efficientia, locis alijs non paucis multò etiam apertiùs prodit, equidem committere non poſſum, quin ex his nonnullos in maiorem veritatis confirmationem, & præcedentium Patrum elucidationem, in medium adducam.

Libro igitur 3. in Iohannem, cap. 37. ſic habet: *Quid igitur Chriſtus pollicetur? quid credentibus adfert? Corruptibile certè nullum, ſed benedictionem, quam communicatione corporis atque ſanguinis Chriſti aſſequimur: undè ad eam incorruptionem integrè reducemur, ut cibo & potu corporali non indigeamus. Viuificat enim corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit. Non enim alterius cuiuſdam, ſed ipſius uitæ corpus eſt, uirtutem incarnati uerbi retinens: & plenum poteſtate illius, quo uniuerſa & uiuunt, & ſunt. Quæ cùm ità ſe habeant, ſciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, ſi rariùs in Eccleſiam proficiſcantur, & longo temporum ſpatio, propter ſimulatam religionem, myſticè communicare Chriſto recuſent, ab æterna ſe uita procul depellere: quippe recuſatio huiuſmodi, quamuis ex religione proficiſci uideatur, & ſcandalum facit, & laqueos inſtruit. Quarè oportet omnibus uiribus à peccato mundari, & rectè uiuendi iactis fundamentis, magna cum fidutia ad ſumendam uitam concurrere. Sed uariæ ſunt diaboli multiplicesq; ad decipiendum inſidiæ. Nam primùm ad uiuendum turpiter inducit, deindè cùm malis onerati fuerint, tunc abhorrere à Chriſti gloria perſuadet, qua poſſent à turpitudine uoluptatis, quaſi ab ebrietate reuocari. Quarè demus operam, oro, ut uinculis eius abruptis, & iugo ſeruitutis peccatorum excuſſo, in timore Domino ſeruiamus: & ut carnis uoluptate per continentiam ſuperata, ad cæleſtem gratiam accedamus, corporisq; CHRISTI participes efficiamur. Sic enim, ſic, inquam, diabolum fugabimus, & diuinæ naturæ participes, ad uitam & incorruptibilitatem aſſcendemus.* Hactenùs Cyrillus.

Corpus Chriſti in V. ſacramēto, cùm ſit cum diuinitate coniunctū, viuificat & præſtat incorruptionē.

Quàm perniciosum ſit, diù à cōmunione abſtinere.

Euchariſtia eſt Chriſti gloria.

Lucæ 1.

Hîc nimirùm, vt cernis, docet nos ſumendo Chriſti corpore &

sanguine, incorruptionis benedictionem consequi: quòd Christi corpus in Eucharistia plenum sit vita & diuina potestate, nosq; viuificet: atquì si diù à communione nos abstineamus, vitam nos à nobis procùl depellere. Deniq; Eucharistiam (vtì etiam lógè ante illum D. Ignatius) Dei gloriam appellat, qua & dæmones profligentur, & nos diuinæ efficiamur naturæ participes.

Suprà fol. 81.

Idem habet lib. 9. cap. 16. dicens: *mysticam benedictionem, si cum pietate suscipiatur, maximoperè vires satanæ confringere.*

Eucharistia vires dæmonũ eneruat.

Est etiam id notatu dignum, eum hîc, perindè vt Augustinum Epistola ad Ianuarium, vt antè dictum est, satis indicare, quanto in honore & reuerentia eius ætate V. Sacramentum habitum sit, quandoquidem pleriq; religionis causa nonnunq̃ à communione abstinuerint, non facturi hoc proculdubiò, si panem duntaxat ac vinũ illic adesse persuasum habuissent. Idem porrò latiùs docet lib. 4. cap. 17. *Nos uerò, inquit, si uitam æternam consequi uolumus, si largitorem immortalitatis habere in nobis desideramus, ad recipiendam benedictionem libẽter concurramus, caueamusq; nè loco laquei damnosam religionem diabolus nobis prætendat. Rectè, inquit, dicis: scriptum tamen esse non ignoramus, iudicium sibi comedere atq; bibere illum, qui de pane comedit, & de calice bibit indignè. Ego igitur probo meipsum, & indignum inuenio. Quandò igitur, quicunq; tu es, qui ista dicis, dignus eris? quandò Christo teipsum offeres? Nam si peccando indignus es, & peccare non desinis, (Quis enim delicta intelligit? secundùm Psalmistam) expers omninò eris uiuificæ huius sanctificationis. Quarè pias quæso cogitationes suscipias, studiosè sanctéq; uiuas, & benedictione participes, quæ (mihi crede) non mortem solùm, uerumetiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cùm in nobis maneat Christus, sæuientẽ membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus sumus peccatis considerat: sed ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, qui animam suã pro ouibus posuit, ab omni nos erigit casu.*

Cyrilli ætate quanta in veneratione fuerit V. Sacramentum, ipsius verba indicant.

1. Cor. 11.

Hypocrisis eorum, qui à cõmunione diù se abstinent.

Psalm 18.

Eucharistia mortẽ & morbos oẽs profligat, & legẽ mẽbrorum in nobis sedat.

Iohan. 10.

Rursus hîc audis, eum V. Sacramento viuificam sanctificationem, mortis & morborum omnium depulsionem ac profligationem, rebellionis carnis nostræ edomationem, malarum perturbationũ

bationum & affectionum extinctionem, collisorum redintegrationem, ab omni casu erectionem adscribere. Quod verò ait, benedictionem illam non considerare quibus in peccatis simus, id intelligendum est, quemadmodùm tum Augustinus ad Ianuarium, tum Cyrillus ipse explicat, de erratis quotidianis, siue peccatis venialib⁹, non autem exitialibus vel mortalibus. Hæc enim, id est, mortifera peccata priùs expianda sunt digna pœnitentia satisfactione, modò dignè accedere velímus. Immò etiã pro venialium remissione corde contrito rogandus est Dominus, & ieiunijs ac eleemosynis, vt loco memorato ait Augustinus, satisfaciendum: quod est rectè viuendi & bonorum operum iacere fundamenta, vt Cyrillus monet: ac tum demùm bona cum fidutia accedendum.

Benedictionẽ non attendere in quibus peccatis simus, qui ac cipiendum.

Augustinus ad Ianuariũ.

Lib. 4. cap. 18. Dominum ità loquentem introducit: *Quemadmodùm igitur homo factus sum uoluntate patris, qui è naturali uita emanaui, & homo factus uiuo, corpusq; meum uita repleui: non alitèr qui carnem meam manducat, propter me uiuet. Mortalem enim carnẽ assumpsi: sed quia naturaliter uita existens, habito in ipsa, totam ad uitam meam reformaui. Non enim sum uictus interitu carnis, sed ut Deus, omnẽ interitum & mortem ipse superaui. Vt igitur (non enim grauabor iterũ dicere) quanuis me pater misit, id est, homo factus sum, uiuo tamen propter patrem, id est, genitoris naturam ad unguem conseruo: sic qui manducatione carnis meæ me recipiet, uiuet profectò totus ad me reformatus, qui uiuificare possum, quoniam ex uiuo patre sum. A patre autem se carnem factum esse affirmat, cùm scriptum sit: Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altißimi obumbrabit tibi: ut rursus intelligas, quia una patris, & filij, & spiritussancti natura sit, ideò non esse diuisas operationes: sed quod ab una persona factum dicitur, id opus Trinitatis totius est.*

Cùm filius Dei in carnẽ venerit, carnẽ ipsam totã ad vitã reformauit.

Iohan. 6.

Cur se Christus dicat à patre carnem factum.

Luc. 1.

Operationes S. Trinitatis sunt indiuisæ ac indiscretæ

Lib. 10. cap. 13. Ariani cuiusdam cauillum reijcit atque confutat, ex illis Domini verbis, EGO SVM VITIS VERA, ET PATER MEVS AGRICOLA EST: inferre volentis, cùm vitis & agricola non eiusdem sint naturæ, etiam patrem & filium esse naturæ dissimilis: itemq; asserentis hæc Domini verba non àd eius humanitatem, sed diuinitatem potiùs esse referenda: ea ratione, quòd, vt ipse sentiebat, cum

Iohan. 15.

Ariani cuiusdã cauillus.

Domino fide duntaxat & charitate, non autem naturali carnis eius communicatione coniungamur. Agit autem modis omnibus contra illum, vt ante eum Hilarius libro 8. cuius verba suprà attulimus fol. 133. & sequen. *Hæc ille*, inquit Cyrillus, *astutè simul atque impiè, aliaq; huiusmodi euomuit. Nos autem patrum* Ecclesiæ *fidem sequentes*, (quantùm in nobis situm fuit) *loci huius sensum rimati sumus.* Et paulò infrà: *Agè, peruersè ab eo sacrarum literarum sensum exponi ostendamus. Non tamen negamus rectà nos fide, charitateq; syncera Christo spiritaliter coniungi: sed nullam nobis coniunctionis rationem secundùm carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idq; à diuinis scripturis omninò alienum dicimus. Quis enim dubitauit* CHRISTVM *etiam sic uitem esse, nos uerò palmites, qui uitam indè nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem: Quia omnes unum corpus sumus in Christo. Quia & si multi sumus, unum tamen in eo sumus. Omnes enim uno pane participamus. An fortaßis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis uirtutem esse? Quæ cùm in nobis fiat, nónne corporaliter quoquè facit communicatione carnis* CHRISTI, *Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium, membra* CHRISTI *sunt? Nescitis, inquit, quia membra uestra, membra sunt Christi? Membra igitur Christi, meretricis membra faciam? Absit. Saluator etiam: Qui manducat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Vndè considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur,* CHRISTVM *in nobis esse, uerùm etiam & participatione naturali. Nam quemadmodùm si quis igne liquefactam ceram, aliæ ceræ similiter liquefactæ ità miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum uideatur: sic communicatione corporis & sanguinis* CHRISTI *ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & uitam traduci, nisi naturalis uitæ corpus ei coniungeretur. Non credis mihi hæc dicenti? Christo (te obsecro) fidem præbe. Amèn amèn, inquit, dico uobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinē eius, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouißimo die.*

[Margin notes: Confutatio. — Cõiungimur quidē Christo spiritaliter, sed non tātùm, verùm etiam substantialiter secūdùm carnem. — 1.Cor 10. — Christus per Eucharistiam etiam corporaliter habitat in nobis. — 1.Cor 6. — Iohan. 6. — Elegans simile. — Ratio institutæ Eucharistiæ. — Iohan. 6.]

Audis apertè clamantem, non habituros nos uitam, nisi sanguinem eius biberimus, & carnem manducauerimus. In uobis autem ipsis, dicit, id est, in corpore uestro. Vita autem, iurè ipsa uitæ caro intelligi potest: hæc enim nos in nouißimo die suscitat. Et quomodò, dicere non grauabor. Caro uitæ, facta unigeniti caro, ad uirtutem uitæ traducta est: non potest igitur morte superari. Propterea in nobis facta, interitum à nobis expellit. Non enim abest ab ea unigenitus Dei *filius. Vndè quia unus est cum carne sua, ego, inquit, suscitabo eum. Cur igitur secundùm carnem palmites nos dici pernegat (* Arianus*?) An non conuenienter dici potest, uitem humanitatem eius esse, & nos palmites propter identitatē naturæ? eiusdem enim naturæ uitis & palmites sunt. Ità & spiritaliter & corporaliter nos palmites, & Christus uitis est.* Hucusquè Cyrillus.

Per vitā, caro vitæ accipienda est.

Hūanitas in Christo vitis vera est, cuius nos Eucharistiæ pceptione palmites efficimur.

Principiò hîc nos instituit, vt erga hæreticos scripturę sensum astutè & impiè deprauantes, gerere nos debeamus: ità nimirùm, vt patrū & Ecclesiæ fidei constanter inhæreamus. Deindè docet (quod quidē è diametro cum nostris pugnat Aduersarijs, qui sola fide & deuotione quadā omnia se efficere persuasum habent) nos nō tantùm fide & dilectione Christo coniungi, sed etiam corporaliter, cōmunicatione corporis & sanguinis eius in Eucharistia, per quā nō spiritaliter modò, verùm etiā corporaliter in nobis, id est, in carne nr̄a habitat: ità vt cū illo etiā substantialiter & naturaliter, cōmunicatione carnis & sanguinis eius, vnū efficiamur, atq; eadē cōmunicatione carnis resurrectionē consequamur: atq; ea causa necessariam nobis esse eam cōmunicationē. Vtq; hęc probè capiamus, docet Christum etiam secundùm humanitatē diuinitati vnitam, ea ratione vitē esse, vt nobis per vitalem carnem suam, quam in V. Sacramento accipimus, vitam conferat: atque ità hanc efficientiam non nostræ potissimùm fidei, sed ipsi V. Sacramento tribuit: quanquàm eam non absque fide assequimur. Consentit autem pulchrè cum Hilario, Christum in nobis esse non spiritaliter duntaxat, sed corporaliter quoquè participatione corporis sui, & nos in CHRISTO secundùm humanam naturam, quam à nobis accepit. Neq; potest vocabulū illud, corporaliter, de Christi diuinitate accipi: ità enim De⁹ in nobis, perindè vt in Christo, habitaret substantialiter, essemusq; illi æquales, quod dictu quo-

Erga hæreticos, scripturas detorquētes, vt nos geremus.

Cyrillus arctissimā cum Christo vnionē, Sacramēto præcipuè adscribit.

Dictio, Corporaliter, de vero Christi corpore hîc accipiēda est.

què nefas sit. Est igiť de Christi corpore necessariò accipiendum.

Simile ceræ liquefactæ.

Secundò his demonstrandis adhibet similitudinem ceræ igni liquefactæ, & cum alia cera æquè liquefacta permixtæ. In qua similitudine id obseruandum est, ceram aliam corpus Christi, aliā nostra designare corpora: ità vt quemadmodùm ignis materialis vtriusque liquefactæ ceræ efficit permistionem: sic ignis Diuinitatis Christi, carnis nostræ cum carne Christi vnionem operatur. Voluit ergò vir sanctus hac similitudine artissimam & penitissimam coniunctioné, contactum & penetrationem, quæ in nostræ carnis cum illius carne vnione fit, indicare: qua nimirùm carnis Christi in V. Sacramento præsentia ineluctabiliter adstruitur.

Quandò verò hanc veri corporis Christi in Eucharistia præsentiam, quodque nos eius perceptione, non solùm spiritaliter, sed etiam corporaliter cum illo vnum efficimur, nulla re alia, atquè hac similitudine, cõueniétiùs potuit edocere, crebrò pluribusq; locis ea vtiť.

Matt. 13. Aliud simile ex Euangelio de tribus satis farinæ fermento cõmixtis. 1. Cor. 5.

Libro 4. cap. 17. *Sicuti enim, inquit, si quis liquefactæ ceræ aliam cerā infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est: ità si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ità coniungatur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Simile quodammodò apud Matthæum comperies: Simile est, inquit, regnum cælorum fermento, quod acceptum abscondit mulier in farinæ satis tribus. Quid igitur fœmina sit, & quæ satorum trinitas, aut omninò satum quid sit, loco suo dicetur: nunc autem de fermēto solū dicamus. Sicut parùm, ut ait Paulus, fermenti totā massam fermētat: sic paruula benedictio totū hominē in seipsam attrahit, & sua gratia replet: & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo.*

Parabolæ Euāgelicæ explicatio.

Mulier hæc proculdubiò Cyrillo fuit catholica Ecclesia sponsa Chrī: tria sata, tres totius orbis partes, Asia, Africa, & Europa, in quas Ecclesia diffusa est, quæ benedictione & cõmunicatione corporis & sanguinis Christi, in Chrm attrahunť, idq; adeò, vt toto orbe Christ' in sua Ecclesia sit etiam corporaliter, & ea viciisìm in illo.

De corporali vnione cum Christo.

Atq; hoc est, quod Cyrillus in Iohā. lib. xj. cap. 26. cõueniēter D. Dionysio Areopag. scribit his verbis: *Vt igitur inter nos & Deū singulos uniret, quanuis corpore simul & anima distemus, modum tamen adinuenit, consilio patris & sapientiæ suæ congruentem. Suo enim corpore credētes*

tes per communionem mysticam benedicens, & secum, & inter nos unum nos corpus efficit. Quis enim eos, qui unius sancti corporis unione in uno Christo uniti sunt, ab hac naturali uniõe alienos putabit? Nam si omnes unũ panem manducamus, unum omnes corpus efficimur: diuidi enim atque seiungi Christus nõ patitur. Idcircò etiam Ecclesia corpus Christi facta est, & nos singuli membra Christi, secundùm Paulum. Vni enim Christo per corpus suum coniuncti, quoniam in nobis illum, qui est indiuisibilis, accepimus, ipsi potiùs quàm nobis membra nostra accõmodãtur. Et paulò pòst: *Quòd autem corporalis hæc unio ad Christũ, participatiõe carnis eius acquiritur, ipse rursus Paulus de mysterio pietatis differens testatur: Quod alijs, inquit, generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, esse gentes cohæredes & concorpores & comparticipes promissionis in Christo. Si autem omnes inter nos in Christo unum sumus corpus, nec inter nos solùm, uerũ etiam cum eo, qui per carnem suam ad nos transiuit, quomodò uniuersi & inter nos, & in Christo unum nõ erimus? Sed de unione corporali satis. De spiritali autem eandem uiam sequẽtes dicimus, quia spiritusancto recepto, & inter nos quodam modo, & cum Deo unimur.* Et post pauca: *Et sicut uirtus sanctissimæ carnis Christi, unum corpus facit participantes: eodem arbitror pacto, in quibus indiuisibilis Dei spiritus habitauit, eos omnes ad unitatem spiritalem conducit.*

Per Christi corpus in Eucharistia oẽs vnum corpus efficimur sub vno capite Christo: fiéq; etiã patri cõiungimur. 1. Cor. 11. 1. Iohan 4. 1. Cor. 12. Ephe. 3.

De vniõe spiritali.

Ac deindè cap. 27. *Corporaliter enim filius per benedictionem mysticam nobis ut homo unitur, spiritaliter autem ut Deus, sui spiritûs gratia nostrum ad nouam uitam & diuinæ naturæ participationem spiritum redintegrans. Nexus igitur unionis nostræ ad Deum patrem, Christus est, nobis quidẽ ut homo, Deo autem patri ut Deus naturaliter unitus. Nõ erat enim possibile, corruptioni subiectã hominis naturã ad immortalitatẽ conscendere, nisi natura immortalis atque incommutabilis ad eam descendisset, ac communione participationéq; sui à mortalitatis nostræ terminis ad suum bonum reformatos eleuaret.*

Christus per Eucharistiam corporaliter nobis vnitur, & per spiritũ suum spiritaliter.

In eandem sententiam scribit libro duodecimo cap. 32. in Iohannem: *In quatuor,* inquit, *partes vestimenta diuisa sunt, & tunica solùm indi-*

Christus vnionis nostræ ad Deum nexus est.

Christus impartibiliter indiuiduum corpus suum cūctis credētibus impti. Vide suprà Dionys. Areopag. ca. 15. & Gregoriū Nyssenum cap. 48.

indiuisa remansit: quod mystica cuiusdam rei signum fuisse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem reducti, indumentum verbi (id est, carnem eius) impartibiliter inter se partiti sunt. In singulos enim partibiliter transiens vnigenitus, & animam atque corpus eorum per carnem suam sanctificãs, impartibiliter atque integrè in omnibus est, cùm vnus vbiquè sit, nullo modo diuisus, sicut Paulus ait.

Has Cyrilli institutiones quisquis probè assecutus est, & diligenter expendit, ille D. Augustinum locis illis omnibus, quibus tam crebrò de catholica agit Christi Ecclesia, ceu vno Christi corpore, quod carnis & sanguinis Christi vnitate constat, faciliùs potest intelligere. Atque vtinàm Augustino, primo illi Ephesino Concilio, ad quod à Theodosio iuniore Imperatore accitus erat, interesse licuisset: ex mutuo certè horum tam insignium heroum, putà Augustini & Cyrilli, congressu, certissima huius V. sacramenti veritas, aduersùm hæreticos multò etiam illustriùs emicuisset. Verùm, vt ex Liberati Archidiaconi Breuiario causæ Nestorianorum & Euthychianorum colligi licet, Deo alitèr visum fuit, qui intereà Augustinum ad se euocauit: neque id per nos mutari iam potest. Lucis quidem satìs superq; multùm habemus, modò cernere velímus. Sed in Dei verbum hæretici omnes, vt iam indè ab initio, semper impingunt, vt & qui probati sunt, manifesti fiant.

1. Cor. 11.

Quòd olim catechumeni iam credẽtes, à mysterijs arcebantur, argumento est, comestionẽ corporis Christi in Eucharistia plus aliquid esse, quàm meditationẽ passionis eius.

Porrò autem, si Christi corpus edere nihil esset aliud, quàm in fide redire in memoriam eius, quam pro nobis in cruce tolerauit, perpessionis & mortis &c. olim certè catechumeni non ea seueritate à Domini mensa seclusi ac remoti fuissent, vt nec adesse, nec ea mysteria contemplari possent. Et tamen eius quoquè rei testẽ habemus D. Cyrillum lib. 12. in Iohannem cap. 50. vbì ista leguntur: *Prohibemus à sacra mensa catechumenos, quanuìs veritatem iam cognouerint, & fidem magna voce confiteantur: Quia nondùm locupletati Spiritusancto sunt, qui non habitat nisi in ijs, qui baptismate consummati sunt. Vndè cùm baptismum receperint, quia Spiritussanctus habitare in illis creditur, à tactu & communione salutaris Christi corporis non prohibentur. Idcircò & accedentibus ad benedictionem mysticã, ministri mysterij magna voce clamant,* Sancta Sanctis: *solùs sanctificatus spiritu, tactum & sanctificationem corporis Christi congruere significantes.*

Sãcta sanctis.

Aduer-

Aduersarij nostri, quod certum est, nulla scripturæ sententia vsq;adeò nitũtur, atquè illa quæ est apud Iohannẽ 6. cap. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam: quam tamẽ impiè & planè cõtra ipsius Domini mentem, de Christi carne accipiũt: quo quid possit esse dementius? vtì iam suprà in 13. Scripturę Testimonio annotauimus. Id verò patres sanctissimi passìm confutãt, sed nemo Cyrillo accuratiùs & euidentiùs

Quàm impiè Aduersarij nostri ea Domini verba, Spiritus est q viuificat, &c. deprauent.

In Iohannẽ lib. 4. cap. 23. ità concionatur: *Si sola intelligitur caro, nihil prorsus uiuificare potest, quippe quæ uiuificante indigeat: cùm uerò incarnatiõis mysterium laudabili cura scrutati fueritis, & habitantẽ in carne cognoueritis, quanuis nihil penitùs caro per seipsam poßit, uiuificam tamen esse factam credetis, nisi etiam Spiritumsanctum non posse uiuificare cõtendatis. Nam quoniam cum uiuificante Verbo caro cõiuncta est, tota est effecta uiuifica. Non enim ad corruptibilẽ suam naturam iunctum* Dei *uerbum detraxit, sed ipsa ad melioris uirtutem eleuata est. Quãuis ergò natura carnis, ut caro est, uiuificare nequeat, facit tamen hoc, quia totã uerbi operationẽ suscepit. Corpus enim est, nõ cuiusuis hominis, cuius caro prodesse quicquam non potest: non enim Pauli, aut Petri, aut cæterorum, sed ipsius uitæ et saluatoris nostri Iesu Christi corpus, in quo deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc potest. Nam si mel, cùm naturaliter dulce sit, ea dulcia facit, quibus immiscetur: nónne stultum erit, uiuificam uerbi naturam putare non dedisse homini, in quo habitat, uiuificandi uirtutem? Quas ob res caro quidem cæterorum omnium quicquam uerè non prodest: caro autem Christi, quia in ipsa unigenitus Dei filius habitat, sola uiuificare potest. Spiritum uerò seipsum appellat, quoniã Deus spiritus est, & ut ait Paulus, Dominus spiritus est. Nec istã dicimus, quia spiritumsanctum in propria persona subsistere non putemus, sed quia sicut factus homo filiũ se hominis appellat, sic se à proprio spiritu spiritũ nominat. Non est enim alienus ab eo spiritus suus.* His id sibi vult Cyrillus, Christum se appellare spiritũ ratione diuinæ personę suæ, quandoquidem cõmuniter Deus Pater, Deus Filius, Deus spiritussanctus, vnus spiritus est.

Vt ea Domini verba accipiẽda sint: scilicet non de carne Christi deificata &c.

Coloss. 2.

Elegans simile.

Christus seipsum spiritũ nuncupat.

Iohan. 4. 2. Cor. 3.

Itẽ cap. 24. vbì Dñs ait, Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus

SS &vi:a

tem corpus Christi & sanguis preciosus. Nam posse uiuificare id quod uitæ indigum est, soli Deo conuenit. Deus igitur Christus: sic enim erit uiuificum corpus Christi &c.

Itaq; loca hæc ex Cyrillo prolata perspicuè docét, Aduersarij nostri q̃ improbè, quamq́; falsò ac perperàm ea Christi verba, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquã, detorqueant atq; deprauent: quandoquidem ad deificatũ Chr̃i corpus, tanq̃ illud nihil prosit, (quod tamen absq; immanissima dici blasphemia nó potest, quòd hoc ipso summa incarnatiõis dominicæ mysteria redigantur in nihilũ, & totum sextũ caput Iohãnis prorsus subruatur) illa censent referri oportere: cùm ediuersò Cyrillus locis memoratis, atq; aliàs etiã tã luculenter testatum efficiat, vtì etiam ante illũ Athanasius & reliqui patres omnes, Christum ijs verbis, id quod cum hac falsa interpretatione pugnet è diametro, indicare voluisse: sese non vulgarem esse, quod crassi illi Capernaitæ sentiebant, hominẽ, cuius caro nihil prosit: sed carnẽ suam, vtpotè diuinitati vnitam, spiritalẽ esse carnẽ, atq; eo nomine, q; viuificante spiritu plena sit, & indè vim viuificã adepta sit, rectè meritoq; spiritum appellari, quandò etiam de homine Deo adherente Apostolus dicit, eum vnum esse spiritũ: & Christus quod ex spiritu natum est, spiritum esse affirmat. Iohan. 6. 1. Cor. 6. Iohan. 3.

Verùm hactenùs Cyrilli testimonia protulisse satìs sit, quibus sanè clarissimè asseueratum est, Christi verba, HOC EST CORPVS MEVM, non tropicè, sed propriè de vero ac ipsissimo Christi corpore in V. Sacramento accipere, ijsque verbis fidem inconcussam commodare nos debere: porrò incredulitatem omnem procùl hinc facessere oportere, cùm sit opus rerum omnium prępotentis Dei, qui pro sua immensa facultate & potestate naturas rerum, vt ipsi visum fuerit, mutare potest: atq; ea re Iudaicam illam vocem, Quomodò potest hoc fieri, vel maximè cauendam nobis esse: figurasq; ad vetus Testamentum remittendas, quę ad hoc V. Sacramentum, ceu ipsam veritatem se retulerint. Deindè nos percipiendo Christi corpore in V. Sacramento, non solùm spiritaliter, sed etiam corporaliter cum Christo coniungi, carnem eius cum nostra carne, vt hæc indè vitæ afferatur immortali & æternę, penitissimè permisceri: nos præ- Anacephalæosis superiorũ Cyrilli testimoniorũ.

tereà verum Christi corpus in V.Sacramēto apprehendere, contingere,ore accipere & gustare: nec mortale corpus, sed viuū atq; vitale & viuificum Christi corpus, cum eius diuinitate inseparabiliter vnitum,nos accipere:atq; per illud nos liberari à vitijs omnibus,peccatorum veniam,carnalis concupiscentiæ repressionem, contra malignorum dæmonum machinamenta & vires robur,adeoq; vitam & beatitatem sempiternam obtinere,deniquè omēs nos huius sanctissimę carnis communione, vnum effici corpus,cuius caput Christus sit:qui quidem planè diuini effectus non nisi absurdissimè possunt figuræ attribui.Et vt paucis agam, D.Cyrillus nedùm realem & veram corporis Christi in Eucharistia præsentiam adstruit, sed etiam euidentissimè amolítur,depellit atque confutat argutationes,cauilla & calumnias omnes partis aduersæ, quę vel ad commentitium atque vanissimum illum intellectum tropicum,vel ad spiritalem duntaxat perceptionem, quòd caro non prosit quicquam, aut eò deniquè, quòd Christus secundùm carnem, cùm semel in ea ascenderit, sitq; in cælis,non iam deincèps possit esse nobiscum, referuntur: vt interìm taceam,Aduersariorum amentiam Cyrillo non aliud esse,atquè Iudaicam incredulitatem.

Sed ab Augustino & Cyrillo ad alios illis non impares, & eorum propè æquales, aut certè ætati illorum admodùm vicinos, qui sub Theodosio 2.Valentiniano 3.& Martiano Imperatoribus clari extiterant, digredimur:sanctissimos,inquam,Leonem Romanum Pontificem eius nominis primum,& Petrum Rauennatēsem episcopum, qui aliâs Chrysologus appellatur.

D. LEONIS, EIVS NOMINIS PRIMI ROMANI PONTIFICIS, TESTIMONIA.

CAP. 57. Leonis I. præstantia.

LEo I.verus egregiusq; Pontifex, ea fuit præstantia & virtute,vt ob insignem solidamq; vitæ sanctimoniā,eximiam diuinarum literarum peritiam ac eruditionem,orationis elegantiam, admirabilem eloquentiæ vim & grauitatem, celeberrimam sapientiam & magnanimitatem, ac præcipuè paternam erga Christi vniuersam Ecclesiam curam & solicitudinem, & zelum feruentissimum in hæreticos execrabiles, (in quibus omnibus alijsque DEI donis & charismatis, quibus ille affatìm instructus

ſtructus fuit, patribus ſuperioribus nihilo inferior eſt) non immeritò Magni cognomen obtinuit.

Leo 1. verus Paſtor quid apud Imperatores & Imperatrices pro catholica tuenda fide egerit.

Atq; inter alia præclarè geſta, in veræ catholicæq; fidei defenſionem maximos apud Imperatores Theodoſium 2. Valentinianum 3. & Martianum, itemq́ue Auguſtas Pulcheriam & Eudoxiam labores ſuſcepit, effecitq́; vt aduersùs hæreſiarcham Eutychetem, & prędatorium illud conciliabulum, à Dioſcoro Alexandrino Epheſi coactū, ſacroſancta œcumenica Synodus Chalcedonéſis indiceretur & cogeretur: in qua 441. ſanctorum patrum ſententijs Eutyches & Dioſcorus damnati ſunt, & in iam dicto ſacrilego conciliabulo malè definita, reſciſſa ſunt & abolita, & antiqua apoſtolicaq́; fides de duabus diſcretis Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti in vna eademq́; indiſcreta ac indiſtincta perſona naturis, declarata & confirmata eſt. quas ob res tametſi ætas affecta eum non pateretur adeſſe, ab illis tam multis ijſdemq́; præclariſſimis, è toto orbe collectis Epiſcopis, hāc nó emēdicatam, ſed vltrò oblatam eſt adeptus acclamationem: *Ter ſanctus, & Leo ſanctiſsimus, apoſtolicus et œcumenicus ſeu uniuerſalis patriarcha, per multos annos uiuat.*

Eutyches hæreſiarcha. Cóciliabulū Epheſin. 2. Synod9 Chalcedonenſis.

Hic igitur vir ſanctiſſimus, haud ſecùs atquè patres præcedentes, veram carnis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam teſtatur ac docet euidentiſſimè: præcipuè verò, fidem inprimìs habendā eſſe certiſſimam illis Domini verbis, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS: itemq́; Chriſti corpus & ſanguinem nō ſolùm animo per fidem, ſed etiam ore percipere nos debere, nec alium ſanguinem, quàm q in noſtræ redemptionis precium datus & fuſus eſt in cruce. Tum prætereà veteris inſtrumenti figuras huic præſenti veritati cedere. Deniquè ſanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptionem & communionem in illis qui dignè accedant, id certò efficere, vt cum Chriſto non tantùm vnius animi, ſed etiam vnum corpus fiant. Sermone 6. de Ieiunio ſeptimi menſis, vbì contra memoratos hæreſiarchas Neſtorium & Eutychetem duas in Chriſto naturas & vnam indiuiduamq́; perſonam aſſerit, ità ſcribit: *Tunc enim & ſacrificij munda eſt oblatio, & miſericordiæ ſancta largitio, quandò ij, qui iſta dependunt, quid operentur intelligunt.* Nam dicente Domino, *Niſi manduca-* Iohan. 6.

Cõmunicantes de veritate corporis & sanguinis Christi nihil debent ambigere.

ueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitã in uobis, sic sacræ mensæ cõmunicare debetis: ut nihil prorsus de ueritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide *creditur: & frustrà ab illis Amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur.*

Eundem in modum scribit Epistola 22. ad Clerum & plebẽ vrbis Constantinopolitanę, contra Eutychianos veritatem carnis in Christo negantes. *In quibus isti, inquit, ignorantiæ tenebris, in quo hactenùs desidiæ torpore iacuêre, ut nec auditu discerent, uel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis, ueritas corporis & sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei taceatur: Quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniæ hoc impartitur, hoc sumitur, ut accipientes uirtutem cœlestis cibi, in carnẽ ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.*

D. Leonis, vt & anteà Augustini tẽporibus, etiã infantes nôrũt fateri veram corporis Christi in Eucharistia p̃sentiam.

Hic ille vir sanctus testatur, ipsius æuo in catholica Christi Ecclesia tam nullam habuisse dubitationẽ, verám ac realẽ corporis & sanguinis Christi in Eucharistia p̃sentiam, vt etiam infantes eam publicè fateri sciuerint: quod idem Augustinus quoquè, vt est antè dictũ, lib. 3. de Trinitate, cap. 10. affirmat. Deindè quẽadmodùm Cyrillus hac apud omẽs peruulgata veritate, ceu p̃cipuo ferè fundamento, aduersùs Nestorium nixus est, vtì in Christi vna persona duas naturas diuinã & humanã re vera ac inseparabiliter, absq; tñ confusione cõiunctas esse doceret: ità etiam hìc Leonẽ pontificem contra Eutychetem ea vsum videre licet. Vndè nimirũ certissima ratiõe cõfirmari potest, diuinitatẽ Christi non in humanitatem esse conuersam, sed verbum ipsum humanã naturã re vera assumpsisse, Christumq́; verum esse & Deum & hominem: cùm non possit ille, secundùm verba sua, suã nobis veram carnẽ verumq́; sanguinẽ, vtì nos sibi concorporet, largiri, nisi humanã naturã integram minimeq; cõfusam reuerà assumpserit.

De diuina Eucharistiæ efficientia.

Sermone 11. de Passione dñi sic habet: *Fudit sanguinem iustum, qui reconciliando mundo, & precium esset & poculum.* Porrò de diuina huius Sacramẽti efficientia Sermone 14. de Passione dñi scribit his verbis: *Non enim aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm*

ut in

ut in id quod sumimus, transeamus: & in quo mortui, & sepulti, & conresuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu, & carne gestemus, dicēte Apostolo: Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm enim Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos cū Christo apparebitis in gloria. 1. Cor. 6. Ephes. 1. Coloss. 3.

Porrò in veteri testamento nō nisi vmbras fuisse, in V. Sacramēto aūt verū Christi corpus haberi, Sermone 7. de Passione Dñi testatur:

Vt ergò umbræ, inquit, *cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia ueritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur sacramento: hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dū mutatur, impletur.*

Nec multò pòst: *At Iesus consilij sui certus, & in opere paternæ dispositionis intrepidus, uetus testamentum consummabat, & nouum Pascha condebat. Discumbentibus enim secum discipulis ad edendam mysticā cœnam, cùm in Caiphæ atrio tractaretur, quomodò Christus posset occidi, ille corporis & sanguinis sui ordinans sacramētum, docebat qualis Deo hostia deberet offerri, nec ab hoc quidem mysterio traditore summoto.* Hæc fermè eadem sunt cum Augustini verbis Epistola 86. ad Casulanum aduersùm Vrbicum, quæ suprà in Augustini testimonijs habentur. Matth. 26. sup. fo. 314.

Veram corporis Christi in Eucharistia præsentiā quî tandèm Leo sanctissimus apertiùs docere potuisset? quandoquidem Christū ait vetus pascha ceu vmbrā remouisse, & nouū cōdidisse, atq; veteribus hostijs nouā corporis & sanguinis sui hostiā & sacrificiū substituisse, & indè tñ ne ipsum quidem proditorē Iudam summouisse. Quo ille cōuenienter alijs Patribus testatū efficit, nō bonis duntaxat, sed etiā malis Christi corpus in V. Sacramento reuerà præsens adesse, quanq̃ id illi ob suam indignitatem in perniciem accipiant.

D. PETRI RAVENNATENSIS ARCHIEPISCOPI TESTIMONIA.

Petrus Rauennatēsis Archiepiscopus, dictus Chrysologus, qui temporibus D. Leonis Pontificis sub Imperatoribus Valentiniano & Martiano & vixit & excessit è viuis, & Eutycheti, vt eum ab errore retraheret, literas hodieq; extan- CAP. 58.

tes

tes scripsit, Patribus superioribus consentanea præbet testimonia.

Luc. 15. Sermone 3. de filio prodigo, in ea verba, Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus & epulemur, ità scriptum reliquit: *Historiā loquimur adhuc, & iam cogitamus arcanum nudare mysterium? Mortuus filius, vituli suscitatur ex morte, & unus uitulus totius familiæ funditur in saginam.*

Quid autem hac sagina sibi velit, Sermone 5. explicat his verbis: *Et occidit ei uitulum saginatum, illum de quo Dauid cantabat: Et placebit Deo super uitulum nouellum, cornua producentem & ungulas. Occiditur patre uitulus sic iubente: quia Christus Deus Dei filius, occidi sine patris uoluntate non poterat, Audi Apostolum: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Hic est uitulus, qui in epulum nostrum quotidiè ac iugiter immolatur.*

Psal. 68. Johan. 19. Rom. 8.

Vitulus saginatus, Christus est, qui quotidiè pro nobis in S. Ecclesia in epulū nostrū immolatur.

Sermone 34. in ea verba, Accessit retrò (mulier) & tetigit fimbriā vestimenti eius, Matth. 9. scribit hunc in modum: *O quid ista mulier uidit habitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria, diuinitatis totam uidit inhabitare uirtutem? O quàm docuit mulier, quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse monstrauit. Audiant Christiani qui quotidiè corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possunt medicinam, quandò mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. Sed quod nobis flendum est, mulier de uulnere medicinam tulit, nobis medicina ipsa retorquetur in uulnus. Hinc est, quòd Apostolus tangentes indignè corpus Christi, taliter admonet & deplorat: Qui enim tangit indignè corpus Christi, iudicium sibi sumit. Et quòd indè temeritas infirmitatē capiat, undè fides accipere debebat sanitatem, rursus intulit: Propterea inter uos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.*

Virtus corporis Christi in Eucharistia, incōparabiliter maior est fimbriæ virtute, cuius attactu mulier curata est.

1. Cor. 11.

In precatione Dominica præcipuè cæleste petimus panem, i. verum Christi corpus ex Maria virgine natum, nobis in Sacramēto præberi.

Sermone 67. ea dominicæ precationis verba interpretans, Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè: *Cælestis pater, inquit, cælestē panem cælestes filij ut postulemus hortatur. Ipse dixit: Ego sum panis, qui de cælo descendi. Ipse est panis, qui satus in uirgine, fermentatus in carne, in paßione confectus, in fornace coctus sepulcri, in Ecclesijs conditus, illatus altaribus, cælestem cibum quotidiè fidelibus subministrat.* Et Sermone sequenti:

quenti: *Post cæleste regnum, ait, panem quis postulet temporalē? Sed quotidianum & in diem uult nos in sacramento sui corporis, panis uiaticum postulare, ut per hoc ad perpetuum diem, & ipsam Christi perueniamus ad mensam, ut undè hîc gustum sumpsimus, indè ibi plenitudinem totasq; satietates capiamus.*

Sermone 70. sic habet: *Post regnum cæleste terrenum panem petere non iubemur, prohibente ipso cùm dicit:* Nolite *soliciti esse animæ uestræ* Matth. 6. *quid manducetis, aut quid bibatis. Sed quia ipse est panis qui de cælo descendit, petimus & precamur, ut ipsum panem, quo quotidiè, id est, iugiter sumus* Iohan. 6. *in æternitate uicturi, hodiè, id est, in præsenti uita de cõuiuio altaris sancti, ad uirtutem corporis mentisq; capiamus.*

Et Sermone 71. *Christus,* inquit, *mandatis suis contraria non demandat. Ipse dixit:* Nolite *soliciti esse animæ uestræ, quid manducetis, aut quid* Matth. 6. *bibatis. Sed quia ipse est panis, qui de cælo descendit, qui legis & gratiæ mo-* Iohan. 6. *la aptatus est in farinam, qui crucis cõfectus est passione, qui magnæ pietatis fermentatus est sacramento, qui conspersionis leuamentum sustulit de sepulcro, qui ut diuinitatis suæ calore coqueretur, ipse clibanum decoxit inferni, qui ad cælestem cibum quotidianus Ecclesiæ defertur ad mensam, qui in remissionem frangitur peccatorum, qui edentes se perpetuam pascit & enutrit ad uitam: hunc panem quotidiè donari nobis petimus, donec illo in die perpetuò perfruamur.*

Item Sermone 95. eum Lucæ exponens locum, Et ingressus domũ Pharisæi: *Quam,* inquit, *domum? Nempe synagogam ingressus, accubuit. In Synagoga, fratres, tunc accubuit, quando occubuit Christus: sed corpus suum Ecclesiæ transmisit ad mensam, ut esset cælestis caro manducaturis gentibus ad salutem.* N*isi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis* Iohan. 6. *eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Quemadmodùm autem manducetur caro Christi, quomodò bibatur & sanguis eius, nôrunt illi, qui sunt sacramentis cælestibus instituti.*

Christus qđ in Synagoga accubuit, sed corpus suum ad Ecclesiæ mensam trãsmisit.

Sermone 160. de conuersione aquæ in uinum Iohan. 2. loquens: Hodiè, inquit, *Christus initium dat signorum cælestium, dum conuertit* Matth 3. *aquas in uinum: ut quem pater uoce filium iam probârat, ipse se* Deum *uir-*

Iohan.2. Vt Christus aquam mutauit in vinum, itá vinum & aquá conuertit in sanguinem suum. Psal.22.

tutibus approbaret, qui elementa commutat, & naturam fecit ipse: qui contra naturã facere non laborat, aquã transfert in uinum, ut diuinitatis in uigore, naturæ nostræ proficiat hebetudo. Et post pauca: *Sed aqua in sanguinis erat conuertenda mysterium, ut mera pocula de uase corporis sui Christus bibentibus propinaret, ut impleret illud prophetæ: Et calix meus inebrians q̃ præclarus est.* Et Sermone eodem extremo: *Sed quia*, ait, *festiuitas ipsa ad mensam nos Domini, & calicis istius lætitiam commonet iam uenire, res amplas breui sermone sufficit conclusisse.*

Hæc eius viri testimonia, nulla explicatione opùs habent, cùm p se satìs illustria & perspicua sint, & præcedentium Patrum authoritatibus explicentur. Hoc tantùm indicâsse velim, quandoquidẽ suprà in 19. Scripturæ testimonio, ad asserendam corporis Christi in Eucharistia veritatem affirmatũ est, cùm ea Seruatoris verba, quibus in cœna vsus est, dicens, HOC EST CORPVS MEVM, Dei hominisque sint verba, eam ob rem ingentia quædam & admiranda, non autẽ solam figuram, quod Aduersarij volũt, ea complecti oportere: eiusmodi assertioni etiam Chrysologum adstipulari Sermone 93, idq; his verbis: *Christum nanq; semper agnoscimus per humanos actus diuinas exercuisse uirtutes, dum noua & præter usus mortalium cuncta esse, quæ ab eo etiam corporaliter gesta sunt, comprobantur.*

Chrysologo ille Christianus animus est, q ea quæ patrum traditiõe & ipsis tẽporibus roborata sunt, nescit in disputationẽ rapere.

Similia habet Sermone 95. Idem ipse Sermone 85. *Christianus animus*, inquit, *quæ sunt traditione patrum, & ipsis roborata temporibus, nescit in disputationem deducere, sed uenerari ea toto desiderat deuotionis eloquio.*

Verùm hactenùs horum duorum Patrum, Leonis I. & Petri Chrysologi testimonia produxisse sufficiat: quia verò ijsdem temporibus duo alij celeberrimi viri, Eucherius Episcopus Lugduneñ & Sedulius fulsére, ad eorum agè testimonia nos conferamus.

D. EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI TESTIMONIA.

CAP. 59.

EVcherius Archiepiscopus Lugduneñ, nõ modò à veteribus, maximeq; Isidoro Hispalensi Episcopo, sed etiã ab Erasmo Roterodamo ob eruditionis præstantiam, ingenij acumẽ & venustam sermonis elegantiam, miris prædicatur laudibus.

Eius

Eius autem de vera corporis Christi in V. Sacramento præsentia, hęc inter alia extant testimonia:

In Cõmentarijs in 2. Reg. cap. 6. scribit his verbis: *Sacerdos* (scilicet Oza) *qui arcam inconsiderata temeritate tetigit, ausùs sui reatum immatura morte purgauit: ubi intueri necesse est, quantùm delinquat qui ad corpus Domini reus accesserit, si deuotus ille sacerdos morte mulctatur, qui arcam illam, Dominici uidelicet corporis figuram, minori quàm debuit, ueneratione corripuit.*

Arca veteris testamenti, figura tantùm fuit corporis Christi in Eucharistia.

In his verbis primò arcam veteris Instrumẽti cum corporis Christi sacramento, ceu figuram cum ipsa veritate componit: palamq; & luculenter testatur etiam indignos verum Christi corpus, cùm V. Sacramentum accipiunt, contingere, licèt id eis exitio sit.

Alio loco, putà in Quæstionibus super Matthęum, in ea Dñi verba, q̃ habentur Matth. 26. cap. Nõ bibam amodò de hoc genimine vitis, vsq; in diẽ illũ, cùm illud bibã vobiscum nouum in regno patris mei, scribit hunc in modũ: *Regnum Dei, Ecclesia est: in quo quotidiè bibit sanguinem suum Christus per sanctos suos, tanq̃ caput in membris suis.*

Christus sanguinem suũ in nobis mẽbris suis bibit in regno Ecclesiæ.

SEDVLII CVMPRIMIS PII TESTIMONIA.

CAP. 60.

SEdulius in Collectaneis in Cap. 11. prioris ad Corinthios, sacrosanctam Eucharistiam, vocat *Dominicam oblationem*. Et ea Apostoli verba, Accepit Dñs panem &c. interpretans: *Hinc iã,* inquit, *de Sacramentis quasi oblitos Apostolus commemorat, quàm magnum sit huius mysterij sacramentum.* Ac deindè in ea verba, Accipite, Hoc est corp⁹ meũ, ità scribit: *Perindè est, quasi dixisset Paulus: Cauete nè illud corpus indignè comedatis, dum corpus Christi est.* Ait porrò Christũ *suum corpus nobis ceu pignus quoddam reliquisse.* Ea quoquè verba, Hic est calix noui Testamẽti in meo sanguine, ità per antithesin exponit: *Quia vetus hoc per sanguinem brutorum animalium portendebatur.* Item in ea verba, Reus erit corporis & sanguinis Dñi, *Quasi,* inquit, *illum occiderit, vt Iudæi, qui tanti mysterij sacramentum pro vili despexerunt.* In ea quoquè verba, Probet autem &c. *Id est,* ait, *mundet. Nam si in linteum vel in vas sordidum nemo illud mittere audet, quanto magis in cor pollutum?* Deniquè ea verba explicans, Non dijudicans corpus Domini, *Id est,* inquit, *non discernens ipsum à cibo communi.*

Distinc. 15. c. Sancta Romana.

In opere Paschali, quod memoratus ille pietate & eruditiōe præstantissimus pontifex Gelasius mirificè commendat Epistola Synodica de apocryphis scripturis, catholicam nostram de V. Sacramēto fidem hisce præclaris complexus est versibus:

Fonte renascentes, membris & sanguine Christi
Vescimur, atq; ideò templum Deitatis habemur:
Quod seruare Deus nos annuat immaculatum,
Et faciat tenues tanto mansore capaces.

Hoc illustre est testimonium, nos in Eucharistia veram Christi carnem & sanguinem, immò Christum ipsum Deum & hominē edere, cùm ob huiusmodi esum Deitatis templum habeamur, Christusq; Deus & homo propterea in nobis maneat & commoretur.

Eodem libro Dominum etiam Iudæ corpus & sanguinem suum porrexisse testatur his versibus:

Christus erat panis tradendus, quē traditori dedit.

Nec Dominum latuère doli, sceleris q; futuri
Prodidit authorem, panem cui tradidit ipse,
Qui panis tradendus erat. nam corporis atq;
Sanguinis ipse sui postquàm duo munera sanxit,
Atq; cibum potumq; dedit, quo perpete nunquàm
Esuriant sitiantq; animæ sinè labe fideles:
Protinus in Iudam, sedes ubi liuor habebat,
Spiritus intrauit teterrimus &c.

Ierem. 11.

Alludit hîc ad ea Iudæorum verba apud Ieremiam Prophetam, Mittamus lignum in panem eius: indicatq; Christum hunc panem, in quem Iudæi lignum crucis miserint, suis Apostolis, adeoq; etiam Iudæ ipsi (licèt is, quòd indignus id sumeret, nō in salutem, sed iudiciū acceperit) præbuisse. Quandò verò his Sedulij carminibus, alterius multò vetustioris Christiani poetæ (Iuuēcum presbyterum loquor, qui sub Constantino vixit, & quatuor Euangelia hexametris versibus complexus est, quam ob rem non mediocriter à D. Hieronymo commendatur) carmina pulchrè concinunt, committere non possum, quin ea quoquè huc adscribam:

Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis.

Iuuencus lib. 4. de historia Euangelica.

Hæc ubi dicta dedit, palmis sibi frangere panem,
Diuisumq; dehinc tradit, sanctumq;, precatus,

Discipulos

Discipulos docuit, proprium se tradere corpus:
Hinc calicem sumit Dominus, uinoq́; repletum
Sanctificat gratis uerbis, potumq́; ministrat,
Edocuitq́; suum se diuisisse cruorem:
Atq; ait, Hic sanguis populi delicta remittet,
Hunc potate meum: iam ueris credite dictis.

Non poterãt quidem duo isti Christiani & catholici vates, corporis & sanguinis Christi in Eucharistia veritatem docere euidentiùs.

ISAGOGE IN SEQVENTIA GELASII ET THEODORETI TESTIMONIA.

PRiùs quàm ad alia progrediar testimonia, operæpreciũ mihi facturus videor, si lectorem admoneã, vt Aduersarij nostri, magìs tamẽ Luterani, quàm Oecolampadiani, nihil relinquant intentatum, si qua possint ratione antè dictũ beatissimum Pontificem Gelasium, itemq; Theodoretum Cyri Episcopum, qui circa eadem Chalcedoneñ Concilij tempora vixêre, aduersùs catholicam Christi Ecclesiam producere, eorumq; sententijs trãssubstantiationem, id est, substantiæ panis ac vini in corporis & sanguinis Christi conuersionem, oppugnare. Quãuìs autem hi patres in suis lucubrationibus, quas in execrabilem illum Eutychetem ediderunt, in id potiùs intenti fuêre, quænam illis contra aduersarium possent esse subsidio & adminiculo, quod in disputationibus fieri consueuit, quàm vt Naturę & Substãtię vocabulis pro illorũ propria ac genuina significatiõe, vtì eas hodiè Ecclesiastici accipiunt, vterẽtur, maximè cùm id temporis hic transsubstantiatiõis articulus necdùm Ecclesię iudicio & sententia tam esset luculenter declaratus, at nihilo seciùs vtrosq; & Luteranos & Oecolãpadianos apertissimè suis scriptis condemnant, vti sequentia docebunt. CAP.61.

BEATISSIMI PONTIFICIS GELASII TESTIMONIA.

EX Gelasio quidem aduersùs Eutychetẽ ea Luterani contra Ecclesiæ definitionem magna contentione proferunt, quibus ille ait, cum vera corporis Christi in V. Sacramento præsentia, etiam pa- CAP.62. Obiectio Aduersariorũ ex Gelasio.

nis & vini substantiam siue naturam permanere, dicũtq; his eum Eutychetẽ hæresiarcham debellare velle, asserendo in Christo post eius incarnationẽ vtranq; & diuinam & humanã naturam perfectè vnitã esse & permanere, perindè vt in hoc V. Sacramento natura panis & corporis Christi permaneat. Verba Gelasij quę citant sunt hæc: *Non desinit substantia uel natura panis et uini: & certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebratur. Satis ergò nobis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus & sumimus* &c.

Diluctio obiectiõis, & Gelasij explicatio. Gelasius pugnat cum Zuinglianis. Prou. 9. 2. Pet. 1.

Verùm alia sancti viri verba, quæ eodem habẽtur loco, ex quibus hęc iam recitata intelligenda sunt, Aduersarij tam Luterani quàm Zuingliani, quòd eorum errorem penitùs subruant, suo more dedita opera prætermittunt. quod enĩ ad Zuinglianos attinet, Gelasius verã corporis Chrĩ in eucharistia pręsentiã ibidèm clarissimè asserit: *Sapientia, inquit, ædificauit sibi domum, septiformis spiritûs soliditate subnixam, quæ incarnationis Christi, per quam efficimur diuinæ consortes naturæ, ministraret alimoniam. Certè sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res est: propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ,*

Gelasius itẽ pugnat cum Luteranis in duobus.

Porrò contra Luteranos dicentes, nullam fieri panis mutationem, itẽq; corporis Christi veritatem solùm in vsu accipientium esse, nec mox à consecratione illic adesse, scribit his verbis: *Satis ergò nobis euidenter ostẽditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendũ, quod in eius imagine* (putà, Sacramẽto) *profitemur, celebramus & sumimus: ut sicut in hanc, scilicet in diuinam, transeant sancto spiritu perficiente substantiã, permanentes tamen in suæ proprietate naturæ: sic illud ipsum mysterium principale (cuius nobis efficientiam uirtutemq; ueraciter repræsentant) ex quibus constat, propriè permanẽtibus, unum Christum (quia integrum uerũq;) permanere demonstrant.* Quorum sententia est, in Christi vna, vera & integra persona, vtranq; diuinam & humanam, in incarnationis eius mysterio cõiunctam naturam, in veris suis proprietatibus nihil mutatam ac impermixtam permanere.

Principiò igitur hîc audis, sacramẽta in diuinã transire substantiã,

vbi

vbi duabus dictionibus tantundem exprimitur, quantum vna illa, Transſubſtantiantur. Deindè audis hanc in diuinam ſubſtantiam transmutationem, vel tranſſubſtantiationẽ non in noſtra ſumptione ſitam eſſe, ſed per ſpiritumſanctum peragi ac perfici: quem in modũ etiam Auguſtinus loquitur, vt eſt ſuprà annotatum, quem quidem Gelaſius, nimirùm Afer Afrum, præcipuè charum & maximo in precio habuit. Quòd verò, vt antè dictũ eſt, ꝓtereà habet, non tamen cõiunctìm, vt Aduerſarij eum citant, ſed diſiunctìm, Non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini, id ſanè meritò debet, adeoq; neceſſè eſt, (nè ijs quæ antè ex ipſo prolata ſunt, pugnantia dixiſſe videatur) non de ipſa vera interna eſſentiali, vt ità dicam, eſſentia, quæ in re qualibet latet, & ſenſibus externis percipi non poteſt, ſed de naturalibus prioris ſubſtantiæ vel naturæ proprietatibus, vt ſunt magnitudo, color, ſapor, odor, & id genus qualitates, immò etiam naturales panis ac vini proprietates. Vt enim Innocentius III. ſub quo in generali Concilio decretum de Tranſſubſtantiatione editum eſt, inquit, *poſt conſecrationem non accidentales modò, verùm etiam naturales proprietates remanere videntur, vt quæ famem expellit paneitas, & quę ſitim extinguit vineitas.* Eiuſmodi enim vocabulis ille vtitur, ꝙ Latiniora ad ſententiã commodiùs exprimendã nõ ſuccurrerint.

Gelaſius ait Sacramẽta in diuinã tranſeunt ſubſtantiã, i. tráſſubſtantiantur.

Subſtãtia hîc Gelaſio eſt naturalis proprietas, non eſſẽtialis ſubſtantia.

Quam autem Gelaſius hîc adhibet V. Sacramenti cum Chriſti incarnatione comparationem, eam nihil neceſſè eſt eò referre vel ità interpretari, quòd quemadmodùm in Chriſto vtraq; natura in perſonæ vnitate ſubſtantialiter perfecteq; eſt & permanet, ità etiã panis ſubſtantiam & naturam in V. Sacramẽto omninò manere oporteat: ſed ſatìs eſt nôſſe, Gelaſij comparationem eò duntaxat pertinere, quòd ſicut in V. Sacramento vnà cum vero Chriſti corpore naturalis panis proprietates magno Dei præpotentis miraculo remanẽt, ità in Chriſto vtraq; natura in perſonæ vnitate, inuiolata & impermixta perſeueret. Nanq; alioquì ſi Luterani ex Gelaſij verbis eam comparationem modis omnibus vrgere & torquere velint, ſimul etiam fateri eos oportebit, ex Gelaſij ſentẽtia, Chriſti corpus cum panis ſubſtãtia in vnã pſonã redigi, ſiue in pſonę vnitate vniri, queádmodùm diuinitas cum humanitate cõiuncta eſt: quod tamen nõ modò Gelaſius neq; ſenſit, neque in animum admiſit vnquàm, ſed nec ſinè horrore Chri-

Christianorum aures possunt percipere. Tum enim in Sacramento non Deum incarnatum, sed impanatum haberemus: quam abominabilem & execrabilem vocem, impij ex dogmate Luterano rapientes, complures horribiles blasphemias in diuinum sacramentum passim euomunt. Sufficit ad rectè intelligendum Gelasium, nôsse, vocabulum substantiæ non vno modo semper accipi, nec vbiquè internam latentem rerum essentiam, sed interdùm quancunq; subsistétiam significare: Itidèm naturę nomen, non semper essentialem illã rerum essentiam, sed sæpè etiam naturalem modò proprietaté, idq; eleganter, denotare: quomodò hîc Gelasius verbum substantiæ per vocabulum naturę, ipsi disiunctìm appositum, interpretatur, vt ei hîc substantia, sit subsistentia accidentium panis & vini: natura verò, naturę proprietas, quę sanè in sacramento post consecrationé non desinit, desinente tamen essentiali illa & interna panis substãtia, quam, vt Chrysostomus inquit, absumpsit vis diuini corporis.

EPISCOPI THEODORETI TESTIMONIA.

CAP. 63. Porrò quòd ad Theodoretum Cyri Episcopũ attinet, possem equidem (modò tamen illius scripta eam admitterent interpretationem, quam eis Aduersarij adhibere nituntur) quòd ea primi Ephesini Cócilij decretis, & D. Cyrilli Anathematismis eorumq; assertionibus nonnihil aduersa sint, id liberè affirmare, nõ tantã illius esse authoritatem, vt per eam iam dicta decreta & catholicæ Ecclesiæ sentẽtia vllo pacto possit impugnari: quãdò in confesso est, eum ipsum Theodoretum id temporis à cunctis sanctis Patribus eo nomine reiectum & cõdemnatum, quòd Iohannis Antiocheni suasu, humanum aliquid passus, eò adduci se siuerat, vt iam dictos Cyrilli Anathematismos cauillari non dubitaret. Atq; tametsi, posteaquàm Iohannes Antiochenus à suo discessit errore, & illis quos diximus anathematismis, & D. Cyrilli fidei ceu veræ & apostolicæ accessit & subscripsit, ipse quoquè Theodoretus eos impugnare desijt, & in Cyrilli atq; Concilij definitione acquieuit: qua re effectum est, vt eius persona in Chalcedonensi cócilio rursus admissa & recepta sit: at nihilo minùs in 5. vniuersali Synodo, quæ Constantinopolitana 5. dicitur, sub Iustiniano Imperatore habita, denuò eius scripta, quatenùs ea cum Cyrilli doctrina pugnarent, damnata

& ana-

& anathemate plexa sunt, vt habet Canon 13. eius Cócilij in hæc verba: *Si quis defendit impia scripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem exposita sunt, & primam Ephesinam sanctã Synodum, vel 12. eius Capitula &c. & non anathematizat prędicta impijßima conscripta, & eos qui similia his sapuerunt vel sapiunt, sed & omnes qui contra rectã fidem scripserunt, aut cõtra beatæ memorię Cyrillum, vel duodecim eius Capitula, & in hac impietate defuncti sunt, Anathema sit.*

Atquì ego hac eius refutatione & reiectione vti nolo: quòd nihil ambigam, modò verba illius, quę ex 1. & 2. Dialogo citant Aduersarij, non deprauatè, sed pro genuina sanaq; mente & sententia sua, perindè vt Gelasij, accipiantur, ea nullo eis subsidio esse futura: immò verò ijsipsis Oecolampadij quidem errorem funditùs & omninò, Luteranorum verò in præcipuis duobus articulis expreßè conuulsum & damnatum iri.

Oecolampadianum errorem damnãt ea, quæ 2. Dialogo habẽtur, Eraniste hunc in modum ex Orthodoxo percontante: *Quid appellas donũ (altaris,) quod offertur ante inuocationẽ sacerdotis?* ORTHODOXVS: *Non oportet apertè dicere. est enim verisimile, adesse aliquos mysterijs non initiatos.* ERANISTES: *Respondeatur ænigmaticè.* OR. *Id quod fit ex huiusmodi seminibus nutrimentum.* ERA. *Aliud autem signum quomodò nominamus?* OR. *Commune etiam hoc nomen, quod potius speciem significat.* ERA. *Post sanctificationem autem quomodò ea appellas?* OR. *Corpus Christi & sanguinem Christi.* ERA. *Et credis te fieri participem Christi corporis & sanguinis?* OR. *Ità credo.*

Luterani verò cum Dialogo 1. affirmare aiunt, *Dominũ voluisse eos, qui diuinorum sunt mysteriorum participes, non attẽdere naturam eorũ quæ videntur, sed propter nominum permutationem* (putà, cùm panem accepit & dixit, HOC EST CORPVS MEVM) *mutationi quæ fit ex gratia, credere.* Itemq;, *Dominũ symbola & signa quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honorâsse, nec tamen mutâsse naturam, sed naturæ gratiã adiecisse.* Deniquè 2. Dialogo habere eum, *signa mystica post sanctificationẽ non recedere à natura sua, sed manere in priore substantia, & figura, & forma, & videri & tangi posse, sicut & priùs* &c. Obiectio Luteranorum.

Atquì nolunt illi aduertere, Theodoretũ hìc nó de vera essentiali panis ac vini substantia, quæ sub adspectum nó cadit, sed de ijs dũta- Dilutio.

VV xat

xat agere, quæ possint conspici, id est, de symbolis & signis externis, quæ possunt videri oculis, & manibus atque ore contingi & apprehendi. Ea enim, quæ non nisi Accidentia sunt, in priori manere ait substantia vel subsistentia, posseque tangi, videri, attrectari, id quod nemo negare potest. Quantùm autem ad essentialem substantiam attinet, ob quam panis hoc ipso panis vocabulo appellatur, in aperto est, eũ Dialogo 1. transmutationi adstipulari, cùm ait: *Sed voluit nos propter nominum permutationem, mutationi quæ fit ex gratia, credere.* Vtitur enim verbo μεταβολὴ, quod transmutationem rei significat. Item Dialogo 2. *Post sanctificationem uerò*, inquit, *nõ iam panis, sed corpus & sanguis Christi, seu panis uitæ nominantur.* Item: *Videri & tangi possunt, sicut prius. Intelliguntur autẽ ea esse, quæ facta sunt & creduntur.* Quę verba, vt cuiuis intelligenti perspicuum est, priorum creaturarũ internæ inuisibilis substantiæ mutationem deposcunt: quæ quidem videri non potest, sed intellectu dũtaxat apprehendit: adeò vt Theodoretũ, modò nè is perperàm accipiatur, catholicæ de Transsubstãtiatione doctrinę plùs multò fauere, quàm obsistere cõnstet.

Theodoretus ait quidẽ Accidẽtia & species externas V. Sacramẽti, naturales suas retinere proprietates: sed etiã docet internam panis substantiam mutari. Verba Theodoreti internæ inuisibilis substãtiæ mutationẽ exigunt.

Eum enim ferè in modum loquitur, quo D. Cyprianus Sermone de Resurrectione Domini, vbì sic habet: *Res & signa, uirtus inuisibilis & uisibilia sacramenta, sic faciunt unum corpus, sicut caro & spiritus: & quod uidetur, & nomine & uirtute Christi corpus censetur.* Quæ sunt etiam cum ratione & iudicio accipienda, ità vt panis in veram corporis Christi naturam cõmutationi, quam Cyprianus (vt suprà videre licet fol. 118.) docet euidentissimè, prorsus nihil derogẽt. Nanq; eodẽ quoquè de Resurrectiõe Dñi sermone, essentialẽ corporis Chri veritatẽ hac sanè eleganti oratione asserit: *Hæc cùm eo tempore fierent in figura* (de paschate veteris testamenti loquitur) *quod nos in ueritate agimus, typicè loquebãtur, & dirupto in Christi morte templi uelamine, uerus agnus solus inter filios hominũ sinè macula Christ⁹, ætate ultima, in qua mũdi uesperascit cõditio, ab una populi Christiani familia, in unitate Ecclesiæ, assus in cruce, proiectis foràs hæreticorum fermentis, syncerae fidei solidata compagine, inconsumptibiliter editur, creditur & tenetur.*

Cyprianus de resurrectione Domini.

1. Pet. 2.

Iam si Theodoretum quoquè hoc pacto accipiamus, nihil ille penitùs

nitùs facit aduersùm nos ꝓ Luteranis: immò verò, vt est antè dictũ, in duobus illorũ potiùs errorem expressè condemnat. Primò quidẽ, dum aiunt præsentem sacramenti veritatem in solo vsu haberi, id est, cùm porrigitᷣ & sumitᷣ Eucharistia. Cuiᵘˢ ille diuersum affirmat, dicẽs, *corpus Christi præsens fieri per inuocationẽ & sanctificationẽ sacerdotis,* etiam antè q̃ porrigatur & accipiatur. Deindè dum V. Sacramentum, etiã non attento eo quòd ex ipsorũ confessiõe verũ ac viuũ Christi corpus ibì sit, magna impietate negant piè adorari debere. At Theodoretus Dialogo 2. contrà ait, corpus & sanguinem Dñi in V. Sacramento à fidelibus adorari: *Intelliguntur,* inquit, *ea esse, quæ facta sunt & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur.*

Theodoretus in duobus Luteranorũ damnat errorẽ.

1. Corpus Christi in Sacramẽto est mox à consecratione, etiã priùs q̃ sumatur.

2. Christi corpus & sanguis in V Sacramẽto adoratur.

Quandò verò Theodoretus V. Sacramẽti adorationẽ tã apertè testificatur, satìs ille hoc ipso innuit, nõ iam deincèps panis terreni substãtiam illic adesse. Alioquì enĩ possint horum tẽporum execrabiles & blasphemi hæretici hac se ratiõe tueri, ꝙ nulla nos iniuria afficiãt, cùm dicunt nos deũ panarium adorare. Sed quid multis opùs est? Ea Dñi verba, HOC EST CORPVS MEVM, nõ patiũtur duas illic corporeas substantias simul adesse, vt etiam suprà diximus. Si ergò corpus Christi illic adest substantialiter, quod Theodoretus clarissimè testatur, non potest ibì panis terrenus esse substantialiter.

Cùm Theodoretus dicat Sacramenta adorari, satis id argumẽto est eũ trãssubstantiatiõem credidisse.

Postremò, etiãsi demus Gelasiũ & Theodoretum de ea, q̃ fit in V. Sacramento, transmutatione nõ satìs propriè esse locutos, immò etiã in ea fuisse sentẽtia, panis ac vini naturã à consecratione simul cũ vero Christi corpore substãtialiter permanere, cùm tamẽ meo iudicio alitèr illi senserint, vt est antè dictũ: at nihilo minùs nõ possit id cõtra catholicã Ecclesiæ de transsubstantiatione doctrinã, (quæ in magno illo Lateranensi Cõcilio, cui oẽs quatuor patriarchę, 70. metropolitani & 400. Episcopi ex toto orbe collecti interfuêre, ex purissimis Chri verbis, & clarissimis sanctorũ patrũ testimonijs demùm declarata est) ꝓduci & obijci, quandoquidẽ vt eruditi nõrũt, exacta ꝓprietas & acceptio verborum apud patres, ijs in rebus quæ illorum æuo ab Ecclesia necdùm propriè & perspicuè satis declarata fuêre, non anxiè admodùm vrgenda est: vtì nos in Tertulliani testimonijs iam antè ex Basilio annotauimus folio. 106. & Rusticus Diaconus in Dialogo contra Eutychianos testatur, eiusmodi ἀκριβείαν,

 id est,

id eſt, accuratam explicandi diligentiam non obſeruari in rebus, quę ab Eccleſia nondùm clarè determinatæ fuerunt.

Olim tres fuere opiniões de V. Sacramento.

Huc accedit, quod etiam ipſe memoratus Innocẽtius 3. annotauit, & Scotus lib. 4. Sentẽtiarum Diſtin. 11. quæſt. 3. repetit, olim de V. Sacramento tres fuiſſe opiniones: Alijs exiſtimantibus, panem à conſecratione in ſua permanere natura, & tamẽ cum ipſo verè eſſe corpus
1. Chriſti: Alijs, panem non manere, ſed per conſecrationem in nihilum
2. redigi: Alijs, quorum ſententia à concilio eſt approbata, ſubſtantiam
3. panis tranſmutari in ſubſtantiã corporis Chriſti. Hæc verò extrema opinio, quãdiù Eccleſię iudicio confirmata nõ fuit, illi qui duas priores opiniones ſequebãtur, hęreticorũ loco habiti nõ ſunt, ꝙ nihilo minùs omnes illi verã & ſubſtantialẽ corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiã firmiter crederent, vtì hoc iamindè ab huius V. Sacramẽti prima inſtitutione fidei Chriſtianæ veritas popoſcit: quẽadmodùm ex ſuperioribus, pręcipuè D. Iuſtini teſtimonio, animaduerti licet.

Cõtra Berengariũ in Cõcilio Romano, ſub Gregorio VII. & in Concilio Lateranẽſi ſub Innocẽtio III.

At verò iam deincèps alia eſt ratio, poſteaquàm vniuerſalis Eccleſiæ iudicio poſt diligentem verbi diuini & earum, quę ex ſanctis Patribus habentur, authoritatum penſiculationem & diſcuſſionem, magna concordia & conſenſione definitum & declaratum eſt, Trãſſubſtantiationem indubitanter credi oportere: cui definitioni & determinationi intellectum noſtrum captiuum nos tradere debemus, cõuenienter illi ſententiæ Saluatoris: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Enimuerò ſi nos Eccleſiæ hãc authoritatẽ, dubios & cõtrouerſioſos articulos ex Dei verbo per inſtinctum & adſpiratiõem ſpiritusſancti (qui citra dubiũ adeſt illis, qui in Chriſti nomine ad generalia concilia conueniunt) declarandi, decidẽdi & definiẽdi detrahi patiamur, nimirùm hęreticis locũ prębebimus, viamq́; muniemus ad vnicam illã veritatis columnã, qua omnis ſanæ & catholicæ doctrinę certitudo nititur, prorſus euertendam ac peſſundandam, quò omnes illorum improbas cogitationes, conatus & conſilia intenta & deſtinata videmus.

Matt. 18.

1. Tim. 3.

Cypriani prouincialẽ Synodũ vniuerſalis Eccleſia non recepit.

Vellem equidẽ, aliquid vt apud eos ponderis haberet, quod de Cypriano ſanctiſſimo martyre (qui in ſuo Africæ prouinciali Concilio ſtatuerat, ab hæreticis baptizatos, denuò baptizari oportere: quam tamen eius ſententiam deindè vniuerſalis Eccleſiæ definitio reiecit) Augu-

Augustinus lib.1.de Baptismo,cap.18.itemq; lib.2.cap.4.scribit, *illū*, Cyprianum loquor, *in hac à ueritate aliena opinione, citra tamen damnationem eorum qui diuersa sentirent, fuisse illis temporibus, antè quàm plenarij Concilij sententiam,quid in hac re sentiendum esset, totius Ecclesiæ consensio firmâsset:Vniuersæ autem Ecclesiæ cōcordissimæ authoritati sinè dubio cessurum eum fuisse, si iam illo tempore quæstionis huius ueritas eliquata & declarata per plenarium concilium solidaretur.* Atq; idcircò *ꝗ ille uir sanctus de baptismo alitèr sensit, quàm se res habebat, & charitatis ubertate compensatum, & passionis falce purgatum esse.* Hactenùs Augustinus.

Vndè Aduersarij nostri colligere habent,quanta ediuersò seueritate Deus in eorum præfractam animi obstinatiōem & pertinaciam quandoquè animaduersurus sit. Et hæc quidem de Gelasij & Theodoreti scriptis dicta sint satìs.

Vt verò de Theodoreti sentētia minùs hæsites, libet etiam alia ex eo proferre testimonia.In caput 10.prioris ad Corinthios, ea exponens verba,Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? scribit hunc in modum: *Quia sacra mysteria percipimus,nónne ipsi Domino communicamus, cuius & corpus & sanguinem esse dicimus,quandoquidem omnes unius panis sumus participes?* Ac deindè ea quoquè edisserens, *Non potestis mensæ Domini participes esse,& mensæ dæmoniorum.Quomodò,inquit, fieri potest,ut Domino cōmunicemus per preciosum eius corpus & sanguinē, & rursus dæmonibus, per eius quod idolo immolatum est,nutrimentum?* Plura ex Theodoreto testimonia.

In capite 11.interpretās quod Apostolus ait: *Ego enim accepi à Domino,quod & tradidi uobis,quòd Dominus Iesus in qua nocte tradebatur &c. Sacram illam,ait,& omni ex parte sanctam noctem in memoriam reuocauit Apostolus,in qua & typico paschati finem imposuit,& uerum typi archetypum ostendit,& salutaris sacramenti portas aperuit,& non solùm undecim Apostolis,sed etiam Iudæ proditori preciosum corpus & sanguinē impertijt.Docet autem,quòd illius noctis bonis semper frui possumus.* Iudaicum Pascha typus fuit,sed V. sacramentum verus archetypus est.

Hîc eum audis pascha Iudaicū,typum appellare : Sacramētum autem,verum archetypum,i.rem typo significatam,& sacramentū salu-

tare, quod nobis veram adferat salutem, idq; esse preciosum corpus & sanguinem Christi, quod Seruator non vndecim duntaxat Apostolis, sed ipsi quoquè Iudæ proditori porrexerit.

Cæterùm ea quoq; explicans Apostoli dicta, *Erit reus corporis & sanguinis*, Hoc *significat*, inquit, *quemadmodùm tradidit ipsum Iudas, ipsi autem insultârunt, & eum probris & conuicijs affecerunt Iudæi: ità eum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimũ eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum & incestum os immittunt.* Postquàm eos ità *terruit, ea quæ par est admonet: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Sic tuiipsius iudex, uitam tuam exactè iudica, conscientiam scrutare & examina, & tunc donum suscipe.*

Corpus Christi manibus contingitur, & ore suscipitur.

His ille peccatum eorũ, qui indignè accedunt, Iudę proditoris & Iudæorum, qui Christum cõuicijs proscidére, flagitio comparat: quô fit, necessariò hîc vt adsit corpus illud, quod tanta ignominia indigni afficiũt. Audis ꝑtereà eiusmodi ꝓcedentem conscientiæ explorationem & ꝓbationẽ exactã, ea causa esse necessariã, vt est in 23. Scripturę testimonio latiùs dictũ, & Theodoretus ipse disertis affirmat verbis, dicens indignum sanctissimum Christi corpus immundis accipere manibus, & in os pollutum & incestũ immittere: vbì simul id quoq; testatũ efficit, corpus Chr̄i in V. Sacramẽto nõ fide duntaxat, sed manibus quoq; & ore tãgi & accipi etiã ab indignis: quod argumẽto est, illud hîc substantialiter adesse. Vide suprà 24. scripturę testimoniũ.

Cuiusmodi probatio & exploratio sui sit necessaria.

Deniquè Paulũ ad Ephes. 5. cap. virtutẽ & efficaciã duorũ præcipuorũ Sacramentorũ, putà baptismi & corporis & sanguinis Christi indicâsse, vt in 25. Scripturæ testimonio docuimus, eodẽ loco Theodoretus asserit, explicãs illud Apostoli: *Sicut Christus Ecclesiã nutriens,* inquit, *ipsam & fouens, & ei suũ dans corpus & sanguinẽ. Quia mẽbra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Sicut enim Eua ex Adam ficta est, ità nos ex Christo Dño. Cum eo enim in baptismo cõsepelimur, & vnà cum eo resurgimus, & corpus eius comedimus, & sanguinem bibimus.* His ille luculẽter testatur, quemadmodùm Eua ex dormientis Adæ carne & ossibus facta est, ità nos ex Christo fingi atq; formari, & vera eius carne & sanguine nutriri. Alias prętereà sentẽtias ex vetustissimis patribus, ad adstruendam veram ac realem corporis Christi in Eucha-

ristia

ristia præsentiam, in Dialogis à Theodoreto allatas, suprà offendes in Ignatij testimonijs, cap. 36. itemque Athanasij, cap. 42. Atq; hîc iam Gelasij & Theodoreti testimonijs finem imponere visum est, ac porrò ad quorundam aliorũ tam Græcæ quàm Latinæ Ecclesiæ Doctorum proferendas authoritates procedere: & principiò quidem beatissimi Papæ Gregorij 1. & Iohannis Damasceni.

BEATISSIMI PAPAE GREGORII I. TESTIMONIA.

GRegorius eius nominis primus Romanæ sedis Pontifex, Imperatorũ Mauricij & Phocæ temporibus, ante nõgentos sexaginta annos fuit in humanis: quem Aduersarij benè idoneum & insignem ouilis Christi pastorem, prę̃stãtiq; tum sanctimonia, tum doctrina virum fuisse negare nõ poterũt: cui etiam pro hac illius excellentia, non iniuria Magni cognomẽ attributũ est, quiq; vix aliũ sui similẽ post se habuisse videt. Adde his, ꝙ nedũ regni Angliæ, verũ etiã Germaniæ nostrę Apostolus nõ immeritò habet: qñ viri illi sanctissimi, qui Germanis fidem Christianã primi tradidêre, ex Anglia & Scotia ꝓfecti sunt, putà D. Bonifacius, Kilianus &c. qui ab illis, quos D. Gregorius in Angliã legârat, Christiana religione initiati & imbuti fuêre. Quam ob rem Gregorij testimonia iure apud nos plus habere ponderis deberent, cauendumq; nobis, nè Galatarum simus similes, de quibus Apostolus querebatur, ꝙ tam citò transferri se finerent ab eo, qui ipsos vocâsset in gratiam Christi, in aliud Euangelium, per quosdã, ipsos cõturbare & Christi Euangeliũ conuertere vel peruertere volentes. Sed si quis, ait, vobis euãgelizauerit præter id quod accepistis, amathema sit. Et alibì: Veruntamen, inquit, ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem permaneamus regula. Agè igitur iam inspiciamus, cuiusmodi doctrinam maiores nostri de præstantissimo hoc Sacramento, à D. Gregorio eiusq; legatis & horum discipulis, acceperint. CAP. 64. Gregorius 1. benè idoneus ouilis Christi pastor. Quã ob rem præcipuè apud Germanos D. Gregorij testimonia iurè multùm valere debebant. Galat. 1. Philip. 3.

Homilia Paschali, ordine 22. scribit his verbis: *Quid nanq; sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super utrunq; postem ponitur, quandò non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroq; enim poste sanguis agni est positus, quandò Sacramẽtum passionis illius cùm ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem* Obserue, discere nos qd sit sanguis Christi, non solùm audiẽdo per fidem, sed præcipuè bibendo illũ.

quoquè

quoquè intenta mente cogitatur. Nam qui sic redemptoris sui sanguinē accipit, ut imitari paßiōem illius necdùm uelit, in uno poste sanguinem posuit, qui etiam in superliminaribus domorum ponendus est.

V. Sacramētū corde simul ac ore religiosè accipiendum est.

Exod. 12.

Et pòst pauca: *Et edent carnes nocte illa assas igni: In nocte quippe agnum comedimus, quia in sacramēto modò* Dominicum corpus *accipimus, quandò adhuc adinuicèm conscientias nostras non uidemus.*

Et rursus paucis interiectis: *Virtus ergò humanitatis eius uelut testa exaruit: quia ab igne paßionis ad uirtutem incorruptionis creuit. Sed sola redemptoris nostri percepta sacramenta ad ueram solennitatem mentis non sufficiunt, nisi eis quoquè & bona opera iungantur. Quid enim prodest, corpus illius & sanguinem ore percipere, & ei peruersis moribus contraire?*

Psal. 21.

Longè secus hinc nostri docent Aduersarij.

Atq; iterùm ibidèm: *Lactucæ uerò agrestes ualdè amaræ sunt. Carnes ergò agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ, ut cùm corpus redemptoris accipimus, nos ꝑ peccatis nostris in fletibus affligamus: quatenùs ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat à mentis stomacho peruersæ humorem uitæ.*

Rom. 10.

Ex his discimus, carnis & sanguinis Christi perceptionem non in solo auditu, vndè fides proficiscitur, sitam esse, sed corpus & sanguinem redemptoris nostri & agnum ipsum, non corde tantùm, sed etiā ore, idq; in nostrì redemptionem, id est, peccatorum remissionē sumi oportere: eoq; studiosam explorationem siue probationem sui cum seria & amara pœnitentia coniunctam exigi.

Corpus Domini in V. sacramēto edimus in remissionem peccatorum.

Eundem in modum, quòd videlicet in V. Sacramēto Domini carnem & sanguinem, secūdùm eius verba in remissionem peccatorum accipiamus, testatur idem Gregorius Homil. 37. exponens eum Lucæ 14. locum, Alioquì legationē mittens, ea quæ pacis sunt, postulat: *Mittamus, inquit, ad Dominum legationem nostram flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter nanq; ad absolutionem nostram, oblata cum lachrymis & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se resurgens à mortuis, iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterùm patitur. Nam quotiès ei hostiam suæ paßionis offerimus totiès nobis ad absolutionem nostram, paßionem illius reparamus.*

Christus pro nobis in V. Sacramenti mysterio iterùm mysticè patitur.

Hęc verò Dominicæ passionis reparatio vel renouatio, accipienda est

est conuenienter illis D. Cypriani verbis, quæ in eius de Baptismo Christi sermone leguntur: *Nec sacerdotij Christi,* inquit Cyprianus, *pœnituit Deum, quoniam sacrificium, quod in cruce obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua uirtute consistit, ut non minùs hodiè in conspectu patris oblatio illa sit efficax, q̃ ea die, qua de saucio latere sanguis & aqua exiuit, & semper reseruatæ in corpore plagæ, salutis humanæ exigant precium, & obedientiæ donatiuum requirāt.* Quæ postrema verba id mihi significare vidētur, Christum suæ ad mortem vsq; obedientiæ nos participes facere debere. Cyprianus de Baptismo Christi.

Deindè D. Gregorius eadem Homilia 37. etiam illud docet, oblationem corporis Christi in V. Sacramento, nedùm præsentibus, sed etiam absentibus viuis ac mortuis auxilio & solatio esse, idque certis ipsiq; probè compertis exemplis. *Non longè,* inquit, *à nostris fertur temporibus factum, quòd quidam ab hostibus captus, longè transductus est. Cumq; diù teneretur in uinculis, eum uxor sua cùm ex eadē captiuitate non reciperet, extinctum putauit. Pro quo iam uelut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre:* (id est, Missas pro eo fieri: quod qui faciebant, panem & vinum super altare offerebāt, ex quibus oblatis creaturis hostia porrò consecrabatur.) *Idem ergò uir longo pòst tempore reuersus, admirans ualdè, suæ indicauit uxori, quòd diebus certis hebdomadibus singulis, eius uincula soluebantur. Quos uidelicet dies eius uxor atq; horas discutiens, tunc eum recognouit absolutum, cùm pro eo sacrificium meminerat oblatum.* Immolatio corporis Christi in V. Sacramento, non præsentibus tātùm, sed etiam absentibus viuis ac mortuis auxiliatur.

Huius gestæ rei narrationem hac exhortatione concludit: *Hinc ergò fratres charissimi, hinc certa cōsideratione colligite, oblata à nobis hostia sacra, quantùm in nobis soluere ualeat ligaturam cordis, si oblata ab altero, potuit in altero soluere uincula corporis.*

Eadem homilia mox aliud refert exemplum de S. Cassio Narniensis vrbis Episcopo, *cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre: cui etiā Deus obitum ipsius per eius presbyterum indicauit. Illi enim presbytero ter Dominus per uisum assistens, dixit hunc in modum: Vade & dic Episcopo: Age quod agis, operare quod operaris: non cesset pes tuus, non cesset manus tua. Natali Apostolorum uenies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam.* Quid sancto Antistiti Cassio euenerit.

Illo autem die in septimum usq; annum protracto, in uigilijs Apostolorum leuis eum calor attigit, atq; ipso die natalitio filijs suis se expectãtibus, Missarum solennia implere se posse recusauit. Illi uerò simul ad eum omnes uenerunt, unanimiter se adstringentes, ut die eodẽ nequaquàm acquiescerent Missarum solennia celebrari, nisi pro eis apud Dominum idem antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus, (cùm non posset templum adire) *in episcopij oratorio Missas fecit, & manu sua corpus Dominicum pacemq; omnibus tribuit. Indè ad lectulum redijt, ibiq; iacens, inter sancta exhortationis uerba, quibus de seruando uinculo charitatis circunstantes admonebat, subitò uoce terribili clamauit, dicens: Hora est: moxq; spiritum emisit ad gaudia æterna euolantem.* Vbi deindè hæc addit Gregorius: *Ecce illæ quotidianæ hostiæ, illa cum eleemosynis & lachrymis missa legatio, quantam cum rege ueniente gratiæ pacem fecit?*

Alia de diuinis huius celsissimi sacramenti effectibus testimonia habes in eiusdem Gregorij Dialog. lib. 4. cap. 57. vbì repetit exemplum suprà memoratum hominis in captiuitatem abducti, cuius totiès vltrò soluebantur vincula, quotiès eius coniunx altaris sacrificium pro eo curabat offerri.

Agatho Episcopo Panormitano quid acciderit.

Eodem loco, quid Agatho Episcopo Panormitano, iussu Romani pontificis, ipsius Gregorij decessoris, ex Sicilia Romam nauiganti acciderit, narrat his ferè verbis: *Nauta eiusdem Episcopi post nauem in qua Episcopus erat, carabum regebat, ruptoq; fune ui niniæ tempestatis, cũ eodem carabo inter undarum cumulos repentè disparuit: ità ut Episcopus, mortuum eum crederet. Nauis autem, cui Episcopus præerat, tandem post multa pericula ad Osticam insulam fluctibus quassata peruenit: iussitq;*

Sacrificium altaris pro defunctis.

Episcopus per obsequium charitatis, omnipotenti Deo pro absolutione eius animæ offerre sacrificium uictimæ salutaris. Quo oblato, restaurata naue, perrexit ad Italiam: cumq; ad Romanum portum uenisset, illic nautam reperit, quem mortuum putabat. Tunc inopinata exultatione gauisus est, & eũ qualiter tot diebus in illo tanto maris periculo uiuere potuisset, inquisiuit. Qui indicauit ei, quos labores aliquandiù nocte dieq; pertulisset, ut carabum

bum sæpè undis plenum, à submersione seruaret: ità ut tandèm laborans in fluctibus atque deficiens, uirtus eius ex fame & siti simulq; labore funditùs caderet: subitoq;, inquit, mentis pondere grauatus, ità ut neque uigilare me crederem, neque depressus somno esse, ecce in eodem medio mari me posito, quidam apparuit, qui mihi panem ad refectionem detulit: quem mox ut comedi, uires recepi: nec longè pòst nauis transiens adfuit, quæ me ab illo undarum periculo suscepit, atque ad terram deduxit. Quod scilicet Episcopus audiens, requisiuit diem, atque illum fuisse diem reperit, quo pro eo presbyter in Ostica insula Deo omnipotenti hostiam sacræ oblationis immolauit.

Idcircò (ait ibidèm Gregorius) *credo, quia hoc tam apertè cum uiuentibus ac nescientibus agitur, ut cunctis hæc agentibus ac nescientibus ostendatur, quia si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse etiam mortuis uictima sacræ oblationis poßit. Sed sciendum est,* (ait conuenienter D. Augustino) *quia illis sacræ uictimæ mortuis prosunt, qui hic uiuendo obtinuerunt, ut eos etiam post mortem bona adiuuent, quæ hic pro ipsis ab alijs fiunt.*

Victima sacræ oblatiõis prodest etiã mortuis.

Deindè lib. 13. Moralium in Iob, cap. 11. ea exponens verba D. Iob, *Hæc passus sum absq; iniquitate manûs meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces. Terra, nè operias sanguinem meum, nec inueniat in te latendi locum clamor meus* &c. scribit de Domino hunc in modum: *Qui solus præ omnibus mundas ad Deum preces habuit: quia & in ipso dolore paßionis pro persecutoribus orauit, dicens: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Vndè factum est, ut redemptoris nostri sanguinem, quem persecutores sæuientes fuderant, postmodùm credentes biberent, eumq; esse Dei filium prædicarent. De quo uidelicet sanguine aptè subiungitur: Terra, nè operias sanguinem meum, nec inueniat in te latẽdi locum clamor meus. Peccanti homini dictum est: Terra es, & in terram ibis. Quæ scilicet terra redemptoris nostri sanguinem non abscondit: quia unusquisq; peccator redemptionis suæ precium sumens, confitetur ac laudat, & quibus ualet proximis innotescit.*

Lucæ 23.

Iudæi credẽtes sanguinẽ illũ biberũt, quem prius fuderant.

Genes. 3.

V. Sacramentum, nostræ redemptiois precium est.

Atq; eodem lib. cap. 12: *Notandum, inquit, quòd subditur: Neq; inueniat in te latendi locum clamor meus. Ipse enim sanguis redemptionis qui sumitur, clamor nostri redemptoris est. Vnde etiam Paulus dicit: Et sanguinis adspersionem meliùs loquentem quàm Abel. De sanguine Abel dictum fuerat: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sed sanguis Iesu meliùs loquitur quàm Abel: quia sanguis Abel mortē fratricidæ fratris petijt: sanguis autem Domini uitam persecutoribus impetrauit. Vt ergò in nobis sacramentum Dominicæ passionis non sit ociosum, debemus imitari quod sumimus, & prædicare cæteris quod ueneramur.*

Iob 16. Sanguis redēptionis à nobis sumitur. Heb. 12. Gene. 4.

Item lib. 22. cap. 11. in ea verba: *Si non dixerunt uiri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius ut saturemur?* ità scribit: *Quæ nimirùm sententia potest quoquè per mysterium ex uoce redemptoris intelligi. Viri quippe eius tabernaculi de carnibus illius saturari cupièrunt, uel Iudæi scilicet persequentes, uel gentiles credentes: quia & illi moliti sunt corpus illius quasi consumendo extinguere, & isti esurientem mentem suam desiderant quotidianæ immolationis sacrificio de eius carnibus satiare.*

Sacrificio carnis Christi satiamur.

Itemq; lib. 35. cap. 6. *Sola quippe est Ecclesia, per quam sacrificium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errātibus fiducialiter intercedat. Vndè etiam de agni hostia Dominus præcepit, dicens: In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foràs. In una nanq; domo agnus comeditur, quia in una catholica Ecclesia uera hostia redemptoris immolatur. De cuius carnibus diuina lex efferri foràs prohibet, quia dari sanctum canibus uetat.*

Extra Ecclesiam catholicā nō est grata oblatio. Exod. 12. Matth. 7.

Postremò lib. 4. Dialog. cap. 58. hæc eius verba leguntur: *Debemus itaq; præsens seculum, uel quia iam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lachrymarum sacrificia, quotidianas carnis & sanguinis eius hostias immolare. Hæc nanq; singulariter uictima, ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licèt resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur, tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter uiuens, pro nobis iterùm in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur,*

Victima altaris animam seruat ab æterna morte. Rom. 6.

partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergò pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis uocē cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, unum quoquè ex uisibilibus atque inuisibilibus fieri: id est, vt iā antè crebrò explicatum est, ex Sacramento visibili & Re sacramenti, corpore & sanguine Iesu Christi Domini nostri inuisibili. Hucusquè nobis D. Gregorij relata fides est, qui (vt antè diximus) harum regionum iure debet apostolus censeri, atque hanc suam fidem per suos legatos nostris maioribus iussit denūciari, qui in ea constanter perseuerârūt, donec infelices illi Carolstadius, Zuinglius & Oecolampadius suam illam ter execrandorum Sacramentariorum blasphemiam, malo eos impellente dęmone, in orbem inuexêre, à qua nos Christus Iesus semper tueatur & expediat.

Ex altari corpus Christi hauddubiò corde & ore accipitur.

Insigne illud miraculum, quod Deus omnipotens flexus precibus huius viri sanctissimi, in fidei confirmationem, certumq; documentum, panem in verum Christi corpus conuerti, palàm ostendit, recitatum à Iohanne Diacono in vita eius lib. 2. quodq; S. Ecclesia in cāticis ecclesiasticis die qui illi sacer est, solenniter prædicat, huc quin adscribam, committere non possum. Est autem eiusmodi: *Matrona quædam beato Gregorio per stationes publicas Missarum solennia celebranti, solitas oblationes* (panis & vini) *obtulerat. Cui post mysteria traditurus, cùm diceret: Corpus Domini nostri IESV Christi conseruet animam tuam, lasciua subrisit. Ille continuò dextram ab eius ore conuertens, partem illam dominici corporis super altare deposuit. Expletis uerò Missarum solennijs, matronam coram populo inquisiuit, quamobrē corpus dominicum sumptura, ridere præsumpserit, At illa diu mussitans, tādem prorupit: Quia panem, inquiens, quem proprijs manibus me fecisse cognoueram, tu corpus dominicum perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris, cum tota plebe se in orationē prostrauit: & post paululum surgens, particulam panis, quam super altare posuerat, carnem factam reperit: quam coram cunctis incredulæ matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam*

Miraculū ad adstruendam transsubstantiationem. Habetur Tomo 4. vitarū sanctorū, numero 41. in ipsa vita D. Gregorij li. 2.

V. Sacramentū in verā visibilem cruentamq; carnē

tiam tam illam reuocare potuit, quàm totum populum confirmare curauit. Rursus itaq; in orationem cum eisdem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformauit.

conuersum est. Vide simile miraculum suprà in Basilij testimonijs, fol. 140.

Habetur hinc eiusmodi Ecclesię cantio: *Verè felicem præsulem, veræ fidei doctorē, Quo petente, panis Christi formam accepit digiti, Ad firmandā plebis fidem, versus in cruentam carnem. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Hoc miraculo probatum est, sub sola panis specie carnē & sanguinem Christi haberi.

Disces hic D. Gregoriū verę fidei Doctorē, nobis verā de substantiali corporis & sanguinis Christi pręsentia fidem, etiam sub vnica panis specie, iam dicto miraculo firmâsse & testatum esse. Atq; hactenùs eius testimonia protulisse sufficiat.

D. IOHANNIS DAMASCENI TESTIMONIA.

CAP. 65.

DAmascenus Theodosij 3. Imperatoris, qui posteà monasticum est amplexus institutum, & impij illius εἰκονομάχου Leonis Isaurici temporibus vixit, anno ab orbe redēpto plùs minùs 718. atq; ob insignē eruditionem & vitę sanctitatē, Cōstātinopoli & alijs passìm locis, magnę existimatiōis fuit, & monachis præfectus est. Iohānes Hierosolymitanus, qui vitā eius Gręcè conscripsit, ab Oecolampadio redditā Latinè, multa de eo sanè admiranda cōmemorat. Inter alia scripsit libros 4. hac inscriptione, ORTHODOXAE FIDEI ACCVRATA EDITIO, qui apud catholicos omnes magnam semper laudem & gloriam obtinuêre, hodieque obtinent.

Damasceni excellentia.

Is ergò vir sanctus libro ex his quarto, cap. 14. nihil agit aliud, q̄ vt in pulchrā quandā summā contrahat, quęcūq; tum scripta diuina, tū sancti patres, qui eum præcessêre, in illorū explanationibus, de panis & vini in verā corporis & sanguinis Christi substantiam trāsmutatione nobis tradiderunt: adeoq; clarissimis testatur verbis, à consecratione non figuram deincèps, sed ipsam veritatem adesse, quę nō nisi diuinos exerat effectus in illis, qui eam dignè percipiant.

Damascenus trāsubstātiationē apertissimè docet, vt q veteres oēs in summam quandam cōtraxerit.

Rem aūt ipsam ab ipsis orditur fundamentis, ità scribens: *Bonus & superbonus Deus, propter superabūdantes diuitias bonitatis suæ primùm quidem fecit intellectuales & cælestes virtutes, deindè visibilem & sensibilē mūdum, mox ex intellectuali & sensibili natura hominem: qui rationalis, & arbitrio liber factus, potestatem accepit indesinenter per propriam electionem*

Gen. 1.

vniri

vniri Deo, & adipisci immortalitatem, si permansisset in bono, hoc est, in creantis obedientia. Postquàm verò illius transgressus est praeceptum, factor & opifex generis nostri, propter viscera misericordiae suae, similis factus nobis secundùm omnia, factus homo est sine peccato, & naturae nostrae vnitus est. At verò quia tradiderat nobis propriam imaginem & proprium Spiritum, & non custodiuimus, ipse pauperem nostrã & imbecillem assumpsit naturam, vt nos purgaret, & incorruptibiles faceret, rursusq; deitatis suae participes restitueret. Eccl.19. 1.Pet.1.

Atqui oportebat non solùm primitias nostrae naturae in participationẽ venire melioris, sed & totum volentem hominem, & secũda natiuitate nasci, & nutriri cibo nouo & natiuitati conuenĩẽti. Et quia ipse (dñs) *Spiritualis est Adam, decuit & natiuitatẽ spiritualem fore, similiter antẽ & cibum. Atqui verò quia duplices sumus & cõpositi,* (videlicet ex spiritu & corpore) *par etiam fuit natiuitatem duplicẽ fore, itidèm & cibum compositum.* His porrò subiungit: *Natiuitas igitur per aquã nobis & Spiritum donata, per sanctum dico baptisma. Cibus verò, ipse panis vitae, dominus noster Iesus Christus, qui ex caelo descendit. Nam suscepturus voluntariam pro nobis mortem, in nocte in qua seipsum obtulit, testamentum nouum disposuit sanctis discipulis & apostolis, & per ipsos omnibus alijs in seipsum credentibus. In caenaculo igitur sanctae & gloriosae Sion, antiquum pascha cum discipulis suis manducans, & implens antiquum testamentum, lauit discipulorum pedes, signum sancti baptismatis praebens. Deindè frangens panem, dedit illis, dicens: Accipite, comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur in remissionem peccatorum. Similiter accipiens calicem ex vino & aqua, tradidit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic meus est sanguis noui testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum: Hoc facite in meam commemorationẽ. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem hũc bibetis, mortem filij hominis annunciatis, & resurrectionem eius confitemini, donec veniat.* Iohan.3. Iohan.6. Rom.5. Iohan.3. Iohan.6. Cibus est, Christus ipse. Christus in caena nouum testamentum instituit. Iohan.13. Matt.26. 1.Cor.11.

Si igitur verbum Dei viuum est & efficax, & omnia quaecunq; voluit Dñs, fecit: si dixit, Fiat lux, & facta est: Fiat firmamentum, & factum est: si verbo Dei caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: si caelum & terra, aqua, ignis & aer, & omnis ornatus eorum, verbo Domini perfecta sunt: & homo ipse vbique è diuulgatum animal: si volens ipse Deus verbũ, factus est homo, & ex sanctae Virginis purissimis & illibatissimis sanguinibus in seipso Psal.148. Psal.134. Gen.1. Psal.32. Damascenus ex verbi ompotentia, côuersionẽ panis & vini in corporis & sanguinis Christi substantiã adstruit.

seipso sinè semine carnem sustentauit: non potest panem suiipsius corpus facere, & vinum & aquam sanguinem?

Gen. 1.

Dixit in principio: Producat terra herbam virentem, & vsq; nunc pluuia facta producit germina, diuino coadiuta & vigorata præcepto. Dixit Deus, Hoc est corpus meum: &, Hic meus est sanguis: &, Hoc facite in meam commemorationem: & omnipotēti eius præcepto, donec veniat, efficitur. Sic enim dixit, Donec veniat: & fit pluuia nouę huic agriculturę, per inuocationē spiritussancti obumbrans virtus. Nam quemadmodùm omnia quęcunq; fecit Deus, spiritusancto cooperante fecit: sic & nunc spiritussancti operatione hęc super naturam operatur, quę non potest capere nisi sola fides.

Matt. 26.

1. Cor. 11.

Luc. 1.

Vt Christus in virginis vtero de spiritusancto cōceptus est, ità & per Spiritumsanctū in Sacramēto fit pſens cōuersione creaturarum.

Quomodò fiet mihi istud, dicit sancta virgo, quoniam virum non cognosco? Respondit Gabriel archangelus: Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas, quomodò panis fit corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi? Respondeo tibi & ego: Spiritussanctus obumbrat, & hęc operatur super sermonem & intelligentiam: panis autē & vinum transsumuntur. Nouit enim Deus humanam infirmitatem, quòd complura vsu non trita auersatur, molestè ferens. Assueto igitur cōdescensu vsus, per consueta naturæ ea facit, quæ sunt super naturam.

Cur externæ species maneant.

Christus aquā, oleum, panē, vinū & aquā ceu creaturas hoīm vsibus familiares, suis sacramentis destinauit.

Et quemadmodùm in baptismate (quia cōsuetudo hominibus est, aqua lauari & oleo vngi) coniunxit oleo & aquæ gratiam spiritussancti, & fecit illud lauacrum regenerationis: hunc in modum, quia mos hominibus est panē mãducare, & vinum & aquam bibere, coniunxit his ipsis suam diuinitatem, & fecit hęc suum corpus & sanguinem: vt per assueta & quę sunt secundùm naturam, in iis quæ sunt super naturam, collocemur. Corpus enim secundùm veritatem coniunctum est diuinitati, quod ex sancta virgine corpus est: nō quòd ipsum corpus assumptum, ex cælo descenderit, sed quòd ipse panis & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei.

Idem corpus, quod ex virgine natū est, & in cælis residet, in sacramēto præsens se exhibet.

Si autem modum requiris, quonã pacto fiat, sat sit tibi audire, quoniam per Spiritumsanctum, quemadmodùm ex sancta Deipara, seipso & in seipso Dominus carnem sustentauit. Et nihil amplius cognoscimus, quàm quòd verbum Dei, verum est & efficax & omnipotens, modus autem inscrutabilis. Neq; & hoc etiam dictu promptum, quomodo naturaliter per comestionem panis, & vinum & aqua per potionem, in corpus & sanguinem comedentis & bibentis transmutatur, & non fit aliud corpus præter id quod priùs erat ipsius. Sic & propositionis panis, vinumq; & aqua, per inuocationem & aduentum Spiritussan-

Qui fiat, inscrutabile est: & vt panis ac vini, quibus quotidiè vtimur, substantia in corpus

tussancti supernaturaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum & idem. noistri strās fer tur, ità eadē creaturæ per spiritūsanctū & sanctificatione in corporis & sanguinis Christi substantiā trāsmutatur.

Fit igitur ijs qui fide dignè assumunt, in remissionem peccatorum, & in vitam æternam, & in custodiam animæ & corporis: ijs autem qui in infidelitate indignè participant, in punitiõem & supplicium. Quemadmodùm & Christi mors, credentibus facta est vita & incorruptibilitas in fruitionem sempiternæ beatitudinis: infidelibus autem & Domini interfectoribus, in supplicium & pœnam sempiternam. Effectus Sacramenti.

Non est figura, panis & vinum, corporis & sanguinis Christi: absit enim hoc: sed est ipsum corpus Dñi deificatum, ipso Domino dicēte: HOC EST MEVM (non figura corporis, sed) CORPVS, & non figura sanguinis, sed sanguis. Et ante hoc ipsis Iudæis: Quoniam nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam æternam. Caro mea verus est cibus, & sanguis meus verus est potus. Et rursus: *Qui mãducat me, viuet. Proindè omni cum timore & conscientia pura, & indubitabili fide accedamus, et omnimò fiet nobis, queadmodùm credimus nō dubitātes, & veneremur ipsum omni puritate animi & corporis. Accedamus eũ desiderio ardenti: manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus suscipiamus. Et apponentes oculos, & labia & frontem, diuinũ carbonẽ concipiamus, vt ignis in nobis (spiritalis) desiderij, assumens ex eo carbone ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatiõe diuini ignis igniamur & deificemur. Carbonẽ vidit Esaias. Carbo aũt simplex non est, sed vnitus igni. Sic panis cõmunionis, non panis simplex est, sed vnitus diuinitati. Et corpus vnitum diuinitati, non vna ac eadem illi natura est, sed vna corporis, & vnitę diuinitatis altera. Quarè amborum simul non vna natura est, sed duæ.* Sacramētum non est figura tantùm. Iohan. 6. Vt accedēdũ ad Eucharistiam. Esa. 6. Naturæ in Christi psonà impermixtæ sunt.

Pane & vino suscepit Melchisedech Abrahã, ex cęde alienigenarũ reuertentem, qui erat sacerdos Dei altissimi. Illa mẽsa hanc mysticã pfigurauit mẽsam: velut & sacerdos ille, Christi veri sacerdotis figurã pre se ferebat & imaginem. Tu es, inquit, *sacerdos in æternũ secũdùm ordinẽ Melchisedech. Hanc panẽ, panes figurabant propositionis. Hæc est pura scilicet hostia & incruēta, quã ab ortu vsq; ad occasum ipsi offerri per prophetã Dñs loquitur, corpus videlicet & sanguis Christi, in stabilimentũ animæ nostrę & corporis, incõsumptum & incorruptũ, non in secessum iẽns, (absit eñ) sed in nostram substantiã & conseruationẽ, omnimodi nocumẽti reparatio, sordis omis purgatio. Si quidẽ aurum offendat adulteratũ, per iudicialẽ correptoriãq; ignitionẽ purgat,* Gen. 14. Mẽsa Melchisedech, nostræ mẽsæ typum gessit. Psal. 109. Itemq; panes ppositionis. Malac. 1. Sacramēti efficacia.

1.Cor.3. 1.Cor.11. *vt non in futuro cum mundo condemnemur. Curat enim morbos & omnimoda dāna, quemadmodūm dicit Apostolus: Si nos vtiquè iudicaremus, non vtiquè iudicaremur. Cùm iudicamur aūt, à Deo corripimur, vt non cùm mundo condemnemur. Et hoc est quod dicit: Quarè qui participat corpus & sanguinem Christi indignè, iudiciū sibipsi manducat & bibit. Per illud purgati, vnimur corpori Domini & Spiritui eius, & efficimur corpus Christi.* (Ibid.)

Iste panis est primitiæ futuri panis, qui est supersubstātialis. Supersubstātiale enim, ostendit aut eum qui futurus est, id est, venturi seculi: aut eum qui ad conseruationem nostræ sumitur substantiæ. Siue igitur hoc, siue illo modo, Christi corpus accommodatè dicitur. Nā Spiritus viuificans est caro Domini, quia ex viuificante Spiritu concepta est. Quod enim natum est ex spiritu, Spiritus est. Hoc autem dico, non auferens corporis naturam, sed viuificationem & diuinitatem eius ostendere volens. Et si quidam exemplaria, ἀντίτυπα *corporis et sanguinis Domini, panem & vinum vocauerunt, vt deifer vocauit Basilius, non tamen post sanctificationem dixit, sed priusquàm sanctificaretur ipsa oblatio, ità vocabant.* (Vide suprà Cyrillum. Iohan.3. — Vt D. Basilius V. Sacramētū vocet antitypum.)

(Participatio. Communio.) *Participatio etiam dicitur: nam per ipsam, Iesu diuinitatē participamus. Dicitur & communio, & est reuerà: quia communicamus per ipsam Christo, & participamus eius carne & diuinitate, & quia communicamus & vnimur inuicèm per illam. Nam quia ex vno pane participamus omnes, vnū corpus Christi, & vnus sanguis, & inuicèm membra efficimur, concorporati Christo existentes.* (1.Cor.10.)

(Cumprimis cauenda hæreticorū cōmunio. Matt.7.) *Omni igitur virtute obseruemus, nè participemus participatione hæreticorum, neq; tribuamus, (nolite enim sancta dare canibus, inquit Dominus noster, neque seminare margaritas vestras ante porcos) vt non participes erroris & malæ fidei eorum efficiamur atq; condemnationis. Si enim omninò vnio est ad Christum, & adinuicèm omninò, & omnibus comparticipātibus nobis secundūm electionem vnimur. Nam ex electione vnio ipsa fit, nō sinè nostra sententia ac deliberatione. Omnes enim vnum corpus sumus, quoniam ex vno pane participamus, quemadmodūm diuinus inquit Apostolus. Exemplaria autem futurorum dicuntur, non vt non existentia verè corpus & sanguis Christi, sed quoniam nunc quidem per ipsa participamus Christi diuinitate, tunc autem intellectualiter per solam visionem.* Hactenùs Damascenus lib.4. Orthodoxæ fidei. (Vnio cum Christo. — 1.Cor.10. Sacramenta cur dicantur exēplaria futurorum.)

Eiusdem modi testimoniū offendes apud eundē in historia duorū

militum:Accipe,inquit,& perceptionem illibatorum Christi mysteriorum,& crede in ueritate corpus & sanguinē esse Christi Dei nostri, quem dedit fidelibus in remißionē peccatorum. Nam nocte qua tradēdus erat, sanctis suis discipulis & Apostolis,& per eos omnibus in se credituris, dixit: Accipite & mãducate:Hoc est corpus meum,quod pro uobis tradetur in remißionē peccatorum, Similiter & calicē accipiens,dedit eis,dicens:Bibite ex hoc omnes:Hic est sanguis meus noui testamenti,qui pro uobis effundetur: hoc facite in meā commemorationem. Ipse est enim Dei sermo uiuus & efficax,& omnia uirtute sua peragens:facit & cōuertit diuino uerbo suo panis & uini oblationē,in corpus & sanguinem, superueniente spiritusancto, in sanctificationem & illuminationem cum deuotione percipientium. Credere oportet,V.Sacramentú in veritate esse corpus & sanguinem Christi. 1.Cor.11. Matt.26.

Quandoquidem hæc Damasceni de vera corporis & sanguinis Christi in V.Sacramento pręsentia,itemq; de stupenda panis & vini in eadem transsubstantiatione & conuersione, deniquè de diuina & supernaturali eiusdem V. Sacramenti efficientia,atq; illius etiam veneratione testimonia vsq; eò luculēta & perspicua sunt,vt magìs esse non possint,equidem absq; fusiori eorũ explicatione ad duos patres alios iam me cōferam,putà,Bedam venerabilem & Theophylactum Bulgariæ Episcopum: quos vel eo nomine inprimìs coniungere libuit, quòd Beda D.Augustini, & Theophylactus D. Chrysostomi Abbreuiatores sint, qui eorum prolixa commētaria in pauca contulerint,& in compendium redegerint.

VENERABILIS BEDAE TESTIMONIA.

Beda sua tempestate ea existimatione, præstantia, pietate ac doctrina vir fuit,vt communi Britanniæ Episcoporum decreto homiliæ eius,eo etiamnùm superstite,publicè in Ecclesijs lectæ sint,perindè vt Ephræm illius, teste Hieronymo: Quem morem posteà Galliarum & Germanię antistites imitati, ad nos vsque transmiserunt. Obijt ille sub Imperatore Leone 2.anno salutis 732. meritoque id illi tribuitur, neminem Augustini opera lectitâsse studiosiùs, neque in pulchrius redegisse compendium, atquè ipse fecerit. Quô fit, vt eius testimonia faciant ad explicandas magìs Augustini authoritates,iam suprà prolixè allatas. CAP.66. Bedæ præstantia. Beda Augustini studiosissimus.

Inter alia verò eius testimonia, quibus panis & vini in veri corporis & sanguinis Chri substantiã conuersio asseritur, illud non postremas sibi vendicat, quod in eius legitur Homilia in eum D. Iohannis locum, Vidit Iohannes Iesum veniẽtem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Est autẽ eiusmodi: *Quomodò mundi peccata tollat (*Dominus,*) quo ordine iustificet impios, apostolus Petrus ostẽdit, qui ait: Non corruptibilibus argento uel auro redempti estis de uana uestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi. Et in Apocalypsi Iohãnes Apostolus, cuius est hoc euangelium: Qui dilexit nos, inquit, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Nõ solùm aũt lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, quandò sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, uel quandò unusquisq; nostrûm mysterio sacrosanctæ paßiõis illius, baptismo aquæ ablutus est: uerùm etiã quotidiè tollit peccata mundi, lauatq; nos à peccatis nostris in sanguine suo, cùm eiusdem beatæ paßiõis ad altare memoria replicatur, cùm panis & uini creatura, in sacramẽtum carnis & sanguinis eius ineffabili spiritus sanctificatione transfertur: sicq; corpus & sanguis eius non infideliũ manibus ad perniciẽ ipsorũ funditur & occiditur, sed fidelium ore suã sumitur in salutem. Cuius rectè figurã agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de Aegyptia seruitute liberãs per omnes annos immolatione sua populum eundem sanctificare solebat, donec ueniret ipse, cui talis hostia testimonium dabat: oblatusq; patri pro nobis in hostiam odorẽq; suauitatis, mysterium suæ paßionis ablato agno, in creaturam panis uiniq; trãsferret, sacerdos factus in æternùm secundùm ordinem Melchisedech.*

Iohan. 1 — 1. Pet. 1. — Apoc. 1. — Creatura panis & vini transfertur &c. — Christi corpus & sanguis fidelium ore sumitur. — agnus paschalis figura fuit V. Sacramẽti. — Ephe. 5. Psal. 109.

Testimonij huius explicatio.

Est hoc sanè illustre testimonium, quo ille docet creaturas panis & vini, non vt Aduersarij volunt, symbolicè duntaxat nostra fide & deuotiõe, sed ineffabili sancti spiritûs sanctificatione, substantialiter in corporis & sanguinis Dñici sacramentũ transferri, ità vt eadẽ, putà, corpus & sanguis, quæ infidelium manibus in eorum perniciem occisa fusaq; sunt, iam fidelium ore in peccatorum expiationẽ, ablutionem & remißionẽ, eorumq; salutem æternam accipiantur. Quòd autẽ ait, Chrm tanq̃ sacerdotẽ secúdùm ordinẽ Melchisedech, mysteriũ passio-

paſſionis ſuæ, ablato agno, in creaturam panis ac vini tranſtuliſſe: ità accipiendum eſt, vbi olim agnus ille paſchalis corpus & ſanguinem Domini in myſterio ſignificauit, ibì iam Chriſtum (vt ſe iuxta ordinem Melchiſedech ſacerdotem declararet) agni illius loco, panis ac vini creaturas accepiſſe, quò ſub iiſdem ſpeciebus, ceu ſignis externis, corpus & ſanguinem ſuum nobis in myſterio largiatur.

Item in illud, quod habetur 1. Reg. cap. 21. de ſummo ſacerdote Achimelech, dediſſe eum Dauidi & iis qui cum eo erant, ſanctificatum panem, ſcribit his verbis: *Quia mundos qui acciperent audiuit, ſanctificatum eis dare conſenſit: quod nullatenùs facere auderet, ſi non eos per omnia mundos agnouiſſet. Si autem tam ſolerter munditia quærebatur eius, qui ſanctificatum Moſis manibus panem typicum guſtaret, quantam neceſſè eſt mũditiæ curam gerat, qui in ſanctas ac uenerabiles Chriſti manus acceptum panem, in ſacramentum corporis eius conſecratum, in memoriam mortis eius mortalibus creditum, ad uitæ perennis eſt auxilia ſumpturus?*

Panes propoſitiõis, typus V. Sacramẽti.

Hîc, vt cernis, panes propoſitionis typum huius V. Sacramẽti geſſiſſe teſtatur, eorumq; panum ſanctificationem, quæ legis Moſaicæ virtute facta ſit, cum hac ſanctificatione, quæ ipſius Chriſti ſanctiſſimis manibus, in ſacerdotis manibus fit, qua panis in corporis eius Sacramentum conſecratur, non poſſe comparari atq; conferri: deniquè Chriſtum hoc V. Sacramentum nobis mortalibus ad vitæ perẽnis auxilia & ſuſtentationem reliquiſſe: quibus hoc ille vult aſſerere, panes propoſitionis, ceu terrenos, non potuiſſe vitam conferre ſempiternam. hunc verò panem cæleſtem nobis in vitæ æternæ fulcimẽtum & conſeruationem eſſe relictum.

Rurſus in ea Marci 14. verba: Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem &c. ità ſcribit: *Finitis Paſchæ ueteris ſolenniis, quæ in commemorationem antiquæ de Aegypto liberationis populi Dei agebantur, tranſiit ad nouum, quod in ſuæ redemptionis memoriam Eccleſiam frequentare uolebat, ut uidelicet pro carne agni ac ſanguine, ſui corporis ſanguiniſq; ſacramentum ſubſtitueret, ipſumq; ſe eſſe monſtraret, cui iurauit Dominus & non pœnitebit eũ, tu es ſacerdos in æternũ ſecundùm ordinẽ Melchiſedech.*

Pro carne agni & ſanguine, Chriſtus ſacramẽtum corporis & ſanguinis ſui ſubſtituit. Pſal. 109.

Et ea Mar.15.exponens: Ioseph mercatus est sindonem: *Possumus autem*, inquit, *iuxta intelligẽtiam spiritalem hoc sentire, quòd corpus Domini non auro, non gemnis & serico, sed linteamine puro obuoluendum sit: quanq́ & hoc significet, quòd ille in sindone munda inuoluat Iesum, qui pura eum mẽte susceperit.* Hinc *Ecclesiæ mos obtinuit, ut sacrificium altaris non in serico, neq; in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus est Domini in sindone munda sepultum, iuxta quod in gestis pontificalibus à beato Papa Sixto legimus esse statutum.*

Ratio Ecclesiasticæ consuetudinis. Idem Eusebius & Syluester statuerũt C.consulto, de cõs.dist. 1.

Corpus Christi mox à cõsecratiõe est in Eucharistia, etiamsi nemo sumat.

Obserua ex his Bedæ dictis, corpus Christi in V.Sacramento mox à consecratione, etiã extra sumptionem, substantialiter adesse, & puro linteamine asseruari, eumq; qui Eucharistiam accipiat, Dominum ipsum accipere.

In Luc.cap.22.ea explicans verba, Similiter & calicem postq̃ cœnauit &c. *Quòd si quem mouet, ait, cùm cœnatis Saluator Apostolis suum corpus ac sanguinem tradiderit, quarè nos uniuersalis Ecclesiæ consuetudine ieiuni doceamur eadem sacramenta percipere, breuiter audiat, ideò tũc cœnatos communicâsse Apostolos, quia necesse erat Pascha illud typicum anteà consummari, & sic ad ueri paschæ sacramẽta transiri.* Nunc in honorem *tanti tamq; terribilis sacramẽti placuisse magistris Ecclesiæ, primò nos Dominicæ passionis participatiõe muniri, primò spiritalibus epulis interius exteriusq; satiari, ac deindè terrenis dapibus corpus & uilibus escis refici.*

Christus pascha typicũ primò abrogauit, ac deindè verum pascha instituit.

Quibus ille rursus perspicuè testatum efficit, agnum paschalẽ non nisi typum, porrò V.Sacramẽtum verum esse pascha: eoq; præcelsum & terribile esse Sacramẽtum, per quod nos, vt ante eum Naziãzenus quoquè dixit, passionis Christi participes reddimur: deniquè non iã vilem terrenumq;, sed magni precij spiritalem esse cibum.

His similia scribit in eum 1.Cor.11.locum, Conuenientibus vobis in vnum &c. vbì ipsissima D.Augustini verba ad Ianuarium lib.1.suprà allata, repetit.

Possint quidem multò his plura ex eius scriptis proferri testimonia, verùm quandò nemo ambigit eum verã corporis Christi in Eucharistia præsentiam indubitatò & credidisse & docuisse, ab eo ad celeberrimi antistitis Theophylacti adferẽdas authoritates digrediar.

THEO-

THEOPHYLACTI EPISCOPI BVLGARIAE TESTIMONIA.

CAP. 67.

Theophylactus, vt videt, primus Mysiæ inferioris vel Bulgariæ Episcopus, sub Imperatore Constantinopolitano Michaele 3. cuius temporibus Bulgari primò ad Christi fidem traducti sunt, mira arte & elegantia, multigena illa ingentiaq; & prolixa veterum Græcorum patrum commẽtaria, inprimis autem Chrysostomi in nouum testamentũ, in compendiũ redegit: quæ nobis certissimè id aperiunt, quid ea tempestate Christi Ecclesia, præsertim in Oriente, de corporis Christi præsentia crediderit, vtq; ea de re suos ille nupèr ad fidem cõuersos Bulgaros instituerit.

Michael eius nominis 1. appellatus Racabe, filiũ habuit Theophylactũ: ambo in exiliũ acti sunt, & Michael monachus factus. Num verò filius, is ipse Theophylactus sit, postea factus Episcopus, viderit Lector. certè alicubi de seipso testatur, se principem fuisse.

In Matth. cap. 26. in ea verba, HOC EST CORPVS MEVM, ità scriptum reliquit: *Porrò dicens, Hoc est corpus meum, ostendit quòd ipsum corpus Domini, est panis qui sanctificatur in altario, & non respondens figura. Non enim dixit, Hoc est figura: sed, Hoc est corpus meum: Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis uideatur panis. Quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideò panis quidem apparet, sed caro est.* Itemq; in ea verba: *Et accepto poculo, gratijs actis, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effundit in remissionẽ peccatorũ,* ità scribit: *Sicut uetus testamẽtum immolationẽ habebat & sanguinẽ, ità & nouum testamentũ sanguinẽ habet ac immolationem,* &c.

V. Sacramentũ est ipsum corpus Domini.

Ratio, cur species remaneant.

Hæc luculenta sunt. Principiò ait, panem à consecratione nõ figuram, sed verũ Christi corpus esse: idq; explanans, Ineffabili enim, inquit, operatione transformatur. Deindè rationẽ indicat, quãobrem species externæ remaneant, scilicet nè horrori nobis sit, nudam & visibilem Domini carnem edere: atq; ità vbiq; nostris Aduersarijs anteuertit. Figuræ enim vocabulum idem illi significat, quod Aduersarijs nostris, nempe figuram, quæ realem excludat præsentiam. At cõtra illos asserit, ea ratione loquendo, non figuram esse, sed verũ Christi corpus. Addit rationẽ, quòd panis ineffabili operatione transformetur: quod quidem de humana quadam commentitia transformatione (putà, vt quippiam significet tãtùm, quod antè nõ significârit, vt Aduersarij adserunt) accipi nequaquã potest. Atq; vt oĩnò certiores

Figuræ vocabulum.

ores

ores reddamur,ſed externis ſpeciebus corpus Dominicum ſubſtantialiter haberi,id etiam oſtendit, quam ob rem Dominus externas ſpecies permanere ſinat,nè videlicet à Domini carne abhorreamus: quod non poſſet nō fieri,ſi nobis abſq; tegmine proponeretur: Vbì nimirùm Aduerſarijs noſtris,nullam ibì carnem eſſe quæ tegatur aſſerentibus,euidētiſſimè cōtradicit. Deniquè ait hîc, perindè vt Auguſtinus,quemadmodùm vetus teſtamentum ſuum habuit ſacrificium & ſanguinem,ità & nouum ſuam habere immolationem & ſanguinem. Quibus profectò de corporis & ſanguinis Chriſti veritate nihil potuiſſet dici ſignificantiùs.

Eodem modo in Marcū cap.14. ſcribit his verbis: *Cùm benedixiſſet Dominus,hoc eſt,gratias egiſſet,fregit panem:id quod etiam nos facimus,preces adiungendo:*Hoc eſt corpus meum:*Hoc,inquam, quod ſumitis.* Canon. *Non enim figura tantùm & exemplar quoddam Dominici corporis panis eſt,ſed in illud ipſum conuertitur corpus Chriſti.Dominus enim dicit:Panis quem ego dabo,caro mea eſt:non dixit, figura eſt carnis meæ: ſed, caro mea eſt.Et iterùm:Niſi ederitis carnem filij hominis.Et quomodò,* inquit, *caro non uidetur? O homo,propter infirmitatem noſtram iſtud fit. Quia enim panis quidem & uinum ex his ſunt quibus aſſueuimus, ea non abhorremus: ſanguinem uerò propoſitum & carnem uidentes,non ferremus,ſed abhorreremus.Idcircò miſericors Deus noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpeciem quidem panis & uini ſeruat,in uirtutem autem carnis & ſanguinis tranſelementat.*

Panis in Chriſti corpus cōuertitur.

Chriſti caro cur nobis inuiſibilis præbeatur.

Quod eſt adeò illuſtre teſtimonium, nulla vt explanatione opùs habeat. Ait panem non eſſe figuram,ſed in illud ipſum Chriſti corpus conuerti: id quod de vera ac reali præſentia accipi neceſſè eſt: alioquì non adiungeret ille,cur ſpecies externæ ſeruentur à Deo, vt iam dictum eſt. Porrò quod ait,panem & vinum in virtutem carnis & ſanguinis Chriſti tranſelementari, perindè eſt àc ſi dixiſſet, ea in verum Chriſti corpus & ſanguinem tranſelementari vel conuerti: quemadmodùm ſimili ratione alibì ſcriptum eſt, Chriſtum ſtare à dextris virtutis Dei: quod idem eſt,àc ſi dicas,ſtare eum vel ſedere à dextris Dei.

Acto. 7. Pſal. 109. Heb. 10.

Prætereà in Iohannem cap.6. *Attende,* inquit, *quòd panis,qui à nobis*

bis in mysterijs manducatur, non est tantùm figuratio quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini.*Non enim dixit, Panis quem ego dabo, figura est carnis: sed, caro mea est.*Transformatur *enim arcanis uerbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessiōem sancti spiritûs, in carnem* Domini. *Et nè quem conturbet, quòd credendus sit panis caro.*Etenim *& in carne ambulante* Domino,*& ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebat, iuxta humanum morem.*Igitur *& nunc panis in carnem* Domini *mutatur.*

Non ait Dominus, Figura est carnis meæ, sed, caro mea est.

Vide suprà testimonium D.Gregorij Nyss.fol.141.

Et paulò pòst, illum exponens locum, *Nisi ederitis carnem filij hominis* &c.*Iudæi, ait, cùm audiuissent de esu carnis illius, discredunt. Ideò & uerbum incredulitatis dicunt, Quomodò? Nā quandò cogitationes incredulitatis ingrediuntur in animam, ingreditur simul, Quomodò. Oportet igitur nos cùm audiuerimus, Nisi ederitis carnem filij hominis, non habebitis uitam, in sumptionibus diuinorum mysteriorum indubitatā retinere fidē, & non quærere, quo pacto. Nam animalis homo, hoc est, qui sequitur cogitationes humanas & animales, non est capax eorum, quæ sunt super naturam, & spiritualium: atq; ità & spiritualem esum carnis Dominicæ nō intelligit: cuius qui nō sunt participes, non erunt participes æternæ uitæ, eò quòd non susceperunt Iesum, qui est uita æterna. Non enim nudi hominis caro est quæ manducatur, sed Dei, & quæ deificare ualet, utpotè contemperata* Deitati,&c.

Quomodò, incredulitatis est verbū.

1.Cor.2.

Caro quam edimus non vulgaris humana caro est, sed Dei caro, quæ Deificare queat. Iohan.6.

Item:*Nudi hominis caro nihil prodesse potest: sed quia* Deus *uniuit sibi carnem secundùm ineffabilem contemperationē, uiuifica est & caro: non quòd in* Dei *naturam transierit: absit: sed ad similitudinem candentis ferri, quod & ferrum manet, & ignis ostēdit operationem. Sic igitur &* Domini *caro manens caro, uiuifica est, sicut* Dei *caro.* Igitur *quemadmodùm ego, inquit, uiuo propter patrem, hoc est, sicut natus sum ex patre, qui est uita: ità & qui manducat me, uiuit propter me, dum quodāmodò miscetur mihi, & trāselementatur in me.*

Ibidem. Eucharistiæ perceptione Christo miscemur.

Hisce testimonijs, præsertim in Iohan.cap.6. docet Theophylactus, quemadmodùm panis, Christo etiamnùm in terris degente & comedente,

dente, in eius carnem & ſanguinem mutabatur: ità & panem in altari per verba cõſecrationis & acceſſionem Spiritusſancti, in verũ Chriſti corpus transferri: quæ ſimilitudo veram ac realem ſubſtantiæ panis in carnis Chriſti ſubſtantiam tranſmutationem depoſcit, perindè vt eius generis alia in Gregorij Nyſſeni teſtimonijs didiciſti: atq; vti hæc intelligenda ſint, in Ambroſij & Chryſoſtomi teſtimonijs fuſiùs dictum eſt.

Audis deindè indubitata firmaq; hîc fide opùs eſſe, quòd hęc tum naturam, tum omnem humanum intellectum longè excedant: prætereaq; carnem hanc non vulgarem, ſed Dei eſſe carnem, quæ vim habeat viuificandi ob coniunctam ipſi diuinitatem, perindè vt ferrum candens vim habet vrẽdi ab igne. Quî verò intelligi oporteat, Chriſtum carnis & ſanguinis ſuî cõmunione ſe nobis quodã modo miſcere, noſq; in ſe tranſmũtare, ſuprà explicatum eſt, in Hilarij præſertim & Chryſoſtomi teſtimonijs. Neq; enim ſentiendum eſt, Chriſti carnem & ſanguinẽ in noſtram mutari carnẽ & ſanguinem: ſed eius carnẽ in ſua ſubſtantia permanẽtem, cùm dignè accipiĩ, corpus & animã noſtrã, perindè àcſi nobis permixta ſit, aſſerere immortalitati.

Vti Chriſtus ſe nobis cõmunicatione Sacramenti quodãmodò miſceat.

Deindè in eum Pauli locũ, *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt?* 1. Cor. 10. ſcribit his verbis: *Quod autẽ dicit (Apoſtolus.) huiuſmodi eſt: Hoc quod in calice eſt, illud eſt quod ex latere effluxit Chriſti, ſanguis nimirùm precioſus.* **Ex eo accipientes,** *communicamus, hoc eſt, unimur Chriſto.*

In his in Paulum commẽtarijs, D. Gropperus partim Porſenæ, partim Loniceri verſionem ſequitur.

Atq; ſubindè ea quoquè exponens, *Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? Hæc eò intulit, ait, quia quemadmodùm corpus illud Chriſto unitum eſt, ſic & nos illi per panem hunc copulamur.*

Eundem ſanguinem, qui ex Chriſti manauit latere, ſumimus.

Itemq; in ea Pauli verba, 1. Cor. 11. *Ego enim accepi à Domino &c.* ſcribit hunc in modum: *Dicet aliquis: Quonam pacto hanc à Domino accepiſſe nos menſæ dixeris dignitatem, qui tunc & procùl abeſſet, & perſecutionem pateretur?* (Aſſerit hoc Apoſtolus) *ut intelligas uel hodierna die ſuper myſtica menſa Dominum hunc ipſum adeſſe, qui non ſecùs àc tunc myſteria tradat.*

Chriſtus hodieq; tã præſens eſt in altari, vt in ſacroſancta cœna præſens fuit in mẽſa.

Adhęc eodẽ loco multis modis hanc adſtruit veritatẽ. Primò enim interpretans ea Apoſtoli dicta, *Dñs Ieſus in qua nocte tradebatur &c.* ſacroſanctam

crosanctam huius mysterij institutionem vocat *cælestem thesaurum*. Mox indicat Apostolum indignè tulisse fœdum illum Corinthiorũ abusum, quòd in Ecclesiasticis cœtibus à suis mensis & cõmuni pane arcerent pauperes, cùm tamen Christus discipulis omnibus, nè ipso quidem Iuda proditore remoto, suum in commune corpus dederit. Tum illud explicans, *Hoc facite in meam commemorationem*, hanc institutionem vocat *legitimam & supremam Christi voluntatem*. Christus suũ corpus Iudæ dedit.

Porrò ea quoquè edisserens verba, *Similiter & calicem postquàm cœnauit*, &c. Christum ità facit loquentem: *Fuerunt & in ueteri testamento cyathi, quibus sanguinem brutorum post uictimam oblatam libarent, quẽ phiala & pateris excipiebant. Pro sanguine itaq; brutorum, qui uetus testamentum ueluti sigillo consignabat, meum ego nunc sanguinem pono, nouũ testamentum eo ceu sigillo muniens. Nè turberis igitur sanguinem audiens. Nam si irrationalium pecorum sanguinem accepisti in ueteri testamento, quanto potiùs nunc diuinum?* Et paulò pòst, *tremendum appellat calicem*. Leuit. 1. 4. 8.

Itemq; in eum locum, *Quotiescunq; manducabitis panem hunc* &c. ità scribit: Eo, inquit, *affectu debetis esse imbuti, perindè quasi in illa ipsa Christi essetis uespera, adeoq; cœna, eidemq; accumberetis* (Apostolorum) *choro, & ab ipso Christo acciperetis sacrum isthuc*. Vt in mensa Domini affecti esse debeamus.

In ea quoquè verba, *Itaq; quicunq; manducauerit panem hunc & biberit calicem Domini indignè*, &c. sic habet: *Qua uerò ratione reus fit indignè assumens? perindè nimirùm, àc si ipse sanguinem* Domini *effundat. Vt enim qui tum pupugerunt Christum, non ut biberent effuderunt, uerùm ut effunderent: sic indignè bibens, nihilq; indè commodi referens, frustrà ac temerè profundit sanguinem*. Indignè accedens, non minùs peccat, q̃ q Dominum crucifixerunt.

Et in ea verba, *Probet autem seipsum homo* &c. *Summam, ait, bonorũ monstrat, cum pura conscientia accedere mensam* Domini.

Item illud explanans, *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*, *Non sanè*, inquit, *ob mysteriorum naturam id dixerim, quippe quæ uitam in se habent & largiũtur: sed ob mysteria adeuntium indignitatem, quibus haud secùs illa officiunt, àc solet oculorum ualetudine laborantibus sol ipse obiectus officere*. Mysteria vitã in se habent.

Eum quoquè locum, *Non dijudicans corpus Domini*, his verbis exponit: *Hoc est, non explorans, non intelligens propositæ rei amplitudinem. Si enim disceremus unquàm, quisnam esset qui proponitur isthic nobis, non indigeremus altero, sed illud ipsum nos, ut sobrij essemus, pararet.*

Deniquè ea Pauli verba, quæ ad Ephes. cap. 5. habentur, de duobus præcipuis Sacramentis, Baptismo & corpore & sanguine Christi esse accipiēda, vtì nos suprà in 24. Scripturę testimonio indicauimus, ibidèm ille conuenienter Irenæo, Hilario, Chrysostomo & Theodoreto docet his verbis: *Quoniam membra sumus corporis ipsius: hoc est, plurimùm nobis cum eo cognationis est:* Ex carne ipsius, & ex ossibus eius. *A nostra enim materia facta est, ut Heua ex Adam. Porrò quemadmodùm isthic est magna propinquitas, sic & nobiscum agitur & Christo. Sumus autem aliàs etiam de carne eius & ossibus eius. Nam ut ille ex Spiritu natus est sancto citra commixtionem maris, sic & nos lauacro: tum quòd assumptis nos mysterijs* (carnis & sanguinis) *transformamur. Atque ut summatim colligam, hoc ait: Summam cum ipso cōiunctionem habemus, & maxima nobis cum eo familiaritas intercedit. Nam uisibiliter communicauit nobiscum carne & sanguine: inuisibiliter autem author nobis spiritualis reformationis extitit, perindè ut Adam* Heuæ *creationis causa fuit.* Hactenùs Theophylactus.

Hæc verò testimonia explanatione nō indigent, quòd per se clara & aperta sint, nec vlla ratione possint ab Aduersarijs refelli. Itaque visum est ijs hîc finem imponere, atq; ad duorum aliorum non mediocris existimationis & authoritatis Patrum adferenda testimonia nos conferre, atq; ità demùm Patrum authoritatibus in præsens colophonem addere, videlicet Euthymij monachi Zigabeni, qui sub Græco Imperatore Alexio Comnēno vixit, & D. Bernardi Abbatis Claraualleñ (cui etiam Aduersarij præter peruulgatam & certissimam vitæ sanctimoniam, singularē quoquè & piam, sublimem, spiritalem, germanamq; scripturæ diuinæ intelligentiam concedūt) qui temporibus Conradi 3. Imperatoris claruit.

EVTHYMII ZIGABENI
TESTIMONIA.

Euthy-

CAP. 68.

Evthymius inter alias suas lucubrationes, hortatu Alexij Imperatoris, Panopliam dogmaticam orthodoxæ fidei, in duos distributam libros, aduersùs hęreticos, qui illius æuo, incuria & negligentia eorum, qui Alexium in imperio antecesserant, vtì ipse in eius operis præfatione queritur, cumulatìm rursus extitêre, conscripsit: quos inter hæreticos cùm id temporis non infimi essent Pauliciani & Messaliani, qui veram ac realem pręsentiam, & panis viniq́ue in corpus & sanguinem Christi mutationem negabant, in libro 2. contra illos hæreticos Titulo 21. de Transmutatione Dominici corporis & sanguinis, clarissima Gregorij Nysseni & Iohãnis Damasceni testimonia, vtì ea suis locis suprà adscripsimus, Nysseni quidem fol. 147. & Damasceni fol. 350. producit.

Pauliciani & Messaliani hæretici.

Atque tametsi propria ipsius testimonia in 4. Euangelistas & D. Paulum, veterum Patrum, præcipuè Nysseni, Chrysostomi, Cyrilli, Damasceni & Theophylacti authoritatibus adamussìm quadrant & consentiunt, quandò tamen ad vberiorem eorum explicationem faciunt, quædam ex eis huc adscribam.

In Matthæum, cap. 64. ea exponens verba, *Edentibus autem illis, sumpto Iesus pane, cùm gratias egisset, fregit, deditq́, discipulis, & dixit: Accipite, comedite: Hoc est corpus meũ* &c. inter cætera sic scribit: *Docet nos Dominus, quòd gratias agere oportet ante huiusmodi mysterium, quod perfectũ est ad præstandum naturæ nostrę beneficium. Si enim agni figuratiui immolatio ab interfectione liberationem, & à seruitute libertatem, Iudæis præstitit, quãto maiora pstabit Christianis veri agni immolatio?* Et paulò pòst ex Chrysostomo subiungit: *Sicut autem pictores in vna tabula et lineas supponunt, & picturas adumbrant, & colores superinducũt ac formãt: ità quoquè Christus in eadem mensa & figuratiuum ac vmbratile pascha subscripsit, & uerum ac perfectum apposuit.*

Vide suprà fol. 163.

In ea verba, *Hic est enim sanguis meus, qui est noui testamenti, Noui testamenti*, inquit, *siue nouæ legislatiõis. Siquidem sanguis figuratiui agni, ueteris erat testamenti: sanguis autem ueri agni, est noui.*

Sãguine Christi, in Eucharistia, nouum testamentũ confirmatur.

Et in illud, *In remissionem peccatorum*, scribit his verbis: *Vide ergò, quantò ueteribus maiora sint noua mysteria. Aptissimè autem nominauit hîc testamentum propter appropinquantem mortẽ: testantur enim, qui moriũtur.*

Institutio V. Sacramẽti, nõ absurdè Domini supre ma voluntas appellatur.

Itaq; sicut vetus testamētum hostias & sanguinem habebat, ità sanè & nouū, corpus videlicet & sanguinem Dñi. Non dixit autem, Hęc sunt signa corporis mei, & sanguinis mei: sed, Hac sunt corpus meū, & sanguis meus. Oportet ergò non ad naturam eorum quę proponuntur, adspicere, sed ad virtutē eorum. Quemadmodùm enim supernaturaliter assumptam carnem deificauit, (si ità loqui liceat) ità & hæc ineffabiliter trāsmutat in ipsum viuificum corpus suum, & in ipsum preciosum sanguinē suum, & in gratiam ipsorū. Habent autem similitudinem quandam, panis ad corpus, & vinum ad sanguinem. Nā & panis & corpus terra sunt, vinum autem & sanguis aërea & calida. Et quēadmodùm panis confortat, ità & Christi corpus hoc facit, ac magìs etiam corpus & animam sanctificat. Et sicut vinum lętificat, ità & sanguis Christi hoc facit, & insupèr presidium efficitur. Quòd si de vno corpore & sanguine omes fideles participamus, omnes vnum sumus per ipsam horum mysteriorum participationem: & in Christo omnes, & Christus in omnibus. Qui edit, inquit, *meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Verbum siquidem, per assumptionem carni vnitū est: hac rursus caro vnitur nobis per participationem.*

Non symbola, sed corpus meum, & sanguis meus.

Creaturæ cōuertuntur in Christi viuificū corpus.

Iohan. 6.

Caro Christi vnitur nobis perceptione V. Sacramēti.

Ait autem Lucas, hoc quoquè dixisse Christū, Hoc facite in meî recordationem: hoc, inquit, *nouum mysterium, & non illud vetus. Siquidem vetus illud mysterium in recordationē inductū est salutis Hebręorum primogenitorū in Aegypto, ac libertatis Hebræorū: hoc autē in recordationem Domini. Per tale enim sacrificium reminiscimur, quòd corpus suum pro nobis in mortem tradiderit, & sanguinem suum effuderit, ac ità continuitate memoriam renouamus. Vidisti quo pacto discipulos à veteri sacrificio in nouum transtuleris? Nam quæ est deincèps imaginis vtilitas, verum iam exemplar habentibus?*

Luc. 2.

Pascha vetus.

Nouum.

Vetus, figura. Sacramētum, veritas.

Deindè porrò ait, Christum tunc primùm participâsse mysterium, nè molestum esset discipulis, quòd carnem & sanguinem participare eos hortaretur: atq; post pauca Gregorij Nazianzeni explicat ea verba, quę suprà fol. 145. habentur, hæc videlicet: *At paulò pòst illo perfectiùs & puriùs fruemur, cùm filius Verbum ipsum biberit nobiscum in regno patris nouum, detegens & docens, quæ nunc mediocriter ostendit* &c. Ait enim: *Lucas de legali pascha Christum ait dixisse, Non edam ex eo, donec compleatur in regno Dei, quod videlicet erit in seculo venturo. Tunc enim pascha perficiet, & perfectiùs & puriùs immolās ineffabile verbū, diuinitatis & humanitatis*

Luc. 22.

bus sua, gladio doctrinæ dissecans illud ac diuidens his, qui sacrorum suorum doctrina digni erunt. Quod autem vel quantum gaudium est, vt nos quidem discamus, ille verò doceat, & vnà cum eisipsis eius discipulis verbum participemus? sicut ait Gregorius Theologus: Pulcherrima est de tali pascha philosophia.

Eius exēplū habemus in Augustino & Monica matre eius ante huius obitū lib. 9. Cōfess. cap. 10. Itē in Benedicto & sorore eius Scholastica, in vita Benedicti per Gregorium.

Posteà sic habet: *Prætereà quod subiūgitur (in Luca:) Hoc ipsum poculū, nouum testamentum est in meo sanguine: etsi scabrosa locutio videatur, nihil tamen differt à dicto sermone, quem Matthæus & Marcus scripserunt. Illi siquidem dixerunt: Hic est sanguis meus, qui est noui testamēti, hoc est, qui nouum tradit testamentum. Hic (Lucas) autem ait, Hoc ipsum poculum, nouum testamentum est, quod ego nunc testor, præcipiēs vobis, vt ità faciatis. Hoc autem nouum testamentum est in meo sanguine: vetus enim testamentum irrationalis animalis sanguinem habebat.*

Deindè eodem loco docet, *ne ipsum quidem Iudam proditorē frustratum esse mysterijs, sed eorum cum discipulis æquè participem effectum. Quòd verò Iohannes dicat, in Iudam ingressum esse satanam post acceptam offulam, non ità accipiēdum esse, quòd despiciendo diuina mysteria ingressus sit: id enim nequaquàm fieri potuisse: sed quòd hunc sciret indignum, qui in his versaretur, & quòd indè nullam sumpturus esset vtilitatem.*

Vt satanas post buccellā ingressus sit in Iudam.

In Lucam cap. 76. *Quod verò dicitur,* inquit, *Quod pro vobis effunditur, ad poculum referendum est: porrò poculum est sanguis eius.*

Calix, est sanguis Christi.

In Iohannem cap. 9. exponens illud, *Ego sum panis vitæ, Panem vitæ,* ait, *suam vocat diuinitatem: siquidem ipsa, panis est qui de cęlo descendit. Tādèm verò etiam corpus suum vocat panem.*

Panis vitæ.

Deindè in ea verba, *Et panis quē ego dabo, caro mea est:* ità scribit: *Duobus modis Christus dicitur esse panis, secūdùm diuinitatem videlicet & humanitatem: Postquàm autem docuit de modo qui secundùm diuinitatem est: nunc etiam docet de modo, qui est secundùm humanitatem. Non autem dixit, Quem do: sed, Quem dabo: daturus namq; erat in vltima cœna, quandò sumptū panem actis gratijs fregit, deditq; discipulis & ait: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum.*

Duobus modis Christus panis dicitur.

Explicatio verborum illorum, Panis quem ego dabo, &c.

Prętereà in locū illū, *Decertabant ergò inter se Iudæi, dicētes: Quomodò potest hic nobis dare carnem ad comedendū?* scribit his verbis: *Turbabātur, non potentes sermoni credere, quòd hoc impossibile videretur. Nam cùm*

omnia

omnia secundùm naturam inquirerent, nihil quod supra naturã erat, admittebãt. Dixit ergò eis Iesus: Amèn amèn dico vobis, nisi comederitis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Illi quidẽ hoc impoßibile iudicabant, ipse verò omninò poßibile ostẽdit: Neq; id tantùm, sed etiam necessarium: quod etiam fecit ad Nicodemum.

Christus dicẽs, caro mea verus est cibus &c. non loquitur ænigmaticè vel parabolicè.

Ea etiam edisserens, *Caro mea verus est cibus, & sanguis meus verus est potus,* ità habet: *Hoc dixit, confirmans quòd non ænigmaticè neque parabolicè loqueretur. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. In me manet, vnitur mihi per transsumptionem & communicationem meæ carnis meiq; sanguinis, & vnum corpus mecum efficitur, ac particeps vitæ quæ in me est: quòd si ille in me est, vtiquè & ego in illo.*

Christus oĩm Aduersariorum cauilla, quæ illi ex natura adferũt, soluit his verbis, Si ergò videritis &c.

Postremò in eum locum, *Sciens autem Iesus, quòd de hoc murmurarẽt discipuli, ait illis: Hoc vobis est offendiculo? Si ergò videritis filium hominis eò ascendentem, vbi priùs erat?* scribit hoc pacto: *Deficit, Quid dicetis? Loquitur autem de futura suî in cælum assumptione. Ascendentem, quò ad humanitatem: vbi priùs erat, quo ad diuinitatem. Qui enim potest hanc carnem reddere cælestem, potest vtiquè & ipsam cibum hominum efficere.* Vide suprà 13. Scripturę Testimonium, fol. 23.

Isthęc testimonia, quòd omninò perspicua & luculenta sint, explicatione nulla opùs habent, demptis ijs, quas à margine scripsimus, annotationibus. Quamobrem ad extremum testem D. Bernardum nostra festinat oratio.

D. BERNARDI TESTIMONIA.

CAP. 69. D. Bernardi excellentia.

BErnardus, de quo verissimè dicitur, eum non tam humano studio, quàm diuina adspiratione doctum euasisse, quique ob suam hanc eximiam diuinamq; doctrinã, & vitę sanctitatem, multis etiam pręclaris testatam & comprobatã miraculis, cum vetustissimis illis sanctis patribus conferri haud iniuria potest, verę corporis Christi in Eucharistia pręsentię elegantissima, mireq; luculenta & commoda, suauissimaq; dicit testimonia.

Et primò quidẽ cõcione illa, quam habuit ferijs ipsius D. Martini, eam inter alia D. Pauli sententiã exponit, quæ est ad Hebręos cap. 13. *Iesus Christus herì & hodiè, & in æternùm.* Atque posteaquàm docuit,

hester-

hesternum quidem ab initio seculi vsque ad ascensionem Dominicam, hodiernum verò diem exindè vsque ad seculi consummationem, cùm Apostolus dicat: Et si cognouimus Christum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus. Porrò æternum intelligendum esse post communem omnium resurrectionem: itemq; vbi indicauit Christum olim Patriarchis & Prophetis in visione exhibitum, Apostolis in humanitate, sanctis qui post Apostolos fuêre, in fide, deniquè angelis iam in specie, indè porrò hæc subiungit: *Etiamsi Christũ iam non nouimus secundùm carnem, videtur tamẽ etiam in hoc manè de carnibus agni nonnihil esse seruatum: sed quod residuum est, vtiquè iam datur igni: quòd videlicet vsque hodiè eadem caro nobis, sed spiritualiter vtiquè, nõ carnaliter exhibeatur. Neque enim est, quod causemur, nostro huic negatam tempori, siue eam, quæ ad patres veteris testamenti facta est, apparitionem, siue eam, quæ Apostolis exhibita est, præsentiam carnis eius. Siquidem fideliter considerantibus neutram deesse liquebit. Adest enim nobis etiam nunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium sanè quin in sacramẽto. Adsunt reuelationes, sed in spiritu & virtute, vt tempori gratię, quod nunc est, nihil in vlla gratia deesse probetur.*

Herl. Hodiè. 1. Cor. 5. Aeternum. Caro eadem in qua Christus versatus est, nobis porrigitur. Etiamnũ veram carnis Christi substãtiã in Sacramento citra dubium præsentem habemus.

His vir sanctus non modò testatur carnẽ illam, quę se olim in humanitate Apostolis exhibuerit, nobis in V. Sacramẽto porrigi: cùm dubium non sit, etiam nunc carnis eius substantiam nobis in V. Sacramento adesse: verùm etiam aduersę partis cauillũ remouet, quod illi ex dictis Pauli verbis illis, Et si cognouimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non nouimus, obijciunt. Ait enim, hæc ità oportere accipi, nos Christum iam non carnaliter & visibiliter cognoscere, sed fideliter, siue per fidem, eumq; nos habere tectè quidẽ & inuisibiliter, sed tamen verè in Sacramento. 2. Cor. 5.

Hanc autem institutionem & doctrinam suam lepidissimè prosequitur aureo illo sermone de Cœna Domini, quem Petro presbytero scripsit, cuius initium est, Panem angelorũ manducauit homo: qui quidem sermo pijs quibusdam & Deum amantibus non immeritò omni melle suauior est, quòd illo ea omnia quæ de sacerdotali dignitate, cui Sacramenti huius consecratio attributa est, atque etiam de eiusdem V. Sacramẽti diuina essentia siue re & efficacia, cognitu necessaria sunt, miro quodam gratoque compendio compręhendantur. Indè verò nos quædam proferemus.

Psalm 77. Sap. 16. Iohan. 6. Iohan 1. Psalm 48.

Panem, inquit, *angelorum manducauit homo. O stupenda Dei miseratio: Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinum induit, vt iumenta manducarent panem angelorum. Homines iumenta erant: Homo enim cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Et post pauca: *Eapropter cibus cælestis mutauit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Panis enim angelorum factus est fœnum: vnicus patris, filius hominis. Verbum quippe caro factũ est: & iuxta prophetam, omnis caro fœnum. Comedunt igitur angeli verbum de Deo natum, comedunt homines verbum fœnum factum. Pane suo viuunt angeli in cælis, & beati sunt: fœno suo viuunt homines in terris, & sancti sunt. Fœnum quippe istud de præto virginalis vteri collectum, factum est refectio iumentorum.*

Iohan. 1. Esa. 40.

Corpus ex virgine natũ nobis cessit in cibum.

Et paulò pòst ità compellat sacerdotes: *O præclara, ô reuerenda potestas vestra. Certè non est potestas post Deum, sicut potestas vestra. Forsitan scire vultis, & audire delectat apertiùs, quænam sit ista tanta potestas, cui nihil in cælo vel in terra valeat comparari? Ad quod ego: Consecrare videlicet corpus & sanguinem Domini. Super potestate vestra, super tam insigni spectaculo, super tam solenni dignitatis vestræ priuilegio, stupet cælum, miratur terra, contremiscit homo, reueretur plurimùm angelica celsitudo. Sed vndè hoc nobis piissime IESV, vt nos vermiculi reptantes super faciem terræ, nos, inquam, qui puluis & cinis sumus, te præsentem habere mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dexteram patris? Qui etiam vnius horæ momento ab ortu Solis vsque ad occasum, ab Aquilone vsque ad Austrum, præstò es omnibus, vnus in multis, idem in diuersis locis. Vndè hoc, inquã? Certè non ex debito vel ex merito nostro, sed ex volũtate tua, & dulcedinis tuæ beneplacito. Parâsti enim in dulcedine tua pauperi Deus. Pauper est genus humanum, cui bonum istud cælitùs indultum est. Hæc est verè indulgentia cælestis, hæc est verè cumulata gratia, hæc est verè superexcellens gloria, sacerdotem Deum suum tenere, & alijs dando porrigere. O nouam & diuinam potestatem, cuius ministerio panis angelorum & vitæ, mortalibus quotidiè præparatur. Panis iste per excellentiam dicitur Eucharistia, id est, bona gratia. In hoc enim sacramento, nõ solùm quælibet gratia, sed ille à quo est omnis gratia, sumitur.*

Sacerdotalis potestatis sublimitas.

Gen 28. Christũ præ manibus & oculis habemus, licèt is sedeat ad dexterã patris.

Psalm. 67.

Sacerdos Deũ suũ tenet manibus. & porrigit eum alijs.

Eucharistia.

Vide suprà Origenem fol. 117.

Nec multò pòst: *Christus in cœna illa munerans & munus, cibans & cibus, conuiuator & conuiuium, offerens & oblatio.*

Deindè V. Sacramenti huius diuinam explicat efficientiam, dicẽs inter alia: *Sanè in mensa vna, in cœna Domini, de vno pane consecrato Petrus & Iudas accepit: bonus in vitam, pessimus in pœnam.* Et post pauca: *Qui indignè accedunt, grauissimè damnandi sunt, tum pro multiplici reatu, tum ꝓ sacramẽti contẽptu, quod reuerà accipiũt, sed essentia, nõ salubri efficacia.*

Docet porrò Christũ sacerdotibus hanc sui corporis & sanguinis conficiendi & consecrandi potestatem contulisse his verbis: Hoc facite in meam commemorationem.

Indè fideles admonet, vtì erga hoc sese gerere debeant V. Sacramẽtum: *Adora*, inquit, *deuotiùs, & recole frequentiùs in sacramento altaris, salutem mũdi pro te passam, vitã pro te mortuam, fortitudinem infirmatam.*

Deindè, quibusdam interiectis, sic habet: *A fideli ministro Christi* (bono videlicet sacerdote) *vitulus saginatus, integer ac perfectus, agnus anniculus, plenus & immaculatus, cum omni suauitate, dulcissimo sapore, gratissima iucunditate percipitur, & sumptus non consumitur. Cibus enim vitæ est, qui de cælo descendit. Potésne æstimare, quale vel quantum est hoc sanctum sanctorum, & sacramentum sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Hæc sunt verè festa paschalia, hæc sunt gaudia & fercula vitalia iustorum, hæc sunt spirituales deliciæ iustorum & sanctorum. Hìc libantur in loco vberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cælestis. Hìc efficitur vna caro sponsa cum sponso, vnus spiritus sancta anima cum Christo. Experientia horum & similium, spiritus & vita est: nec animalis homo horũ sensu fruitur vel accessu. Amici sponsi, id est, boni episcopi, boni Abbates, & cæteri timorati & religiosi viri, gustauerunt & plenissimè sunt experti, quod nos dicimus. Ideoq; ad mensam altaris frequentiùs accedunt, omni tempore candida facientes vestimenta sua, id est, corpora, prout possunt meliùs, vtpotè DEVM suum manu & ore contrectaturi, & colloquentem sibi hypsis audituri.*

Posteà Dominum facit his verbis quemlibet è nobis compellantem: *Hostia quam vides, iam non est panis, sed caro mea, quæ pependit in cruce pro mundi vita. Sanè mutatio ista, benedictionis opus est, non originis: virtus hoc facit, non vsus: effectus est potentiæ, non vsus naturæ: dignatio est, non ratio. Hìc pereat physicale nutrimentum. Cibus iste non est ventris, sed mentis. Non est datus ad ruinas huius vitæ, quæ vapor est ad modicum parens, sed ad æternam vitam animæ conferendam. Iste est panis angelo-*

Cur indignè accedẽtes grauissima pœna maneat.

Mali corpus Christi substantialiter accipiunt.

Quibus verbis Christus sacerdotibus potestatẽ cõtulerit suum corpus & sanguinem consecrandi.

Adorandus Christus in V. Sacramẽto.

Luc. 15.

Exod. 12.

Soli pij suauitatẽ Sacramẽti huius re ipsa percipiunt.

Vide extremũ scripturæ testimoniũ, sub finem, fol. 56.

Eccẽs 9.

Hostia quam videmus, iam nõ panis est, sed corpus Christi.

Transsubstantiatio.

Iacob. 4.

angelorum, qui nescit putrescere: non vadit in secessum, sed tendit in excelsum: illuc reducit hominem, vndè traxit imaginem. Caro autem mea verè est cibus. Similiter liquor iste quem vides, iam non est vinum, sed sanguis meus, quem pro te fudi in precium, tibi reseruans in altari poculum, in peregrinatione tua præsidium, in exitu de Aegypto conductum, in cælo viaticum. Ego botrus carnis, pro salute tua portatus sum ad torcular crucis: indè eliquatum est mustum tuæ redemptionis. Sanguis autem meus verè est potus. Mira sunt, fratres, quæ de Sacramento isto dicuntur. Fides est necessaria, scientia rationis superuacua. Hoc fides credat, intelligentia non requirat, nè aut non inuentum putet incredibile, aut repertum non credat singulare. Et ideò credi oportet simpliciter, quod inuestigari non potest vtiliter. Nolite itaque, nolite quærere quomodò fiat, nolite dubitare vtrùm fiat: nolite irreuerenter accedere, nè vobis ad mortem fiat. Deus enim est: & quanquàm panis mysteria habeat, mutatur tamen in carnem. Deus & homo est, qui testatur panem veraciter fieri carnem suam. Vas electionis est, qui minatur iudicium non dijudicanti tam sanctam carnem. Idipsum ô Christiane de vino sentias, id honores in vino. Creator vini est, qui vinum prouehit in sanguinem Christi.

Iohan 6. Liquor quem cernimus, nō jam vinū est, sed sanguis, quē Christus fudit pro nobis.

Naturæ acumen & ingenij perspicacia hic facessas oportet.

V. Sacramētū est Deus noster.

Deus & homo testatur Matt. 26.

Vas electiōis testatur 1. Cor. 11.

Item, *Quemadmodùm enim species illic videntur, quorum res vel substantię ibì esse non creduntur: sic res veraciter & substātialiter creditur, cuius species non cernitur. Videtur enim species panis & vini: & substantia panis & vini non creditur. Creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur.*

Tria in Sacramento attendenda 1. Species externa. 2. Veritas carnis. 3. Virtus gratiæ.

Et post pauca: *Tria quippe in Sacramento altaris attendere debes: speciem panis, veritatem carnis, virtutem gratię spiritualis. Vsque ad speciem panis sensus pertingit exterior, ad veritatem carnis fides interior, ad virtutem gratię spiritualis, charitas superior. Speciem panis rodit aliquādò sorex paruissimus, veritatem carnis Christianus recipit etiam pessimus, virtutem gratię spiritualis non nisi prędestinatus recipit. Quod itaq; videmus, species est panis & vini: quod autem sub specie illa credimus, verum corpus est, & verus Christi sanguis, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Comestio itaq; sacramentalis, quantùm ad visibilem speciem, & quantùm ad corporis Christi veritatem, conuenit bonis & malis cōmuniter. Sed est alia comestio, sicut iam diximus, bonorum solummodò, quam per Dei gratiam & per fidem ex dilectione operantem, vitę meritum efficit, & affectus mentium, in cordibus percipientium vel ministrantium, intercedente spirituali & subtiliori quadam vnio-*

Solæ externæ species corrūpi possunt. Quod in Sacramento esse credimus, corpus est qd pependit in cruce, & sanguis qui fluxit è latere.

duplex sacramenti perceptio.

vnione capitis & membrorũ. Vndè est illud: Vt nobis fiat corpus & sanguis filij tui. Nobis, inquit, fiat. Fit enim proculdubiò corpus Domini in mensa altaris semper, cùm solenne illud celebratur mysterium ritu debito: sed nõ semp eis fit, per quos fit. Vndè illud item in Canone: Vt quotquot ex hac altaris participatione Sacramentum filij tui sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur.

Ex Canone. Consecratione semper fit corpus Christi in altari, sed non semp illis qui consecrant, cedit in benedictionem.

Deniquè sub finem huius Concionis sic addit: *Plures sunt sacerdotes lotis manibus, tamen illotis operibus: cruenta conscientia ad diuina accedunt sacrificia: comedunt sinè timore & sinè reuerentia carnes agni, qui p̄ fidet in cælo, sicut carnes quę venduntur in foro* &c. Itaquè ad extremum hortatur sacerdotes, vt secum ipsi perpendant, *quàm graue pondus, q̃ graue sit periculum istius honoris*, (putà, sacerdotalis dignitatis) *atque idcircò nobilitate morum, exercitatione virtutum, & instantia bonorum operum eum illustrare conentur.*

Ex Canone.

Quàm graue sit pondus sacerdotalis dignitatis.

Hæc nimirùm ex antedicta Concione prolata, nisi me mea fallit opinio, tam apertè & euidenter D. Bernardi de V. Sacramẽto fidem & sententiam explicant, vt non nisi impudentissimus quisque illis possit obstrepere. Interìm nihilo seciùs Aduersarij pro sua illa proiecta & impudente audacia, hũc quoquè sanctissimum virum, quod tamen sinè horrore nec dici quidem potest, aliouersùm in suam sententiam detorquere nituntur.

Ex Sermone 33. in Cantica, illud pro se rapere conãtur, quòd illic vir sanctus hanc peregrinationem nostram cum cælesti patria comparando, ait: *Non pari iucunditate sumi memoriam & præsentiam:* vndè porrò inferunt, nos hîc memoriam duntaxat, in cælis demùm veram præsentiam habere.

Obiectio.

Itemq; ex Sermone in Cœna Domini de baptismate & Sacramẽto altaris, & ablutione pedum, illud adferunt, quòd ibì simile proponat de anulo, qui interdùm dari solitus sit ad inuestiendũ de hęreditate aliqua, cuiusq; collatio tantundèm præstet, àc si certa hęreditatis possessio re ipsa tradatur: quódque consequenter dicat, *in hunc modum appropinquantem passioni Dominum, de gratia sua curâsse inuestire suos, vt inuisibilis gratia, signo aliquo visibili præstaretur.* Atque ex his argutãtur, quemadmodùm in anulo hęreditas vel rei possessio re ipsa non est, ità etiam in Sacramento iuxta Bernardi sententiam, vt ipsi

 volunt,

volunt, Christi corpus reuerà & substantialiter non adesse. Deniq; cùm Bernardus dicat, in Sacramento, *signo visibili gratiam inuisibilem præstari*, hoc ipso innuere eum, nos diuinam duntaxat gratiam, quæ omninò inuisibilis est, non autem Christi corpus substantialiter in Sacramento adipisci.

Dilutio. An ne verò homines isti audacter & impudenter beati viri tum verba, tum sententiam deprauãt? Vt enim his locis accipi velit, in eo potiùs illi ipsi fides adhibenda est, q̃ Aduersarijs. Atquì fatetur, probat & testatur ille, memorata de D. Martino concione, multoq; fusiùs Sermone ad Petrum Presbyterum, & quidem luculẽtissimè, nos carnem & sanguinem Christi, adeoq; Christum ipsum Deum & hominem, in V. Sacramento reuerà ac substantialiter præsentẽ habere, licèt simul totus & integer sedeat ad dexterã patris, cùm eius virtuti omnipotẽti nihil sit impossibile: eamq; fidem illa eius verba, *Hoc est corpus meũ*, & *Hic est sanguis meus*, à nobis exigere: vndè certè id absq; vlla contradictione conficitur, cauillum Aduersariorum è sancti viri dictis, contra eius certissimam atque indubitatam mentem confictum, non nisi meram esse sycophantiam. Adeoque si sermo ille 33. in Cantica, quem Aduersarij pro se allegant, penitiùs inspiciatur, in eo quoquè veræ Corporis Christi in Eucharistia substantię euidens & expressum comperietur testimonium. Vt enim iam antè dictum est, confert illic perceptionem Christi verbi æterni, eam quæ nobis in hac peregrinatione præstatur in Sacramentorum mysterio, cum ea perceptione, quæ in cælis est, qua spiritus angelici & electi, qui cum Deo sunt, æternum & absque vlla intermissione, cum ineffabili gaudio & iucunditate pascuntur & exatiantur. Et quãuis in ea collatiõe nostrã hanc p̃sentẽ in hac peregrinatione pceptionẽ, tanq̃ quæ in mysterio sub externis terrenis speciebus & tectè fiat, sic satis extenuet comparatione perceptionis & fruitionis angelicæ, quã nos quoquè in illo seculo vnà cum eis obtinebimus, quandò Dñm in illa luce clarissima facie ad faciẽ p̃spicuè contemplabimur, atque ità cognoscemus, sicuti & cogniti sumus, & in eiusmodi contemplatione, ęterna p̃fruemur beatitudine: at nihilo minùs etiã hoc ille disertis fatetur verbis, hìc quoq; sub externis speciebꝰ nobis adesse veritatem. *Habeo*, inquit, *& ego verbum, sed in carne: & mihi apponitur veritas*,

Collatio perceptionis Christi in Sacramento, cum ea quæ in cælis est.

1. Cor. 13.

Psal. 16.

Iohan. 17.

titas, sed in Sacramēto. Angelus ex adipe frumēti saginatur, & nudo saturaт grano: me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis surfure &c. tanquàm diceret: Angelus nudam verbi diuinitatem perspicuè contemplatur, nos verò etiamnùm eius diuinitatem per humanitatem & incarnationem illius cognoscimus, sicut in præfatione Ecclesia canit: *Quia per incarnati verbi mysterium noua mentis nostrę oculis lux tuæ claritatis infulsit: vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc inuisibilium amore rapiamur.* Angelo veritas absq; vllo integumento, omninò manifesta, vt est in seipsa, proposita est: nobis verò etiam apposita quidem veritas est, sed tectè in mysterio, & sub externis Sacramenti speciebus. Angelus nudo fruitur grano: nos verò Sacramenti cortice, quem etiam carnis vocat surfurem, operto. In præfatiōe natalis Dominici.

Et quia granū in cortice, & necdùm nudū ac apertū p̄ oculis habemus, ait porrò: *Prorsus mihi mors in olla, nisi ex Prophetæ farinula dulcoretur:* hoc est, Fide certa tenendum nobis est, reuerà illic adesse corpus Christi, quod Prophetę Helisęi farinulam vocat: alioquì mortem nobis adferet Sacramentum. Quòd autem subiungit: *Non pari omninò iucunditate sumitur cortex Sacramenti & adeps frumenti, fides & species, memoria & præsentia, vultus & speculum* &c. non idcircò dicit, quasi memoriam per antithesin præsentię, ceu contrarium contrario velit opponere, sed ijs hoc sibi vult, præsentiam Corporis CHRISTI, quod apud nos est in Venerabili Sacramēto, relicto nobis à Domino in sui memoriam, collatione illius manifestæ in cælis pręsentię, ceu memoriam habendam esse. Atque vt summatim dicam, allusit ille hac collatione ad ea Pauli verba primæ Corinth. decimotertio, vbì sic habet: Videmus nunc per speculum in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Itemque ad illa: Dum sum' in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Per fidē enim ambulamus, & non per speciem. Quibus nimirùm non id vult affirmare Apostolus, Dominum non adesse nobis, cùm id certū sit cum ipsius Dñi pugnare verbis, quibus ait: Eccè ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: sed non esse eum adhuc nobiscū visibiliter. Ità ergò & Bernardus vult, hic quidem habere nos Dominum reuerà in Venerabili Sacramento, non tamen visibiliter, sed

Carnis furfur. 4. Reg 4. 2. Cor. 5. Matth. 28.

eius

eius nos præsentiam fide & recordatione complecti. Denique ad eam quoque allusit eiusdem Pauli sententiam, quæ est Epistola ad Hebræos cap.10. vbi quæ futuræ vitæ sunt, res ipsas appellat: porrò quæ noui testamenti, ipsam imaginem rerum &c. Ex quibus omnibus id perspicuè licet intelligi, 33. Sermonem D. Bernardi in Cantica, non solùm nihil facere pro Aduersarijs, sed cum eis pugnare penitùs.

Vide suprà Gregorium Nazianzenũ fol. 145. & Ambrosium fol. 189.

Eundem in modum pugnat cum eis etiã alter ille Sermo in Cœna Dñi, de Baptismo. Quanuis enim illic Bernardus simile adferat de anulo, alijsq; signis, quibus dñi suis vasallis rerũ terrenarum possessionem tradũt, seu illos de aliquo feudo inuestiunt: nõ tñ eò hanc adhibet similitudinem, quod nihilo plus sit in Sacramẽtis, quã signis eiusmodi: sed eò tñ, quod in Sacramentis diuinam gratiam, quam in illis daturũ se nobis pollicitus est Deus, tam certò consequamur, quã externa illa inuestitura vasalli de hæreditate certi atque securi reddunt. Quòd enim in V. Sacramento corpus Christi cum sua diuina virtute substantialiter adsit, nobisq; porrigatur, eodem Sermone luculenter docet, *nos de frangendis carnalis concupiscentiæ efferatis motibus, securos effici inuestitura Sacramẽti Dominici corporis & sanguinis preciosi. Duo enim,* inquit, *illud Sacramentum operatur in nobis: vt videlicet & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omninò consensum. Si quis vestrûm nõ tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracũdiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini: quoniã virtus sacramenti operatur in eo, & gaudeat quòd pessimum vlcus accedat ad sanitatem.* Porrò quòd de Sacramentis generatìm dicit, in eis signo visibili gratiam inuisibilem præstari, id nimirùm veræ præsentiæ Christi in Sacramento ne tantillùm quidem derogat. Vt enim suprà allatum est ex Sermone ad Petrum presbyterum, *tria in hoc Sacramẽto attendenda sunt, Species panis, veritas carnis, & virtus gratiæ spiritualis:* tũ prætereà quod virtus & efficientia spiritualis gratiæ, quam in Sacramento adipiscimur, certum argumentum est præsentis causæ efficientis, quæ eam efficit gratiam, quæ vtiquè Christus ipse est, qui etiam non rarò ipsa gratia appellatur: immò, vt Bernardus eodem ad Petrũ Sermone testis est, *Sacramentum hoc per excellentiam dicitur Eucharistia, id est, bona gratia: quandoquidem in eo non solùm qualibet gratia, sed ille à quo est omnis gratia, sumitur.*

Virtute corporis & sanguinis Christi carnales concupiscẽtias superamus.

Effectus spiritalis gratiæ in Sacramento, certum argumentũ est verè præsentẽ adesse autorẽ omnis gratiæ.

Christus non rarò gratia dicitur.

Omnia

Omnia hæc id planum testatumq; efficiunt, D. Bernardum præ cęteris immanem Aduersariorum errorē apertissimè profligare, & catholicę Ecclesiæ fidem adstruere. Atq; nè cui possit obscurū esse, quę illius ętate de transsubstantiatione vniuersalis Ecclesię fides fuerit, nō possum equidem committere, quin alterius cuiusdam sancti viri, eius contemporanei, nempe religiosi illius Abbatis Gilberti ab Hollandia ordinis Cisterciēsis, qui pijssimos Bernardi Sermones in Cātica ab eo loco, vbi morte accedēte ille desiuit, porrò prosecutus est, huc attexam testimonium.

Is igitur Sermone 7. in ea verba Esaiæ 43. Nè memineris priorum, noua ego facio, scribit hoc pacto: *Quid est magis nouum, quàm quod in mysterio* (id est, sacramento) *Dominici corporis mutatur materies, & species seruatur? Pristina manet forma, sed noua gratia, quia noua substantia. Noua quidem non in se, sed in huiusmodi specie. Nouum planè, quòd carnis Dominicæ substantia, in aliena specie sumpta, sanctificationis uirtutem animæ confert, & spiritualem emundat substantiam in mysterio altaris immaculata caro. Nouum quidem, & supra reliquorum usum sacramentorum, quòd non modò sanctificationis noua gratia datur, sed substantia naturalis mutatur. Nam per sacramenti benedictionem accipit oblatus panis hanc ineffabilem mutationem, & ex mystica consecratione, & uerbi uiuentis copulatione hæc uiuificatrix gratia in carne Christi redundat. Caro enim non prodest quicquam, sed spiritus est qui uiuificat, sacrosanctæ carni conferens in solenni sacramento spiritualem efficaciam ad uiuificandos tanti participes mysterij.* Hactenùs Gilbertus Abbas qui D. Bernardi & spiritum & stylum mirè videtur æmulatus.

Transsubstātiatio.

Consecrationis vis & efficacia.

Caro nō prodest quicq, vt intelligendū.

Verba eius vt breuia sunt, ità partis aduersæ blasphemias penè omnes, quas in hoc V. Sacramentum euomunt, euidentissimè retundunt, luculenterque aperiunt, quæ illis temporibus catholica de V. Sacramento fides fuerit. Primò nanque ait, in hoc Sacramento diuina consecratione non modò nouam nobis gratiam fieri, sed etiam materiam pristinam & naturalem substantiam panis & vini in veram ac naturalem corporis & sanguinis Christi substantiam mutari: quod sanè nouum est & inauditum, prorsusq; stupendum: non ta- 1.

BBB men

men ità accipiendum, quòd nouum hîc fiat Christi corpus, sed quòd vnicum illud verum Christi corpus, ex sacratissima virgine maria natum, sub panis ac vini speciebus noua se ratione coràm exhibeat.

2. Secundò ait, non minùs nouum esse & admirabile, quòd post eam substantiæ mutationem, nihilo minùs illic permaneant priores externæ species, & accidentia sinè subiecto, q́ꝗ; corpus Dominicum sub eiusmodi alienis speciebus, quæ illi corpori minimè inhęrent,

3. porrigatur & accipiatur. Tertiò dicit illud quoquè nouum & admiratione dignum esse, quòd in V. Sacramento immaculata Christi caro efficax sit ad emundandam spiritalem animarum nostrarum substantiam, nosque viuificandos: quandoquidem illa caro in V. Sacramento non vulgaris sit, sed cum verbo viuente ac viuificante coniuncta atq; copulata: quodque ea causa, verba illa Christi, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, ità accipienda sint, quòd caro communis nihil profit, Christi verò caro in Eucharistia, plena sit spiritu & cum diuinitate coniuncta. Vndè porrò consequens sit, quandoquidem ea ipsa caro vi consecrationis nobis in V. Sacramento pręsens efficitur, eam quoquè adorari illic oportere.

Atq; hîc quidem inpręsentiarùm tum D. Bernardi, tum aliorum sanctorum Patrum, quos contra Ecclesiæ catholicę aduersarios producere constitueram, testimonijs finis esto.

CAP. 70. Poteram quidem eius generis plures alios adferre, atq; inter cęteros, secundùm vetustissimos illos Romanos pontifices & martyres, Clementem, Anacletum, Alexādrum, Felicem, & Martialem martyrem è LXX. discipulorũ numero: celeberrimum illum Eusebium Pamphili Cæsarieñ Episcopum, qui sub Constantino I. floruit: Optatum Mileuitanum Episcopum, qui sub Valentiniano & Valēte clarus extitit: Prosperum Aquitanicum, qui Martiani & Valentiniani vixit temporibus, & suprà identidèm prolatus est: Remigium Rhemēsem qui imperante Anastasio Gallias demùm ad fidem traduxit, anno salutis 499: Cassiodorum, qui, imperij habenas moderante Iustino, & Theodorico in Italia regnante, anno 575. floruit: Isidorum Hispalensem, qui temporibus Heracliani Imperatoris in Hispanijs sub Sisebuto rege, anno 630. celebris fuit:

Sisebutus.

fuit: prętereaque Angelomum monachum, Anselmum Episcopum Cantuarien, Vuiricum Abbatem Igniacensem, Rupertum Abbatem Tuitiensem è regione huius S. Colonię Agrippinę, qui certè testis est locuples, ad docendam fidem illam, quã hęc vrbis & Ecclesia Coloniensis à suis primis illis præclaris Episcopis, Materno, Seuerino, Euergislo, Cuniberto, Agilolpho, Heriberto, &c. Quod ad veram ac realem Christi in V. Sacramento præsentiam attinet, accepit, atque iam indè semper incorruptam atque inconcussam habuit, constanterque seruauit. Enimuerò ille hincindè in suis scriptis veram hanc realemque præsentiam luculenter asserit & testatur, vt, inter alia, de operibus Sanctę Trinitatis in Exodum, lib.2.cap.9. & 10. & libr.3.cap.17. & libr.10. in Matthæum ad cap.26. præcipuè verò in Iohannem ad cap.6. vbì Bertrami & Berengarij, qui abominabilis huius erroris primi authores fuêre, argutationes & argumenta fortiter profligat atque confutat: itemque lib.2. diuinorum officiorum, cap.5. vbì sic habet: *Diuina consecratione tam ueram diuinitatem ueramq; humanitatem Christi in cælo sedentis & regnantis excipimus, quàm ueram substantiam ignis à sole, supposita crystalli sphæra exigua, ferè quotidiè mutuare possumus:* Quæ similitudo suprà in XIII. Scripturę Testimonio fol.29. annotata est. Quanquàm uerum est, Rupertum hunc eum ferè in modum de transmutatione loqui, vtì Gelasius & Theodoretus ante illum: idq; eô, quòd illius ætate Trãssubstantiationis articulus in magnô illo Lateranensi Concilio necdùm esset declaratus. Rupertus Tuitiensis.

Præter hos adduci poterat Oecumenius gręcus scholiastes, pręcipuè in caput 10. prioris ad Corinthios, vbì ait, *poculum benedictiõis dici, quòd poculum sanguinis benedicentes præparemus.* Scis, inquit, *quid dicam: Nonne communicatio sanguinis Christi est? Nos enim Christo cõiungit sanguis ipsius, ut mẽbra capiti, per participationẽ.* Et multò etiã apertiùs in cap.11. vbì per omnia hac de re scribit haud secùs atquè Cyrillus, Theodoretus, Damascenus, Theophylactus & Euthymius, suprà producti: pręter quos etiam Photium patriarcham, qui in veterum authorum libris colligendis sedulus fuit, allegat. Oecumenius Photius.

Item in cap.5. ad Ephesios exponens ea verba, Quoniam membra

ſumus corporis ipſius &c. perindè vt Irenæus, Hilarius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus atque alij, ſcribit ea de V. Sacramento accipienda eſſe. Ait enim *Apoſtoli hanc eſſe ſententiam, nos uerè ex Chriſto eſſe. Siquidem*, inquit, *quia oſſa & corpus figuram dant homini, propter ueritatem dixit Apoſtolus nos ex ipſis eſſe*: id eſt, verè & ſecundùm germanitatem. Deniquè ait, *Apoſtoli uerba exactam unionem ſignificare.*

Multò etiam minùs omittendum fuiſſet teſtimonium illud Græci commentarij in Canonem Liturgiæ Græcæ, in quo inter cætera, poſt conſecrationis verborum explicationem, iſta leguntur: *Magna hoſtia, quæ pro mundo cæſa eſt, in ſancta menſa poſita conſpicitur. Panis enim ille iam non figura eſt corporis Dominici, nec munus illud figura tantùm eſt ueri muneris, neque ceu tabula picta ſalutaris paßionis habendum eſt: ſed eſt ibi uerum munus, integrum illud ſanctißimum* Domini *corpus, quod*
1.Tim.6. *in ſe ea omnia reuerà ſuſcepit, probra, contumelias, uibices: quod eſt mortuum & ſepultum, quòd teſtimonium reddidit ſub* Pontio Pilato, *bonam confeßionem, quod colaphis & flagellis cæſum eſt, quod conſputum eſt, quod fel guſtauit. Itemq́; ſanguis ille, qui ex mortuo fluxit corpore, immò corpus illud cum ſanguine, quod de ſpirituſancto conceptum, & ex beata uirgine natum eſt, quod ſepultum eſt, quod die tertia ſurrexit, in cælos aſſcendit, & ſedet ad dexteram patris. Quòd ſi quæras, Vndè hæc certò poſſumus credere? Reſpondetur: Ille dixit:* HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS: *præcepitq́; apoſtolis, & per eos toti Eccleſiæ idem facere. Hoc facite, inquit, in meam commemorationẽ. Certè non iuſsiſſet ut id facerent, niſi etiam id faciendi eis contuliſſet poteſtatem. Sed quæris, Quam poteſtatem? Reſpondetur: Spirituſſanctus ea uirtus eſt* &c.

Deindè ſequitur: *Porrò Dominus non tantùm miſit Spiritumſan-*
Iohan.14. *ctum ut maneat nobiſcum, ſed ipſe quoquè promiſit ſe manſurum no-*
Matt.28. *biſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Spirituſſanctus inuiſibilis eſt, cùm ſit incorporeus: at Dominus per ueneranda ſan-*

da sanctaq; mysteria attingi se sinit, tanquàm qui naturam nostram semel assumpsit, & deinceps inæternùm geret. Hæc est uirtus & facultas sacerdotij: Hic est sacerdos. Cùm enim non nisi semel seipsum obtulerit, nō tamen sacerdotio se abdicauit, sed eam functionem perpetuò pro nobis administrat: quam ob rem noster apud Deum aduocatus est inæternùm. Vndè de illo dicitur: Tu es sacerdos inæternùm. Itaq; Christiani de donorum istorum sanctificatione prorsus nihil dubitant, uti nec de alijs mysterijs, si secūdùm propositum & orationem sacerdotum perficiantur. Hactenùs ex Græco commentario. Consule supra Hesychiū fol. 158. & sequentibus.

Prætereo hic illos pietate & eruditione insignes viros, qui contra Berengarium, & hanc eius impiam hæresim, cùm ea primùm orta fuisset, pro catholica veritate tuenda, Christianæ permoti zelo, peculiares libros magno studio conscriptos edidêre, quorum hisce nostris extremis tēporibus lectio perutilis est: quales sunt, inter alios, libri Lanfranci Cantuarieñ, Wimundi Auersani Episcopi, Paschasij Corbiensis Abbatis, Algeri monachi, Petri Abbatis Cluniacensis, cōtra Hemricianorum & Petrobrusianorum hæreses, parte 2. & Egberti presbyteri aduersùs Catharos sui temporis, Sermone 11. atq; eius generis multorum aliorum.

VErùm inpræsentiarū satìs esse arbitratus sum, si supradicta decē & septē paria, i. trigintaquatuor sanctissimos, vetustissimos, excellentissimos, celeberrimos, selectissimos ac eruditissimos Patres & Ecclesię catholicę Doctores, qui iam indè ab Apostolis, ad ea vsq; extrema tempora, quibus hic error per temerarios quosdam, malorū dæmonum instinctu & impostura excitatus est, alij post alios perpetua seculorum successione, non in vno aliquo orbis angulo vel loco, sed quàm latè patuit religio Christiana, in Asia, Aphrica & Europa eximiè floruerūt, veritatis testes producerē, maximè quòd persuasum haberem, cui isti non satisfaciant patres, ei nec multa patrū millia vnquàm esse satisfactura. Qua in re hoc ego consilium secutus sum, quod Nectarius, is qui Chrysostomum proximè antecessit, suggerēte Sisinnio homine acutissimo, Imperatori Theodosio 1. quondàm præstitisse legitur apud Socratem Historiæ Ecclesiasticæ libro quinto, cap. decimo, & in Historia Tripartita libro nono, cap. deci- CAP. 71.

Contra hæreticos ex priscis patribus, quæ ante orcum schisma vel hæresim floruerint, cũ illi non possint partium studiosi videri, post scripta diuina agendũ est.
2.Tim.3.

mono no: videlicet priscos patres, qui ante diuisioné & schisma floruêre, vtpotè qui neutiquàm partium studiosi videri queant, hæreticis proponendos esse: quandoquidem hæretici ipsi illorum concordes sententias, aut pro catholicis & Christianis, ceu consona sancti spiritûs testimonia, (modò in illis vlla etiamnùm ratio & pudor insit) habere & admittere: aut ex mera quadam temeritate & amentia eas ipsas, & vnà cum illis vniuersam Christi Ecclesiam, quæ ab Apostolorum vsque temporibus perstitit, anathematizare & condemnare cogantur: quod si faciant, ipsi suam dementissimam produnt vesaniam & insipientiam.

Habes igitur, amice & Christiane Lector post allata scripta diuina, luculenta & clarissima sanctissimorum Patrum, qui toto orbe indè ab Apostolis extitêre, testimonia. Ex Asia S. Dionysij Areopagitæ, Ignatij, Iustini Philosophi, qui tres viri planè Apostolici & insignes Christi martyres fuerunt. Item S. Eusebij Emiseni, Basilij Magni, Ephrẹm Edisseni, Gregorij Nazianzeni, Gregorij Nysseni, Ioannis Chrysostomi, Epiphanij, Hesychij, Theodoreti, Damasceni, Theophylacti, Euthymij. Ex Aphrica, Tertulliani, Origenis Adamantij, S. Martyris Cypriani, Athanasij, Theophili, Cyrilli, Augustini, Gelasij. Ex Europa, sanctorum Irenæi martyris, Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Leonis Magni, Chrysologi, Eucherij, Sedulij, Gregorij Magni, Bedę & Bernardi, multorumque aliorum, pręter hos passim citatorum. Equidem ea spe ducor, fore vt his sanctis, pręclarissimisque & approbatis ecclesię doctoribus, qui doctrinam suam vita sanctissima diuinisque miraculis, plerique etiam sanguinis sui fusione confirmârunt, non minorem accómodes fidem, quàm deploratis illis & desertoribus atq; damnatis, Berengario, Vuiclepho, Zuinglio, Oecolampadio, alijsque horum sanè calamitosorum temporum sectarijs, qui à catholica ecclesia, mera illos stimulante inuidia & superbia, in suam ipsorum perniciem & damnationem, perfidi defecerunt.

CAP. 72.
Libellus Melanchthonis de authoritate Ecclesiæ.

NOn me latet Melanchthonis ille libellus de Authoritate Ecclesiæ & veterum scriptis: de quo tamen in pręsens quicquam ego vt pronunciem, superuacaneum est, quãdò iam antè alij de eo, & mea quidem sententia, non malè

malè, nec iniuria, iudicârunt, & qui post nos futuri sunt, modò nè Europa ob sectas has certatim cumulatimque grassantes, nostraque peccata & impœnitentiam prorsus Mahometica futura sit, multò etiam acriùs iudicabunt. Quo tamen in libello id mihi non displicet, quòd in illo fatetur, (quamlibèt alioqui S. Patrum authoritati infestus sit, cùm non sit ille nescius, charissimi patris sui Luteri sectam, quam ille adhuc summo studio fucare & expolire conatus est, non posse saluam consistere, quàm diù scripta patrũ aliquid habent ponderis & authoritatis) tametsi per se tanta non sit illorum authoritas, vt fides nostra solis illorum scriptis nitatur, at nihilo minùs æquum esse, vtì nè pro fide indignis habeâtur & admittantur eius fidei testibus, quam illorum temporibus Christi Ecclesia ad Apostolos vsque complexa sit. Tum illud quoquè, quòd nulla ei placet doctrina noua recèns introducta, quę nullo fulciatur veteris Ecclesiæ testimonio, vel quę cum communibus veteris Ecclesię testimonijs pugnet: vndè ille porrò abominabilem eorum damnat hęresin, qui paruulos negant baptizandos, ipsúmque adeò anabaptismum: quòd Origenes, Cyprianus, alijque vetustissimi testentur, paruulos ab Apostolorum indè temporibus in catholica Ecclesia semper esse vndis salutaribus expiatos.

In hoc libello omnes S. Patres & Cõcilia, Melãchthonis ferulæ menũ subducere compellitur, & eius ferre censuram.

Quod si Melanchthonis quoquè sententia verum est, obsecro te Lector, nè hęc trigintaquatuor sanctorum patrum (qui olim pleriq; omnes non infimas, sed vel præcipuas Christiani orbis Ecclesias multis ijsdemque diuersissimis locis, summa tamen concordia, ceu fidi pastores hac ipsa doctrina pauerunt, pieque & sanctè administrârunt, dubioque procul non scripsère aliter atquè docuerint) consonantissima Testimonia, non leuia esse putes neque vulgaria aduersùs perfidiosos Ecclesiæ hostes, nostros Aduersarios.

SEQVVNTVR VNIVERSALIVM CONCILIORVM TESTIMONIA.

Atve-

CAP. 73.



T verò quò minùs dubites, quæ hi sancti Patres, suis quisque temporibus suoque loco docuêre, ea catholicam Ecclesiam perpetuò sensisse & certò credidisse, ex abundanti complurium vniuersaliū Conciliorum, quibus excellentissimi Ecclesiarum præfecti & antistites ex toto orbe Christiano veritatis declarandæ & propugnandæ causa, semper interfuêre, decreta & sententias qua possum breuitate depromam.

DECRETVM ET SENTENTIA VEL DEFINITIO SACROSANCTAE NICENAE SYNODI.

CAP. 74.

Vis diuina latet in vndis baptismi. Vide suprà Theophylactum, fol. 151.



Rincipiò quidem in celeberrimo illo Niceno Concilio, quod apud Christianos omnes pro Apostolico semper habitum est, cuiusq; summa semper authoritas fuit, S. Patres posteaquàm diuinam vim in aquis baptismi latentèm indicârant, de sacrosancta Eucharistia suam porrò protulêre sententiam, idq; hisce disertis & luculentis verbis:

Extat Græcè. Nam non tātum 20 quos memorat Ruffinus, sed 70. fuisse Niceni Concilij Canones, testātur veteres. V. de suprà Chrysostomum.

Iterùm etiam hìc in diuina mensa nè humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum: sed attollentes mentem, fide intelligamus sitū in sacra illa mensa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum, & preciosum ipsius corpus & sanguinem nos uerè sumentes, credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Propter hoc enim neque multùm accipimus, sed parùm, ut sciamus quod non satietati (corporis,) *sed sanctimoniæ sumimus.*

CCC. XVIII. S. Episcopi Concilio Niceno interfuere.

En hanc nobis salutarem doctrinam 318. sancti tradidêre Episcopi, ex toto terrarum orbe sub Christianissimo Imperatore Constantino aduersùs hæresiarcham Arium Niceæ in Spiritusancto congregati: quorum magna pars Christi confessores fuêre, cuius etiam stigmata in suis corporibus portauerunt. Nihil verò ab illis patribus ad realem Christi in sacrosancta Eucharistia docendam præsentiam, euiden-

euidentiùs dici potuisset. Primò nanque id indicant, nos hìc externis sensibus nostris fidere non debere, atque eam ob rem non humiliter & abiectè, secundùm id quod extrinsecùs sentitur, species externas respicere, sed illud potiùs, quod facta consecratione hìc coràm adest, fide comprahendere nos debere, nempe, in mensa altaris præsentem haberi & situm esse agnum Dei, peccata mundi tollentem, quem sacerdotes Deo incruentè offerant. Deindè sumere nos hìc verè preciosum corpus & sanguinē Domini nostri Iesu Christi. Itidemque accipere nos symbola resurrectionis nostræ: hoc est, quemadmodùm Irenæus & reliqui patres omnes asserunt, corpus & sanguinem Domini, quæ in V. Sacramento habemus, certiores nos efficere de beata resurrectione, corpusque & animam nostram seruare in vitam æternam. Postremò, nè in animum inducamus, communem nos panem aut vulgare vinum hìc accipere, indè adeò fieri ait Concilium, vt communicantes parùm sumamus: quandoquidem certò persuasum nobis esse debet, in qualibet V. Sacramenti particula Dominum totum ac integrum coràm adesse.

1. 2. 3. 4.

Isthanc Nicenam synodum cum tribus alijs eam proximè subsequentibus, putà, Constantinopolitana, Ephesina & Chalcedonensi, non minori D. Gregorius veneratione prosecutus est atque suscepit, quàm quatuor Euangelia: *quòd in ijs*, vt ipse ait, *uelut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgat: ità ut quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iaceat.* Quandò igitur huic Nicenæ ceu primæ ab Apostolorum temporibus Synodo, tres aliæ iam memoratæ, & quotquot deindè secutæ sunt, porrò superstruxere, quæ in hac ipsa Synodo de celsissimo Eucharistiæ Sacramento pronunciata sunt, perindè haberi debent, àc si in cæteris omnibus, quæ posteà coactæ sunt, deintegrò expresè repetita ac instaurata sint.

Epistola 24. lib. 1. & 49. lib. 2.

CONCILII EPHESINI DECRETVM ET SENTENTIA.

CAP. 75.



Orrò cùm in antè dicto generali Ephesino Concilio (cui Cælestini Romani pótificis nomine Cyrill' summa cum laude & honore præsedit, vt suprà dictum est) ea quam diximus, Nicenæ Synodi definitio latiùs explicata & clarissimè exposita sit, putà, quòd in V. Sacramento veram & viuentem atque viuificam Christi carnem, quæ Verbi æterni propria caro effecta, eique vnita est, accipiamus, eius quoquè Concilij sententiam huc adscribere visum est. Ea verò his constat verbis:

Necessariò igitur & hoc adijcimus. Annunciantes enim, sicut secundùm carnem, mortem unigeniti filij Dei, id est, Iesu Christi, & resurrectionem eius, & in cælis ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij seruitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & preciosi sanguinis Christi, omnium nostrûm redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes, (quod absit) nec ut uiri sanctificati, & uerbo coniuncti secundùm dignitatis unitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem, sed uerè uiuificatricem, & ipsius uerbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriæ carni unitus est, uiuificatricem eam esse professus est. Et ideò, quamuis dicat ad nos, Amē amèn dico uobis, nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non tamen eam, ut hominis unius ex nobis, existimare debemus, (quomodò enim iuxta naturam suam uiuificatrix esse caro poterit hominis?) sed ut uerè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis est factus & uocatus.

In Christo Deus inhabitat, non per gratiam adoptionis, sed per gratiam vnionis.

Iohan. 6.

In V. Sacraméto accipimus Verbi carnem viuificatricem, ppriã ipsius factam.

Itemq; in 11. Anathematismo ista habentur: *Si quis non confitetur, carnem Domini uiuificatricem esse, & propriam ipsius uerbi Dei patris, sed uelut alterius præter ipsum, coniuncti eidem per dignitatem, aut quasi diuinam habentis habitationem, ac non potiùs uiuificatricem esse, quia facta est propria Verbi, cuncta uiuificare ualentis, anathema sit.*

Vt verò isthæc eius Concilij sententia & Anathematismus probè ca

bè capiantur, Lectorem remittimus ad Cyrilli testimonia suprà suo loco prolata: in quibus ipse Cyrillus ea exponit, & diuinæ scripturæ authoritatibus cõtra Nestoriũ & aduersarios omnes fortissimè tuetur & asserit. Vt enim illic videre licet, hæresiarcha Nestorius Christum in duas personas, Verbi & hominis, distrahebat, & in summi Dei cõtumeliam ore blasphemo blaterabat, Verbum in persona hominis perindè habitâsse, vt in alijs sanctis hominibus DEVS secundùm dignationem ex gratia inhabitat, nequaquàm verò vtranq; illam naturam in vna persona coniunctam esse atque vnitam. Qui error sanè quàm horrendus nostro hoc calamitoso seculo per phanaticos quosdam ab inferis excitatur. Confutat autem eum errorẽ Ephesina Synodus, & subruit funditùs, inter alia quidem hac ratione: primò, quòd CHRISTI Ecclesia incruentum celebrando sacrificium, non solùm mortem Domini secundùm carnem annunciet, verùm etiam eius resurrectionem & in cælos ascensionem pariter confiteatur: vt quemadmodùm CHRISTVM in morte verum esse hominem cognoscimus, ità in eius resurrectione & in cęlos ascensione cum pariter in vnitate personæ verum esse Deum confiteamur. Obserua, vtì hîc Concilium declaret, nos in altari CHRISTVM ipsum incruenta ratione offerre, vt qui illic DEVS simul & homo præsens adsit, qui suis Apostolis & nobis quoquè hoc instituendo V. Sacramento innuerit, se à mortuis resurrecturum: quandoquidem necessarium erat vt corpus eius viueret, si quidem illud nobis in V. Sacramento largiri vellet: quô fit, vt huius V. Sacramenti celebratione, vnà mortem & resurrectionem Domini afferamus. Vndè porrò consequitur, corpus Christi hîc substãtialiter pręsens esse oportere: alioquì enim hac Eucharistiæ celebratione eius resurrectio minimè adstrueretur, cùm sinè illa mera quędam eius corporis figura nobis possit apponi.

sup. cap. 56. — *Nestorij hæresiarchæ error.* — *Nestorius damnatur à Concilio.*

Deindè in illius quoq; Nestoriani erroris euersionem, quo, vt ex Cyrillo suprà annotatum est, blasphemus ille sceleratissimè affirmabat, nos in V. Sacramento non filij Dei, sed hominis duntaxat carnẽ accipere, Cõciliũ definit atq; declarat, nos Christianos cũ antè dicta cõfessione etiam ad mysticas benedictiones, i. cõmunionẽ accedere, & com-

Aliæ Nestorij blasphemiæ in V. Sacramentum.

& communióe sanctificari: quòd per eam participes efficiamur sancti corporis & preciosi sanguinis omium nostrûm redemptoris: hoc est, propterea per Eucharistiam nos sanctificari, quòd Christus Deus & homo in ea perfectè & integrè præsens, sanctissimo corpore & spiritu suo, totum in nobis hominem, id est, corpus simul & animam sibi coniungat, atq; ità etiam hic certum nobis resurrectionis carnis nostræ pignus largiatur. quamobrem haud dubiò perfectæ sacramétum vnitatis, vt Hilarius ait.

De Trinitate lib. 8. Vide suprà fol. 134.

Atq; vtì nè hæc iam dicta ad eam, quæ fide tantùm fit, perceptionem referre quis possit, porrò ait Concilium, non communem hîc carnem nos percipere, sed verè viuificatricem, & ipsius verbi propriã factam, dicente Iohanne: Et verbum caro factũ est: cùm alioquì caro sola sinè diuinitate viuificatrix esse non possit: & tamen Dominus dicat se nobis dare carnem & sanguinem suum, per quæ in nobis vitam habituri simus. Vides igitur Synodum hîc de ea agere V. Sacramenti perceptione, quæ ore pariter & corde fiat. Cùm enim sempiternum illud & increatum verbum pro sua natura esibile non sit, vt Cyrilli verbis vtar, sacrosanctum illud corpus, vt Concilium ait, hîc nobis porrigitur, quod verbum sibi coniunxit & vniuit, quodq; edi potest. Cùm auté editur, sanctificat & viuificat nos, & conseruat in vitam æternam.

Iohan. 1.

Iohan. 6.

Quæso te Lector, sacrosancti huius Concilij definitio & sententia plurimùm apud te ponderis habeat, qua nimirùm vnà cum Nestorio etiam nostri Aduersarij certissimè anathematizantur. Sed caue obsecro, nè Oecolampadij impostura fallaris, qui locum hunc eius Concilij, suæ vt causæ inseruiret, perperàm ac deprauatè suo more transtulit, & vulgaris potiùs versionis publicam fidem, vel autographum Græcum amplectere. Ità enim hauddubiò verum nos dixisse comprobabis.

Quicunq; in hæresim semèl damnatã labitur, eius damnatione seipsum inuoluit. C. Acacius. C. Maioris. 24. 4. 1.

Oecolampadij infida versio.

Quòd autem hæc cæteraq; omnia, quæ in Concilio Ephesino salutariter definita sunt, deindè in Chalcedonensi, itemq; quinta Cóstantinopolitana Synodo repetita ac iterata sint cum Aduersariorũ nostrorum condemnatione, satìs id liquet ex Actione 1. iam dicti Concilij Chalcedoneñ, & Canone 13. Constantinopolitanæ Synodi, vt est etiam suprà annotatum.

ALI-

ALIQVOT ALIORVM GENERALIVM CONCILIORVM ADVERSVS BERENGARIVM DECRETA ET SENTENTIAE.

CVm Berengarius anno ab orbe redempto 1051. sub rege Henrico eius nominis primo, impiam hanc & abominabilé hæresim in Gallijs primùm serere moliretur, Leo 9. Romanus pontifex, vir sanctus, concilium generale Vercellis coëgit: in quo error iste omnium concordi sententia damnatus est,& Berengarius atq; eius asseclæ, nisi resipiscerent, perpetuo sunt plexi anathemate. Ea de re sic habet Platina: *Ad Leonem redeo, virum certè pietate, innocentia, benignitate, gratia, hospitalitate adeò insignem, vt eius domus peregrinis & pauperibus semper patuerit. Nam cùm semèl ante fores suas leprosum pauperem inuenisset, eumq́; præ misericordia collocari in lecto suo mandâsset, apertis manè à ianitore foribus, nusquàm pauper inuentus est. Christum pauperis nomine eo loci recubuisse, creditum. In rebus prætereà ad religionem pertinentibus tanta diligentia & solertia vsus est, vt in Concilio Vercellensi Berengarium hæreseos authorem damnauerit.* CAP. 76. Berengarius hæresiarcha. Leo IX vir sanctus. Concilii Vercellense. Platina in Leone 9.

Deindè cùm Berengarius post obitum Leonis 9. in sua sententia obstinato animo persisteret, eius causa sub Victore 2. Turonense Concilium celebratum est, vbì iam dictæ hęreseos conuictus est. Victor. 2. Concilii Turonense.

Sed cùm ille virus suum spargere necdùm desisteret, Nicolaus 2. aduersùs eum cum 113. Episcopis Romæ Concilium habuit, in quo rursus ille conuictus, hæresim suam abiurauit, iuxta eam abiurationis formulam, quæ ei ex Concilij sententia præscripta fuit, quæ est huiusmodi: Nicolaus 2. Concilii Romanum.

BERENGARII RECANTATIO ET ABIVRATIO PRIMA IN CONCILIO ROMANO.

CAP. 77.



Go Berẽgarius indignus ecclesiæ S. Mauricij Andegauen. ecclesiæ Diaconus, cognoscens ueram, catholicam & apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam de qua hactenùs infamatus sum: quæ adstruere conatur, panem & uinum, quæ in altari ponuntur, post cõsecrationem solummodò sacramentum, & non uerũ corpus & sanguinẽ Domini nostri Iesu Christi esse, & non posse sensualiter, nisi in solo sacramẽto, manibus sacerdotum tractari, uel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio aũt sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, & ore & corde profiteor, de sacramentis Dominicæ mensæ eandem fidem me tenere, quã dominus & uenerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus authoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihiq; firmauit: scilicet panem & uinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm sacramentum, sed etiam uerũ corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solùm sacramentum, sed in ueritate manibus sacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus atteri: iurans per sanctam & ὁμούσιον Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi euangelia: eos qui contra hanc fidem uenerint, cum dogmatibus & consectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuncio. Quòd si ego ipse aliquandò contra hoc aliquid sentire aut prædicare præsumpsero, canonum seueritati subiaceam. Lecto & perlecto spontè subscripsi.

Sacramẽti uocabulũ ità hic accipiendum est, quatenùs distinguitur à Re sacramẽti. Vide suprà fol. 68.

Hanc Berengarij confessionem, quam ille ratione fidei suæ de corpore & sanguine Domini, in Concilio coram 113. Episcopis fecit, misit Papa Nicolaus per vrbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad quæcunq; loca fama prauitatis peruenire antè potuit, vt Ecclesiæ, quæ priùs doluerant de aduerso & peruerso, posteà gauderent de reuerso atq; conuerso.

De Consecr. Dist. 2. cap. Ego Berẽgarius.

Vt autem hæc abiurationis forma, Berengario à Concilio præscripta, perperàm non accipiatur, nôsse fuerit operæpretium, Berengarium illum, perindè vt hodiè Aduersarios nostros, libenter permisisse, corpus Christi in Eucharistia ceu sacramentum, id est, symbolica duntaxat & significatiua ratione haberi, sicut petra in deserto Christus erat, atque ità spiritaliter sumi, quemadmodùm patres Chri-

Explicatio abiurationis Berengarij.

1. Cor. 10.

Christum in manna spiritaliter acceperunt. Verùm nè abiurationem suam ad eiusmodi peruersam sententiam quādoquè detorquere posset, Concilium in forma memorata id genus vocibus & dictionibus vti voluit, quę realem corporis Christi præsentiam expressè testarentur: quas ex Chrysostomi Homilia 45. in Iohannem petitas esse dubium non est. Eo enim loco, vt suprà quoquè commemorauimus fol. 171. sic habet Chrysostomus: *Quod Christus fecit, ut maiori nos charitate adstringeret, & ut suum in nos ostenderet desiderium, non se tantùm uideri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.* Quæ nimirùm eum in modum accipienda sunt, vt dictum est suprà fol. 173. quòd Christus in V. Sacramento non modò figuratè vel tropicè suum nobis corpus proponat, sed quòd illud ipsum etiam sensualiter illic cernamus & contemplemur, non quidem in propria, sed sub panis specie, qua illud substantialiter continetur: adeoque non tantùm contemplemur, verùm etiam realiter attingamus, & dentibus nostris atteramus: hoc est, quòd sub externis speciebus, quæ tanguntur, franguntur, & ore percipiuntur, verum Christi corpus, sed tamen in seipso indistractum & inconsumptibile, accipiamus. Qua quidem ratione etiam huius Berengarianę abiurationis verba accipienda sunt.

Vide suprà Dionysiū Areopagitā, q de pontifice sacrificante loquēs, Fermè, inquit, sensibiliter in cōspectum dans Christum Iesum nostram spiritalem (vt in imaginibus) vitā &c.

Posteà verò idem Berengarius, ceu homo leuissimus, planeq; inconstans, eius abiurationis immemor, rursus aliam cōmentus est opinionem, quam hodieq; Luterani sequuntur, 'putà, in V. Sacramento vnà cum Christi corpore & sanguine, etiam panis & vini substantiam permanere. Eā ob rem Gregorius VII. aliud Romæ Concilium indixit, quò Berengarius accersitus iterùm aduenit, atque à Patribus erroris iterùm conuictus, & de veritate certior factus, noua abiuratione, à Concilio illi præfixa, suum damnauit errorem. Ea verò talis est ad verbum:

Gregorius 7. Conciliū Romanum.

ALTERA BERENGARII ABIVRATIO IN SECVNDO CONCILIO ROMANO.

Ego

CAP. 78.

Trãssubstanciatio.



Go Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & uinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, & uerba nostri redemptoris substantialiter cõuerti in ueram & propriam ac uiuificatricem carnem & sanguinem Iesu Christi Domini nostri, & post consecrationem esse uerũ Christi corpus, quod natum est de uirgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram patris: & uerum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est, non tantum per signum & uirtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ & ueritate substantiæ: sicut in hoc breui continetur, & ego legi, & uos intelligitis, nec contra hanc fidem ulteriùs docebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sacra Euangelia.

Postremò huius Concilij & abiurationis, quæ antiquissimorum Patrum doctrinæ per omnia concordat, vt potest ex superioribus animaduerti, Blondus mentionem facit Decadis 2. libr. 3. Meminit & Sabellicus lib. 3. nonæ Enneadis, ità scribens: D. Gregorius VII. Romæ frequens Concilium habuit, in quo Berengarius suum errorem fassus, veniam impetrauit. Confessionis forma hæc fuit: *Ego Berengarius corde & animo credo, quod ore confiteor* &c.

In hac abiuratione Berengarius ad extremùm perseuerauit, egitq́; pœnitentiam. Verùm cùm non esset nescius se suo errore multos seduxisse, in lecto suo, quo æger decumbebat, ipso die Epiphaniæ, id est, apparitionis Domini, sentiens mortem imminere, his verbis vsus est, (alludens ad præsentem solennitatem:) *Hodiè mihi apparebit Dominus meus Iesus Christus, uel ad gloriam, sicut spero, propter pœnitentiam meam: uel ad damnationem, sicut formido, propter aliorum corruptionem, quos ad uiam ueritatis reducere non potui.* Testatur id Iohannes Gersonus Sermone 1. de Cœna Domini. Deus nostris quoquè Aduersarijs eiusmodi adspiret & præstet pœnitentiam & agnitionem.

MAGNI LATERANENSIS OECVMENICI CONCILII DECRETVM ET SENTENTIA.

Posteà

CAP. 79.

POsteà sub Innocentio 3. Romæ habitū est grande illud Lateranense Concilium, cui LXX. Archiepiscopi & CCCC. Episcopi interfuêre, qui sequētem confessionem concorditer promulgârunt: Ea sic habet:

Vna est fidelium uniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omninò saluatur. In qua idem ipse sacerdos & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris, sub speciebus panis & uini ueraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & uino in sanguinem potestate diuina, ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. De summa Trinitate & fide catholica, C. Firmiter. §. Vna.

Hæc definitio paucis & efficacibus est verbis comprehensa ex vetustissimis probatissimisq; Patribus, vt in superioribus eorum testimonijs licet animaduerti, descriptis & extractis: vt, quòd Christus hîc sit sacerdos & sacrificium: itemq;, quòd Christi corpus & sanguis in hoc V. Sacramento verè contineantur: præterea, quòd hîc accipiamus de suo, quod ipse accepit de nostro: cuiusmodi præsertim in Dionysio Areopagita, Eusebio Emiseno, Hilario, Chrysostomo & Cyrillo leguntur. Concilij explicatio.

Porrò quod de Transsubstantiatione decretum hîc est, id itidèm cum patrum vetustissimorum & celeberrimorum verbis ac sententia planè consentit, inprimìs verò Cypriani & Chrysostomi, & reliquorum omnium, modò eorū dicta congruenter & aptè accipiantur, vtì à nobis ea semper ratione accipienda sunt, vt inter se consentiant, atque ità non dissona & discrepantia, sed consona & conuenientia reperiantur, quandò etiam spiritus ille, quo præditi fuêre, non dissensionis est, sed pacis. 1. Cor. 14.

Hoc autem Transsubstantiationis vocabulo Patres consultò admodùm & de industria vsi sunt, vt quo nullum possent aptius & conuenientius habere ad profligandos ea tēpestate nascentes errores, & exprimendam declarandamq; veritatem: quô testatū efficerent atq; docerent, in V. Sacramento vnam duntaxat corporis Christi substātiam adesse, in quā, vt veteres aiunt, panis substantia mutatur, trāselementatur, transfertur, vt eorum Christi verborum, quibus ait, HOC EST CORPVS MEVM, &c. salua sit veritas.

CONCILIORVM, CONSTANTIENSIS ADVERSVS VVICLEPHVM, ITEMQVE BASILEENSIS ET FLORENTINI, DECRETA ET SENTENTIAE.

CAP. 80.



ALiquot seculis posteà, quàm Berengarius vita functus est, eius iam olim sepultam & ad inferos relegatam heresin, execrabilis & dãnatæ memoriæ Iohannes Vuiclephus in Anglia denuò excitauit: quã ob rẽ cùm iam excessisset è viuis, cum suo dogmate & sectatoribus in magna Cõstantiensi Synodo, vna omnium sententia condemnatus est, Sessione 8. inprimis verò tres illi eius Articuli, quorum primus hic est:
1. *Substantia panis materialis, & similiter substantia uini materialis, ma-*
2. *nent in sacramento altaris.* Alter: *Accidentia panis non manent sine*
3. *subiecto in eodem sacramento.* Tertius: *Christus non est in eodem sacramento identicè & realiter in propria præsentia corporali.* Hos, inquam, articulos memoratum Concilium, ceu impios damnauit: ac porrò Sessione 11. declarauit atque decreuit, *integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie uini ueraciter contineri:* qua de re fusiùs agetur Articulo De altera & vtraque specie.

Basileense Concilium.

In Basileensi quoquè Concilio decretum & definitum est Sessiõe 30. *nullatenùs ambigendum esse, quòd non sub specie panis caro tãtùm, nec sub specie uini sanguis tantùm, sed sub qualibet specie sit integrè totus Christus.*

Cõciliũ Florentinum. Eugenius 4. Græci & Armeni. Imperator Palæologus, Zacharias patriarcha Constantinopolitanus.

Ad extremum renouatum est hoc in Concilio Florentino sub Eugenio 4. cui Grçci & Armeni cum suo Constantinopolitano Imperatore Palæologo, & Patriarchis ac prçcipuis Grçciæ & Asiæ Episcopis interfuêre, eamque fidem vnà cum Latina Ecclesia concorditer professi sunt. Decretum eius tale est: *Forma sacramenti huius sunt uerba Saluatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacer-*

dos

dos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum uerborum uirtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia uini in sanguinem conuertuntur: itá tamen, quòd totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie uini, sub qualibet quoquè parte hostiæ consecratæ & uini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Trium horum posteriorum Conciliorum Decreta & diffinitiones, infrà 4. Articulo latiùs explanare & asserere curabimus.

Nimirùm hæc œcumenica sunt Cócilia, in quibus secta hæc abominabilis, totius Christiani orbis cócordi sententia & decreto condemnata est. Quo minùs necesse est ad longum commemorare, vt quondàm in Oriente Massalianos, quos εὐχίτας, id est, precatores cognominârunt, religiosi orientis Episcopi ceu immanes animarum prędones, depulerint ac profligârint: vt qui inter alios suos errores asserere non dubitarent, sola oratione sedula Spiritum sanctum & omnem gratiam impetrari: Eucharistiam verò nihil prorsus vel prodesse vel obesse: vt hodiè Aduersarij omnia solæ fidei adscribunt, & V. Sacramentum non nisi panem symbolicum vocant, quod per se nullam habeat diuinam efficaciam & operationem. Theodoretus Ecclesiasticæ historię libr. 4. cap. 11. itemque Tripartita libr. 7. cap. 11. & Nicephorus lib. 11. cap. 14. id annotârút, tametsi Massaliani isti ea in sententia versarentur, Eucharistiam neque officere, neque prodesse, idque nulla habita ratione illorum Domini verborum, quæ de hac diuina esca protulit, ità dicens: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, viuet inæternùm: non tamen eò impudentiæ illos progressos esse, quò nostri hodiè Aduersarij processêre, vt hunc suum errorem fateri auderent, quin potiùs apud alios pernégâsse, & in suis duntaxat angulis tradidisse. Quod vbi Latoius Melitinensem gubernans Ecclesiam persensit, zelo diuino eum incitatum, multa monasteria, in quæ error hic irrepserat, & speluncas indè latronú effecerat, incendisse, & lupos ab ouium grege depulisse. Itidèm & præclarissimum illum Amphilochium, metropolis Lycaonię antistitem, vbì pestem talem eò peruenisse cognouit, eá valdè repressisse, & greges q ab eo pascebant, clade ea liberâsse. Porrò & Fla-

Massaliani hæretici. Sacramétarij animarú prædones.

Horú métio fit l. Ariani, C. de hæreticis.

Massaliani nó eò impudentiæ pgressi, quò hodiè Sacramentarij.

Latoius Melitinensis. Eiusmodi zelo etiá horú temporú episcopos ardere oportebat.

Amphilochius Lycaoniẹsis.

Flauianus Antiochen.

uianum celebri fama virum, postquàm Antiochiæ Episcopus est factus, & id genus homines Edessæ versari cognouit, monachorum sodalitate quadam ad eos missa, Antiochiam eos pertraxisse: & quum arte quadam errorem illorum, quem priùs pernegabant, ex eis elicuisset, conuictos è tota Syria exegisse. Ex quibus omnibus satìs id potest perspici, maiores siue patres Aduersariorum nostrorum semper pro perniciosissimis animarum prædonibus habitos, eaq; causa fideles ecclesiarũ pastores eis admirabili zeli ardore semper restitisse. Quãtò igitur iustiùs hoc deplorato æuo ipsis nostris Aduersarijs, multò quàm illi, quos diximus, eorum patres, deterioribus, obuiàm ire oportebat?

Quandò verò certa explorataque tuenda & asserenda veritate post allata scripta diuina, tot mihi insignes egregijque patres, tot etiam œcumenicarum Synodorum authoritates & testimonia producta sunt, iam ad calcem perductus, committere non possum, quin Aduersarios ijsdem propè verbis compellem, quibus olim Diuus Augustinus Iulianum hæreticum libr. 1. cap. 2. postquàm itidèm nonnullos, quanuìs longè pauciores citauerat sanctos patres, putà Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympum, Hilarium & Ambrosium, appellauit, ijs videlicet: Cernitis iam Aduersarij, cum quibus vestra maledicta nos catholici sustineamus: cernitis, cum quibus nobis sit causa communis, quam, nulla consideratione sobria, pulsare calumnijs & expugnare conamini. Cernitis, quàm vobis perniciosum sit, tam horribile idololatriæ crimen obijcere talibus, & quàm nobis gloriosum, quodlibet crimen audire cum talibus? Si cernitis, cernite, & tandèm tacete. Zuinglianam linguam tot linguis catholicis deprimite, tot venerandis oribus proterua ora submittite. Si scholam Xenocratis, sicut Polemo, ex antelucano conuiuio temulenti intrâssetis, non tanta quanta in isto cœtu tot sanctorum, deberetis verecundia coërceri. Hic enim certè tantò maior debet esse verecundia, quantò verior addiscitur sapientia. Tantò ampliùs reuerendi sunt tot memorabilium episcoporum, quàm vnius Xenocratis, vultus: quantò, Platone Xenocratis doctore, doctor istorum maior est Christus. Ego vos introduxi sedandos atque sanandos, non in alicuius Philosophi auditorium, sed in sanctorum Patrum

Polemo aliquãdò cũ sodalibus ebrius & coronatus Xenocratis irrupit scholã: visaq; Xenocratis grauitate, adeò territus est, vt ad serediret, & p̃ ve-

Patrum pacificum honorandumque conuẽtum. Sit operæprecium, obsecro: adspicite illos quodammodò adspicientes vos, & dicentes vobis: Itáne nos, ô Sacramentarij, idololatræ sumus? Rogo, quid respondebitis? Quibus eos oculis intuebimini? Quæ vobis argumenta succurrent? Quę vestrorum argumẽtorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conspectu exeri audebunt? Quæ à vobis arma non fugient, nudosq; destituent? An fortè dicturi estis, neminem illorum vos in isto crimine nominâsse? Et quid facietis, cùm vobis dixerint, Tolerabiliùs dente maledico nomina conciderctis nostra, quàm fidem nostram, cuius merito in cælo nomina scripta sunt nostra? An fortè dicetis eis, Nec fidem vestram vllo tali crimine violauimus? Sed qua confidentia id dicere audebitis, qui dicere non dubitatis, idololatriam esse, Christi corpus & sanguinem, adeoque Christum ipsum ceu reuerà & realiter in V. Sacramento præsentem venerari & adorare? Meritò puderet vos coram tam illustri tot sanctorũ conuentu & frequentia, immò coram vniuersa Christi Ecclesia, quæ vos semel Christo genuit, quam tamen vos è diuerso ceu fœtus abortiui & viperæ quædam laceratis & discerpitis; iureque his vos concederetis, si vllus in vobis vel Dei timor, vel hominum pudor resideret. Sed vt vereor, inanem proh dolor in vobis operam pono, quandò vos sectarij & hęretici planè subuersi estis, & contra vestram ipsorum conscientiam peccatis & delinquitis, cùm sitis proprio iudicio condemnati. Deus adiuuet vos, si qua tamen ratione succurri vobis potest.

recundia planè sobrius & modestus, adeoq; Philosophus euaderet. Vide Diog. Laertium in Polemone.

Argumenta hæreticorum sunt acies vitreæ, & plũbei pugióes, nullius efficaciæ.

Tit. 3.

Hactenùs ergò ad docendam & adstruendam veram ac realẽ corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, primò quidem scripturas sacras, deindè præcipuos Patres, postremò Concilia generalia adduxi. Vnum hoc adhuc reliquum est, vt ex dictis testimonijs generales quasdam Obseruationes, ceu certa catholicæ huius doctrinæ documenta, alias post alias ob oculos ponam, id quod in præfatione in Patres, me facturum recepi, atq; ità demùm Articulo huic supremam imponam manum.

GENERALES ALIQVOT OBSERVATIONES, TVM EX SVPRASCRIPTIS CONSONIS TESTIMONIIS, TVM COMMVNI ECCLESIAE CATHOLICAE MORE, VSV AC PRAXI, QVAE VERAM ET REALEM CHRISTI IN V. SACRAMENTO PRAESENTIAM DOCENT EVIDENTER.

CAP. 81.

Patres in V. Sacramento testãtur ospotētē supnaturalē & admirabilem trāsmutationem. Non ergò illi Sacramētum p mero quodam symbolo vel figura habuere.



Rincipiò obseruandum est, S. Patres concorditer docere & habere pro indubitato, propositas panis ac vini aqua mixti creaturas, non humana facultate vel actione, sed immensa Dei præpotentis virtute, eiusq; diuino & omnipotente sermone, videlicet, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS, supernaturali, admirando & incomprehensibili modo substantialiter conuerti in verum corpus & sanguinem Christi: eosdemque Patres in horum confirmationem eos scripturæ locos adferre, qui testatum efficiant, quicquid Deus velit & dicat, id confestìm effici & re ipsa adesse, tanquàm qui vocet ea quæ non sunt, vt sint: atque in huius fidei nostræ certiorem asseuerationem & stabilimentum maxima quæque Dei miracula commemorare, quæ nobis in veteri Testamento proponantur, vt de creatione cæli & terræ rerumque omnium ex nihilo, itemque supernaturali creaturarum mutatione, videlicet, virgæ in serpentem, & serpentis in virgam, diuisionis maris, & tum maris, tum fluminis, nè suo more currerent, cohibitionem, aquæ inundationem è petra, & eius generis pleraque alia. Porrò ad extremùm hoc in V. Sacramento transmutationis miraculum cunctis hisce miraculis anteferre, affirmareque hoc miraculum longè esse excellentius, quàm quòd Dominus Iesus mortuos excitârit, & ipse à mortuis surrexerit: Capernaitasque probè in hoc cepisse Dominum, quòd sua conferenda carne & sanguine insignius pollicceretur miraculum, quàm vnquàm aliàs fecisset: id tamen, cùm

Rom. 4.

cape-

capere non possent, credere eos noluisse.

SECVNDO obseruandum est, S. Patres hanc in V. Sacramento conuersionem cum supernaturali illa nobisque prorsus incompræhensibili CHRISTI incarnatione conferre, quòd, quemadmodùm Verbum æternum de Spiritusancto in virginis vtero carnem & sanguinem assumpsit, itá etiam panis & vinum in altari posita, virtute omipotentis verbi Dei, & inuisibili Sancti spiritûs operatione, in eandem veram carnem & sanguinem transferantur, nihilo minùs permanentibus externis panis ac vini speciebus: atque vt in CHRISTI persona humanitas visibilis fuit, Diuinitas latuit, itá etiam in V. Sacramento externæ species possint conspici, sed verùm corpus & sanguis CHRISTI sub illis inuisibiliter contineatur.

Conferunt Patres hanc mutationē cum Christi incarnatiōe.

TERTIO, docere eos, quemadmodùm panis & vinum, quibus Christus cùm adhuc in terris degeret, corporaliter vescebatur, in eius veram carnem & sanguinem cum Diuinitate coniuncta substantialiter conuertebantur, itá etiam has creaturas eius verbo in veram carnem & sanguinem illius vltra omnem admirationem mutari, eumque solum nôsse, quî hæc transmutatio fiat, qui eam solus sua ꝑpotente virtute efficiat.

Aiunt, sicut panis, quem Christus in terris comedit, in eius corpus mutatus est: itá etiam in V. Sacramento panē in eius corpus transferri.

QVARTO, obseruandum est, S. Patres vt hanc transmutationem, quoàd eius fieri possit, euidenter indicent, hincindè in suis scriptis multiuarijs vti dictionibus & verbis, quæ ad nullam figuram vel allegoriam (nisi quis temerè ea & impudenter detorquere, vimque & iniuriam eis inferre velit) trahi vel referri queant: sed pro genuina significatione sua veram ac realem exprimant conuersionem: cuiusmodi sunt: *Conuertuntur, Mutantur, Transmutantur, Transsumuntur, Transferuntur, Transformantur, Transelementantur, Transeunt in substantiam corporis & sanguinis Christi.* Quorum postrema, nempe, *Transeunt in substantiam* &c. visum est posteà Patribus in Cōcilio Lateranensi, hoc vnico verbo *Transsubstantiationis* reddere & exprimere, maximè quòd veteres, inprimis Chrysostomus, *à consecratione nihil substantiæ panis aut uini remanere, sed mysteria corporis substantia consumi testentur.*

Eiusmodi vtuntur verbis, quæ verā ac realem significēt conuersionem.

Homil. de Eucharistia in Encænijs.

QVIN-

Eam mutationem etiam Consecrandi & Conficiëdi vocibus indicant.

QVINTO, eos hanc conuersionem, Consecrandi & Conficiendi quoquè verbis innuere voluisse, quæ illis, vt ipsi sese interpretantur, id significant, virtute omipotente verborum diuinorum sub externis panis viniq; speciebus certò hîc effici & substantialiter præsens adesse verum corpus & sanguinem Christi, Sacramentum & Rem Sacramenti, id est, tum species externas & visibiles panis ac vini, tum sub eis verum Christi corpus & sanguinem inuisibiliter contēta: ex quibus augustissimum istud & diuinissimum Sacramentū conficitur: itemq; Christum ipsum esse, qui hoc V. Sacramentum in manibus sacerdotis diuina virtute & potentia sua consecret, & conficiat: proptereaq; veram illius carnem & sanguinem diuinæ huius consecrationis vi & virtute, non autem per subsequentem communicationem nostram, illic substantialiter adesse.

Testantur ea re Christum nobis sub his externis speciebus suum reliqisse corpus & sanguinem, nè ab eorū perceptione abhorreremus.

SEXTO, affirmare eos, Christum Dominum, sacratissimū corpus & preciosum sanguinem suum propterea nobis sub his benè notis & familiaribus panis ac vini speciebus edendum fruendumq; reliquisse, nè alioquì eorū perceptio horrori nobis esset: quod haudubiò futurum esset, si planè nuda, nec his operta speciebus, nobis ea in cibum potumq; conferret: adeoq; asserere illos ipsummet Dominum ea causa suum corpus & sanguinem ante omnes accepisse, nè discipuli ab eo sumendo abhorrerent.

Chrysost. in cap. 26. Matthæi.

Chrysostomus ibidèm.

Testātur nos Christi corpus manibus & ore attingere, appræhendere, percipere Itaq; adēse ibi realiter oportet.

SEPTIMO, obseruandum est, crebrò multumq; in eo adstruendo illos versari, nos Christi carnem & sanguinem in V. Sacramento non solùm ànimo per fidem, sed etiam manibus pariter & ore appræhendere, contingere, & accipere, non tamen nisi medijs, vel (vt aiunt) mediantibus speciebus externis: easdemque visibiles species in V. Sacramenti distributione, diuidi quidem & consumi, sed corpus sub illis inuisibiliter contentum, indiuiduum & absq; consumptione inter nos multiplicari: Tum etiam non minùs nos hîc Christi corpus contingere, quàm regis purpuram, qua ille indutus sit, attrectans, ipsum regem attigisse dicitur. Deniquè Christum verum Dei agnum, in altari sub his externis speciebus tectū iacère, vt quondàm in cunis fasciolis inuolutus iacuerit.

Exigunt à Christianis omnibus hæc

OCTAVO, vno eos animo docere, quandò hæc humana ratione prorsus compræhendi nequeunt, eam ob rem fideles hoc V. Sacramen-

mentum salutariter percipere volentes, ante omnia verbis illis Domini Iesu, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS, firmã debere fidem adhibere, rationemq; hæc capere nõ valétem, per fidem in captiuitatem redigere, nôsseq; oportere, Deum hîc ex ineffabili bonitate supra contraq; omnes naturæ leges agere & operari, quô se nobis penitissimè & familiarissimè coniungere, nosq; omnes in seipso vnum corpus possit efficere: quod sanè quisquis non credat, ac nihilo seciùs ad illud V. Sacramentum percipiendum accedat, illum sacrosancti corporis & sanguinis eius non minùs reum effici, atquè Iudam ipsum & Iudæos, & à vera salute prorsus excidere.

In parte firmam fidem: quod supervacaneum esset, si nihil præter figurã hîc adesset.

NONO, obseruandum venit, ob antedictas rationes olim, cùm Christiana religio quotidiana acciperet incrementa, quotiès in publicis concionibus de hoc V. Sacraméto sermonem habuêre, vel etiã scripta edidêre, propter eos qui salutari necdùm essent expiati lauacro, his plerunquè verbis vsos eos esse: *Quod nôrunt fideles. Nôrunt q percipiunt, Nôrunt qui mysterijs imbuti, aut initiati, aut consecrati sunt, aut qui sacrorum doctrina fuerint digni:* atq; hoc pacto sermonem eos abrupisse, quòd hanc admirandam planeq; incompræhensibilem creaturarum in verum Christi corpus & sanguinem transmutationẽ, nõ nisi baptizatis probatisq; fidelibus secretò aperirent, & à salutari lauacro alienos, immò & catechumenos, licèt rectè credentes, celarent, & non modò non paterentur eos ad sanctissimum Sacramentum accedere, sed ab illius quoquè diuina celebratione arcerẽt, nec facta consecratione sacramentum vel adspicere finerent.

Nõ baptizatos, quanuis iam credẽtes, huius V. Sacramenti mysteria celãrũt, atq; etiam ab eius celebratiõe prorsus excluserunt.

DECIMO, è diuerso obseruandum est, tametsi infantes & paruuli baptizati verba Domini necdùm intelligere, multò etiam minùs ea credere possunt: at nihilo minùs olim, ante & post Cypriani ætatem, immò etiam Augustini seculo, illis corpus & sanguinem, vel vt minimùm sanguinem Domini in corporis & animæ salutem infundi consueuisse: quod haud dubiò Patres neutiquàm fecissent, si Sacramentum non alio, quàm symbolicę cuiusdam figuræ loco, percipientibus, Christi corpus duntaxat significaret, habendum censuissent, ipsamque perceptionem in sola sensibili fide, quam infantes & paruuli non habent, constituissent.

Olim paruulis mox à baptismo corpus & sanguinem Dominĩ tradidere: id minimè factũ ri, si Sacramẽtum sola percipiẽtiũ fide niteretur & consisteret.

Docẽt cócorditer, Chrſtũ in cœna carnẽ & ſanguinem ſuũ cœleſti patri incruenta ratione immolâſſe.

VNDECIMO obſeruandum eſt, Patres concorditer docere, Dominum Ieſum in ſacroſancta Cœna ſua incruentum inſtituiſſe ſacrificium, perpetuis tẽporibus ad eius vſq; reditum DEO patri offerendum, idque eſſe carnem & ſanguinem illius, ipſamque adeò carnem, quæ in cruce immolata ſit, eundemque ſanguinem, qui ex eius ſanctiſſimo latere manârit. Atquì non poſſent ea in altari offerri DEO Patri, niſi illic corâm adeſſent.

V. Sacramentũ tanq̃ ipſiſſimã veritatẽ, comparatiõe figurarũ veteris teſtamẽti, habuere.

DVODECIMO, magna eos conſenſione cuncta prioris teſtamenti Sacrificia, & inprimis Melchiſedechicum ſacrificium, itemque agni paſchalis, & panum propoſitionum: manna quoquè & aquam è petra in eremo, pro meris huius V. Sacramenti, ceu ipſiſſimæ veritatis, figuris & vmbris ſemper habuiſſe, teſtatosq; eſſe, quæ tunc Patribus in figura contigiſſent, nobis iam in V. Sacramento re vera & ſubſtantialiter exhiberi.

Tradũt Chriſtum in cœna ſua figuras ſuſtuliſſe, & cis V. Sacramentum ſubſtituiſſe.

TERTIODECIMO, eos id quoquè teſtatum efficere, CHRISTVM ipſum in ſacroſancta cœna ſua vetus paſcha, tanquàm figuram præuiam, à ſui corporis & ſanguinis V. Sacramento, ceu re ſignificata & præfigurata, expreſsè diſcreuiſſe ac diſtinxiſſe: & illud quidem ceu vmbram abrogâſſe, hoc verò tanquàm veritatem in eius locum ſubſtituiſſe, futuris indè temporibus perpetuò colendum ac percipiendum.

Aſſerũt prioris teſtamẽti ſacramẽta ſignificare tãtùm: at noui teſtamẽti ſacramẽta id re ipſa præſtare, quod ſignificent.

DECIMOQVARTO, ſi quidem CHRISTI corpus & ſanguis in V. Sacramento non niſi typicè & ſymbolicè haberetur, iam in hoc præcipuo noui Teſtamenti ſacramento nihil plus eſſe, quàm in illis quondàm typicis veteris teſtamenti ſacramentis fuerit: cùm tamen ea patrum omnium ſententia ſit, prioris teſtamenti ſacramenta rem futuram duntaxat ſignificâſſe, non autem præſtitiſſe realiter: at nouæ legis ſacramenta rem, quam ſignificant, etiam conferre ipſo actu vel actualiter: maximè autem priſca illa ſacramenta huius diuiniſſimi ſacramenti collatione, haud alitèr atquè vmbram erga veritatem, exiſtimanda.

Panem communẽ ab hoc V. Sacramen-

DECIMOQVINTO, vbì Patres ſimul de pane communi, & hoc V. Sacramento ſermonem texunt, tum illos ex Apoſtoli inſtitutione hoc ab illo, ceu verum viuensque CHRISTI corpus, à pane

vulgari separare ac secernere: illum quidem terrenum naturalem, substantialem & corruptibilem panem, escamque ventris appellantes: hoc verò sacramentum, cælestem, supernaturalem, supersubstantialem & incorruptibilem panem, cibumque hominis interioris, in perpetuam corporis pariter atque animæ conseruationem & sustẽtationem, qui non vt ille panis in nos conuertatur, sed nos potiùs mutet in se.

to tanq̃ terrenum à cælesti secernunt.

DECIMOSEXTO, studiosè obseruandum venit, in catholica CHRISTI Ecclesia iamindè ab Apostolis, CHRISTI veram carnem & sanguinem, ceu diuinitati vnita, id est, CHRISTVM ipsum in Eucharistia semper adoratum, & tum Episcopos, tum presbyteros sacrificantes, V. Sacramentum mox à consecratione præsentibus Christianis ostendisse, non alia, pfectò sentẽtia, nisi vt (quẽadmodùm Augustinus ait) CHRISTVM in eo priùs adorarent, quàm illum acciperent: atque inter alia preces has, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis* &c. Itemque: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum* &c. ad diuinissimam & sacrosanctã Eucharistiam referri.

Testantur Christũ iamindè ab Apostolorũ tempore semper in Eucharistia adoratũ.

DECIMOSEPTIMO, Patres dum de V. Sacramenti communione loquuntur, inter alia his vti verbis: videlicet, *Christum nobis dare carnem suam manducandam, & sanguinem suum bibendum*, *Exhibere eum de corpore & sanguine suo mensam*. Item, *De altari eius dispensari victimam sanctam*, *Erogari corpus* CHRISTI, *Dari salutem*, *Dari vitam*, Nos *accipere corpus & sanguinem*, *Fideli corde atque ore* CHRISTVM *suscipere*, *Accipere pascha in corpore & sanguine Domini*, *Communicare corpori & sanguini Domini*, *Participes fieri corporis & sanguinis Domini*, *Corpus & sanguinem Domini in sacramento manducare & bibere*, *Bibere precium nostrum*, *Bibere quod de* CHRISTI *latere manauit*, *Corpus Dominicum in os nostrum intrare*, *Corpus* CHRISTI *in os nostrum ingredi* &c: quæ quidem verba & eius generis alia, veram corporis & sanguinis CHRISTI præsentiam testantur, quòd non possent de illis absentibus citra veritatis iniuriam proferrri.

Eiusmodi vtuntur verbis, quæ exigant Christi corpus, iuxta fidem illorũ, in Eucharistia realiter adesse.

Aiunt, quandò Christus secundum diuinitatem, propriè loquendo, à nobis edi nõ potest, cú ea causa sumpsisse corpus nostrum, vt se nobis impartiri possit.

DECIMOOCTAVO, obseruandum est, testari Patres, quandoquidem Christus secundùm diuinitatem, si propriè velímus loqui, edi à nobis non potest, (quod enim incorporeum est, comedi non potest) cum propterea nostrum assumpsisse corpus, vt nos illud cum eius diuinitate coniunctum, re vera & substantialiter edere possimus.

Ex Paulo docent, malos æquè ac bonos, Christi corpus in Sacramento substantialiter accipere.

DECIMONONO, Patres omnes ex Apostolo id probare & asserere, nõ tantùm bonos Christianos, sed etiã malos verum Christi corpus substantialiter accipere, sed malos indignè & in suam perniciem & damnatiõem: vndè consequens fit, Christi corpus in V. Sacramento substantialiter adesse, illudq́; non modò animo in vera fide, quam mali non habeant, sed etiam substantialiter & corporaliter percipi: à bonis quidem ad vitam, à malis verò ad exitium, mortem & damnationem.

Vt Ioseph ab Arimathæa Christi corpus in mũda inuoluit sindone, ità volunt illud quoquè in mũdo linteo consecrari debere.

VICESIMO, Patres affirmare, quẽadmodùm Ioseph ab Arimathæa corpus Christi in munda sindone inuoluerit: ità etiã idẽ corpus in V. Sacramento in mũdo linteolo in altari cõsecrari debere, calicẽq́; vas esse sanguinis Dñici.

Testantur indè ab Apostolis V. Sacramentum absentibus & ægrotis transmissum: quod non fieret, nisi mox à consecratione corpus esset Domini.

VICESIMOPRIMO obseruandum venit, iam indè ab Apostolis corpus & sanguinem Domini à consecratione nõ præsentibus duntaxat Christianis datum, verùm etiam absentibus transmissum ac deportatum, non à sacerdotibus modò, sed diaconis quoquè: illisq́; absq; noua cõsecratiõe ceu verum corpus & sanguinem Christi traditũ: prætereaq; pro ægrotis & peregrinis asseruatum esse: vndè etiam calices portatores sanguinis Dominici appellantur, vtì in Asseruationis Articulo hac de re fusiùs dicetur.

Indicant, qua reuerentia, mũditia & solicitudine V. Sacramentum acceptum & asseruatum sit.

VICESIMOSECVNDO, olim Christianos deuotos & pios, lotis priùs manibus, V. Sacramentum corporis Dñici mundo linteolo excepisse, ingentiq́; cura & magno studio pręcauisse, vtì nè q̃d de corpore vel sanguine Chr̃i in terrã decideret, nimirũ ità institutos certoq́; persuasum habentes, quisquis ea in re incautè & negligenter se gessisset, eum corporis & sanguinis Domini reum fieri.

VICESIMOTERTIO, Patres veteres ex huius V. Sacramenti institutione, aduersùs Marcionem, Manetem, aliosq; eius generis detestabiles hæreticos, Christi incarnatiõem sacrilega impietate negantes, ceu argumento fortißimo probâsse, Christum nostram carnem & sanguinem reuerà assumpsisse, & secundùm illam verè mortuum esse, & à mortuis resurrexisse. Dominus enim, aiunt, iuxta diuinum sermonem suum, carnem & sanguinem suum in cibum nobis in suî memoriam sumendum conferre non potuisset, nisi humanam naturam verè assumpsisset, in mortem tradidisset, & à mortuis excitâsset. Hoc verò Patrum argumentum contra hæreticos nihil prorsus haberet virium, vtì perspicuũ est, nisi vera caro & sanguis Christi in V. Sacramento substantialiter haberetur. Præsentia corporis Christi in Eucharistia, cõtra hæreticos probant, Christũ reuerà hominem factum, mortuũ, & à mortuis excitatum.

VICESIMOQVARTO obseruandum est, Patres hoc celsißimum sacramentum tam præclaris appellare nominibus, eamque vim & efficientiam ei adscribere, quæ non possint nisi vni Christo Deo & homini attribui & congruere: vndè necessariò consequitur, Christum in eodem V. Sacramento re vera substantialiter adesse. Vocant enim *Dei gloriam, Dei panem, Panem cæli, Panem uitæ, Carnem uiuentis filij Dei, Sancta sanctorum, Spiritum, Ignem immortalem, Efficax aduersùs peccatum antidotum, adeoq; peccatorum remißionẽ, Noui testamenti obsignationem, catharticum expellens malum è nobis, Conseruatorium æternæ uitæ: uel, Conseruationem à morte sempiterna, Præsidium contra dæmones & aduersa omnia, Expulsionem potestatum & uirium satanæ, Verũ uiaticum, Agnum Dei, Christum ipsum.* Speciatìm autem sancti illi Patres ex præstantißimi sacramenti huius vi & efficacia, contra Marcionitas futuram corporum nostrorum resurrectionem, atque caro & sanguis hominum immortalitatis & vitæ æternæ capax sit, asserere atq; probare conati sunt: quandoquidem caro nostra & sanguis viuentis & viuificantis corporis & sanguinis Christi in hoc V. Sacramento particeps efficitur. Ijs nominibus V. Sacramentum appellabãt, quæ non nisi soli Christo poßint attribui. Probant hinc corporũ nostrorũ resurrectionem.

VICESIMOQVINTO ET POSTREMO, Patres sacerdotij, vel sacerdotalis ordinis dignitatẽ, quæ hodiè summo proh dolor cõtemptu laborat, angelicæ æquiparare dignitati, adeoq; propemodùm illi anteferre: idq; eo duntaxat nomine, quòd sacerdoti- Sacerdotalẽ dignitatẽ angelicæ cõparãt celsitudini, ob potestatem corpus Christi conficiendi.

bus à Christo collata potestas sit ipsius veram carnem & sanguinem consecrandi & conficiendi, qua angeli præditi non sunt.

Quòd igitur S. Patres & catholica Christi Ecclesia ab Apostolorum vsq; tempore de omnibus ijs quæ iam diximus, semper idē senserint, passimq; consentanea docuerint, ex suprà allatis eorum testimonijs, modò ea studiosè lectitare & expendere velis, facilè lector amice aduertere poteris. Quam etiam ob rem tum ad ea ipsa, tum Patrum monimenta & scripta, vndè ea descripsimus, remissum te volo, nihil hæsitans, quin hæc ità se habere, indè abundè comperturus sis: vndè porrò apud teipsum incunctanter statuere poteris, quæ Patrū & Catholicæ Ecclesię de vera ac reali pręsentia corporis & sanguinis Christi Seruatoris nostri in sacrosancta Eucharistia iam indè ab initio ad nos vsq; fides perpes fuerit.

EPILOGVS PRIMI ARTICVLI.

CAP. 82.



Quidem iam, vt eram pollicitus, in primi huius, quē tractandum asserendumq; susceperam, Articuli primarij confirmatiōem, videlicet, veram vitalemq; seruatoris & Domini nostri Iesu Christi carnem & sanguinem in pręstantissimo altaris Sacramento substātialiter adesse, confertìm ac diffusè introduxi princi-

1. Verbū Dei. piò sempiternum Dei verbum & clarissima scripta diuina, quæ per se hac in parte abundè satisfaciant: deindè nihilo minùs vetustissimos

2. Cōsona Patrū testimonia. & præcipuos Patres, qui ab Apostolorum temporibus ceu fideles Dei dispensatores & œconomi, Christianas ecclesias saluberrima & consentanea doctrina sua de vera ac indubitata scripturæ diuinę intelligentia passìm accuratè instituerunt. Deniquè non paucorū vniuer-

3. Conciliorū decreta & sententiæ. salium Conciliorum, ex toto orbe Christiano semper in Spiritusancto coactorum, pulchrè consentientes sententias, decreta & definitiones: quibus adieci multigenarum obseruationum methodum quādam & compendium, vndè Patrum & catholicę Ecclesię vera certaq; fides liquidò possit animaduerti: interìm etiā friuola, vana, nulla ratione subnixa, planeq; sophistica & fallaciosa argumenta, immanesq; blasphe-

blasphemias,quę Aduersarij nostri,desertores illi & impij V. Sacramenti hostes & oppugnatores contra Ecclesiam catholicam,destinata ac malitiosa sententiarum scripturæ diuinę,patrumq; & conciliorum deprauatione & corruptione in suã ipsorum damnationem, in diuersum magna temeritate obijciunt & opponunt, satis superq;, vt mihi persuadeo,dilui ac profligaui.

Oratum autem velim vnumquemlibet ea, quæ protulimus,sacræ scripturę & catholicę Ecclesiæ testimonia lecturum,nè eaipsa oscitãter,somniculosè & perfunctoriè percurrat, sed vt rei ipsius & causæ magnitudo(vt in qua salus nostra sita sit)postulat,diligenter expendat,animo reuoluat,pẽsiculetq;:& si quidẽ in vera catholicaq; Christi Ecclesiæ de hoc diuinissimo sacramento fide adhuc constans permansit, citra dubium multò etiam magìs indè ea in fide confirmabitur. Quid vtilitatis hæc allata sint etiamnũm catholicis

Sin autem callidis, versutis,fallaciosis,virulentis hæreticorum sophismatis & fucis in quandam hæsitationem vel superstitionem adductus est,vbì tam luculenter,perspicuè ac irrefragabiliter veri notionem erit è diuerso assecutus,meo quidem iudicio dubitationem & superstitionem omnem penitùs à suo animo remouebit, & ex fidissimo pij illius & prudentissimi Vincentij Lirinensis cõsilio id deincèps constanter credet & sentiet, quod gemina illa & inconcussa nec vnquàm labefactanda & subruẽda tum scripturę diuinę,tum catholicę Christi Ecclesię authoritas deposcit:& quicquid prætereà iã indè ab Apostolis & vbiquè,& semper,& ab omnibus creditum est, quodq; ipsi Apostoli & eorum proximi successores Ecclesijs credendum tradidêre:atq; ità Aduersarijs diuersum ab his,quæ nos Catholici nostriq; maiores ad Apostolos vsq; accepêre,ipsi persuadentibus dicet Anathema maranatha. Quid illis cõmodatura,q nonnihil vacillent ac titubent.

Deniquè si non modò nonnihil vacillare cœpit,sed iã planè seductus est,& ex pulcherrimis Christianę Ecclesię castris & tentorijs, in funestas latronum hæreticorum speluncas pertractus est, & ex fido contubernali ac socio in perfidum & perditum Ecclesiæ DEI hostem & persecutorem mutatus est,equidem spe bona ducor, fore vt tamen id ille hinc haud obscurè percipiat, se, nisi resipiscat, haud dubiò in satanę venturũ potestatem:cogitetq; tametsi mundus, DEO Cur hæc etiã prorsus euersis minimè sint fastidienda.

permit-

permittente ob peccata nostra, iam ad breue tempus ab hæreticis fascinari ac deludi se sinat, at tamen tum mundi, tum hæreticorum in-
2.Tim.3. sipientiam posteà omnibus manifestam fore, haud secùs atque Iannæ & Mambræ, cùm agnitæ resistant veritati, homines corrupti méte, & reprobi circa fidem: cogitet præterea, se cum sua factione tandèm voto non potiturum suo: siquidem de Christi Ecclesia scriptum
Matt.16. est, portas inferi non præualituras aduersùm illam: si fortasis his
2.Tim.2. agnitis, det illi DEVS pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscat à diaboli laqueis, à quo captiuus tenetur ad ipsius voluntatem: quod equidem omnibus miserè seductis opto precorque ex animo.

Nunc igitur totius negocij huius, quod tractandum expediendumque suscepi, primo hoc asserendo adstruendoque Articulo, vtcunquè & pro necessitate iactis fundamentis, reliquos Articulos tres primarios, ex eo ceu fonte manantes & consequentes, minori negocio expediturum me spero. Itaque Deo auspice ad alterum iam Articulum progrediar.

SECVNDVS ARTICVLVS PRIMARIVS,

IN CELSISSIMO ALTARIS SACRAMENTO MOX À DIVINA CONSECRATIONE, MINIMÈ VERÒ TVM DEMÙM CÙM PORRIGITVR & PERCIPITVR, VERVM CHRISTI IESV DOMINI NOSTRI CORPVS, REVERÀ AC SVBSTANTIALITER & ADESSE & PERMANERE, EAQVE CAVSA IN CATHOLICA CHRISTI ECCLESIA CONSECRATVM SACRAMENTVM, PRO FVTVRA COMMVNIONE AC PERCEPTIONE RECTÈ AC PIÈ ASSERVARI.



QVISQVIS sup[er]ioris primarij Articuli communitatem satis assertamq; veritatem rectè ac probè assecutus est, is meo quidem iudicio, neq; húc alterú, neq; duos alios posteriores articulos vllo pacto in dubiú reuocare poterit: quandoquidem primo illi tanquàm certissimo fundaméto suo innitũtur, atq; ex illo necessariò promanant & consequũtur. Verùm quandò secta biceps (quæ haud aliud etiamdùm præ se ferre videtur, q̃ in primo illo ARTICVLO, dé- CAP. I.

pta tamen transsubstantiatione, quam vtrique iuxtà negant & irrident, necdùm sibi conuenire, sed in diuersas se sententias distrahi) anno salutis 1536. Vuittebergæ in Luteri, eorum omnium parentis ædibus, per vtriusque partis præcipuos propugnatores & signiferos (eo proculdubiò nomine duntaxat, vt cõmunibus auxilijs iunctisq; copijs, Catholicam Christi Ecclesiam, cuius æquè omnes desertores & hostes extitêre, tantò faciliùs oppugnare, concutere, labefactare, atque demùm in ruinam, quod tamen nunquàm illi consequi poterunt, impellere queant) hac in parte in vnam coiuit sententiam, atq; inter sese mutuò cõspirauit, vtì deincèps vnanimiter & magna cõsensione ac pertinacia asserant, panem & vinum in Sacramento non modò non transsubstantiari, id est, in verã carnis & sanguinis Christi transferri substantiã, sed etiam Corpus Christi, præterquàm cùm iam actu ipso Sacramentum porrigitur & sumitur, neutiq̃ præsens haberi, (putà dum asseruatur, aut in arculis & vasculis circunfertur) neque illũ in Venerabili Sacramẽto adorari debere: atque ità apud sese statuit & communi sententia decreuit, Christianos Catholicos, quotquot iam indè ab Apostolorum temporibus Christum mox à consecratione in Eucharistia reuerà ac substantialiter adesse & permanere crediderunt, in eaque honorare, colere, adorare non dubitârunt, hodieque idem persuasum habent, & Christum in Venerabili Sacramento adorant, contumeliosissimè atque immanissimè idololatras proclamare, proscindere, & criminari: equidem operæpretium, adeoque necessarium arbitratus sum, vt hunc quoque Articulum secundum, itemq; duos extremos, qui hunc ordine sequuntur, tametsi alioquì ex primo illo pendent & proficiscuntur, separatìm ac singulatìm tractandos suscipiam, & quid ad horum quemlibet ꝓpriè ac peculiariter pertineat, ex suprà citatis alijsque scripturæ diuinæ, & sanctorum Patrum, Catholicæq; Ecclesiæ irrefragabilibus pulchrèq; consentaneis testimonijs oculis subijciam, quô simpliciores quiq; hoc antidoto præmuniti, virulentis istiusmodi viperarum sibilis & afflatu, imprudentes nihilque præmoniti minimè inficiantur.

Conspiratio Luteranorũ & Zuingli-anorũ contra Eucharistiam & Cathol. cã Ecclesiam, facta in ædibus Luteri anno 1536.

Principiò quidem priorem huius alterius Articuli partem, videlicet, quòd vera veri corporis Domini nostri IESV CHRI-

Articuli in duas partes distributio.

STI secundùm substantiam, vel substantialis in Venerabili Sacramento præsentia, non nisi in vnica diuinæ consecrationis vi & efficacia, non autem in ipso porrigendi vel sumendi vsu, ea qua dictũ est ratione consistat, planam testatamque efficiam.

Indè porrò etiam partem eius posteriorem, nempe, celsissimum Sacramentum à consecratione in pium vsum aliquandiù reuerenter asseruari posse, sicq; indè ab Apostolis in Christi Ecclesia perpetuis temporibus asseruatum esse, eo pacto docere atque confirmare conabor, nemo vt possit contradicere.

VERAM CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN EVCHARISTIA SVBSTANTIALEMQVE SIVE REALEM PRAESENTIAM, NON IN SACRAMENTI VSV, SED IN DIVINAE CONSECRATIONIS VI ET EFFICACIA CONSISTERE.

QVOD igitur ad priorem partem attinet, primò quidem nititur illa inconcussè luculentis mereq; diuinis institutionis Venerabilis Sacramẽti huius verbis: vt quòd Dominus panem acceperit, benedixerit, fregerit, & dixerit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur:* Itemq; calice accepto, dixerit: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remißionem peccatorum.* Quæ verba dubium non est, Dominum non nisi semèl in creaturas panis & vini, cùm in sanctas manus suas eas accepisset, generatìm protulisse, nec posteà, quotiès singulis discipulis singulas Venerabilis Sacramenti partes porrexit & dedit, repetijsse, & dixisse vnicuilibet: Accipe, Hoc est corpus meũ, quod ꝓ te datur: Accipe, Hic est sanguis meus, qui pro te fundetur. Id enim ratione calicis nullo pacto sic se habere potest. Eum nanque alioquì cùm non nisi vnus fuerit Dominus, duodeciès subindè consecrârit oportet, prioremque consecrationem posterioribus irritam fecerit, quod non modò non audiri, sed ne cogitari quidem sinè horrore & abominatione potest.

CAP. 2.

Mat. 26. Mar. 14. Lucæ 22. 1. Cor. 11.

Christus verba consecrationis in panem & vinũ nõ nisi semèl protulit.

Cùm igitur ista,præsertim calicis,administratio vel porrectio nõ sit facta momento vel puncto temporis,efficitur indè necessariò ac irrefutabiliter,mox vbì Dominus ea quæ diximus,verba sua diuina in creaturas illas semèl pronunciauit,veram carnem & sanguinem illius sub panis ac vini speciebus coràm adfuisse, & perseueranter pmãsisse & asseruata esse,donec eas inter duodecim per ordinem distribuisset. Cùm sit enim ille Deus verus & veritas ipsa,quæ mentiri nescit,verba eius mox vbì pronunciata fuêre,vera vt fuerint necessè est,idq; efficaciter effecerint,quod significant: vtì ea omnium diuinorum verborum natura est & proprietas, quemadmodùm scriptũ est:Ipse dixit,& facta sunt:&,Fidelis Dominus in omibus verbis suis,& sanctus in omnibus operibus suis.Quam etiam verborum eius efficacem vim atque potentiam siue facultatem, qua item effectum est,vt Dei filius agnosceretur, sacrosancti Euangelij paginæ omnes passìm testatam efficiunt.

Iohan.14. Rom.3. Psal.148. Psal.144. Mat.7. Mar.1.

In nuptijs Iohan.2.benedicta mater ait ministris: Quodcunq; dixerit vobis,facite.Simul autem atquè dixisset Dominus, Implete hydrias aqua:ac deindè,Haurite nũc & ferte architriclino,aqua illa repentè in verum vinum mutata est,ac deincèps vinum permansit, vt ex textu licet animaduerti,vbì sic habetur:Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factũ &c.Dixit idem paralytico:Surge,tolle lectum tuum,& vade in domum tuam:& confestìm ille sanus effect', tulit lectum,& abijt.Dixit leproso,Mundare:& confestìm mundata est lepra eius.Centurio ait ad eum:Dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus:responditq; illi Dominus:Vade,& sicut credidisti,fiat tibi:& sanatus est puer ex illa hora. Idem de Reguli filio scribit Iohannes.Comminatus est vẽto,& dixit mari:Tace,obmutesce: & cessauit ventus,& facta est trãquillitas magna. Ait cæco:Respice: & cõfestìm vidit.Dixit surdo & muto,Epheta:quod est,Adaperire:& statìm apertæ sunt aures eius,& solutũ est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.Ait homini manum aridam habenti, Extende manũ tuam:& extendit,& restituta est sanitati. Mulier non nisi fimbriam vestimenti eius tetigit,& euestigiò salua facta est à fluxu sanguinis, quẽ duodecim erat annis perpessa.Dixit puellæ mortuæ: TABITHA CVMI,id est, Puella (tibi dico) surge: & confestìm surrexit puella.

Vt Christus aquã in vinũ mutauit,ità aquã & vinũ mutat in sanguinem suũ. Vide suprà Chrysologũ. Matth 9. Marc.2. Lucæ 5. Matt.8. Ibid. Iohan.4. Mar.4. Lucæ 18. Mar.7. Mat.12. Mar.5. Luc.8.

Matt.

Matth.9.Mar.5.Luc.8.Voce magna clamauit Lazaro iam quatridu-
ano mortuo:Lazare,veni foràs:& statìm pdijt qui fuerat mortuus, Iohan 11.
Et vt paucis agam,id præcipuè & nusquàm non Euangeliũ nos do- Vide suprà
cet,Domini dicta & facta semper esse coniuncta,adeoq; illius dixis- Chrysologũ,
se,fecisse esse:quò etiam ad docendam & asserendam rerum omniũ qui ait virtutem corporis
prępotentem diuinitatem suam, ipsus sese potissimùm semper retu- Christi in Eucharistia lõgè
lisse videtur:vt vbì ait:Si mihi non vultis credere, operibus credite. esse maioré,
Quamobrem eius quoquè aduersarij Iudæi dixerunt: Nunquàm sic quàm fuerit fimbriæ.
locutus est homo,sicut hic homo:quia in potestate erat sermo ipsi- Iohan.10.
us.Si ergò verborũ illius tãta semper fuit vis & efficacia,vt quicquid Iohan.7.
diceret,eodem momento suum habuerit effectum,nihil penitùs am- Luc.4.
bigendum est,hæc quoquè diuina illius verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, quibus hoc ille præcelsum instituit, nobisque reliquit Sacramentum,non minorem habuisse vim & energiam,qua id efficerent,vt corpus & sanguis eius euestigiò reuerà coràm adessent.Nam si ea tum demùm suum obtinuère effectum,cùm iam porrigerétur & perciperétur:nimirùm sermo ille,*Hoc est corpus meũ* &c. cùm eum Christus proferret, cum mendacio coniunctus fuerit necesse est:deindè eiusdem diuini sermonis efficaciam humanam actionem præstolari ac morari debuit,quod sinè horrore dici non pos- Matt.24.
sit:quandò Dei verbum humana vel actione vel omissione distine- Lucæ 21.
ri ac præpediri,atque vbì semèl prolatum est,vlla ex parte immutari Num.23.
non potest.Vide suprà xxiiij. Scripturę testimonium,fol.43.

Vndè iam porrò sequitur,quãdoquidem in sacrosancta cœna sua sanctis mãdauit Apostolis,vt quod ipse fecisset,illi itidèm deincèps facerent,hoc est,corpus & sanguinem eius diuinis ipsius verbis conficerent,eam ob rem posteaquàm sacerdos eadem verba in creaturas vel super creaturas semèl pronunciauit,confestìm & eodem momento verum corpus & sanguinem eius coràm adesse: neque tum primùm cùm porriguntur & sumũtur,illic esse incipere. Aliâs nanq;, vt quiuis potest animaduertere,verba illa humano quodam accidéte vel incidente præpedimento, vel alio modo prorsus irrita & cassa fieri poterunt:quod citra Dei contumeliam & blasphemiam dici nõ
potest.Cælum & terra, ait ipse Dominus, transibunt, verba autem Mat.24.
mea non præteribunt;adeoq; scriptura diuina passìm affirmat, vbì Lucæ 21.

Esa. 45. semèl egressum est verbum de ore Dei, nulla ratione distineri aut mutari illud posse, sed efficere id, cuius causa dictum sit.

Aduersariorum caecitas. Aduersarij quidem impendiò sibi arguti & perspicaces videntur, putantq; se solos videre, nec vident tamen, se hîc in clarissimum Dei verbum immaniter incurrere: quandò hoc sacrosanctum corporis & sanguinis Christi sacramentum, quòd ad eius constitutionem, vel ad illud constituendum attinet, parem cum caeteris sacramentis per oĩa rationem habere volunt: atq; ea causa Sacramentum hoc haud alitèr quàm caetera describunt, & communi hac descriptione comprachendunt, Sacramenta (vt Melanchthon ait, de hoc Sacramento non secùs atquè de alijs loquens) esse actiones ipsas, directas ad eum finem, ad quem institutae sunt: quarè id tantùm quod homini in Ecclesia porrigitur, esse sacramentum: cùm tamen Christus ipse hoc sacramentũ singulari quadã institutionis eius forma à reliqs sacramẽtis expressè distinxerit, vt est sup. in Eusebij Emisseni (fol. 128.) itéq; Augustini testimonijs (fol. 226.) explicatum.

Libello de vsu integri Sacramẽti: & in respõsione ad scriptum delectorum cleri Coloniensis.

Aliorũ quidẽ sacramẽtorum constitutio & efficiẽtia vel effectus, in vsu ipso & applicatione vel exhibitione cõsistit, cùm institutionis eorũ forma eò dirigat & spectet: vt vbì Dñs de baptismo ait, Baptizãtes eos in noĩe patris &c. itemq; de poenitẽtię sacramẽto, Quorũ remiseritis peccata &c. Sed lõgè alia ratio est hui' V. Sacramẽti, de quo Dñs dicit, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*: quibus diuinis & efficacibus verbis fit, vt hoc V. Sacramẽtum etiam antè quàm percipiatur vel sumatur, absolutam & integram habeat suî constitutionẽ. Neq; verò de Baptismo eundem in modum loquitur. Paulus quidem ait, Spiritumsanctum effusum in nos abundè per lauacrum regenerationis, id est, baptismum: minimè tamen asserit, Baptismum esse Spiritumsanctum: quemadmodùm Christus hîc dicit, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*. Quod igitur Aduersarij, tametsi formae institutionum huius ipsius & aliorum sacramentorum omninò discretae atque diuersae sunt, hoc nihilo seciùs V. Sacramentum, quantùm ad constitutionem ipsius attinet, cum reliquis Sacramentis parem volunt habere rationem vel conditionem: quid hoc, oro, aliud est, quàm impudens fraus & impostura, qua sua deliramenta, contra Domini verba hominibus obtrudere, inculcare & persuadere,

Matth. 28. Iohan. 20.

Tit. 3.

Cùm diuersae sint formae institutionũ huius atq; aliorum sacramẽtorum, necessè est etiã huius sacramẽti peculiarẽ & discretã esse cõstitutionem.

dere, eosque à vera fide ad suam superstitionem traducere moliuntur?

Porrò crasso nimìs illos in errore versari, etiam indè licet perspici, quòd Apostolus, vt est crebrò iam antè dictum, illos quoquè qui indignè accedunt, verum Christi corpus & sanguinem reuerà accipere testetur: Itaque necessè est etiam ante perceptionem adesse illic verum corpus & sanguinem, maximè cùm Apostolus de illis dicat, manducare & bibere eos sibi iudicium, eô quòd non dijudicent corpus Domini. Si ergò non dijudicant in perceptione corpus Domini, quid quæso eorum perceptio facit ad sacramenti constitutionem, siue ad constituendum sacramentum? Si Iudas proditor verum corpus & sanguinem Domini in Sacramento, vt Lucas testis est, licèt ad suî condemnationem, accepit: fieri non potest, quin corpus & sanguis CHRISTI ante eius fidem & impiam sumptionem in V. Sacramẽto verè ac realiter præsens adfuerit. Verùm hæc iterùm latiùs prosequi hoc loco nolim, vt quę suprà in 24. scripturæ testimonio, fol. 50. atq; aliâs abundè explicata sint.

Mali quamuis Christi corpus nõ dijudicẽt, idẽ tamẽ verè accipiunt: quod argumẽto est, sacramẽti huius constitutionẽ nõ pceptiõe, sed consecratiõe consistere.

Quòd verò ab ipsis indè Apostolis omnes sancti Patres & catholica Christi Ecclesia verba Dñi eo pacto acceperint, nõ in ipsa demùm administratione & perceptione Eucharistiæ corpus Dñi illic adesse, sed vna ac sola diuina consecratione etiam ante sumptionem sacramentum perfici, lector studiosus ex suprà allatis Patrum testimonijs facilè in memoriam redigere sibi potest.

VEtustissimus quidem ille DIONYSIVS AREOPAGITA, Pauli Apostoli discipulus, Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 3. parte 2. scribit hunc in modum: *At verò pontifex, cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ antè laudauerat, venerandus operta atque abdita signis, in conspectum agit: diuinaq́; munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem conuertitur* &c. Rursus parte 3. *Quocircà reuerenter*, inquit, *simul & ex pontificali officio, post sacras diuinorum operum laudes, quòd hostiam salutarem, quæ super ipsum est, litet, se excusat* (pontifex,) *ad ipsum primò decenter exclamãs: Tu dixisti: Hoc facite in meam cõmemorationem. Deindè tanto ministerio, ad imitationẽ Dei instituto, dign⁹ fieri postulat, & similis ipsi Christo* CAP. 3.

Sacerdos hoc Sacramẽtum cõsecratione cõficit & cõsummat, itẽq; offert vel litat & ostẽdit, atq; tum demùm ad cõmunionẽ pgreditur.

pro

pro viribus euadere, & vt Sacramenta sanctè conficiat & castè distribuat, & qui ad communionem accessuri sunt, dignè participent: sicq́ venerandissima mysteria consummat, & laudata oculis subijcit in signis sanctè propositis. Sanè opertum panem & indiuiduum aperit &c.

Audis hîc sacerdotem verbis Domini Venerabile Sacramentum conficere & consummare. Quod quid sit, habes suprà in Præfatione in Patres. Deindè offerre vel litare illud, & præsentibus reuerenter ostendere: atq; his omnibus peractis, tum demùm ad communionē accedere. Vide suprà fol. 74. & 77.

Mox vbi consecrata sunt panis & vinū, corpus Christi efficiūtur.

IVSTINVS vir Apostolicus & martyrio insignis, vt suprà diximus, ait *accepisse nos cibum qui per preces sermonis, quem à Christo accepimus, consecratus est, & quo sanguis carnesq́ nostræ communione aluntur, IESV CHRISTI eius qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse. Apostolos, enim in Commentarijs suis, quæ Euāgelia dicūtur, ità tradidisse* &c. Vide suprà fol. 86.

IRENAEVS sanctus martyr eodem ferè tēpore lib. 4. cap. 3. scribit his verbis: *Christus, q ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter suum sanguinem confessus est.* Vide suprà fol. 90. Ac multò etiam euidentiùs libro eodem: *Quemadmodùm enim, ait, qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia* &c. Vide suprà fol. 94.

Simul atq; panis percepit vocationem Dei, iam non panis est &c.

TERTVLLIANVS libro 4. contra Marcionem ait, *Christum acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecisse.* Vide suprà fol. 101.

ORIGENES lib. 8. contra Celsum, *Oblati inquit, panes vtiquè ex oratione & precibus, in sanctius quoddam corpus constantur.* Vide suprà fol. 117.

D. CYPRIANVS martyr sermōe de Cœna Dñi sic habet: *Ante verba illa,* HOC EST CORPVS MEVM, *cibus ille cōmunis tantùm nutriendo corpori commodus erat, & vita corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo à Domino dictum est,* HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, HAEC EST CARO MEA, HIC EST SANGVIS MEVS, *quotiescunq́ his verbis & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam salutemq́ proficit, simul medicamentum &*

holo-

holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens. Vide suprà fol.119.

D. EVSEBIVS EMISENVS Sermone 5. de Paschate: *Inuisibilis,* inquit, *sacerdos visibiles creaturas in substātiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit, ità dicens:* ACCIPITE ET COMEDITE: HOC EST CORPVS MEVM. Itemque: *Antequàm creaturæ inuocatiōe summi nominis consecrentur, substantia illic est panis & vini: post verba autem CHRISTI, Corpus & sanguis est Christi. Quid mirum autem est, si ea quæ verbo creauit, possit creata conuertere?* Vide suprà fol.125. & sequent.

Verbis cōsecrationis fit trāsubstātiatio, vel conuersio.

DIVVS BASILIVS in sua liturgia ità precat: *Fac me virtute sancti tui Spiritus idoneū, vt sacerdotij gratia indutus, huic sanctæ mensæ assistam, & sanctum & impollutum corpus tuum & sanguinem preciosum consecrem.* Vide suprà fol.139.

CAP. 4.

D. GREGORIVS NAZIANZENVS in carminibus de sacerdotibus loquens, *O sacrificia,* ait, *mittentes incruenta sacerdotes, O magni figmentum Dei in manibus vestris ferentes.* Vide suprà fol.146.

Vultísne aduersarij alium habere ex vetustissimorum ordine, vestrum hunc crassissimum errorem euidentissimè condemnātem? En vobis GREGORIVM NYSSENVM, cuius hæc sunt in oratiōe Catechetica: *Vt em̄ Verbi Dei gratia sanctū effecit illud corpus, cuius firmamētum ex pane constabat, & ipsum etiam quodam modo panis erat: sic etiam hic panis, vt ait Apostolus, per verbum Dei & orationem sanctificatur: non quia comeditur eò progrediens, sed statìm per verbum in corpus mutatur, vt dictum est à verbo, Quoniam hoc est corpus meum.* Vide suprà fol.149. Quînam illa vir sanctus vestrum Aduersarij errorem significantiùs tum arguere, tum damnare potuisset?

1.Tim 4. Non pptereà φ comeditur, Christi corpus est in Eucharistia, sed ob mutationem, quæ fit per verbum,

D. EPIPHANIVS in Ancorato: *Voluit,* inquit, *per gratiam dicere, Hoc meum est, Hoc & Hoc, & nemo non habet fidem sermoni. Qui enim non credit ipsum esse verum, is excidit à gratia & salute.* Vide suprà fol.150.

THEOPHILVS ALEXANDRINVS lib. Paschali 1. his verbis vtitur: *Panis Dn̄icus, quo Saluatoris corpus ostēditur, & quē frāgimus in sanctificationem nostrî, & sacer calix, quæ in mensa collocantur, & vtiq, inanima sunt, per inuocationem & aduentum Sancti spiritus sanctificantur.* Vide suprà fol.151. & sequen.

Per inuocationem & aduentum Spiritus sancti creaturæ sanctificantur.

HESYCHIVS in Leuiticum lib.6. *Nō ergò oportet nos,* ait, *habentes*

in manibus, & consummantes verum mysterium, sequi figuras.

HIERONYMVS ad Hedibiam quæstione 2. *Nos autem,* inquit, *audiamus, panem quem fregit Dominus, deditq́; discipulis suis, esse corpus Domini Saluatoris, ipso dicente ad eos: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum.* Vide suprà fol. 153. Audis hîc, corpus esse Domini, cùm Dominus dixerit, HOC EST CORPVS MEVM. Quòd verò etiam ante sumptionem corpus illud sit, audi illum ad Heliodorum de sacerdotibus scribentem, his verbis: *Absit vt de his quicquam sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt.* Simile quiddam habet in cap. 1. Epistolæ ad Titum. Vide suprà fol. 154.

Hæc verò sententia conuenienter illis Hesychij verbis accipienda est, quæ apud illum leguntur lib. 2. in Leuiticum cap. 8: *Nisi,* inquit, *Christus rogatus ore sacerdotis, ipse venerit, & cœnam sanctificauerit, & initiauerit ea quæ aguntur, nullatenus sacrificium dominicum fiunt.* Quorum hæc mens est: Cùm dicimus sacerdotem suo ore conficere corpus Domini, ità accipiendum est, illum suo ore inuocare Dominum, & verba Christi, tanquàm ministrum, proferre in oblationem, quibus verbis Christus ipse sacrificium consecret.

Sacerdotes suo ore Christi corpus cōficiunt, & vt id accipiendū sit.

CAP. 5.

Non humano opere, sed Domini verbis Eucharistia cōficitur.

CHRYSOSTOMVS idem passìm testatur. In Matthæum Homilia 83. *Non sunt humana,* ait, *virtutis hæc opera: quæ tunc in illa cœna confecit, ipse nunc quoq; operatur, ipse perficit. Ministrorum nos ordinem tenemus. qui verò hæc sanctificat & transmutat, ipse est.* Vide suprà fol. 166. Atq; apertiùs etiã Homilia de proditione Iudæ, vbì sic habet: *Et nunc ille præstò est Christus, qui illam ornauit mẽsam, ipse istã quoquè consecrat. Non enim homo est, qui proposita de cõsecratione mensæ Domini, corpus Christi facit & sanguinem: sed ille qui pro nobis crucifixus est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia.* HOC EST, ait, CORPVS MEVM. *hoc verbo proposita consecrantur.* Vide suprà fol. 169.

AMBROSIVS de his qui initiantur mysterijs, cap. 9. ità scriptum reliquit: *Quòd si tantùm valuit humana benedictio,* (putà Mosis &c.) *vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbì verba ipsa Domini Saluatoris operantur?* Itemq́;: *Liquet igitur, quòd præter naturæ ordinẽ virgo gñauit. Et hoc, quod cõficimus* (nos sacerdotes) *corp⁹, ex virgine est. Quid hîc q̃ris naturæ ordinẽ?* Et de Sacramentis lib. 4. cap. 4. hâc mouet quæstio-

quæstionem: *Consecratio quibus verbis est, & cuius sermonibus?* Et respondet: *Domini IESV.* Itemq;: *Vbi venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergò sermo Christi hoc conficit sacramentum.* Et rursus: *Antè quàm consecretur, panis est: vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Deniquè audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes, Hoc est corpus meum. Et ante verba CHRISTI, calix est vini & aquæ plenus: vbi verba CHRISTI operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.* Sermõe Christi Sacramẽtum cõficitur

Indè est, quòd vir sanctus, vt suprà dictum est, Imperatorem Theodosium seniorem, cùm is, nulla habita ratione fusi sanguinis innoxij Thessalonicæ, nihilo minùs necdùm peracta pœnitẽtia & satisfactione, templum Christi vellet ingredi, hac grauissima oratione prohibuit, ità dicens: *Quibus oculis adspicies communis Domini templum? quomodò manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat iniustus, vel iniuria fusus? quomodò huiusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus?* Consule Theodoreti historiam lib.5.cap.18.& Tripartitam lib.9. cap.30. Obserua hîc, corpus Domini in manus accipi, priùs quàm ore sumatur.

Alibì idem vir sanctus ait, *in flammeo altaris caput omnium Christum quotidiè consecrari:* Itaq; pannus ille lineus, etiam Corporale ea causa dicitur. Vide infrà. Lib.1 de virginibus.

AVGVSTINVS itidèm passìm affirmat, mox à consecratione corpus Christi in V. Sacramento præsens adesse & ferri in manibus. In Psal.33. scribit his verbis: *Christus secundùm literam* (id est, non metaphoricôs) *ferebatur in manibus suis, quandò commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum.* ferebat enim illud corpus in manibus suis. Vide suprà. Christus corpus suum ferebat in manibus suis, antè quàm illud Apostoli acciperent.

Lib.9. Confessionum, cap.13. ait *de altari dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum* &c. Si ergò de altari dispensatur, priùs in altari vt fuerit necessè est.

Lib.3. de Trinitate, cap.4: *Corpus Christi*, inquit, *& sanguinem dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritalem, in memoriam pro nobis dominicæ passionis. Quod cùm per manus hoĩm ad illã visibilẽ speciẽ pducitur, nõ sanctificatur vt* Inuisibili S. spũs operatione fit tã magnũ sacramẽtum.

fit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei. Vide suprà fol.240.

Lib.20.cõtra Faustum cap.13. *Non quilibet panis & calix*, ait, *sed certa consecratione mysticus fit nobis.* Vide suprà fol. 246.

Ante consecratioñe, panis est: post consecrationem corpus

Deniq; in sententijs Prosperi hæc eius verba legũtur: *Non similiter p̃hendimus has duas species, quemadmodùm ante consecratiõem prabendebamus: cùm fideliter fateamur, ante consecrationem panem esse & vinum quod natura formauit: post consecrationem verò esse carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit.* Vide suprà fol.239.

CAP.6.

CYRILLVS ad Calosyrium Episcopum scribit hũc in modum: *Nõ dubites an hoc verũ sit, eo manifestè dicẽte,* HOC EST CORPVS MEVM: *sed potiùs suscipe verbum Saluatoris in fide. Cùm enim sit veritas, non mentitur.* Vide suprà fol.302.

In Iohannem lib.xj.cap.22. *Nam ipsum etiam*, ait, *Domini corpus coniuncti virtute verbi sanctificatur, & ad benedictionem mysticam adeò actiuum fit, vt possit sanctificationem nobis suam immittere.* Vide sup.fol.322.

GELASIVS *sacramenta asserit in diuinam transire, Spiritusancto perficiente, substantiam.* Vide sup.fol.334.

THEODORETVS Dialogo 2. huic ab Eranist. propositæ q̃stioni, *Post sanctificationem quomodò appellas altaris dona?* ità facit respõdere Orthodoxum: *Corpus Christi & sanguinem Christi.* Et rursus: *Post sanctificationem verò non tampanis, sed corpus & sanguis Christi, seu panis vitæ nominantur.* Item: *Intelliguntur ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa sint quæ creduntur.* Vide sup.fol.338.

GREGORIVS PAPA I.lib.4.Dialo.cap.58.sic habet: *Quis ẽm fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo IESV Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnũ quoq; ex visibilibus & inuisibilibus fieri?* Intellige, Ex Sacramẽto visibili, & re sacramẽti. Vide sup.349.

In huius Gregorij I. vita Iohannes Diaconus lib.1.cap.16.scribit *eum iussisse, vt continuis triginta diebus pro defuncto fratre Iusto offerretur sacrificium, vt nullus omninò prætermitteretur dies, quo pro absolutione illius salutaris hostia non mactaretur.* En hîc salutaris offertur hostia, antè quàm percipiatur, pro vita functo, eique opitulatur.

GREGORIVS TVRONENSIS, huius Gregorij Magni æqualis

&

& εὐχῆς, in Miraculis D. Martini lib. 2. cap. 47. *Cumq; expletis, ait, Missis, populus cœpisset sacrosanctum corpus Redemptoris accipere* &c. Vides hîc Gregorio Missas iam peractas, priùs quàm inciperet populus Corpus Dominicum accipere.

IOHANNES DAMASCENVS (quo nemo ferè illustriùs testatur, verbis illis Christi, *Hoc est corpus meum*, panem in verum corpus repentè & momento transferri atq; transsubstantiari) Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 14. scribit hunc in modum: *Dixit in principio: Producat terra herbam virentem, & vsque nunc pluuia facta producit germina, diuino coadiuta & vigorata præcepto. Dixit Deus:* HOC EST CORPVS MEVM: *&*, HIC MEVS EST SANGVIS: *&*, HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM: *& omnipotenti eius præcepto, donec veniat, efficitur.* Eius generis testimonium habes apud eundem in Historia duorum militũ: vt suprà in eius testimonijs videre licet.

Vt ad Domini verbum, Producat terra &c. vsque nũc terra producit germina, ità per eius verba, Hoc est corpus meum, corpus illius efficitur.

BEDA VENERABILIS, *Panis*, inqt, *& vini creatura, in sacramẽtum carnis & sanguinis eius, ineffabili Spiritûs sanctificatione transfertur*. Vide suprà in Bedæ authoritatibus. CAP. 7.

THEOPHYLACTVS in Marci cap 14. ità scriptũ reliquit: *Cùm benedixisset Dominus, hoc est, gratias egisset, fregit panem, id quod etiam nos facimus, preces adiungendo*, HOC EST CORPVS MEVM: *hoc, inquam, quod sumitis.* Itemq;: *In illud ipsum (corpus Domini) conuertitur.* Consule suprà Theophylactum.

In 1. Cor. 11. *Si certiores, ait, essemus, quisnam & quantus sit ille, qui nobis in cõspectu adiacet, nulla fermè rei alterius ope indigeremus, sed solus ille & continentiam nobis & vigilantiam compararet.*

Hic sequitur D. Gropperus Porsenæ versionem: suprà habet eundem locũ ex versione Loniceri.

COMMENTARIVS GRAECVS in Canonẽ Græcæ Liturgiæ, exponit D. Dionysium & alios patres, cùm aiunt sacerdotem conficere & perficere sacramentum, ipsumque sacrum Canonem, verba Consecrationis complectentem, vocat orationem perfectiuam: & porrò ait: *Quandò sacerdos gratias egit, posteà sacrificat preciosa dona, & vniuersum absoluit sacrificium.* Itemq;, *Sacerdos Deũ humiliter ac demissè precatur, vt diuina verba vnigeniti filij eius, saluatoris nostri propositis donis applicentur, eaq; sanctissimum & omnipotentem spiritum suscipiant, sicq; transmutẽtur, panis quidem in preciosum & sacrum corpus, sanguis verò in incontaminatum & sanctissimum sanguinem illius. Quibus actis & dictis,*

 quic-

a consecratione, sacramentum perfectũ est.

quicquid ad sacrificium attinet, exactum est, & ad finem peruenit, donaq́; sanctificata, & sacrificium perfectum est.

Et rursus: *Magna hostia, quæ pro mundo cæsa est, in sancta mensa (altari) posita conspicitur: quod nos credere debemus, cùm Dominus dixerit, Hoc est corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem. Itemq́: Christiani de donorum istorum sanctificatione prorsus nihil dubitant, si secundùm propositum & orationem sacerdotum perficiantur.* Vide suprà.

D. Bernardus istud non testatur modò, sed repræhendit etiam ac reijcit crassum Aduersariorum errorem, perindè, vt ante eum D. Gregorius Nyssenus: idq́; inter cætera Sermone de Cœna Domini ad Petrum Presbyterum euidentissimè, vbi Dominum sic facit loquentē: *Hostia quam vides, iam non est panis, sed caro mea, quæ pependit in cruce pro mundi vita. Sanè mutatio ista, benedictionis opus est, non originis: virtus hoc facit, non vsus: effectus est potentiæ, non vsus naturæ: dignatio est, non ratio.* Quid verò contra nouum hunc errorem, cuius primi authores sunt Aduersarij nostri, atque eoipso ad Vualdensium, Henricianorum, Petrobrusianorum & Bohemorum errores accessionem attulêre, vel dici vel scribi posset luculentius?

Idem Bernardus Sermone de transitu Malachiæ Episcopi, de sanctissimis eius manibus loquens, vocat *eas manus mundissimas, quæ Dominici corporis hostiam salutarem pro peccatoribus totiès obtulissent.*

Quorsum verò attinet, Patrum repetendis testimonijs prolixiùs immorari, quandò vetustissimum illud idemq́; sacrosanctum Nicenum Concilium, quod vel solum nobis satìs esse debeat, testatur *fide nos intelligere debere, situm in sacra illa mensa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum?* &c. Vide suprà ipsum Concilium.

In mensa Domini situs est agnus Dei.

In Romano quoquè Concilio sub Nicolao 2. aduersùs Berengarium decretum ac definitum est, *Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & in veritate manibus sacerdotum tractari,* &c. Consule suprà Romanum Concilium.

Ac deindè rursus in alio Cōcilio Romano sub Gregorio septimo, *Panem & vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter conuerti in veram & propriam ac viuifica-*

viuificatricem carnem & sanguinem IESV Christi Domini nostri: & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram patris: & verum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est. Vide suprà in Concilio sub Gregorio VII.

Eundem in modum decretũ est in magno illo Lateranẽsi, itemq; Constantiensi, Basileensi, & Florentino Concilijs, Diuinorum virtute verborum creaturas panis & vini, in verum corpus & sanguinem Christi transsubstantiari. Consule suprà eaipsa Concilia.

Porrò vltra hæc omnia id obseruandum venit, sanctos Patres passìm concorditer tradere, Dominum Iesum hisce suis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, tria facienda demandâsse, videlicet, Corporis sui Consecrationem, Oblationem, ac Dispensationem: quod nos in quarto Articulo primario aliquantò fusiùs docebimus. Prætereà testari illos, sacerdotes semper à consecratione corpus & sanguinem CHRISTI populo reuerenter spectanda ostendisse, hauddubium ea adorandi causa: ac deindè patri cælesti incruentè obtulisse: atque ijs omnibus peractis, tandèm ad communionem & dispensationem vel distributionem Eucharistiæ accessisse: quibus certè perspicuè illi id innuunt, Christi corpus etiam antè quàm porrigatur, re vera illic adesse, cùm non possit alioquì vel ostendi, vel immolari.

Quæ tria hic obseruanda.

Ostẽsio & oblatio V. Sacramẽti ante cõmunionẽ, innuit, corpus Domini illic, priùs quàm communicetur, perfectũ adesse.

Horum quidem testimoniorum nõ admodùm necessaria illi fuisset repetitio, qui ea omnia quæ primo Articulo tractata sunt, diligenter lectitârit. Verùm quandò illic testimonia de vera ac reali corporis CHRISTI in V. Sacramento præsentia multò prolixiùs, præcipueq; contra alteram aduersæ partis factionem (id est, Zuinglianos, quos Sacramentarios vocant) producta sunt: hic verò error, (putà quòd corpus CHRISTI tum solùm, quandò panis porrigitur, præsens sit, extra vsum autem, neque adsit, neque verè ostẽdatur, vel spectandum exhibeatur) partis alterius iam grassantis sectæ temeraria assertione defenditur, atque apud plerosque, qui tamen nolint esse sacramentarij, istorum hominum versutis & callidis, tum verbis, tum scriptis iam horrendum in modum sua passìm capit incrementa,

nec

nec multò est Sacramentariorum insania inferior, equidē huius ipsius erroris dispellendi causa, testimonia hæc carptìm breuiterq́; pio Lectori rursus ob oculos reuocare volui, in q̄bus ceu in speculo cernere liceat, quid catholicum, quid contrà hæreticum sit. Atque his quidem priorem huius alterius primarij Articuli partem, nempè in præstantissimo Sacramento mox à consecratione, non autem tum demùm cùm porrigitur & percipitur, verum Christi corpus substantialiter adesse & permanere, expeditam velim.

V. SACRAMENTVM IN CHRISTI ECCLESIA PIÈ ASSERVARI.

CAP. 8. INdè porrò pars altera huius Articuli proficiscitur & consequitur, nimirùm quandoquidem Christi corpus peracta consecratione, vigore factæ transsubstantiationis euestigiò coràm adest in Venerabili Sacramēto, eam ob rem in catholica Christi Ecclesia, iustis de causis idem Venerabile Sacramētum aliquandiù rectè ac piè asseruari.

Id verò ità se habere, eundem in modum tum Choro om̄ium sanctorum Patrum, (qui iamindè ab Apostolis in Christi Ecclesia clari extitêre, idque piè ac religiosè fieri posse, ab ipsis Apostolis hauddubiò didicêre) tum sacrorum conciliorum decretis & sententijs liquidò testatum efficiam.

D. CLEMENTEM Petri Apostoli discipulum & sectatorē, tametsi eum Aduersarij pro se adducere moliuntur, equidem contra illos in prima acie collocabo. Is enim sanctus Pōtifex & Martyr Epist. altera ad Iacobū fratrem Dn̄i, scribit his verbis: *Tribus gradibus cōmissa sunt sacramenta diuinorum secretorum, id est, presbytero, diacono, & ministro, qui cum timore & tremore clericorum, reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, nè qua putredo in sacrario inueniatur: nè cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria. Cōmunio enim corporis Domini nostri IESV CHRISTI si negligenter erogetur, & presbyter minora non curet admonere officia, graui anathemate & digna humiliationis plaga feriatur. Certè tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quòd si remanserint, in crastinum non reseruētur, sed cum timore & tremore, cleri-corum*

Nicephorus lib. 2. cap. 38. inquit: Post Petri & Pauli obitum, Iacobi, qui frater Domini est nominatus, & Hierosolymitanam Ecclesiam administrandam suscepit, Obliasque, hoc est, Iustus appellatus est, mortem exponam.

corum diligentia consumantur. Qui autem residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conueniant, nè putent sanctæ portioni commiscere cibũ, qui per aqualiculos digestus, in secessum funditur. Hactenùs Clemens.

Hunc Clementis locum ea ex parte Aduersarij sibi, vt antè diximus, adiungere nituntur, vbi ait: *Tanta in altario holocausta offerãtur, quanta populo sufficere debeant: Quod si remanserint, in crastinum nõ reseruentur, sed clericorum diligentia consumantur.* &c. Atquì hîc ediuerso obseruandum venit, Apostolorum tempore id certam ac peculiarem suam habuisse rationem, quòd tum nihil necesse esset Eucharistiam pro infirmis & alijs absentibus reseruari, quandoquidem quotidiè perseuerantes erant in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, vt habes Actor. 2. Quæ verò prætereà hîc à D. Clemẽte traduntur, ea Aduersarij ceu imprudentes ac planè inscij prætermittunt, quòd haud obscurè intelligant ijs errorem ipsorum apertissimè condemnari. Primò nanque ait ille, tribus gradibus, videlicet, presbytero, diacono & ministro, hoc est, hypodiacono, commissa esse Sacramenta diuinorum secretorũ. Neq; est cur id cuiquã mirum videatur: vtì ex D. Laurentij martyris verbis, & quibusdam alijs antiquissimis patribus infrà fusiùs percipi licebit. Deindè reliquias & residua V. Sacramenti vocat holocausta vel hostias corporis Dominici, easq; cum timore & tremore clericorum diligentia ait consumi debere, & eos qui consumunt, aliquot posteà horis à communibus cibis abstinere. Postremò negligẽtiam, si qua hîc incidat, presbyterorum, graui anathemate censet feriendam.

Quibus certè meo iudicio vir sanctus perspicuè satìs id indicat, in V. Sacramenti à populi communione asseruatis reliquijs, verum Christi corpus etiamnùm substantialiter adesse, idemq; cum timore & tremore sumendum: ab illis verò, qui hîc negligenter agant, grauẽ corpori Dominico iniuriam inferri, pœna grauissima, quæ est Anathema, dignam, meritoque plectendam.

Diuus PIVS I. D. Clemẽtis in Cathedra beatissimi Petri successor, qui Antonini Pij Imperatoris tẽporibus vixit, & Christi causa suum fudit sanguinem, posteà decreuit, (vt De Consecrat. CAP. 9.

HHH Distinct,

Distinct.2.c. *Si per negligentiam, habetur*) *quam pœnitentiam agere debeat sacerdos, cuius negligentia aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, uel tabulam, uel altare, uel linteum altaris. Iubet ut is lingua lābatur, tabula radatur, terra, ut non conculcetur locus, corradatur, & igne cōsumatur, & cinis intra altare recondatur: linteamina autem tribus uicibus minister abluat, calice subterposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur: denique sacerdos, si in terrā stillauerit, quadraginta diebus pœniteat.*

Pœnitentia sacerdotis, cuius negligentia de sanguine Christi aliqd stillat

Itidèm postmodùm in Concilio Arelatensi sancitum est, quæ pœnitentia agenda sit sacerdoti, *qui benè nō custodierit sacrificium, & mus uel aliud aliquod animal illud cōederit: itē qui pdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit.* Habetur de Consecrat. distin. 2.c. Qui benè non custodierit.

Isthæc decreta grauissima Melanchthon non dubitat habere ludibrio: *Illa*, inquit, *diligētia, nè quid distillet, est pædagogia, quæ non multùm ad rem principalem pertinet. Sacramētum est id quod homini in Ecclesia porrigitur, non id quod rodunt mures, aut quod distillat. Sacramēta sunt actiones ipsæ, directæ ad eum finem, ad quem instituta sunt. Si metuunt nè uinū acescat, cur non metuūt, nè panis fiat mucidus? Melius est, subitò cùm opus est, consecrare. Ergò hæc fictitia pericula nō excusant prohibitionē, scilicet alterius speciei.* Hæc pericula Melanchthon fictitia dicit.

Libello de vsu integri Sacramenti.

Atquì ô Deus bone, quò hic homo deuolutus est, qui tantum sibi sumit? Hoccine est de diuinorum, quibus fit consecratio, verborum vi & efficacia rectè sentire? Hoccine est consecratū Christi corpus, & preciosum sanguinem, iuxta Pauli doctrinam, pro ut eo atquè par est, dijudicare? Id'ne Melanchthoni pædagogia quędā erit, cuius causa viri sanctissimi, itemq; Concilia in negligentes & incuriosos tam graues constituêre pœnas, adeoque Anathema ipsum, tanquàm qui eo nomine rei sint corporis & sanguinis Domini, eaque magna affecerint iniuria? Mihi quidem non videtur. Verùm nè hosce sanctos patres, quòd Romæ Diui Petri obtinuerint Sedem, plùs satìs

sibi

sibi deridendos putet, mox alia eius generis complura vetustissimorum probatissimorumque Patrum comperiet testimonia.

CAP. IO.

Atque vt ordine progrediar, à Diuo Pio ad Iustinum martyrem venio, qui eadem vixit tempestate. Is iam crebrò memorata ad Antoninũ Piũ Apologia scribit his verbis: *Vbi is qui præpositus est fratribus, gratias* (id est, Eucharisticum sacrificium) *peregit, & precibus ac gratiarumactioni populus omnis qui adest, benedixit, dicens, Amen: ij qui apud nos diaconi dicuntur, dãt unicuique eorum qui adsunt, percipiendum panem, uinum & aquam, quæ cum gratiarumactione consecrata sunt, & ad eos qui absunt, perferunt.* Vide suprà fol. 86.

Diaconi olim ad absentes perferebant Eucharistiã.

Audis hîc haud obscurè, Venerabile Sacramentum facta consecratione, (qua, sicut hic idem sanctus martyr testatur, verum corpus & sanguis CHRISTI in Eucharistia non minùs sese coràm exhibent, quàm olim verbum sempiternum in virginis vtero eadem assumpserit) etiam illis temporibus pro absentibus esse asseruatum, ijsque diaconos illud attulisse & porrexisse, quorum tamen non ea erat potestas vel facultas, vt si sacramentum non fuisset, postquàm illud eò apportârant, denuò id consecrarent: quod quidem in aperto est, & infrà fusiùs docebitur. Itaque etiam hinc facilè licet animaduerti, quàm parùm sibi constet Melanchthonis malè deliberatum consilium, melius esse, subitò, cùm opùs est, consecrare.

Soli sacerdotes potestatẽ habent Corpus Christi in altari Domini intra Missæ officiũ consecrandi.

Minimè verò Melanchthon. Ab ipsis indè Apostolis, vtì hîc videre licet, ex eorum præscripto & ordinatione id obseruatum est, vt nulli nisi sacerdotes, & ijipsi tamen non nisi in altari Domini, cùm etiamdum ieiuni Missæ sacrum faciunt & sacrificium offerunt, atq; ex illo sacrificio ipsi quoq; percipiunt, Christi corpus conficere & cõsecrare queant. Quod idem Apostolus quoq; luculenter satìs innuit, vbì ait: Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contẽnitis? Vndè nimirùm Clemẽs D. Petri discipul⁹ Epist. 3. ità ait: *Hic ergò oportet nos agnoscere uoluntatẽ Dei, ubi & agendi, & sacrificandi est locus: qm̃ in alijs locis sacrificare &*

Non vbilibèt debet confici corpus Domini.

c. Hic ergò. de Cõs. Di. stinc. 1.

C. Nullus presbyter. ibidem.

Missas celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente uidelicet ciuitatem, consecratus fuerit. Cui consentiens D. Syluester Pontifex in Epilogo Romani concilij, *Nullus, ait, presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in cõsecratis ab Episcopo locis.* Basilius quoquè in eandem sententiã scribit lib. secũdo de Baptismate, Quæstione 8. vel Sermone 2. cap. octauo: *Nobis quoquè, inquit, periculum est malè obiti mandati, si sacerdotij mysteria in locis prophanis celebrauerimus.* Ijs similia habet in Psalmum 115. sub finem. Indè adeò est, ꝙ Augustinus Corpus Christi passim altaris sacramentum appellat. Vide Epist. 50. ad Bonifacium: & lib. Confessionum 9. cap. 13. victimam nuncupat, quæ de altari Domini dispensetur.

Sacerdos cõsecrãs, debet ipse quoquè communicare.

Porrò ꝙ sacerdos corpus Domini conficere non debeat, nisi ipse quoquè illud percipiat, potest id quidem ex Leuitici 6. cap. doceri, vbì sic habetur: Sacerdos qui offert hostiam, comedet eam in loco sancto. Quamobrem vetustissimus ille Dionysius Areopag. Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 3. parte 3. ait *hunc diuinarum rerum decentissimã esse ordinem, vt priùs communicet atq; impleatur sanctus præsul his (quę per illum distribuenda sunt cæteris) diuinis donis, & sic alijs tradat.* Ità nãque etiam Christum ipsum fecisse testantur Chrysosto. in cap. 26. Matthæi, Hieronymus ad Hedibiã, & Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. cap. 3.

Sacerdos vbi cibũ potũq; accepit, non debet consecrare.

Prætereà non quouis tẽpore, maximè vbì cibum potumq; sumpsit, permissum esse sacerdoti subitò cõsecrare, ex Augustino potest animaduerti, qui ad Ianuarium scribens, inter alia his vtitur verbis: *Ex hoc enim placuit spirituisancto, vt in honorem tanti sacramenti, in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi.* Quibus conuenienter in Concilio Carthagineñ 3. Canone 29. decretum est, *vt sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur*: itemq; Concilij Aphricani canone 8. *Vt à ieiunis Deo sacrificia peragantur.* Vide exemplum terribile apud Gregorium Turoneñ lib. in gloriam Martyrũ edito, cap. 86. de Epachio presbytero, qui temerè consecrare & sacrificare præsumpsit, cùm non esset ieiunus. Iam tu mihi expendas

velim,

velim, amice lector, ánne mera quædam ac prorsus barbarica sit V. Sacramenti prophanatio & contemptio, id quod à nostris geritur Aduersarijs: quemadmodùm ex ijs quæ sequuntur, vberiùs discere licebit.

DIuus IRENAEVS martyr & pôtifex, Polycarpi eius qui D. Iohannis Euangelistæ fuit discipulus, auditor, quique sub Commodo Imperatore floruit, ea tempestate Epistolam scripsit Victori Romano Pontifici, vt Eusebius lib. 5. Ecclesiasticæ historiæ cap. 24. testatur, qua id subindicatur, Romæ tum temporis eum fuisse Ecclesiæ morem, vt Romani Pontifices extraneis Episcopis vel presbyteris, si qui Romam venissent, & essent Catholicæ religionis, Eucharistiam solenniter transmitterēt. Dubium non est, illis immanium persecutionum temporibus hoc symbolum quoddam fuisse, Romanos Pontifices eos pro catholicis & suæ communionis hominibus habere, quibus Eucharistiam trāsmittebant: hosque ediuersò declarâsse, se cum Romana Ecclesia catholicæ esse communionis. Erat, inquam, solennis hæc transmissio, symbolum quoddam communis fidei. Id verò planius fit atq; euidētius ex ea Melciadis Papæ, qui Maximiani & Maxentij persecutione martyrij palmam adeptus est, constitutione, quam Damasus in Pontificali commemorat. Is enim constituit, *vt ex consecratu Episcopi oblationes propter hæreticos dirigerentur per Ecclesias.* Hoc pacto vetustus ille Ado in Martyrologio suo hanc Melciadis constitutionem refert.

CAP. XI.

Romani Pōtifices solebāt aliundè aduenientibus presbyteris Eucharistiā solenniter transmittere.

Propter hæreticos olim cōsecrata Eucharistia ad vicinas Ecclesias mittebatur.

TERTVLLIANVS, Seueri Imperatoris temporibus clarus, non vno loco Eucharistiæ asseruationem apertissimè testatur. Libro de Oratiōe sic habet: N*ónne solennior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini & reseruato, utrunque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij.* Vide suprà fol. 109. Offēdes illic persecutionum temporibus ità more comparatum fuisse, vt Ecclesiarum præfecti vel antistites ꝓbatis Christianis Eucharistiā in mundo linteo domum absportādam, & ieiunio expleto deuotè sumendā traderent. Cuius rei idem Tertullianus testis est lib. 2. ad vxorē, vbi

Persecutionū tēpore presbyteri Christianis Eucharistiam dabāt, domū secū absportādam. Vide infrà Basilium.

eam hortatur, nè ipso defuncto alteri, præsertim ethnico, nubat. *Nō sciet*, inquit, *maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes. Et si sciuerit panem, non illum credet esse qui dicitur.* Libro quoque de Corona militis, in eandem scribit sententiam: *Eucharistia*, ait, *sacramentum & in tempore victûs, & omnibus mādatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus.* Vide suprà folio 110. & 111.

CAP. 12.

Persecu. 7.

DIVVS LAVRENTIVS Martyr, sub Decio Imperatore martyrij corona insignitè decoratus, Sixtum Papam, cuius erat Archidiaconus, cùm is ad martyriū duceretur, Christi causa mortem oppetiturus, his verbis appellare cœpit: *Quid in me displicuit pater? Nunquàm sacrificium sinè ministro offerre consueueras. Experire certè, utrùm idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem* &c. Quæ quidem verba cùm hactenùs plerique non probè caperent, verbum consecrationis in dispensationem mutârunt, sed non rectè. Hîc nanquè Dominici sanguinis consecratio ipsam Eucharistiam significat, quam veteres non rarò Consecrationem Corporis & Sanguinis, seu Sanctificationem ipsam vocârūt: vti etiā in ipso sacrosanctæ Missæ Canone habetur: *Fiat hæc cōsecratio corporis & sanguinis Domini nostri* IESV CHRISTI *omnibus nobis sumentibus* &c. Et Chrysostomus in Matthæum in opere imperfecto, *Eucharistia*, inquit, *ipsa propriè dicitur sanctificacatio, cùm sit corpus Christi, qui est ipsa sanctitatis essentia.* Ea igitur verborum D. Laurētij martyris mens est & sententia, Sixtum ipsi commisisse consecrationem, id est, ipsum V. Sacramentum custodiendum & dispensandum: id quod verba mox sequentia satìs indicant: *Cui consummandorū consortium sacramentorum tribuisti* &c. Ex quibus certè haud obscurè licet intelligi, à primis Ecclesiæ incunabulis ità Christianos sensisse, corpus Christi à consecratione in Venerabili Sacramento substantialiter adesse & reseruari vsq; ad eius dispensationem. Quod quidem etiam ex Hippolyti martyris, quem Laurētius ad fidem conuertit, passione fit manifestius, historia referente, posteaquàm D. Laurentius spiritum reddidit, *Iustinum presbyterum obtulisse sacrificium laudis pro tam celebri martyrio, eiq; sacrificio* Hippo-

lytum interfuisse. Peractis autem sanctis exequijs martyris, eundem Hippolytum abijsse domum, dedisse pacem omnibus seruis & ancillis suis, quos Christo lucrifecerat, & communicasse eos de sacrificio altaris beati Laurentij martyris: putà quod Iustinus presbyter, vt iam dictum est, consecrarat.

Quæso autem, aliquid apud te ponderis habeat hæc passionis D. Laurentij historia, vt ex qua etiam D. Ambrosius lib. I. Officiorum cap. 41. tanquàm quæ non parùm apud ipsum authoritatis haberet, pleraque de verbo ad verbum citârit.

DIVVS CYPRIANVS mori illi supradicto, cuius Tertullianus mentionem facit, consona, eaque luculenta dicit testimonia. Sermone de lapsis inter alia refert, *cùm fœmina quadam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit*, (tulerat enim illud secum ex Ecclesia) *manibus indignis tentásset aperire, igne indè surgente, deterritam esse, nè auderet attingere.* Eodem loco *quendã aliũ & ipsum maculatum* (scilicet apostasia) *narrat sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum cateris ausum esse latenter accipere: sed sanctum DEI edere & contrectare non potuisse, cinerem ferre se apertis manibus inuenisse.* Vbi mox subiungit: *Documẽto vnius ostensum est, Dominum recedere cùm negatur.* CAP. XIIII. Cùm Sacramento abutimur, Christus abscedit.

Eadem tempestate, psecutione Valeriani & Galieni Imperatorum sæuiente, vt in antiquissimis & cumprimìs fide dignis Martyrologijs 18. Calen. Septemb. annotatum videmus, *cùm pagani Tharsytiũ acoluthum & martyrem inuenissent sacramenta corporis Christi portantẽ, cæperunt disquirere quid gereret. At ille indignum iudicans porcis margaritas prodere, tamdiù ab eis fustibus ac lapidibus mactatus est, quousquè spiritum exhalaret. Et reuoluto eius corpore, sacrilegi discussores nihil sacramentorũ Christi in eius manibus aut vestibus inuenerunt.* Persecut. &c. Tharsytius martyr.

Quòd autem Eucharistia semèl consecrata, (etiamsi non tum statìm accepta sit, sed posteà porrigatur) neque possit, neque debeat denuò consecrari, quod tamen fortaßis plerique aduersæ partis in DEI contumeliam faciunt, idem Cyprianus sermone de ablutione pedum, locuples testis est his verbis: *Baptismum repeti, ecclesiasticæ phibent regulæ: & semèl sanctificatis nulla deincèps manus iterùm cõsecrãs præsumit accedere: quia contumelia esset Spiritussancti, si euacuari posset* Sacramentũ semèl consecratum, non potest denuò consecrari.

quod

quod ille sanctificat, uel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit & confirmat. Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor. & author: in cæteris homines Spiritumsanctum habuere doctorē &c. Et iterùm: *Post baptismum & Eucharistiam, quæ sui reuerentia non patitur iterari* &c. id est, semèl consecrata, denuò consecrari.

CAP. 14.

Aduersarij Clementem Alexandrinū sibi volūt adiungere, sed frustrà.

CLEMENS ALEXANDRINVS, q eodē penè vixit æuo, lib. 1. Stromatum perindè vt Patres superiores, testatur sua ætate in Ecclesia id in more positum fuisse, vt cuilibet è populo permitteretur suam Eucharistiæ partē in manus sumere. Atq; tametsi nonnulli partis aduersæ Clementem, hunc ad suam sententiam accommodare nituntur, nulla tamen ratione id ille patitur: vt qui loco iam dicto suam de reali hac veritate sententiā, apertè satìs significet, dumità scribit: *Firmum autem eius* (id est, conscięntiæ, quam ad accuratè perfecteq; eligendum ac fugiendum optimam dicit) *fundamentum est recta uita, cum ea quæ conuenit, doctrina. Quamobrem qui comederit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem homo seipsum, & sic de pane edat & de calice bibat.* Quanquàm inficiàs ire nemo potest, eū alibì de Eucharistia tectè loqui: vtì illis temporibus, quod crebrò antè diximus, etiā alij Patres, p more habuére. Verūenimuerò si eius de Resurrectione carnis liber extaret, quo suam de Eucharistia sententiam luculenter explicauit, vt ipse Pædagog. lib. 3. asserit, re ipsa proculdubiò comperiremus, eum cum reliquis patribus hac in parte modis omnibus conspirare. Nec potest id esse ambiguum, quin nihil hinc senserit aliud, quàm ipsius discipulus Origenes, cuius quidē certam de vera Christi in V. Sacramentò præsentia fidem, iam suprà prolixè retulimus, fol. 115.

Ingens & religiosa veterum Christicolarum erga Eucharistiam reuerentia.

Huc accedit, quòd apud eundem ORIGENEM præclarum extat testimonium, etiam extra & ante communionem in Eucharistia verum esse corpus Christi, idq; Homilia 13. in Exodum, vbi ista eius verba leguntur: *Volo uos, inquit, admonere religiōis uestræ exemplis: nôstis qui diuinis mysterijs interesse consuêstis, quomodò cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & ueneratione seruatis, nè ex eo parū quid*

decidat

decidat, nè consecrati muneris aliquid delabatur. Reos enim uos creditis, & rectè creditis, si quid indè per negligentiam decidat. Habes hoc idem testimonium etiam suprà annotatum fol. 114. Videat hîc Melanchthō, quàm bellè ipsi cum Origene conueniat. Origenes nanq; ait, Christianam religionem ab vnoquolibet probè Christiano id reposcere, vt cum omni cautela & veneratione caueat, nè quid parùm consecrati muneris altaris, quod ipse corpus Domini appellat, in terram delabatur. Ait nos Christianos credere, & quidem rectè credere, si quid eius nostra incuria & negligentia decidat, reos nos fieri corporis & sanguinis Domini: qua in re certum est, eum ipsum Origenem cum Clementis I. itemque Pij I. authoritatibus consentire: At Melanchthon hoc nostræ religionis exemplum, & hanc verā rectamq; fidem non alio q̄ pædagogiæ loco habet, & suprascripta pericula, q̄ Christiani cum omni cautela & veneratione p̄cauere debeant, atque eam, quam diximus, admittendo negligētiam reum fieri corporis & sanguinis Christi, Melanchthoni prorsus fictitia sunt pericula. Iam lector ipse statuat, vtri potiùs accedendum sit.

Origenis religio.

Melanchthonis impietas.

CAP. 15.

DIONYSIVS ALEXANDRINVS, Origenis discipulus, & in schola κατηχήσεων successor, quandam scripsit epistolam, cuius Eusebius Ecclesiasticæ Historiæ lib. 6. cap. 34. meminit: qua ille apertè testatur, ipsius ætate Eucharistiā pro ægrotis asseruari solitam. Ea nanque Epistola inter alia refert, *Serapionem quendam fuisse apud Alexandriam, unum ex his qui lapsi sunt, eundemq; sæpè deprecatū ut susciperetur, nec tamen impetrâsse: Oppressū deindè hūc esse ægritudine, ità ut triduo iam sinè uoce prorsus iaceret: paulùm uerò quarta die respirātem, uocâsse ad se * filiam suam, & dixisse: Quousquè, me detinetis? Quæso uos, citò aliquis presbyterū roget, ut possim aliquandò dimitti. Et cùm hæc dixisset, rursùm sinè uoce p̄mansit. Abijt cursu puer ad presbyterum noctis tempore. Infirmabatur presbyter, uenire non potuit, tamen quia præceptum fuerat à me, ut lapsis in exitu nemo reconciliationis solatia denegaret, & maximè his, quos priùs id rogâsse constaret, parùm Eucharistiæ puero qui ad se uenerat, dedit, quod infusum iussit seni præberi. Regrediente adhuc puero, antequàm regrederetur domum,*

Eucharistia semper pro ægrotis asseruata.

Serapion.

* aliàs, nepotem ex filia.

mum, rursum Serapiō respiciens: *Redisti, inquit, fili? Et: Licèt presbyter uenire non potuit, tu tamen imple quod tibi præceptum est, ut poßim discedere. Cumq; esset completa solennitas, uelut catenis quibusdam uinculisq; diruptis, lætiorem iam spiritum reddidit.* Atquè huius rei narrationem pia hac adhortatione (quæ apud Aduersarios nostros Sacraméti hostes, quippe viaticum impiè exibilantes, nullius est ponderis) Dionysius ille concludit: *Ex quo, inquit, constat certißimè, huius boni auxilio nullum debere fraudari.* Est hoc nimirùm eiusmodi testimonium asseruatæ pro ægrotis Eucharistiæ, nemo vt illi possit refragari: vndè id quoquè discimus, quélibet ad extrema perductum, inprimis hoc se viatico & diuini huius boni auxilio communire debere.

Zuingliani viatică parvipendunt.

Cuius quidem etiam alia duo extant duarum martyrum præclara exépla, putà Hilariæ quæ sub Numeriano, & Luciæ quæ sub Diocletiano Imperatoribus pro Christo perpessæ sunt: quarum vtraque iamiamque animam fusura, cùm inter gentilium manus in martyrij agone esset posita, sacrosanctam Eucharistiam, quæ dubiò procul non tum primùm, sed aliquandiù antè cōsecrata fuit, accepit, moxq; à cælestis illius perceptione viatici, spiritum suum Domino reddidit. De Hilaria quidem sic se habet: *Dum tracta à paganis fixisset gradum, rogauit eos ut suam ipsi orationem complere permitterent. Sicq; accepit Sacramentum Domini, & manibus expansis in orationem se demisit, & inter orandum spiritum reddidit.* Fit hinc verisimile, eam pro illorū more temporum Eucharistiam penès se asseruatam habuisse. De Lucia verò sic eius narrat historia: *Iussu Pascasij tandèm gladio in gutture merso percussa, nihilo minùs quàm diù uoluit orauit, quàm diù uoluit turbā circunstantem allocuta est: nec omninò mortua est, donec uenientibus sacerdotibus, communionem Dominici corporis & sanguinis acciperet.*

Persecut. 10.

Hilaria.

Lucia.

Ex Adonis Martyrologio, sub Idib. Decembris.

CAP. 16.

IAm porrò ad antiquissimi & sacrosancti illius Niceni I. Concilij testimonium agè procedamus. Synodus hæc, cui, vt antè dictum est, ex toto orbe 318. sancti Episcopi interfuêre, perspicuè docet & innuit, ea tempestate in tota Ecclesia Catholica

eum apud omnes morem fuisse, vt Venerabile Sacramentum à consecratione & populi communione aliquandiù asseruaretur, vtì nè Christiani, si posteà ijs fortè temporibus, quibus non posset confici, ea qua decet deuotione illud peterent, eo carere cogerentur. Adeoque Synodus ista morem hunc ceu Christianæ religioni consentaneum & pium, expresè confirmat & approbat, atque hinc Canone 14. ità decernit: *Peruenit ad sanctum Concilium, quòd in locis quibusdam & ciuitatibus, presbyteris sacramenta diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut ij, qui offerendi sacrificij non habent potestatem: his, qui offerunt, corpus Christi porrigant. Sed & illud innotuit, quòd quidam diacones, etiam ante Episcopos sacramenta sumunt. Hæc ergo omnia amputentur, & accipiant secundùm ordinem post presbyteros ab episcopo, uel à presbytero sacram communionem. Quòd si non fuerit in præsenti uel episcopus, uel presbyter, tunc ipsi proferant & edant.* Soli sacerdotes possunt sacrificare.

Hunc verò canonem, ea qua dictum est ratione accipiendum esse, illud argumento est, quod in fide digno codice Ordinis Romani, cuius ceu authentici in Canonibus crebra fit mentio, in Rubrica feriæ quartæ in capite ieiunij, his ipsis verbis scribitur: *Si autem necessitas euenerit, & presbyter nõ fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentiam, ac det sanctam communionem.* Eucharistiæ asseruatio.

Vides hìc Diaconis à Concilio eam factam potestatem, vt sacram communionem, id est, corpus CHRISTI ab episcopo vel presbytero priùs consecratum, si episcopi vel presbyteri non possit haberi copia, & proferre, & porrigere, & sumere queãt: id quod infrà ex D. Hieronymo fusiùs docebitur.

Eiusdem Concilij Canone 13. Dionysij Alexandrini pia de viatico porrigendo sententia approbata & decreta est his verbis: *De his uerò, qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obseruabitur etiam nunc, ità ut si fortè quis recedat ex corpore, necessario uitæ suæ uiatico nõ defraudetur. De omnibus his, qui à corpore recedunt, in tradẽdo eis communionem, & cura, & probatio sit episcopi.* Vndè nullo potest negocio animaduerti, sacrosanctum viaticũ in eos vsus ꝑ ægrotis & emigrã- Viaticũ quin morituris porrigatur, nullo pacto negligendũ est.

tibus semper esse asseruatum. Nanquè alioquì si nullum esset reseruatum viaticum, multi hauddubiò vel nocturnis, vel alijs quibus fas non est consecrare viaticum, horis, subitò exitialibus correpti morbis, absque supremo illo necessario viatico & communione è corpore emigrâssent: cùm tamen concilium velit, cura & diligentià atque probatione Episcopi agendum esse, vtì nè quis viatico defraudetur.

CAP. 17. OPTATVS AFER, Mileuitanus episcopus, temporib' Valentis & Valentiniani Imperatorũ acerrimè inuehitur in impios sacrilegosq; Donatistas, quòd sacra vasa quibus Christi corpus & sanguis asseruata & delata essent, cóminuissent, colliquefecissent, & in mercatu publico impiè distraxissent. Contra Parmenianum quidem lib. 6. scribit his verbis: *Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiã calices Christi sanguinis portatores, quorum species reuocâstis in massas, mercedem nefarijs nundinis prouocãtes: ad quam nec emptores eligere voluistis sacrilegi, dum inconsideratè uendidistis.* Hactenùs ille.

Calices sunt sanguinis Christi portatores.

Audis hîc sanctum hunc virũ, calices nuncupare sanguinis Christi portatores, eosq; etiam illius iam tum seculo ex materia preciosa, putà auro & argento confectos fuisse, quos insani Donatistæ diripere & conflare, in nundinis suis distrahere, & quandam indè pecuniæ summam conficere non dubitârint. Ecquid verò censes Optatum, si eum in hæc nostra tempora incidere cõtigisset, in sceleratissima Aduersariorũ nostrorum sacrilegia, quæ illi in Deum & ædes sacras designant, dicturum fuisse?

BASILIVS MAGNVS, qui ijsdem claruit temporibus, de Eucharistiæ asseruatione peculiarem quandam scripsit epistolam ad Cæsariam patritiam, quæ Græcè extat. Pia hæc & religiosa matrona, præ reuerentia & timore non erat ausa manibus suis, vt tum adhuc in Ecclesia moris erat, Christi corpus attingere, secumque domum abs-portare, frequentis & assiduæ cõmunicationis gratia. Illi igitur scribit Basilius hunc in modum: *Et communicare per singulos dies, & participare de sacro corpore & sanguine Christi, pulchrum & valdè utile est,*

Mos Ecclesiæ primitiuæ.

ipso

ipso manifestè dicente: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Quis enim ambigit, quin frequens uitæ participatio, nihil aliud sit quàm pluribus modis uiuere? Nos idcircò quater in singulis hebdomadis communicamus: in die Dominico, in quarto die hebdomadæ, in Parasceue, & in Sabbato, ac in alijs diebus, si qua memoria fuerit sancti alicuius. Illud autem, in persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam, non præsente sacerdote aut ministro (id est, Diacono) *communionē propria manu sumere, nequaquàm esse graue, superuacaneum est demonstrare, propterea quòd longa consuetudine, hoc ipso rerum usu confirmatū est. Omnes enim in eremis solitariam uitam agentes, ubi non est sacerdos, communionem domi seruantes, à seipsis communicant.* In Alexandria *uerò & in* Aegypto, *unusquisq; eorum qui sunt de populo, plurimùm habet communionem in domo sua. Semel enim sacrificium sacerdote consecrante & distribuente, meritò participare & suscipere, credere oportet. Etenim & in* Ecclesia *sacerdos dat partem, & accipit eam is qui suscipit cum omni libertate, & ipsam admouet ori propria manu. Idem igitur est uirtute, siue unam partem accipiet quisquam à sacerdote, siue plures partes simul.* Hactenùs Basilius.

Ioann. 6

Aetate Basilij Christiani quatèr in hebdomada cōmunicārunt.

Obserua, morem hunc longè ante Basilij tempora fuisse.

Credēdū est, vbi sacerdos semel consecrauit Sacramētū, posteà & asseruari, & porrigi piè posse.

Ex hac Epistola manifestè cernere licet, quod iam suprà in Tertulliani testimonijs attigimus, persecutionum tempore tum eum in Christi Ecclesia morem fuisse, vt sacerdos peracto sacrificio, cuilibet Christiano id petenti interdùm vnam, nonnunquàm plures partes præberet, domum absportādas, & pro cuiusque deuotione à seipso percipienda, quandoquidem persecutionum immanitas non sinebat quotidianos celebrari Ecclesię conuentus atque cœtus: adeoq; discimus hinc, etiam eremitas perpetuò apud se in desertis Eucharistiam asseruâsse, eamq; subindè cum deuotione sumpsisse. Deniq; testatur hîc Basilius eum morem non sua demùm ætate cœpisse, sed antiquitùs, & vltrà quàm quisquam meminisse posset, perpetuò in vsu fuisse.

AMPHILOCHIVS ICONII EPISCOPVS, ad quem Basilius Magnus librū de Spiritusancto, & Cōstitutiōes exercitatorias scripsit, in eiusdem Basilij vita rēfert, *quòd cùm is rogâsset Dominū, vt daret ipsi gratiam, & sapientiam atq; intellectum proprijs sermonibus offerre sacrificium,* CAP. XVIII

& scribere ministrationis vel liturgiæ mysteria, quadam nocte aduenientem Dominum in visione cum Apostolis, & propositionem panis facientem in altari, excitâsse Basilium, eiq́; dixisse: Secundùm postulationem tuam repleatur os tuum laude, &c. *Tum verò surrexisse Basilium, & accessisse ad altare, atque celebrâsse officium, & post finem orationum exaltâsse panem, & eum deindè in tres diuisisse partes, quarum vnam communicârit cum timore multo, alteram reseruârit secum sepeliendam, tertiam verò imposuerit columbæ aureæ, pendenti super altare. Postremò sub vitæ finem dispositam sibi consepelire sumpsisse tertiam partem, quæ à Domino data fuerat ei, communionis, & recumbentem in lecto gratias egisse,* &c.

D. Basil. partem vnam Eucharistiæ inclusit colūbæ aureæ pēdēti super altare.

Nè tibi admirationi sit lector, quod hîc audis de columba aurea super altare, memineris in Actis V. vniuersalis Constantinopolitani Concilij annotatum, Clericos & Monachos Antiochiæ apud Iohannem Patriarcham & Synodum Constantinopoli coactam accusâsse Seuerum hæreticum, *quòd is neque ipsis sanctis altaribus pepercisset, neque sacris vasis parcens, alia autem conflans, suî similibus erogâsset: præsumpsisset etiam columbas aureas & argenteas in formam Spiritussancti super diuina lauacra & altaria appensas, vnà cum alijs sibi appropriare, dicens nō oportere in specie columbæ Spiritumsanctum nominare,* &c. Ex his potes Lector priscum morem animaduertere.

IN VITA MARIAE Aegyptiacæ, insigni pœnitentia illustris, quam Paulus Ecclesiæ Neapolitanæ diaconus conscripsit, legimus eam breui è corpore decessuram, sanctum Zosimam rogâsse ad Iordanem, *vt iret in pace ad monasterium suum, & vespere Dominicæ cœnæ acciperet diuini corporis & viuifici sanguinis portionem in vase sacro, dignoq́; tanti mysterij, & afferens sustineret ipsam in parte Iordanis, vt veniens ipsa, acciperet dona viuifica. Id verò fecisse Zosimam: cumq́; ad littus Iordanis venisset, vidisse illum sanctam fœminam, super liquidum aquoris fluctum quasi per solidum iter ad se venire. Zosima autem stupente, & genua flectere nitente, prohibuisse eam his verbis: Quid facis Abba? Quia sacerdos Dei es, & diuina portas mysteria. Deindè dicto symbolo fidei & oratione Dominica, viuifica mysteriorum diuinorum eam suscepisse dona, & extensis in cælum manibus, & cum lacbrymis ingemiscentem, ità dixisse: Nunc dimittis ancillam tuam Domine secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

Vide Chrysostomū homil. 17. in epist. ad Heb. vbi ait hos eremitas I anno semèl participâsse, & fortassis post duos annos semèl.

Abbas Zosimas Eucharistiā in vase sacro acceptā, ad Iordanē vsque deportauit, & Mariæ Aegyptiacæ porrexit.

Lucæ. 2.

Hactenùs

Hactenùs quidem de asseruato viatico: nunc ad eum reuertamur morem quondàm in Ecclesia vsitatum, quo benè probatis Christianæ religionis professoribus Eucharistia domi sumẽda porrigebatur.

DIVVS HIERON. Apologia aduersùs Iouinianũ testis est, suo æuo, cùm iã sæua psecutionis in Christianos motę tẽpestas deseuijsset, eam consuetudinem Romæ etiamdum perdurâsse. Eius verba hæc sunt: *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, vt fideles semper Christi corpus accipiant: quod nec reprehendo, nec probo. Vnusquisque enim in suo sensu abundat. Sed ipsorum conscientiam conuenio, qui eodem die post coitum communicant, & iuxta Persium, noctem flumine purgant: quarè ad martyres ire non audent? Quarè non ingrediuntur Ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clausum est: & tenebræ quoquè lucent apud Deum. Probet se vnusquisque, & sic ad corpus Christi accedat.*

CAP. XIX.

Rom. 14. D. Hieronymi quoquè sæculo Christiani Eucharistiam domi habuére.

Esaiæ. 66 Psalm. 138 1. Corin. 11

Obserua, quid hoc loco D. Hieronymus reprehendat. Apostolus instituit eos, qui in matrimonio degunt, vt orationis causa ad tẽpus abstineant à re venerea. Porrò Romani licèt concubuissent cũ vxoribus, nihilo minùs quotidiè communicare volebant: interìm tamen eo die, quo concubuerant, non erant ausi martyrũ basilicas ingredi, vt illic Dominicũ corpus perciperent: metuebant enim, nè id eis malè cederet. Sciendũ est enim, eos qui sibi munditiæ non essent cõscij, olim ad martyrum sepulcra accedere pertimuisse. Quamobrẽ de seipso quoq; D. Hieronymus ità scribit aduersùs Vigilantiũ: *Quandò iratus fuero, & aliquid mali in animo meo cogitauero, & me nocturnũ phantasma deluserit, basilicas martyrum intrare non audeo: ità totus & corpore & animo pertremisco.* Ratio huius erat, quòd diuino quodã miraculo illic plerunq; res perpetrata, etiam propria interdùm ipsorum confessione, ipsis inuitis prodebatur. Vide hinc Augustinũ Epist. 137. de miraculis factis ad corpus martyris Felicis Nolensis: & Sulpitium in vita Martini Dialog. 3. cap. 7. Obiurgat igitur Hieronymus Romanos, cùm se ob nocturnos fœminæ congressus inidoneos putarent, qui in martyrum basilicis communionem acciperent, quòd nihilo seciùs nulla concubitùs habita ratione, domi cõmunicare vellent: hoc ipso testatum satìs efficiẽs, suis etiamnùm perindè àc Basilij temporibus, homines Eucharistiam communicationis gratia domi asseruâsse.

1. Corin. 7

Olim, qui sibi munditiæ non erant cõscij, martyrũ sepulcra adire formidabant.

Idem

Idem ipſe alibi apertè teſtatur, ipſius ætate etiã ſanctiſsimos epiſcopos Euchariſtiam aſſeruâſſe ac deportâſſe. Extrema epiſtola ad Ruſticum monachum, laudat S. Exuperij Toloſæ epiſcopi benignitatẽ in pauperes: *Sanctus, inquit, Exuperius Toloſæ epiſcopus, viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios, & ore pallente ieiuniis, fame torquetur aliena: omnemq́; ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogauit.* Mox addit: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.* Quibus id vult Hieronymus, D. Exuperium tanta fuiſſe benignitate & liberalitate erga inopes Chriſtianos, vt, nè grauem illi paterentur penuriam, interdùm cùm vaſorum aureorum non ſuppeteret copia, corpus & ſanguinem Chriſti in caniſtro vimineo & vitreis vaſculis geſtârit. Cernis hîc igitur, D. Exuperium corpus & ſanguinem Domini in vaſis quibuſdam portâſſe.

D. Exuperius corpus Christi in canistro vimineo portauit.

Sectarij quidem ex vaſculorum, quibus ſancti patres interdùm aſſeruandi & deportandi venerabilis Sacramenti cauſa vſi ſunt, vilitate, etiam ipſum venerabilem Sacramentum in contemptum quendam adducere moliuntur: ſed quid eo poſſit eſſe dementius? maximè cùm haud ſit obſcurum, etiam Patrum ætate aureas patenas, ciboria aurea, turres aureas & aureos calices in vſu fuiſſe, vt iam antè ex Optato potuit animaduerti, & ex ijs quæ ſequuntur, fuſiùs licebit perdiſcere. Quòd verò illi charitatem Chriſtianam erga viua CHRISTI membra, vrgente neceſſitate, rebus omnibus anteponendam cenſuerunt, id nimirùm eſt, quod in illis laude & prædicatione effertur.

Fuerunt etiã olim precioſa vaſa in vſu, quibus Sacramenta aſſeruarentur.

Cæterùm quandò Diuus Hieronymus libro de ſeptem Ordinibus Eccleſiæ, Gradu 6. pulchrè ſubindicat, qua ratione ſupraſcriptus Niceni Concilij de aſſeruanda Euchariſtia Canon accipiendus ſit, equidem locum illum quin huc adſcribam, cõmittere nõ poſſum. Verba D. Hieronymi iſtiuſmodi ſunt: *Nulla in cõficiẽdo corpore Chriſti inter presbyteros & Epiſcopos credẽda diſtantia eſt: & Euchariſtiã iãpridẽ per presbyteros benedictã (ſi uſus exegerit) Epiſcopi accipere debẽt, ac ſe Chriſto & plenitudini (id eſt, Eccleſiæ) eius cõmunicare cognoſcere.* Et paulò pòſt: *Nec ego dico præſentib. epiſcopis atq; aſtãtib. altari presbyteros poſſe ſacramenta conficere. Sed ſi fortè uſus exegerit, ut uenientes ad Eccle-*

Ephe. 4.

ecclesiam sacerdotes eisdem horis, quibus aut oblatio parata non sit, aut non possit offerri, non debere episcopum repudiare Eucharistiam presbyterorũ, si ponatur in altari &c. Memineris verò lector, Hieronymum hic sacerdotum nomine solos Episcopos significare, qui eo seculo soli sacerdotes dicebantur, presbyteri verò tantùm presbyteri.

CAP. 20.

EX his igitur id accipe, non quouis tempore fas esse consecrare Eucharistiam: atq; ea causa semper in Christi Ecclesia eam esse asseruatam, maximè in peregrinorum & ægrotorũ vsum, quô ea nunquàm non in promptu haberetur. Luterani quo pacto contra hæc veniãt, ipsi viderint, nec tamen tueri se possunt. Sacramentarij verò magna impietate Viaticum omninò contemnunt, tametsi Nicenum cõcilium id necessarium iudicauit. Hortantur suos extremum trahentes spiritum, vt tantùm credant: atque hac eos cælesti priuãt alimonia, eo præsertim tempore, quo ea cumprimìs eis esset necessaria.

Postremò Diuus Hieronymus Epistola ad Theophilum Alexandrinum Episcopum, cuius paschales libros in linguam Latinam transtulit, scribit his verbis: *In opere tuo utilitatem spectauimus ecclesiarum, ut discant qui ignorant, eruditi testimonijs scripturarum, qua debeant ueneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacrosq; calices & sancta uelamina* (id est, corporalia, in quibus Domini corpus tractatur) *& cætera quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania & sensu carentia, sanctimoniam non habere, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini, eadem qua corpus eius & sanguis, maiestate ueneranda*, Hucusquè Hieronymus.

Corporalia & calices pro sanctis habenda sunt, quãdoquidem corpus & sanguis Domini in eis cõtinetur & tractatur.

CAP. 21.

DIuus Chrysostomus quoquè, haud secùs atquè superiores Patres omnes, nulla ratione cum Aduersarijs consentit. Libr. 6. de Sacerdotio sic habet: *Quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & uidisset ipse, & audijsset, quòd qui de hac uita emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab angelis, illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum, hinc rectà in cælum abducuntur.*

Quòd autem illius ætate, adeoque in ipsius ecclesia Constantinopolitana, Eucharistię vtraque species quandoquè ad tempus asseruata sit, ipse luculenter testatur Epistola ad Papam Innocentium, cuius initium est, Etiam antequàm redditæ sunt &c. referturq; idem à Nicephoro lib. decimotertio, cap. decimonono. Hac igitur epistola queritur Chrysostomus, *hostes ipsius magno Sabbato* (id est, Paschæ die) *iam ad uesperam uergente, in ecclesias, ubi iam ad baptismum parabantur homines, irrupisse, & multos uulneribus affecisse, adeò ut lauacra ipsa uel baptisteria & sacri latices purpureo sanguinis colore inficerentur.* His verò mox adiungit: *Verùm ne in hoc quidem ærumna hæc constitit. Sed ubi sanctum repositum est, eò milites ingressi: quorum nonnulli, sicut accepimus, Christianis sacris initiati non erant, penitiùs omnia perlustrârunt: & sanctißimus Christi sanguis, in tanto scilicet tumultu, in eorum qui dicti sunt, militum uestimenta effusus est.*

Hæc ex Nicephoro descripta sunt.

Chrysostomi temporibus Eucharistia peculiarẽ in templis locũ habuit, vbi reposita seruaretur.

Discis hinc, ipso Chrysostomo referente, Eucharistiam in sanctuario seruatam, & quanto illi fuerit horrori, eam illos etiam, qui baptizati non essent, impiè conspexisse: deniquè in eo tumultu sanctissimum sanguinem in militum vestes effusum: quę tamen nostris Aduersarijs hodiè ridicula viderentur.

Porrò eius quoquè ætate Christianis Eucharistiam in manus datam, vtì eam posteà pro sua deuotione perciperent, videre est apud illum de Sacerdotio lib. 3. cap. 3. & ex Historia Ecclesiastica Sozomeni lib. 8. quos locos nos tum proferemus, vbì ad extremum Articulum ventum erit.

CAP. 12.

DIuus Ambrosius de asseruatione Eucharistiæ apertissima dicit testimonia, in Oratione funebri de obitu fratris sui Satyri, de quo scribit hunc in modum: *Quid obseruantiam eius erga Dei cultum prædicem, qui priusquàm perfectioribus esset initiatus mysterijs, in naufragio cõstitutus, cùm ea qua ueheretur, nauis scopuloso illisa uado, & urgentibus hinc atque indè fluctibus solueretur, non mortem metuens, sed ne uacuus mysterij exiret è uita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium sacramentum poposcit,*

poſcit, non ut curioſos oculos inſereret arcanis, ſed ut fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atq; ità ſe deiecit in mare, non requirens de nauis compage reſolutam tabulam, cui ſupernatans iuuaretur, quoniam ſolius fidei arma quæſierat. Itaque his ſe tectum atque munitum ſatis credens, alia auxilia non deſiderauit. Simul fortitudinem eius ſpectare licet, qui fatiſcente remigio, non quaſi naufragus tabulam ſumpſerit, ſed quaſi fortis ex ſeipſo, adminiculum ſuæ uirtutis aſſumpſerit:(ſcilicet adminiculum fidei in Chriſtum, quem in V. Sacramento ad collum ſuum præſentem haberet.) *Nec deſeruit ſpes, nec fefellit opinio. Denique primus ſeruatus ex undis, & in portum terrenæ ſtationis euectus, præſulem ſuum, cui ſe crediderat, recognouit: ſtatimq; ubi etiam cæteros ſeruulos ſuos uel ipſe liberauit, uel liberatos comperit, negligens facultatum, nec amiſſa deſiderans, Dei eccleſiam requiſiuit, ut ageret gratias liberatus, & myſteria æterna cognoſceret, pronuncians nullum referendæ gratiæ maius eſſe officiũ* &c. Hactenùs ille.

Obſerua hîc, vt fideles quõdam per mare iter facturi, Euchariſtiam ſecũ ſumpſerint: vtq; eam Satyrus ceu vnicũ p̃ſidiũ & auxiliũ ſuũ ad collũ geſtârit.

Hæc ſanè euidenti ſunt argumento, Chriſtianos olim nullum neque terra, neque mari, periculoſum iter facilè ingredi voluiſſe, niſi Euchariſtiam ſecum haberent, nè periculo imminente, abſq; ſalutaris huius viatici perceptione decederent.: tum quoquè, ſi illud ſecum haberent, in illo ceu certiſſimo diuino auxilio & præſidio, ſpem ſuam omnem collocatam habuiſſe. Iam verò, ſi Euchariſtiæ aſſeruatio ità ſe haberet, vt Melanchthon & reliqui partis aduerſæ ſcriptitant, pius hîc Satyrus, omnium quos vnquàm orbis habuerit, ſceleratiſſimus idololatra vt fuerit neceſsè erit, adeoque vnà cum illo etiam Ambroſius ipſe, qui Euchariſtiam aſſeruatam, diuinum hîc vocet fidelium ſacramentum, æterna myſteria, auxilium, adminiculum fidei & arma fratriſq; ſui Satyri fidem inconcuſſam eo potiſſimùm nomine tantoperè commendet & prędicet, quòd is necdùm baptiſma conſecutus, in memorato illo ſupremo diſcrimine ſuo, in ipſa Euchariſtia ceu vnico perfugio ac prędidio ſpem collocârit ſuam, idemq; prędidium & auxilium ex illius diuina virtute re ipſa compererit.

In calice, sanguis Christi, in corporali omnium nostrum caput Christus cõsecratur.

Didicisti prætereà iam antè fol.191. vt is lib.2. officiorum cap.28. *calicem appellet uas aureum dominici sanguinis, quo redempti sumus: atque eiusmodi aurea & sacra uasa non nisi ob captiuos Christianos ex infidelium manibus redimendos, uendi posse affirmet.* Vtq; primo de Virginibus libro corporale vocet *flammeum, in quo caput omnium Christus quotidiè consecratur.* Iam si Christi corpus & sanguis in corporali & calice seruantur, certum est etiam ante perceptionem ea illic adesse.

D. Ambrosius Eucharistiam noctù ad se apportari voluit, cùm ageret in extremis.

Atque vt minùs hæsites, quidnam vir sanctus de Eucharistia pro morbo correptis asseruata senserit, Paulinus, qui vitam eius conscripsit, asserit paulò ante obitum ipsius noctù ad eum apportatum corpus Domini, quo accepto, mox spiritum feliciter reddiderit. Ipsius Paulini verba adscribemus: *Eodem tẽpore, quo à nobis migrauit ad Dominum, ab hora circiter undecima diei, usque ad illam horam, qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis orauit. Nos uerò labia illius moueri uidebamus, uocem autem non audiebamus. Horatus autem sacerdos ecclesiæ Vercellensis, cùm in superiora domûs se ad quietem composuisset, tertiò uocem uocantis se audiuit, dicentisq; sibi: Surge, festina, quia modò est recessurus. Qui descendens, obtulit sancto Domini corpus. Quo accepto, ubi glutiuit, emisit spiritum: bonum uiaticum secum ferens, ut in uirtute escæ anima refectior, angelorum nunc consortio, quorum uita uixit in terris, & Heliæ societate lætetur.*

Audis hîc Horatum sacerdotẽ corpus Christi sancto viro de nocte celeriter attulisse & porrexisse.

CAP. 23.

DIuus Augustinus, æquè vt Origenes, indicat, *quanta solicitudine obseruârint Christiani, quandò corpus Christi ipsis ministrabatur, ut nihil de ipso in terram caderet.* Homil.26. libro 50. Homiliarum: *utq; uiri omnes communicare uolentes, lauerint manus suas, & omnes mulieres nitidum exhibuerint linteolum, ubi corpus Christi acciperent.* Sermone 252. de Tempore. Vide suprà fol.268.

Quàm longè aliter quondàm pij Christiani de consecrata Eu-

Id temporis sanè multò alitèr Christiani de corpore Christi, priùs quàm illud ore acciperent, sensêre, atquè nostri Aduersarij, qui si quid eius décidat vel distillet in terram, nihil morantur. Non enim

habent

habent id loco sacramenti, sed suis proculcant pedibus.

SEDVLIVS planè cõsentanea Augustino scribit in cap. II. prioris ad Corinthios: Verba eius hæc sunt: *In linteum, uel in uas sordidũ nemo corpus Domini mittere audet* &c. Vide suprà in Sedulio. fo. 331.

charistia senserit, atque nostri Aduersarij.

CYRILLVS, cuius vnius testimonium meritò nobis sufficere deberet, ad hanc Aduersariorum insaniam tum cognoscendam, tum detestandam, ad Calosyrium Episcopum scribit his verbis: *Audio quòd dicant mysticam benedictionem, si ex ea remanserint in sequentem diem reliquiæ, ad sanctificationem inutilem esse. Sed insaniunt hæc dicentes. Non enim alius fit Christus, neq; sanctum eius corpus immutabitur sed uirtus benedictionis & uiuifica gratia manet in illo.* Hæc ille. Quid verò his asserit aliud, quàm aduersæ partis hoc de articulo errorem, merã quandam esse insaniam? Corpus Christi, ait, semèl consecratum, non immutatur, sed virtus benedictionis & viuifica gratia manet in illo etiam cùm seruatur: scilicet, quandiù species externæ incorruptæ manent. Equidem sic sentio, si quid illi frontis haberent, Cyrillum hunc, & cum eo Basilium, Gregorium Nyssenum & Bernardum illis meritò os opprimere debere.

Aduersæ partis assertio, non pmanere corpus Christi in Eucharistia, mera quædã insania est.

CAP. 24.

PRudétius insignis poeta Christianus, qui sub Archadio & Honorio Imperatorib. clarus extitit, in Peristephanon de D. Laurentio, scribit gentilem Romanæ Vrbis præfectum, sanctum martyrem his compellâsse verbis:

Hunc esse uestris orgijs
Moremq; & artem, proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro antistites:
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq; nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

En vt à consecratione in sacris vasis illis corpus & sanguinẽ Christi haberi, semper adeò certa fides fuerit, vt etiam ethnicos non lateret.

Nihil certiuš est, q̃ Christianos semp ità credidisse, à cõsecratione corpus & sanguinẽ Christi in sacratis vasis haberi.

Remigius ad præcedentes prophetias natus est sub Valentiniano 2. anno 449. factusque est Rhemorum Episcopus sub Leone 1. Anno 471.

D. REMIGIVS RHEMENSIS ARCHIEPISCOPVS, is qui Gallorum vocatur Apostolus, eò quòd Clodoueum primum Franciæ Christianum regem, anno salutis 499. temporibus Anastasij Imperatoris baptizârit, & cælesti confirmârit Chrismate, scripsit in Apostolum præclara commentaria, quæ necdùm in omnium venêre manus: idemq; egregia mireq; luculenta præbet testimonia, mox à diuina consecratione, corpus & sanguinem Christi substantialiter & esse & permanere in altari, donec percipiantur.

In 10. caput prioris ad Corinthios, scribit his ipsis verbis: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne cōmunicatio sanguinis Christi est? Idcircò primùm calicem nominauit, quia posteà de pane plus erat disputaturus. Calix autem benedictionis dicitur, qui benedicitur à sacerdotibus in altari. Appellatur & ipse calix communicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo, partemq; sumunt ex sanguine Domini, quem continet in se. [Et panis quem frangimus] in altari [nónne participatio corporis Domini est?] Vtiquè primùm cōsecratur & benedicitur à sacerdotibus & spiritusancto, & deindè frangitur, cùm iam, licèt panis uideatur, in ueritate corpus Christi est: & ex quo pane quicunq; communicant, corpus Christi edunt. [Quoniam unus panis] subaudis, Christi [& unum corpus] Christi [multi sumus] qui comedimus illum panem. Caro, quam uerbum Dei patris assumpsit in utero uirginali in unitate suæ personæ, & panis qui consecratur in Ecclesia, unū corpus Christi sunt. Sicut enim illa caro, corpus Christi est: ità iste panis transit in corpus Christi: nec duo sunt corpora, sed unum corpus. Diuinitatis enim plenitudo, quæ fuit in illo, replet & istum panem: & ipsa diuinitas uerbi, quæ implet cælum & terram & omnia quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod à multis sacerdotibus per uniuersum orbem sanctificatur, & facit unum corpus Christi esse.*

Mox à consecratione, est verè corpus Christi, quod verbum assumpsit.

Coloss. 2. Hiere. 23.

Egregium hoc est & præclarum testimonium, non modò substātialiter & personaliter Christum Deum & hominem in V. Sacramēto præsentem adesse, verùm etiam ante hostiæ fractionem, mox à cōsecratione illic re vera coràm haberi, tametsi secundùm externā speciem panis etiamnùm adesse videatur: itemq; facta consecratione, in calice Christi sanguinem re vera contineri. Adeoque sanctus hic Episcopus,

Episcopus, vt eius post multos intermedios successor Hincmarus, qui vitam illius prolixè conscripsit, testatur, tempore præsulatûs sui calicem quẽdam fieri curauit, quales olim ministeriales calices vocabantur, quòd ijs temporibus, quibus Ecclesiastica disciplina & V. Sacramenti huius fides meliori loco erat, sanguis indè Domini fidelibus ministraretur. In hoc calice vel vase ab ipso consecrato, eius iussu versus isti ab ipso compositi, sculpti fuêre:

Hauriat hinc populus uitam de sanguine sacro,
Iniecto æternis quem fudit uulnere Christus:
Remigius reddat Domino sua uota sacerdos.

Quod uas, ait Hincmarus, *in Rhemensi basilica ad nostra usq; tempora perdurauit, donec in redemptionem datum est Christianorum: ut à ministris diaboli Nortmannis redimeret precium argentei calicis, quos de potestate tenebrarum redemerat effusus sanguis calicis*, Christi videlicet passionis. Quæ pulchrè cum Ambrosij dictis consentiunt, vt videre licet suprà fol. 191.

SYMMACHVS, integer & celeberrimus Ecclesię Romanę Pontifex, qui Anastasij Imperatoris fuit temporibus, vt in libro Pótificali in eius vita annotatũ est, super altaria duarũ basilicarum Syluestri & Andreę Romæ duo argentea ciboria fecit: quæ dubium non est vasa fuisse, quibus Eucharistia asseruaretur, quæ hodieq; ciboria appellantur. CAP. 25. Ciboria.

D. BENEDICTVS è Nursia Italiæ prouincia oriundus, qui sub Iustino I. Imperatore claruit, cuiq; D. Gregorius I. lib. 2. Dialog. ingentem tum propheticam, tum Apostolicam gratiam tribuit, Eucharistiam non modò à consecratione seruari iussit, sed eius etiam virtute magna effecit miracula, vtì apud D. Gregorium videre licet libro 2. Dialog. cap. 24. atque infrà in 4. Articulo primario latiùs referetur.

EVAGRIVS Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap. 36. nedũ testis est, in V. Sacraméti reliquijs verũ esse corpus Chr̃i, sed illud etiã clarissimo quodã nec cótẽnendę authoritatis miraculo cófirmat, quod Menę patriarchę Cóstãtinopolitani téporib' sub Iustiniano Imperatore con-

Nota, Particulæ reliquæ immaculati corporis Christi Dei nostri.

re contigerit. *Vetus consuetudo,* inquit, *Constantinopoli est, ut ubi multæ admodùm particulæ immaculati corporis Christi Dei nostri superfuerint, pueri impuberes ex ijs qui scholas frequentant, accersantur, illisq́; absumendæ dentur. Hoc cùm factum esset, accidit ut cum eiusmodi pueris congregatus fuerit uitriarij cuiusdam Hebræi filius, qui parentibus suis de causa moræ interrogantibus, quid factum esset, & quid cum alijs pueris comedisset, significauit. Pater illius ira & furore commotus, in furnum eum ardentem, in quo uitrum formare solebat, inclusit. Cùm autem filium mater quærens, inuenire non posset, passim in urbe circuibat, Deum obtestans & eiulans. Tertio die ad ostium officinæ mariti sui stans, puerum ex nomine lacera & cum lamentis inclamabat. Ille agnita matris uoce, è furno illi respondit. Mater ruptis foribus ingreditur, introq́; constituta, uidet puerum stantem in medio carbonum, & ab igne intactũ. Qui interrogatus, quomodò illæsus permansisset: Mulier, inquit, purpura uestita, crebrò ad me ueniens, aquam porrexit, illaq́; uicinos carbones extinxit, cibumq́; mihi dedit quoties esuriui. Hoc cùm Iustiniano narratum esset, filium quidem ac matrem lauacro regenerationis illuminatos seruauit: parentem uerò, quoniam Christianis accenseri non sustinebat, in Sycis, tanquàm homicidam filij sui, cruci affixit:* (Nicephori tralatio Latina habet: In ficum arborẽ perindè atquè in crucem egit) Habentur hæc eadem in Nicephoro lib. 17. cap. 25.

In latino Nicephoro habetur: Mulier illustris, purpurea amicta stola &c.

GREGORIVS TVRONENSIS hoc idem miraculum ad lõgum recitat in opere in gloriam plurimorum martyrum edito, de miraculis sanctissimæ Dei genitricis, cap. 9.

Vndè nimirùm perspici licet, remanentes corporis Christi, omninò iam absoluta communione, particulas, in Græca Ecclesia nõ pro communi pane, sed pro immaculato Dei ac Domini nostri Iesu Christi corpore semper esse habitas: itemq́; innocentem illum Iudaicum pusionem, vi V. Sacramẽti à furni ardentis igni, in cuius medio toto triduo perstitit, prorsus illæsum permãsisse. Si qua ratione ad sanitatem reduci possent Aduersarij, hoc sanè miraculo non mediocriter illi ad resipiscendum moueri deberent.

SEXTVM

SEXTVM VNIVERSALE CONSTANTINOpolitanum Concilium, quod eiusdem Iustiniani Imperatoris tempore celebratum est, non parùm etiam huc facit. Nôsse enim retulerit, Græcam Ecclesiam, in Quadragesimæ ieiunio sacrosanctam Eucharistiam non nisi in sabbatis dominicisq; diebus consecrâsse: reliquis verò diebus, liturgia vsos iam antè consecratorũ sacramentorum, cum in vsum asseruatorum, propter eos qui per hebdomadam communicare vellent. Testatur hoc eius Concilij canon 52. his verbis: CAP. 26. Græca Ecclesia in Quadragesima per hebdomadã antè cõsecratis est vsa sacramentis.

ἐν πάσαις ταῖς τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς τῶν νηστειῶν ἡμέραις, παρεκτὸς σαββάτου, καὶ κυριακῆς, καὶ τῆς ἁγίας τοῦ εὐαγγελισμοῦ ἡμέρας, γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία,

hoc est, *In omnibus sanctæ Quadragesimæ ieiuniorum diebus, præter sabbatum & Dominicam, & sacrum Annunciationis diem, fiat antè consecratorum sacrum ministerium.*

Vt igitur apud Græcos in more positũ fuit, & fortaßis etiãnũ est, vt per totam Quadragesimam, demptis sabbatis & dominicis diebus non consecrent, sed antè consecratorum munerum duntaxat faciant ministerium vel liturgiam: ità in sancta Romana Latinaq; Ecclesia, iamindè ab Apostolis, vt Nicolaus Lyranus testatur, more comparatum est, vt in sacrosancta parasceues die Eucharistia non conficiatur, sed officium V. Sacramẽti pridiè illius diei consecrati & seruati, perceptione peragatur. In Latina Ecclesia indè ab Apostolis in parasceue sancta, Missæ officium Eucharistia pridiè consecrata perag: solitum

Ijsdem ferè temporibus, sub Pelagio Papa 1. habitum est CONCILIVM TVRONENSE 2. in quo disertis verbis Canone 3. statutum est, *Vt corpus Domini in altari, non in armario,* (quod nos sacrarium dicimus) *sed sub crucis titulo componatur.*

Paulò post Iustiniani imperiũ sub Tiberio 2. Imperatore, & Guntramo rege Frãciæ, in Gallijs coactũ est CONCILIVM MATIscõnẽse 2. insigne illud certè & magnæ cuiusdã authoritatis cõciliũ: vbì expreßè de Eucharistiæ reliquijs decretum atque constitutum est, eundem ferè in modum, quo olim Constantinopoli, vt ex Euagrio suprà protulimus. Sextus eius Cõcilij Canõ inter cætera sic habet: *Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur. Quæ-* Reliquiæ cõsecratæ Eu-

charistiæ vt olim absumptæ in Gallijs.

cunq; reliquiæ sacrificiorũ post peractam Missam in sacrario superfederint, quarta uel sexta feria innocentes ab illo, cuius interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis ieiunio, easdem reliquias conspersas uino percipiant.

Præterea etiam D. GREGORII I. tempestate Eucharistiam asseruatam esse, probatione non indiget. Vide suprà fol. 345. In vita eius, quam nos modò in Ecclesijs legimus, ità scriptum est: *Quod uir Domini cernens, illi cõmunionem sacram retraxit, & separatim super altare reposuit, eamq; diacono seruandam, usq; dum cuncti communicarẽt fideles, tradidit.* Refertur quoquè de illo, libro Pontificali in vita eius, quòd instar Symmachi Pontificis, *ad beatum Petrum Apostolum, super altare ciborium fecerit cum columnis quatuor ex argento puro.*

Ciborium.

Tum etiã Iohannes Diaconus, cuius suprà meminimus, in eiusdẽ Gregorij vita lib. I. cap. 32. scribit, *fideles, qui cum Maximiano Syracusano Episcopo iam iamq; naufragium facturi uidebantur, sibimetipsis pacem dedisse, & corpus & sanguinẽ redemptoris accepisse.* Nota hîc, quod etiã antè annotauimus, Christianos olim pelagus ingressuros, Eucharistiam secum in nauim accepisse, vtì nè mortis impendente periculo, salutari illo viatico fraudarentur.

Christiani olim mare ingressuri, Eucharistiã secũ tulere.

CAP. 27.

Ante annos mille eiuscemodi vasa fuere, qbus Eucharistia seruaretur & circunferretur, vt hodie sũt, quæ mõstrãtias vocant.

IAm verò iisdem temporibus asseruandæ Eucharistię peculiaria quædam destinata vasa fuisse, eaq; eiusdem formæ, cuius hodiè sunt, quæ vulgò Monstrantias vocant, putà turris instàr, GREGORIVS TVRONENSIS in opere, in gloriam Martyrum edito, cap. 85. sub titulo, Nõ esse tractãda sacra animo polluto, testatur his verbis: *Dies passionis erat Polycarpi martyris magni, & in Ricomagensi uico ciuitatis Aruernæ, eius solennia celebrabantur. Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas Canon sacerdotalis inuexit, tempus ad sacrificium offerendum aduenit: accep taq; turre diaconns, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingressusq; est templum, ut eam altari superponeret: quæ elapsa de manu eius, ferebatur in aëra, & sic ad ipsam aram accedentem, nunq uàm eam manus diaconi potuit assequi,* &c.

Videtur illo seculo mos eiusmodi fuisse, vt posteaq̃ Episcopi Missæ sa-

sæ sacrum absoluerant, corporis & sanguinis Christi seruatum V. Sacramentum in ciborio suo in episcopium (id est, Episcopi habitatioñe, quæ tẽplo vicina & proxima fuit) perferretur, atq; illic in Antistitis Oratorio asseruaretur, donec iterùm vel martyrum, vel alijs festis diebus in basilica, publica Missarum solennia celebraret: tum verò Diaconi seruatam Eucharistiam in turri vel ciborio suo, ex Episcopio in basilicam reuerenter referrent, & altari imponerent: id quod infrà ex Concilio Bracareñ 3. alijsque testimonijs prolixiùs indicabitur.

Deindè * Vitelliani Papæ temporibus sub rege Vuambano, aliâs Bamba dicto, in Hispanijs habitum est Concilium Toletanum 11. in quo expresè de Viatico, id est, ægrotorum communione actum & decretum atque constitutum est: cui rei ansam præbuit primum Cõcilium Toletanum, sub Archadio & Honorio Imperatoribus celebratum: in quo ille, cuius crebrò meminimus, vetustus Ecclesię mos, quo ob persecutiones superiorum temporum, Christianis Eucharistia dabatur domum absportanda, abrogatus est, ea ratione, quòd is posteà in abusum mutatus esset.

* Vitaliãi

In Hispanijs.

Mos antiquus, vt Christiani secum Eucharistiã domum absportarent, abrogatus est.

Quamobrem etiam 24. Canone eius Concilij sancitum est, *ut si quis acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, uelut sacrilegus propellatur.* Is, inquam, Canon occasionem præstitit, vt in 11. Concilio Toletano hinc ageretur. Cùm enim interdùm eueniret, vt in extremis constituti, V. Sacramentum corporis CHRISTI sub vna panis specie, sub qua sola illis temporibus (vt ex iam dicto Concilio potest animaduerti) ad eiusmodi ægrotos perferebatur, præ nimia oris ariditate absque calicis perceptione deglutire non possent, atque ità licèt inuiti, reijcere compellerentur, plerique ægrotos illos, qui id fecissent, iuxta Canonem 14. quem diximus, primi Concilij Toletani, pro sacrilegis habendos existimabant. Eam ob rem memoratum 11. Concilium Toletanum capite vndecimo declarauit, iam dictum 14. Canonem primi Concilij discretè & prudenter accipi oportere, non de illis quidem, qui in supremo sint spiritu constituti, & Eucharistiam ob immodicam oris siccitatem deglutire non possint: sed de illis duntaxat, qui eam

Olim, perindè vt hodieq;, ad ægrotos Eucharistia sub altera specie apportabatur.

in Ecclesia accipiant, & tamen de industria eam in os mittere nolint: *Cùm & infidelis*, inquit Canon, *infideliter hæc talia agat, & fidelis fidenter accipiat, quod naturalis illum necessitas deglutire non sinat. Solet enim humanæ naturæ infirmitas, in ipso mortis exitu prægrauata, tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus refici, sed uix tantùdem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu uidimus, qui optatum suis uotis sacræ communionis expetentes uiaticum, collatam sibi à sacerdote Eucharistiam reiecerunt: non quòd infidelitate hæc agerent, sed quod præter Dominici calicis haustum, traditam sibi non possent eucharistiam deglutire. Non ergò huiusmodi à corpore Ecclesiæ separandi sunt, qui talia non infidelitate, sed necessitate fecerunt, præsertim ij, de quibus nihil fidei sinistræ sentitur*, &c.

Legẽdũ esse, præter, non, propter Dominici calicis haustum, res ipsa indicat: quod & Conciliorũ collector annotauit.

Habes hîc sanè illustre testimonium, qua ratione ægrotorum cómunio ante annos mille administrata sit.

CAP. 28.

CIrca idem tempus, anno quarto Vuambani regis, 3. Concilium Bracareñ habitum est: cuius Canone 5. crassus quidã abusus quorũdam tumentiũ Episcoporum abrogatus est. Abusum hũc (quem Canon detestandam præsumptionẽ vocat) pleriq; Episcopi in circũferendis Eucharistiæ reliquijs inuehere uitebant. *Etenim in solennitatibus martyrũ ad Ecclesiã progressuri, & publica Missarũ solennia in basilica celebraturi, reliquias coporis Dominici collo suo imponebant, sicq; ex episcopio per Leuitas albis indutos in sellulis in basilicam deportabãtur, quasi ipsi essent reliquiarum arca, ut maioris fastûs apud homines gloria intumescerent.* Hunc crassum abusum & detestandam præsumptionem Concilium illud castigauit & abrogauit. Canonis huius initium est: *Bona siquidem res est, diuina sacerdotibus* (id est, Episcopis, qui id temporis peculiariter dicebantur sacerdotes) *contrectare mysteria. Sed cauendum ualdè est, nè hoc quisq; ad usum prauitatis suæ intorqueat, unde soli DEO de bona conscientia placere debuerat.* Deindè exposito illo abusu, sequit̃ cõstitutio: *Et ideò*, inquit Concilium, *antiqua in hac parte & solennis consuetudò seruabit, ut in festis quibusq; diebus, arcã Domini cum reliquijs, nõ Episcopi, sed Le-*

Abusus quorundã Hispaniæ Episcoporũ: cuiuſmodi etiam nostra ætate uisus est in Episcopo quodam iam uita functo.

uitæ in humeris gestent, quibus & in ueteri lege onus idem impositum nouimus esse præceptum. Quòd si & episcopus reliquias per se deportare elegerit, nō ipse à diaconibus in sellula uehatur, sed potiùs pedestri eo unà cum populis progressione procedente ad conuenticula sanctarum ecclesiarum, sanctæ Dei reliquiæ per eundem episcopum portabuntur. Iam uerò qui hæc instituta sciendo adimplere distulerit, quandiu in officio fuerit, à sacrificando cessabit.

En vt quondàm populus diebus festis episcopum ex episcopio in ecclesiam deduxerit: quod idem suprà ex D. Gregorij Turonen̄ testimonio licet animaduerti: vtq; asseruata Eucharistia in ecclesiam, haud alitèr atquè in processione, populo deuotè & religiosè sequente, reuerenter perlata sit. Quòd enim Canon iste non de sanctorum martyrum, sed de corporis Christi reliquijs agat, ex ijsipsis, vndè sumit exordium, facilè potest verbis intelligi: *Bona siquidem res est,* inquit, *diuina sacerdotibus cōtrectare mysteria:* quæ verba sunt Canonis procemiū, è quo canonis institutum intelligitur. Item: *Vt in festis quibusq; diebus arcam Domini cum reliquijs &c.* Item: *Sanctæ Dei reliquiæ per eundem episcopum portabuntur.*

BEda venerabilis his posterior, itidèm asseruatæ sacrosanctæ Eucharistiæ dicit testimonia. In vita Vilfridi episcopi, cap. 14. scribit, *Puerulo cuidam monacho aduersa ualetudine laborāti, beatissimos apostolorum principes apparuisse, eiq; dixisse, se illum eadem die ex hoc exilio ad cælestia regna perducturos. Itaq; clamaret & uocaret ad se presbyterum Eappan, eiq; diceret, ut ipsum uiatico corporis & sanguinis Dominici muniret.* Sequitur posteà, *mandâsse presbyterum, ut infirmanti huic puero de sacrificio Dominicæ oblationis particula deferretur: eaq; accepta, eodem die, ut illi erat reuelatum, puerum esse defunctum.* CAP. 29.

Eucharistia puero monacho apportata.

In vita Hildę Abbatissæ sanctum quendam monachum, Cedmon dictum, refert etiam sui obitûs præscium fuisse. *Cùm enim ea nocte, qua de seculo erat transiturus, ut ipse significârat, quidam amici eius uicissim aliqua gaudente animo unà cum eo loquerentur ac iocarentur, quòd nequaquàm adhuc moriturus esse uideretur, & iam mediæ noctis tempus esset*

En vt Eucharistia in promptu habita sit propter eos qui breui vel subitò morituri videbantur.

transscensum, interrogauit si Eucharistiam intus haberent. Respondebant: Quid opus est Eucharistia? Neq; enim mori adhuc habes, qui tam hilariter nobiscum uelut sospes loqueris. Rursus ille: Et tamen, ait, afferte mihi Eucharistiam. Qua accepta in manu, interrogauit si omnes placidum erga se animum, & sine querela controuersiæ ac rancoris haberent. Respondebant omnes, placidissimam se mentem ad illum, & ab omni ira remotam habere: eumq; uicissim rogabant, placidam erga ipsos mentem habere. Qui confestim respondit: Placidã ego mentẽ filioli erga omnes famulos Dei gero. Sicq; se cælesti muniẽs uiatico, uitæ alterius ingressui parauit.

Postremò D. Bernardus Sermone de Cœna Domini ad Petrum presbyterum, succinctè iuxta àc luculenter ait, *Sacerdotem Deum suum tenere, & alijs dando porrigere.*

In summa, In Romana Latinaque Ecclesia, id est, in Italiæ, Galliæ, Hispaniȩ, Britanniæ & Germaniæ (sub quibus regnis cætera omnia compræhensa volo) ecclesijs, Eucharistiam pro ægrotis semper reuerenter asseruatam, potest insupèr ex plerisque alijs concilijs & Ecclesiasticis decretis & constitutionibus planum testatumque fieri.

In quodam peruetusto de Pœnitentia codice, quem penès me habeo, (est verò liber pœnitentialis aut Ecclesiæ Romanȩ, aut Theodori, aut Bedȩ presbyteri) quædam inserta est Admonitio, vt Episcopus in sancta Synodo Clerum suum admonere debeat: quæ etiam in lib. Decretorum D. Burchardi Vuormatieñ Episcopi, in principio libri post eius vitam habetur. In eius Admonitionis ca.15. inter cætera hæc leguntur: *Super altare nihil ponatur, nisi capsa & reliquię, aut fortè quatuor Euangelia, aut pyxis cum corpore Domini ad viaticum pro infirmis.* Quod sanè idem cum illo est, quod D. Gregorius Turoneñ, vt paulò suprà memorauimus, scriptum reliquit, *diaconum accepta turre, in qua mysterium dominici corporis habebatur, ingressum esse templum, vt eam altari superponeret.*

Pyxis cũ corpore Domini quondàm in altari posita.

Item eodem lib. pœnitentiali, ca.13. corporalis quoquè mentio fit: *Corporale*, inquit, *mundissimũ sit.* Et ca.11. cauetur, *nè quis in ligneo, aut in vitreo calice audeat Missam cãtare:* (nõ dubiũ, quin ob vitandũ periculum.) Et ca.12: *Nè qua fœmina ad altare Dñi accedat, neu calicẽ Dñi cõtingat.*

gat. Et ca.6. dicitur Clero: *Vasa sacra manibus proprijs abluite & extergite.* Et ca.7 *Nullus cantet Missam, nisi ieiunus.* Huius autem Admonitionis vetustas indè potest aduerti, quòd illis temporibus (vt ibidèm ca.47. & 52. habetur) pręceptũ adhuc fuit, *vt nullus baptizare pręsumeret, nisi in vigilia Pascha & Pentecostes, nisi pro periculo mortis: & vt tribus temporibus in anno, id est, in natali Domini, Pascha & Pentecoste, omnes fideles ad communionem corporis & sanguinis Domini accedere admonerentur.*

IN Concilio Rhemeñ, vt citatur de Cõsecratiõe, Dist.2. cap. Peruenit, statuunt ac decernunt Patres his verbis: *Peruenit ad notitiã nostram, quòd quidam presbyteri intãtùm paruipendãt diuina mysteria, ut laico uel fœminæ sacrũ corpus* Domini *tradãt ad deferendũ infirmis: & quibus prohibetur, nè sacrarium ingrediãtur, nec ad altare appropinquẽt, illis sancta sanctorum committũtur. Quod q̃ sit horribile, quamq́; detestabile, omniũ religiosorũ animaduertit prudentia. Igitur interdicit per omnia synodus, nè talis temeraria præsumptio ulteriùs fiat, sed omnimodò presbyter per semetipsum infirmum communicet.* CAP.30. C.1. de vita & honestate clericorũ, ex cõcilio Moguntino.

Equidem cùm hunc atq; eius generis alios canones, & priscorũ Patrum scripta lego, atq; animaduerto, quanta olim veneratione & reuerentia Christiani celsissimũ Eucharistię sacramentũ, & Chr̃i altaria prosecuti sint: ac ediuersò, q̃ horrendum in modũ idem illud diuinum sacramentum hodiè contemnatur & proscindatur, Christiq́; ecclesiæ & altaria prophanentur: quodam interdùm horrore corripior, ob imminentes prępotentis Dei animaduersiones, vindictam & supplicia, quę necessariò sequi debebunt, illisq́; præcipuè luẽda erũt, qui, cùm possint hęc corrigere & amoliri, nihilominùs dissimulare & conniuere videntur.

IN Concilio Vuormatieñ, perindè vt in Rhemensi, sancitũ est, *ut presbyter Eucharistiã semper habeat paratã, ut quãdò quis infirmatus fuerit, statim eũ communicet, nè sine communione moriatur.* Habetur de Consecrat. Distinct.2. ca. Presbyter. CAP.31. Eucharistia in ecclesijs semp esse parata debet ꝑpter infirmos.

Deindè in magno illo œcumenico Concilio Lateraneñ sub Innocentio 3. rursus de asseruanda & custodiẽda Eucharistia sancitum & decretum est Sub titulo de Chrismate & Eucharistia sub sera conseruanda: *Statuimus*, inquit Concilium, *vt in cunctis ecclesijs chrisma* Cur Eucharistia diligenti cura asseruetur.

&

& Eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruentur, ut non possit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia uel nefaria exercenda. Si uerò is, ad quem spectat custodia, ea incautè reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur: & si per eius incuriam aliquid nefandum indè contigerit, grauiori subiaceat ultioni.

Quæ pœnitentia imponenda sit ijs, qui sacrum altare, sanctaq; dominici corporis & sanguinis vasa, insupèr & sanctum chrisma pollutis arripere manibus, quasi vilia & ad communé vsum apta præsumpserint, habes in Canone Nicolai 1.12. Quæst. 2.

CAP. 32.

Incuria sacerdotum illius ætatis, quæ hodiè longè maior est.

Ad extremùm, Papa Honorius, qui Innocentio 3. mox successit, idem posteà peculiari quadam constitutione renouauit, quę habetur c. Sanè, de celebratione Missarum, his verbis: *Nè propter incuriam sacerdotum diuina indignatio grauiùs exardescat, districtè præcipiendo mandamus, quàtenùs à sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo & signato semper honorificè collocata, deuotè ac fideliter conseruetur. Sacerdos uerò frequēter doceat plebem suam, ut cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerēter inclinet: idem faciens, cùm eam defert presbyter ad infirmum: quam in decenti habitu, superposito mundo uelamine, ferat & referat manifestè ac honorificè ante pectus cum omni reuerētia & timore, semper lumine præcedente, cùm sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & deuotio augeatur. Prælati autem huiusmodi mandati punire non differant transgressores, si & ipsi diuinam & nostram uolúnt effugere ultionem.*

Conseruatio.

Veneratio.

Ardēs lumē. Sap. 7. Heb. 1.

Aduersarij quidem eam in curam incumbunt, hominibus vt persuadeant, postremam hanc constitutionem, nouam quandam humanamq; Honorij pontificis adinuentionem esse, cùm tamen ex superioribus testimonijs perspicuè liceat animaduerti, nihil in ea, quod nouum sit, contineri. Nimirùm Honorius sua ætate haud vulgarem quorundam sacerdotum Deum non timentium incuriam deprchédit, quòd prestantissimum Sacramentum non eo honore & reuerétia afficerent, vtì par erat, atq; à cunctis è religiōe Christianis iam indè ab Apostolorum temporibus affectū fuerat: cuiusmodi negligentiam & incuriam etiā nostro proh dolor æuo in plerisq; cernere est.

Honoriū qd permouerit, hanc vt constitutionem ederet.

Hoc

Hoc ergò tam immane crimẽ amoliri,& in prçuaricatores volẽs animaduertere Honorius,quẽadmodùm fidum ac integrum decebat pastorem,ex sacrorũ canonum superiorũ prçscripto hanc fecit cõstitutionem, & vbiuìs diuulgari ac enunciari iussit. Longè verò aliud est, ex seipso quippiam noui comminisci, q̃ propter negligentes & præuaricatores statuere & iubere, vt quod semp rectũ & Christianç religioni cõsentaneum fuit,id deincèps quoquè, nisi iustas velint pœnas luere,ab omnibus obseruetur.Quòd aũt illi,qui sacerdotio funguntur,ea re haud vulgariter Deum offendãt,si eius sacramentis cõgruũ non habeant honorẽ & reuerentiã,id sanè Honorius è suo non finxit cerebro,sed ex ipsis petijt scripturis diuinis,putà ex 1.Reg.2.& 3. & 1.Cor.11.Atq; nec illud nouum est, vt Eucharistia loco speciali vel singulari in ecclesijs pro ægrotis magna cum reuerentia & timore custodiatur & asseruetur:sed nec illud quidẽ, vt cùm in Missa eleuatur, aut aliquò defertur, summa cum veneratione & reuerentia adspiciatur & honoretur:id quod ex vetustissimis,Clemẽte,Dionysio,Pio,Chrysostomo,& alijs omnibus licet animaduerti. Emisenus Eusebius:Suscipe,inquit,honora,mirare.Deniquè nec illud ceu nouum haberi potest,quòd semper lumine prçcedente deferenda est, cùm id in confesso sit, catholicã Ecclesiam ab ipsis suis incunabulis, tractandis sacramentis,& huic præsertim diuinissimo Sacramento, semper ardentes cereos vel luminaria adhibuisse: vt paulò suprà ex Prudentio in agone D.Laurentij annotatum est:

Auroq; nocturnis sacris
Adstare fixos cereos. Sup.fol.441.

Et D.Hieronymus aduersùs Vigilantium testis est,*per totas Oriẽtis ecclesias, quandò(in Missæ officio)legendum erat euangelium,accensa esse luminaria iam sole rutilante:ut sub typo luminis corporalis, illa lux ostenderetur,de qua in psalterio legimus: Lucerna pedibus meis uerbum tuũ Domine,& lumen semitis meis*,&c.Eum igitur in modum etiam Honorius hìc ait,lumen illud materiale,quod fertur ante Eucharistiam, id nobis significare debere,Dñm in eadẽ adesse prçsentem, qui sit candor lucis æternç:quẽ etiam D.Ephræm & Chrysostomus ignẽ cælestem appellant.Quòd si cui collibitum est, consulatættereà licet de ac- Psal.118. Sap.7. Heb.1.

MMM cenden-

cendēdis sub altaris sacrificio cereis ac luminaribus 2. Nicenam Synodum, quę est 7. Oecumenica. Iam verò cui omnia hactenùs citata & prolata asseruandæ eucharistiæ testimonia nō satisfaciunt, illi ego certè non video qua possim ratione mederi.

Vnum tamen est, quod Aduersarij contra eiusmodi asseruationem mirum in modum vrgent & iactitant, nempe, Hesychium lib. 2. cap. 8. in Leuiticū, testari, ipsius ætate quęcūq; de V. Sacramento remansissent inconsumpta, igni fuisse tradita: atq; in eandem sentētiam etiā Origenē allegant Homilia 5. in Leuiticum, qui tamen eo loco de reliquiarū eiusmodi per ignem consumptione nihil penitùs habet, sed hoc solùm dicit, Dn̄m panē quē discipulis dabat, & dicebat eis, Accipite & māducate, nō distulisse, nec seruari iussisse in crastinū. Verùm vtroq; hoc loco nihil illi efficiunt. Hesychius enim haud obscurè id asserit, Eucharistiam mox à consecratione, & quādò ostēditur & cōspicitur, atq; etiam antè quàm porrigatur, esse verū corpus Christi: *Quandò, inquit, ad comestiōem sacrificij deficimus, & comedere illud integrè non possumus, mente forsan lassescente siue deficiente, utrùm ea, quæ uidentur, corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculis nec angeli possint prospicere, non relinqui, sed etiam tradi ea igni oportet spiritus, ut ea comedat, quæ nobis sunt ex infirmitate inesibilia. Quomodo autem comedat? cùm cogitauerimus uirtute spiritus esse posibilia ea, quæ nobis impossibilia uidentur.*

Quanquàm ego nō admodùm refragor, olim quibusdam locis reliquias Eucharistiæ, quas communiōe peracta posteà nemo esset percepturus, igni esse traditas. Cùm enim externæ illæ terrestres & permanentes V. Sacramenti species corrumpi possint, si ipsum V. Sacramentum nemo velit sumere, quî tandèm possint illæ, nè qua ex earū corruptione V. Sacramento iniuria, irreuerentia & cōtemptus irrogetur, cōuenientiùs & digniùs absumi, q̄ si purissimo ignis elemēto, quē ipse Dn̄s se interdùm appellauit, & in quo etiā Patribus nonnūquàm apparuit, reuerenter commendentur? maximè cùm id citra vllā fiat corporis Dominici lęsionē, vtpotè ad quod ignis operatio non possit pertingere: quādoquidem illud in Eucharistia tandiù pręsens sese exhibet, donec species incorruptę permanent, & Eucharistia re-

Deu 4. 9. Hebr. 12. Exo. 3 13. 19.

uerenter

uerenter potest accipi. Adeoq; etiam hodiè, si quo casu ex improuiso quippiá ex Eucharistia reliquum sit, quod sumi nō possit, igni reuerenter traditur, & ex Pij Pontificis decreto, cinis eius intra altare reconditur. Vide cap. 5. Concilij Aurelianeñ.

Porrò alioquì tum Origenem, tum Hesychiū de Eucharistiæ asseruatiōe, maximè pro peregrinis & morbo correptis, cùm tam multa indè sanctorum Patrum, qui partìm ante eos, partìm illis æquales & contemporanei fuére, vt suprà videre licet, extent testimonia, nihil comperti habuisse, equidem vt credam adduci non possum. Origenes enim Alexandriæ scholæ κατηχήσεων præfuit. Qui verò illic antiquus mos fuerit seruandæ Eucharistię, pręcipuè pro illis, qui aduersa laborarent valetudine, suprà ex Dionysij Alexandrini Episcopi, qui Origenis fuit discipulus, itemq; Basilij ad Cęsariam patriciam testimonijs licet intelligi. Hesychius verò Gregorij Nazianzeni discipulum egit: qui quidem Gregorius cuiusmodi asseruato in Eucharistia corpori Christi dicat testimoniū, nempe ab illo in altari posito sororem ipsius Gorgoniá graui laborantem morbo attētissimis precibus opem petijsse & impetrâsse, iá antè, licèt paucis, attigimus, atq; in eo, qui sequitur, tertio primario Articulo prolixiùs referetur. Origenem & Hesychiū nō latuisse asseruatiōem Eucharistiæ.

HAbes iam amice lector, vt equidem mihi persuadeo, perspicuè & abundè, principiò quidē ex scripturę diuinę, deindè ex sanctorum Patrum, qui indè ab Apostolis clari extitére, atq; postremò ex totius catholicę Ecclesię consonis testimonijs, duas illas alterius primarij Articuli partes assertas atq; probatas: nempe, quæ prior est, verum Christi corpus mox à consecratione, etiam extra sumptionē & vsum, in Eucharistia substātialiter & esse & permanere, donec percipiatur: itemq;, quæ pars est posterior, sacrosanctam Eucharistiá ob causas suprà memoratas, donec religiosè sumatur, piè posse, & propter ægrotos etiam debere asseruari: idq; ab ipsis Ecclesiæ primis initijs ad nos vsq; peruenisse & in more semper ac vsu positum fuisse. Atq; his in præsens etiam hunc volumus Articulum absolutum & explicatum. CAP. 33.

TERTIVS ARTICVLVS PRIMARIVS,

IESVM CHRISTVM DEVM ET HOMINEM IN PRAESTANTISSIMO ALTARIS SACRAMENTO, (VT QVI IN ILLO SIT PERFECTÈ, SVBSTANTIALITER ET CORPORALITER) A CHRISTIANIS OMNIBVS ADORARI OPORTERE.

CAP. I.



I quidem tum ſcripturæ diuinæ, tum ſanctorum Patrum, tum etiam catholicæ Chriſti Eccleſię grauiſſima teſtimonia, quæ ſuprà in primi eiuſdemq; pręcipui Articuli primarij de vera ſecundùm ſubſtantiam pſentia Chriſti in Euchariſtia, confirmationem prolixè citaui, locum aliquem apud eos, qui Zuinglianæ ſunt factionis, qui in hac ſecta bicipiti alteram occupant partem, obtinere & impetrare poſſet, idq; apud illos efficere, vt vnà nobiſcum, qui catholici ſumus, credere vellent, in V. Sacramento veram eſſe Chriſti Ieſu carnem & ſanguinem: (quod vt velint, ipſorũ pectoribus adſpiret Deus) nulla nobis, quòd ad hunc articulum attinet, cum illis eſſet conflictatio: ſed cum ijs ſolis, qui alterius ſunt partis, nempe Luteranis,

nis,res nobis foret.Qui enim Zuinglianę sunt factionis,& in ijs præcipuè Tigurini,qui hic primas sibi vendicant,Luterũ irrident,quòd quid is sibi velit,se assequi non posse testentur, quandò in pane verũ ac naturale Christi corpus adesse affirmat quidem, ac nihilo seciùs docet & decernit,Eucharistiam non esse adorandam.Scribunt verò aduersùm illum his ipsis verbis:

Si Zuingliani crederent Christi corpus esse in Eucharistia, Christum in ea vnà nobiscũ adorarẽt: quamobrem Luterũ irrident, dicentẽ se credere in ea esse corpus Christi, nec eum tamẽ in illa adorare volentem.

Quid verò?*Panis verum & naturale Christi corpus est,& in cœna verè & corporaliter (vt Papa & Luterus docent) Christus præsens est? Cur ergò Dominus illic adorari non debet,vbì illum præsentem esse dicitis? Quam ob rẽ illud adorare prohibebimur,quod non sacramẽtaliter modò,sed corporaliter quoquè corpus Christi est?Thomas verum Christi corpus à mortuis excitatum contrectat,ac in genua prouolutus adorat,dicens:Deus meus & Dominus meus.Discipuli Dominum tam antè,quàm post ascensionem eius adorãt,Matth. 28.Act o.1.Et Dominus apud Iohannẽ cap.9.cęco inquit:Credis in filium Dei? Et respondit illi,dicens:Domine,quis est,vt credam in illum?Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum,ipse est.Et ille ait: Credo Domine,& adorauit eum.Quòd si Domini panem,naturale Christi corpus reuerà esse doceremus,cum Papistis certè fideliter quoquè essemus adoraturi.* Hæc Tigurini in Luterum.

Iohan.20.

Vide infrà D. Ambrosij testimonium.

CAP. 2.

QVi nimirùm quòd hìc aiunt,verum Christi corpus, vbì illud certò præsens est,etiam adorari debere,rectè id sentiunt contra Luterum,idq; hac ratiõe,quòd vbì corpus Christi est,ibì cum ipsius quoquè diuinitate hauddubiè coniunctum adest, id est, totus ibì Christus perfectè ac integrè & substantialiter, Deús & homo præsens habetur. Quod tametsi suprà in 13. Scripturæ testimonio,sub finem illius,fol.31.& rursus ex Augustino, fol.279.itemque Cyrillo,fol.303.& fol.307.& seq.planum testatumq; feci, qñ tñ etiã hìc proprius eius locus est, vtpotè quo huius Articuli veritas ꝑcipuè nitatur,breuiter hìc mihi repetendum venit: videlicet sacrosanctæ Christianæ religionis & fidei nostræ eum vel pręcipuum esse articulum,vnigenitum Dei filium duas illas naturas,diuinam & humanam in seipso in personam indiuiduam modo quodam incompræhensibili & ineffabili, vnione hypostolica copulâsse & vniuisse: ità vt secundùm assumptam humanitatem in duabus ille naturis,non duę, sed vna duntaxat persona,vnus filius & vnus Christus sit, quemad-

Duæ in Christo naturæ inseparabiles sunt,ità vt vbi vna est, ibi necesse sit esse & alterã.

modùm corpus & anima vnus est homo: vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, neq; confusione substantiæ vel naturæ vtriusq;, sed assumptione humanitatis in Deum inseparabiliter, vtì diuinissimus ille Iohannes ait: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis: hoc est, Deus homo factus est, & in nostra habitauit humanitate vel humana natura, tanq̃ in propria domo sua: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis, i. verbum carnem indutum, per eandem carnem, paternã suã declarauit nobilitatem, suæq; diuinitatis radios, & diuinæ virtutis splẽdorem ex illa vibrauit & emisit, vndè nos perspeximus & re ipsa comperimus, illum in vna eademq; indiuidua persona (id quod oratio illa, Verbum caro factum est, indicat) Deum pariter hominemq; esse plenum gratiæ & veritatis: salua nihilo minùs cuiuslibet naturæ essentiali proprietate: ob quam incompræhensibilem & ineffabilem personę vnitatem, quicquid diuinitati competit, id toti Christi personæ, Deo ac homini attribui: atq; è diuerso, quicquid humanitati competit, itidèm toti personæ adscribi necesse est, vtì Dominus ait apud Iohannem: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cęlo. Et rursus: Si ergò videritis filium hominis ascendentem vbì erat priùs? intellige, Qui descendit de cælo, atque tum, cùm adhuc versaretur in terris, nihilo minùs in cælis erat secundùm diuinitatem, ac nihilo seciùs tamen ascendit in cęlũ secundùm humanitatem. Quem in modum etiam Apostolus loquitur 1. Cor. 2, illos Dominum gloriæ, id est, filium Dei crucifixisse, sed secundùm humanitatem. Omninò enim vnus est Iesus Christus, is qui de cęlo descendit, & nihilo minùs in cęlis erat, ac nihilo seciùs hîc pro nobis crucifixus & mortuus est, cui omnis debetur & competit diuinus honor: neq; eius diuinę modò naturę, tanquàm ea ab humana natura separata sit, sed toti pariter personæ illius, DEO ac homini, sicut Apostolus ait: In nomine IESV flectatur omne genu cęlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris, id est, ęquali cũ patre gloria. Et Apocalypsis quinto, Iohãnes dicit: Et om̃em creaturam, quę in cęlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quę in eo, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & agno,

[Margin notes:]
Iohan. 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, vt intelligendum.

Heb. 1.

Quicquid alterutri in Christo naturæ competit, toti personæ attribuitur. Iohan. 3. Iohan. 6.

Toti Christi personæ, ceu Deo & homini, adoratio & omnis diuinus honor debetur. Philip. 2.

agno, benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum. Et quatuor animalia dicebant, AMEN. Et vigintiquatuor Seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in secula seculorum. Itemque Apocalypsis septimo: Et vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus & populis & linguis, & clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno.

EX his ergò licet animaduerti, quandò de Christi humanitate vel carne & sanguine Christi sermo habetur, non nos perindè cogitare debere, ác si de alicuius alterius hominis carne & sanguine verba fierent: sed ità potiùs in animum inducere, sermonem texi de Dei humanitate & eius propria carne & sanguine, quæ, vtì diuinitas & natura, ità etiam in seipsis, per eam, cui vnita sunt, diuinitatem, vitalia & viuifica sunt: ità vt nulla ratione CHRISTVM diuidamus, nullo pacto humanitatem à diuinitate, verbum à carne separemus: quandoquidem qui id facit, Antichristus est. Iohannes hoc ait primæ suæ Epistolæ capite quarto: In hoc, inquit, cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex DEO est: & omnis spiritus qui soluit (vel diuidit) Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est. CAP. 3. Cú de Christi carne & sanguine verba fiunt, non ità accipienda sunt, quasi de vulgari quadá carne dicatur, sed vt de ipsa Dei carne & sanguine.

Atq; hac de causa hęresiarcha Nestorius (vt est suprà non semèl annotatum, pręcipuè verò in D. Cyrilli testimonijs) in sancto illo & celeberrimo Concilio Ephesino 1. damnatus & sempiterno anathemate plexus est, quòd Christum diuidere & ex Christo duos filios, alterum Dei, alterum Mariæ filium, ceu duas personas efficere vellet. Ex qua deindè hęresi indubitatus ille Antichristus Mahomet, Sergij cuiusdam Nestoriani fraude ac dolo, falsaq; informatione & institutione extitit & traxit originem: qui iam per Turcas, sobolē suam eousquè proh dolor progressus est, vt propiùs ad nos accedere vix possit, nisi quandoquè omnes nos, perindè vt tot alias Asiæ, Aphricę & Europę nationes per consimiles sectas & schismata, in suā planè satanicam & tyrannicam redigat potestatem: id quod præpotens Deus procùl auertat. Nestorius hæresiarcha cur damnatus sit. Mahometanus & Turcicus error ex Nestorio profectus est.

Nō

CAP. 4.

NE verò tibi persuadeas, aliam esse rationem carnis & sanguinis Christi in ipsius persona, & aliam eiusdem carnis & sanguinis in V. Sacramento, tanquàm inter hæc aliquid intersit, iam suprà in Cyrilli testimonijs fol. 316. & fol. 321. & sequent. atque etiam in supradicti Ephesini Concilij 1. testimonio, fol. 386. tum pretereà ex reliquis pr̃ibus didicisti, in Eucharistia eandem ipsam deificatã, viuã & viuificatricem esse carnem, quã ex virgine sacratissima assumpsit, & in qua passus est & resurrexit, & iam ad patris sedet dexterã: Nestoriumq; speciatìm etiam hoc nomine in eadem Ephesina Synodo cõdemnatum, quòd assereret dixisse quidem Dominum, Qui manducat meam carnem: non autem dixisse, Qui comedit vel bibit diuinitatem meã: quòd diuinitas eius edi nõ possit, sed sola caro. Eiusmodi verò cauillum diluit Cyrillus, vt suprà videre licet fol. 310. his ferè verbis: *Tametsi diuinitatis non comeditur natura, at tamen Christi corpus edimus, quod utiq; manducari potest. Hoc autem corpus, proprium est corpus omnia uiuificantis Verbi. Quoniam uerò est corpus uitæ, uiuificans est.* Ephesinum quoquè Concilium definit atque decernit, *nos in Eucharistia participes fieri sancti corporis & preciosi sanguinis omnium nostrûm redemptoris, non ut communem carnem percipientes, (quod absit) nec ut uiri sanctificati, & uerbo coniuncti secundùm dignitatis unitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem, sed uerè uiuificatricem & ipsius uerbi propriam factam.* Si quis, inquit porrò Concilium, *non confitetur carnem Domini uiuificatricem esse, & propriã ipsius uerbi Dei patris, sed uelut alterius præter ipsum, ac non potiùs uiuificatricem esse, quia facta est propria uerbi, cuncta uiuificare ualentis, anathema sit.*

Nestorius etiam ea caussa speciatim damnatus est i Ephesina Synodo, q̃ diceret nos carnẽ duntaxat in panẽ, & sanguinẽ Christi in vino sumere, absq; diuinitate.

Iohan. 1.

Vide suprà fol. 386. Deniq; Hilarius, vt est suprà annotatum, disertis ait verbis, *nos uerè uerbum, ex sacratissima uirgine Maria carnem factum, cibo Dominico sumere:* Vide suprà fol. 132.

Doctores Scholastici quid sibi velint dictione concomitantiæ.

Idq; adeò est, quod Doctores Scholastici ea concomitantiæ vocula indicare volunt, cùm aiunt, corpus Christi esse sub panis specie vi verborum illorum, HOC EST CORPVS MEVM: tum pretereà simul etiam adesse illic eius sanguinem, animam & diuinitatem ratione concomitantiæ, vt illi loquuntur: quandoquidem ea à Christi resurrecti-

surrectione manét inseparabilia. Aduersarijs quidem, quod in aperto est, concomitantiæ vocabulum ludibrio est & irrisui: sed non aduertunt illi, vt Andabatarum more incurrant, & non Scholasticos modò, verùm etiam Ephesinum concilium, cuius tamen decretis D. Gregorius Papa non minorem venerationem, q̃ quatuor sanctorum Euangeliorum libris habendam existimauit, ideoq; Christianę fidei caput risui habeant. Parùm certè refert, Scholasticos concomitantiæ vsurpanda dictione, Ciceronianæ orationis non esse secutos elegantiam: satis est, eos illa ipsa veritatem luculenter & expreßè in mediú protulisse.

Aduersarij dū Scholasticos irrident, fidē nostram habent ludibrio.

Epist 24. lib. 1. & 49. lib. 2.

Quandò igitur vera caro & sanguis Christi Iesu Domini nostri, cum ipsius diuinitate coniuncta, mox à consecratione, etiam extra pceptionem vel sumptionem, in V. Sacramento essentialiter & est, & permanet, vt tum hoc loco, tum in primo, itemq; secundo Articulo abundè probatum est: indè nimirùm conficitur, eádem, id est, Christum ipsum illic pręsentem adorare nos debere & oportere, ni planè impij, & manifestò peruicaces ac temerarij, primi illius mandati, Dominum Deum tuum adorabis, contemptores & præuaricatores esse velímus: id quod Zuingliani, vt antè dictum est, libenter nobis assentiuntur, modò veritati illi, qua constat verum corpus & sanguinem Christi substantialiter hîc adesse, fidem commodare possent.

Conclusio ex superioribus argumentis.

Deut. 6 10. Matth. 4.

CAP. 5. Luteranorū obiectio.

NEc est quòd te moueat, si è diuerso Luterani persuadere tibi velint, Christum hîc non in propria sua adesse specie, sed in sacramenti mysterio. Eiusmodi enim sacramenti mysterium, cùm sit hîc nihilo minùs verè ac substantialiter pręsens, eo qui illi debetur, honore diuino neutiquàm illum priuare debebit. Nam simul atquè natus est, pannis & fasciolis inuolutus, in cunis & matris sinu positus, à Magis ex Oriente venientibus, q id temporis etiamnùm gentiles, & veræ fidei rudes ac imperiti essent, ad solam mutæ stellæ significationem adoratus est: nec fasciolæ illæ, quibus inuolutus erat, ethnicos illos ab hoc officio remoratæ sunt. Quantò igit̃ magìs nos Christiani, tam copiosè per fidem instructi & edocti, eum verum esse Deum & hominem, & in V. Sacramento pręsentem, propter mysterium illi diuinum suum non debemus honorem subducere? Quo quidem argumento D. Chrysostomus, vt habes suprà fol. 183. & infrà quo-

Dilutio.

Lucæ 2. Matth. 2.

què referetur, id docet & adstruit, eum in V. Sacramento adorari oportere.

Christus in V. Sacramento multò verius se nobis exhibet, q̃ olī patribus in figuris apparuerit, in quibus tamen ab illis adoratus est, tanq̃ adhuc in carnē venturus.

Nec quisquam inficiàs ire potest, Dominum multo veriùs magisque realiter se nobis in Eucharistia exhibere, q̃ olim sanctis Patriarchis & prophetis in forma vel specie aliena (quòd tunc humanam necdùm sumpsisset naturam) apparuerit: nec eò minùs tamen scriptura commemorat, Patres illos eum in eiusmodi forma vel figura, qua se illis visendum præbuit, adoràsse. Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib.1.cap.1.inter cętera sic habet: *In diuinis oraculis scriptū est, quia apparuit Deus Abrahæ, tanquàm communis aliquis homo, sedenti ad ilicem Mambræ. At ille exurgens, cùm hominem uideret, adorat ut Deū, & ueneratur ut Dominum. Sed & propriæ uocis professione præsentiam se testatur non ignorare diuinam, dicens: Dominator Domine, qui iudicas omnem terram, nónne facies iudicium? Quæ utiquè omnia non ad patrem, sed ad filium referenda, posterioris in carne ratio dispensationis plenius expleta designat.*

Gene. 18.

Et iterùm de Demonstratione Euangelica lib.5.cap.9. *Sed nec angelus quidem, inquit, est nominatus (qui Abrahæ apparuit) quem superior scriptura significat, uerùm alius quispiam angelo præstantior, Deus utiquè ac Dominus, qui cum duobus angelis in forma hominis, ad suprà scriptam quercum est uisus. Prætereà ne patrem quidem Deum hunc fuisse putandū est, qui huiuscemodi uerbis indicatur. Dicere enim, id mutari quod diuinum est, & figurari in speciem ac formam hominis, neutiq̃ pium est. Superest igitur, ut confiteamur illum fuisse Dei uerbum, quod à nobis in ijs quæ antehàc scripta habes, Dei nomine celebratum est: qua de causa hodiè quoquè à uicinis & in proximo habitantibus, quasi diuinus colitur atq; obseruatur is locus, honoris illorum gratia, qui Abrahæ in illo uisi sunt: atq; etiam nunc ibidèm permanēs terebynthus conspicitur. Qui enim ab Abraham hospitio suscepti sunt, ut habet scriptura,* (alij legunt, pictura) *recumbentes erāt duo quidem utrinquè, medius autem excellētior, & qui reliquos honore anteiret. Hic uerò sit planè is, de quo diximus, ipse utiquè Dominus ac Salutator noster, quem etiā pertinaces & increduli* (alij legūt, vicini ignorātes) *diuina oracula confirmantes uenerantur. Hic ipse igitur ex illo, pietatis iaciens*

Non Dei patris, sed filij persona patribus in aliena forma & habitu apparuit.

Terebynthus arbor, nigrū lignum cum splendore p̄ferens.

ciens ad homines semina, humanam speciem ac figuram indutus, Dei amico atq; antiquo patri Abrahæ, seipsum quisnam esset ostendit, patrisq; sui tradidit sententiam. (alij, prodidit consilium.)

Item lib. eodem cap. 19: *Abrahæ apud quercum uisus in hominis forma quieta, habituq; pacifico seipsum ostendit, cùm ex illo usq; tempore salutarem suum ad homines aduentum exordiretur.* (alij, aduentum prænuncians) *Ipsi uerò Iacob tanquàm exercitabundo* (alij, exercitato) *ac certatori, qui aduersùs hostes & luctaturus & præliaturus esset, ueluti homo. Sed Mosen & populum in specie nubis atq; ignis ducebat, terribilem interim atq; adumbratum seipsum ostendens. At quoniam Mosis successor Iesus contra hostes erat instruendus,* (alij, cũ inimicis in acie cõgressurus erat) *qui antehàc terram Palæstinam incoluerant, externas utiquè maximeq; impias nationes, meritò cum gladio uagina exuto, & contra hostes acumen præ se ferente,* (alij, contra inimicos exacuto) *demonstratur, tali propemodùm uisione significans, quemadmodùm ipse diuina uirtute, tanquàm inuisibili gladio, cum suis interim simul militans, eisq; opem assiduè ferens, erat impios ulturus.*

Abrahæ Christus apparuit pacifico habitu. Gene 32. Iacob ut homo luctator. Exod. 3. 15. Mosi in nube & igni. Iosu. 5.

EVndem in modum etiam Diuus Ambrosius, de Abraham patriarcha libro primo, capite quinto, scribit his verbis: *Tres uidet, & unum Deum appellat, ipsius solius se seruum fatetur: deindè conuersus ad duos, quos ministros arbitrabatur, etiam ipsis deferre gestit obsequium, iam non iure debito seruitutis adstrictus, sed blando sedulitatis nomine usuq; famulatùs.* CAP. 6. Gene. 18.

Et paulò pòst: *Nam quòd uiros dixit* (Scriptura,) *euidens est ratio, quia speciem præ se ferebant uirorum.*

Itemque in Psal. 39. *Expectatus est* (Christus) *& in Iesu Naue, & certè uenit, qui & potestatem suam & nomen accepit, ut & populum in terram repromissionis induceret, & uerè Iesu nomine uocaretur. Siccauit fluenta, conuertit amnem in suum fontem, solem statuit donec consummaret in uirtute uictoriam. Sed adhuc figura erat illa, non ueritas. Deniquè uerus ei dux militiæ cælestis effulsit, & adorauit eum Iesus Naue, quanuis nondùm in corpore uerus adstiterat, sed adhuc uenerat in figura.*

Iosue typus Seruatoris. Iosu. 3. Iosu. 10. Iosu. 5.

Patres Christum in humana effigie viderunt & adorârunt.

Audis hîc ex ſcriptis diuinis, vtì ea ab Euſebio & Ambroſio exponuntur atq; citantur, Abraham, Iacob & Ioſue venturum Chriſtũ etiam ante illius incarnationem in humana effigie vidiſſe, atq; in ea, licèt necdùm in corpore verus adeſſet & aduenīſſet, tamen ceu præſentem adorâſſe. Adeoq; diſcis hinc, non in humana duntaxat forma & habitu, ſed etiam in ignis & nubis columna Dominum apparuiſſe, atq; à Moſe & populo eſſe adoratum, dicente ſcriptura: Ingreſſo Moſe tabernaculum fœderis, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebaturq; Dominus cum Moſe, cernentibus vniuerſis ꝙ columna nubis ſtaret ad oſtium tabernaculi. Stabantq; ipſi, & adorabant per fores tabernaculorum ſuorum. Quò pertinet etiam illud Dauidicum Pſal. 98. Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad illos.

Itéq; In ignis & nubis columna.

Exod 33.

Coram arca quoquè Domini eũ adorârunt.

Exod. 37.

Conſimiliter adorârunt Dominum coram arca Dei, tanquàm ſedentis in propiciatorio, quo tegebatur arca, quodq; ſcabellum pedũ Domini vocatur. Vndè in Pſal. 98. ſcriptum legimus: Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Et rurſus Pſal. 131. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbì ſteterunt pedes eius.

CAP. 7.

Deut. 12.

3. Reg 8.

CVm igitur certum ſit, Patres in eiuſmodi externis figuris & ſacramentis priſcæ legis, quæ tamen noſtris collata ſacramentis, non niſi vmbræ quædam ſunt, Dominum ceu præſentem adorâſſe, & coram arca procidiſſe, eò quòd Dominus dixerat ſe illic eſſe & habitare velle, vt eorum exaudiret preces: quanto æquius eſt, nos, qui è religione Chriſtiani ſumus, coram V. Sacramento ſubmittere nos in genua, & in eo Dominũ deuotè adorare, vt quos ille ſuo verbo certiores reddiderit, ſe illic in propria perſona verè, ſubſtantialiter & corporaliter pręſentem adeſſe?

Craſſus error ſacramẽtarij cuiuſdã nupèr Coloniæ damnati.

Neque enim (vt quidam è malè euerſis & ſeductis Sacramentarijs, iam recẽs hîc Coloniæ damnatis, ſomniauit) Chrs Dñs ità duntaxat pręſens eſt, vtì ſecundùm diuinitatem ſuã rebus oĩbus ineſt pręſentia, potentia & eſſentia, i. tanꝗ is, cuius oculis nuda & aperta ſunt omnia, in cuius ditione cuncta ſunt poſita, vel cuius potentię omnia ſubiacent, & à quo cuncta habent eſſe ſuum, quibus etiam illius

eſſentia

essentia & substantia, ceu causa efficiens essentiæ & subsistétiæ eorũ, perpetuò præstò est: non sic tamen, quasi rerum creatarum ipse propria natura & essentia sit: nanq; eam ob causam etiam in illis minimè adoratur. Neq; etiam per gratiam tantùm suam hîc adest: sed est hîc in mysterio sacramenti corporaliter & in propria persona reuerà præsens. Quô fit, vt absq; immani impietate non possit hîc non adorari. Is enim hîc adest substantialiter, qui de seipso ait: Ego sum panis vitæ, panis de cælo descendẽs, vt si quis ex ipso manducauerit, nõ moriatur: panis, qui pro mundi vita datus est, id est, Christi propria, deificata & viuificans caro. Is nimirùm hîc coram habetur, de quo Apostolus dicit Heb. 1. scriptum esse: Et adorent eum omnes angeli Dei. Est igitur ea sanè horrẽda cæcitas, reuocare in dubium, num hîc in V. Sacramento adorandus sit.

Christus vt sit in Eucharistia.

Iohan. 6.

Psal. 96.

ADORATIONEM CHRISTI IN EVCHARISTIA, IN CATHOLICA CHRISTI ECCLESIA SEMPER IN VSV FVISSE.

Porrò ipsos quoquè sanctos Apostolos ità faciendum tradidisse & docuisse, atque iam indè ab illorum temporibus ad nos vsq;, in catholica Christi ecclesia id semper firmiter obseruatũ & in more positum fuisse, nullo potest negocio ex vetustissimis Patribus euidentissimè doceri.

CAP. 8. Adoratio Christi in Eucharistia, iam indè ab Apostolis in Christi Ecclesia semper in vsu fuit.

D. Dionysius Areopagita, S. Pauli discipulus, hoc V. Sacramẽtum appellat *communionem deificam, quæ hominem reuerà Dei participem efficiat, uel ipsius ad Deum consortium peragat atq; perficiat.* Ait prætereà, *pontificem sacrosancta & augustissima mysteria conficere, diuina munera reuerenter ostendere, & uenerandissima mysteria oculis subijcere.* Vide suprà fol. 73. & fol. 77. Quibus ille verbis proculdubiò significare voluit, Eucharistiam propterea eleuari & ostendi, vt eã populus ante communionem, vt D. Augustinus ait, adoret, & pro eo atquè decet veneretur. Qua in re nè dubius sis, habes suprà fol. 75. vt & qua ratione ipse Dionysius diuinam essentiam sub externis V. Sacramenti speciebus adorârit.

Diuina munera, & venerandissima mysteria.

Eucharistia in Missa proptereà eleuatur, vt à populo adoretur.

In Eranist. Dialog. 1.

Iisdem verò temporibus etiam D. Ignatium verè, vt Theodoretus ait, *omni ex parte benedictū Ecclesiæ Doctorē, & qui per magni Petri dextrā pontificatûs gratiam susceperit*, in V. Sacramento Christū adorâsse, nullus potest ambigere, qui modò velit attendere, quid is de illo senserit V. sacramento. *Vocat enim illud panem Dei, panē cælestē, panem uitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei uiui, qui natus est ex semine Dauid & Abrahæ. Itemq;, Dei gloriā per quod satanæ potestates expelluntur, & carnem seruatoris nostri Iesu Christi.* Vide suprà fol. 80. & sequentibus.

D. Ignatius qd de Eucharistia senserit.

S. Martyr & Pontifex Alexander primus, quintus à D. Petro, Dionysio admodùm scribit consentanea Epistol. 1. his ipsis verbis: *Nihil in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi: nec ulla oblatio hac potior est, sed omnes hæc præcellit: quæ pura consciētia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atq; ab omnibus ueneranda: & sicut potior est cæteris, ità potiùs excoli & uenerari debet.*

De Consecr. Distin. 2. ca. Nihil in sacrificijs.

Cultus, id est, latria debetur Eucharistiæ.

D. Iustinus testis est, *nemini tum licitum fuisse participare Eucharistia, nisi qui crederet, quemadmodùm per Dei uerbum homo factus Iesus Christus, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam cibū: qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, eius esse carnem & sanguinem.* Vndè facilè potest intelligi, ea tum tēporis à fidelibus esse adorata. Fidem enim hanc adoratio necessariò cōsequi debet. Rom. 10. Vide infrà testimonia D. Ambrosij & Theodoreti.

D. Irenæus quoquè haud alitèr certè fecisse existimandus est, cùm is asserat, *nos in Eucharistia congruenter communicationem & unitatem prædicare carnis & spiritûs in Christo:* i. Christi carnem cum ipsius diuinitate hypostatica vnione coniunctam illic adesse.

CAP. 9.

ORigenes Eucharistiam non modò carnem appellat verbi Dei, vt habes suprà fol. 112. sed etiam disertis verbis docet nos, vt ante eucharistię perceptionē, Christū in illa adorare debeamus, Homilia 5. in diuersos Euangelij locos. Verba eius hæc sunt: *Quādò sanctum cibum illudq; incorruptum accipis epulum, quandò uitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergò*

humi-

humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti &c. Quĳ tādèm poterat Origenes adorationi illustrius dicere testimonium, quandò etiam ipsam adorandi formulam nobis præscribit, qua tum Græca, tum Latina Ecclesia iam indè ab illis temporibus vsq; in præsens in Missa ante communiōem haud dubiè vsa est?

Origenes eā nobis tradit Christum in Eucharistia adorādi formulā, quā indè ad nos vsq; vtraq; tum Græca, tū Latina Ecclesia in Missæ officio vsurpauit.

D. Cyprianus adorationi haud vulgaria perhibet testimonia. *Panis iste, inquit, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia uerbi factus est caro: & sicut in persona Christi, humanitas uidebatur & latebat diuinitas, ità sacramento uisibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad ueritatem, cuius corpus sacramenta sunt, syncerior pateret accessus usq; ad participationem spiritūs.* Et non multò infrà: *Sacramenta quidē, quātùm in se est, sinè propria esse uirtute non possunt, nec ullo modo diuina se absentat maiestas mysterijs.*

Sermone de cœna Domini.

Christus diuinā essentiā suam infundit V. sacramēto, vt religio circa illud suam exerceat deuotionem.

Obserua hic, virum sanctissimum in Eucharistia agnoscere diuinam essentiam, diuinam maiestatem, naturalem Deificatam Christi carnem, quæ religiosam erga ipsum V. Sacramentum exigat à percipientibus deuotionem, quo corporis illic & spiritūs pariter efficiantur participes.

Diuina maiestas inest Eucharistiæ.

Deindè eodem Sermone etiam hæc adiungit: *Melius erat, mola asinaria collo alligata mergi in pelagus, quàm illota conscientia de manu Domini buccellam accipere, qui usq; hodiè hoc ueracißimum & sanctißimum corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit, & piè sumentibus diuidit. In huius præsentia non superuacuè mendicant lachrymæ ueniam, nec unquàm patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Quotiès te in cōspectu Domini uideo suspirantem, Spiritumsanctum non dubito adspirantem: cùm intueor flentem, sentio ignoscentem.*

In Canone Missæ oratur: Per quē hæc omnia Domine semp bona creas, sanctificas, benedicis &c.

Equidem hęc luculēta esse puto, quibus instituimur, qua deuotione esse præditi, & quas preces fundere debeamus in præsentia huius veracissimi & sanctissimi corporis: hoc est, (vt ipsus ait) in conspectu Domini: & quàm certos nos esse oporteat, quicquid hîc ea

Coram V. Sacramento, tāquàm in conspectu Domini suspiramus, ploramus, & mēdicamus veniā, nec patimur repulsam.

cum

cum deuotione petierimus, etiam à Deo nos impetraturos.

Facit huc etiam, quod ad Quirinũ lib.3.cap.94. scribit his verbis: *Cum timore & honore Eucharistiam accipiendam: in Leuitico: Anima autem quæcunq; manducauerit ex carne sacrificij salutaris, quod est Domini, & immunditia eius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo. Item in epistola ad Corinth.1. Quicunq; ederit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

D.Athanasius, vt est videre suprà fol.124. ait *nos in Eucharistia Christi corpus iunctum diuinitati uel deificatum, plenum spiritu: adeoq; corpus illud, cui dicitur, Sede à dextris meis, accipere.* Itaq; dubium non est, quin ille in V.Sacramento Christum adorârit.

CAP.10. Diuus Eusebius Emisenus Sermone de corpore & sanguine Domini, quæ est Homilia V. de Pascha, vt suprà quoquè attulimus fol.125. testatur Dominũ hoc instituisse V.Sacramentũ, vt in illo diuino mysterio perpetìm religiosè coleretur. Verba eius hæc sunt: *Quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat, ut nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, ut coleretur iugiter per mysterium, quod semèl offerebatur in precium.*

Christus V. Sacramẽtũ instituit, vt corpus eius semèl ꝑ nobis oblatũ, iugiter in ipso V. Sacramento coleretur.

Atq; euidentiùs etiã eodẽ Sermone docet & hortaẽ nos his verbis: *Cùm ad reuerendum altare salutari cibo potuq; reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiore assume.*

Emisenus ad Eucharistiæ cõspectũ exigit firmã fidẽ, & corporis Dei nostri honorem ac venerationem.

Duo quędam à nobis hîc Eusebius reposcit & exigit, antequàm Eucharistiam accipiamus: Primò firmam fidem, qua non dubitemus adesse in V.Sacramento verum corpus Christi. Secundò, vt eã fidem honorando Christi Dei nostri corpore illic præsente testemur ac declaremus: vtì Origenes quoquè & reliqui omnes faciunt.

D.Hilarius quid tum fecerit, tum faciẽdum docuerit, haud difficulter indè potest colligi, quòd lib.8. de Trinitate palàm testatur, *Nos uerbum carnem ex Maria uirgine factum cibo dominico uerè sumere.* & in Psalmum 64. ità scribit: *Habemus etiam & cibum paratum. Et quis hic cibus est? Ille scilicet, à quo ad Dei cõsortium præparamur, per communionem*

In Eucharistia est verbum, quod caro factum est.

nionem sancti corporis: quorum hæc sententia est, nos diuinæ naturæ per gratiam consortes fieri.

D. Basilius Magnus lib. 2. de baptismate, Quæst. 2. & 3. verba illa Christi, Templo maior est hîc, ad Eucharistiam refert, tanquàm diceret, longè quiddã maius hîc adesse, quàm olim fuerit arca Dei, corã qua tamen constat Israëlitas adorâsse. Ait porrò, corpus vnigeniti filij Dei, quod est in Eucharistia, excellentius esse arietibus ac tauris, & quidem excellẽtia incomparabili: nec minùs peccare eos, qui corpus Domini indignè tractent & sumant, quàm qui Dominum ipsum morte affecerint. Itaque in Liturgia sua his verbis Dominum appellat: *Fac panem hunc ipsum honorificum corpus Domini Dei & Saluatoris nostri IESV Christi* &c. Deniquè Christum ipsum in V. Sacramento disertis verbis adorat, quæ suprà habentur fol. 139. *Attende*, inquit, *Domine Iesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui suprà cum Patre sedes, & hîc inuisibiliter versaris, & dignare potenti manu tua* &c.

Matt. 12.
Hæc ferè paraphrasticos.
Vt Basilius Christum in Eucharistia adorârit.

D. Ephræm, vt antè dictum est fol. 141. ait *nos agnum ipsum Dei integrè comedere, Christum nobis hîc ignem & spiritum manducandum ac bibendum præbere*: deniquè *sacratissima & reuerenda mysteria nuncupat.*

Quòd si Aduersarij Inuocationis & Adorationis vocabula hîc desiderari causentur, audiant ea, quę iam subijcimus, Patrum testimonia.

CAP. 11.

Diuus Gregorius Naziãzenus in Epitaphio Gorgoniæ sororis suæ, adorationi Christi in Eucharistia haud obscurũ dicit testimonium. Memorat illic, ipsius sororem Gorgoniam aduersa correptam valetudine, cùm humanum nullum superesset solatium, nocte quadam ad Dominum, quem in altari re vera præsentem habebat in Eucharistia, confugisse, & cum multis lachrymis illum inuocâsse. Verba Gregorij hæc sunt: *Quid igitur anima faciebat magna & maximis digna? & quodnam aduersus infirmitatem remedium habebat? Iam enim occultum proditur. Cùm iam de omnibus alijs desperâsset, ad omnium confugit medicum: noctisq; captata*

Gorgonia Christũ in V. Sacramento veneratur magna voce, ac omni illic eũ conamine inuocat.

Matt.9.

Luc.7.

In versiõe Bilibaldi Pirckheimeri desiderantur hæc verba, Illud immiscẽs lachrymis. nã Græcũ exemplar habet: τῷ τε καταμιγνῦσα τοῖς δάκρυσιν.

Tob.12.

solitudine, cùm illi morbus paruas concessisset inducias, ante altare cum fide procubuit, ac illum quem uenerabatur, magna uoce ac omni inuocauit conamine, eiq; miracula cuncta, quæ olim fecerat, in memoriam reduxit: nam & uetusta & noua callebat. Tandèm impudentia quadam pia & pulchra impudens facta, illam imitabatur, quæ ob tactum fimbriæ Christi, à fluxu sanguinis est sanata. Et quidnam facit? Super altare caput reclinat, ac cum simili clamore & lachrymarum profluuio, instàr illius, quæ olim pedes Christi rigauit, opem implorat: & non anteà se cessaturam est comminata, quàm sanitatem fuisset adepta. Indè totum corpus pharmaco illo suo perunxit: & si alicubì manus ex uenerando corporis & sanguinis CHRISTI subexemplari quid recondiderat, illud immiscens lachrymis (pròh miraculum) discessit, cùm confestim de corporis salute facta esset certa, tam anima quàm corpore ac mente releuata, mercedem spei sumens, id quod sperauerat, animæq; sanitate, corporis etiam bonam ualetudinem nacta. Hæc quidem magna sint & nequaquàm conficta: his uos omnes, & qui ægrotatis, & qui sani estis, fidem adhibete. Quòd uerò narratio hæc nequaquàm iactatio existat, uel indè liquet, quòd ea uiuente, silentium de hac re fuit: nunc uerò reuelatur, & certè sciatis, quòd ne nunc quidem diuulgatum fuisset, nisi timor me corripuisset, si miraculum tantum tam fidelibus quàm infidelibus præsentibus & futuris abscondissem. Hactenùs Nazianzenus.

Id genus homines iã paucos reperire est.

Est hoc profectò haud vulgare testimoniũ. Gorgonia hæc, vti de ea testatur D. Gregorius frater illius, fœmina fuit mirè religiosa, veteris ac noui testamenti callentissima, quæque multa templis donârit, & sacerdotes impendiò venerata sit, deniquè seipsam Dei templum præstiterit. *Quanam*, inquit Diuus Gregorius, *templa ità oblationibus ornauit? tam alia, quàm istud: quod nescio vtrùm illa sublata dehinc ornari possit: seu potiùs quanam sic viuens templum DEO se exhibuit? Quæ ità in honore habuit sacerdotes?* &c. Potest verò ex supradictis animaduerti, Gorgoniam hanc (vt id temporis moris erat, quemadmodùm suprà ex Tertulliano, Cypriano, præcipueq; Basilio huius

Gregorij æquali & contemporaneo, ad Cæsariam Patritiam alijsque patribus docuimus) reuerendissimum corporis & sanguinis Christi sacramentum apud se domi in altari quodam in mūdo vase, vel arcula habuisse, vtì illud subindè pro sua deuotiōe, maximè verò in mortis periculo, nè absque salutari viatico hinc migraret, posset percipere. Cùm igitur grauissimo affecta morbo, nulla neque medicorum opera, neque hominum solatio & auxilio se adiutari comperiret, *nocte captata solitudine*, vt ait Gregorius, *cùm illi morbus paruas concessisset inducias, ante altare cum fide procubuit, ac illum quem venerabatur* (non dubium, quin in V. sacramento) *magna voce ac omni inuocauit conamine*: simulque in memoriam sibi redigens, vt Magdalena quondàm suis lachrymis pedes Domini rigâsset, & vt mulier illa, quæ duodecim annis patiebatur fluxum sanguinis, ob credulum fimbriæ vestis Dominicæ tactum, repentè curata fuisset, pari fidei firmitate & ardore acerbè plorare cœpit, adeò vt totum corpus suum suis lachrymis madefaceret: atque ex venerandi corporis & preciosi sanguinis Christi reliquijs quippiam suis immiscens lachrymis, (quod meo quidem iudicio paulò pòst deuotè sumpserit) per illam ardentem fidem & fiduciam in Dominum IESVM (quem in Eucharistia, perindè vt olim ægra illa fœmina in vestimenti eius fimbria attigerat) ab illo periculosissimo & infestissimo, quo laborabat, morbo, momento citiùs erepta, & tum corpore tum animo sanata est. *Illam*, inquit Gregorius, *imitabatur, quæ ob tactum fimbriæ Christi à fluxu sanguinis est sanata. Et quidnam facit? Super altare caput reclinat, ac cum simili clamore & lachrymarum profluuio, instàr illius, quæ olim pedes* CHRISTI *rigauit, opem implorat, & non antea se cessaturam est comminata, quàm sanitatem fuisset adepta. Indè totum corpus pharmaco illo suo perunxit: & si alicubi quippiam ex preciosi corporis aut sanguinis Christi. similis formæ* ἀντίτυπα, *manus reposuerat, illud immiscens lachrymis, O rei miraculum, abijt, confestim sentiens sanitatem, &c.*

Religiosi & pij Christiani vt olim corpus Christi secum domi habuerint.

Luc. 7. Matt. 9.

Cur D. Gregorius Nazianzenus V. Sacramētū antitypū vocet, vt Basilius quoquè & Chrysostomus, vide suprà fol. 103. & fol. 142.

Hæc D. Gregorius pro insigni & p̄claro Dei miraculo refert, quod præsentibus & futuris tum fidelibus, tum infidelibus, quò Christi in eo virtus agnoscatur, laudetur ac prædicetur, se ait non potuisse

non indicare. Quô fit, vt tanto attentiori studio locus iste obseruandus sit, &c.

Porrò eũdem Gregorium Christum in Eucharistia etiã adorâsse, ex eius carminibus suprà memoratis haud ægrè licet animaduerti. his enim verbis sacerdotes appellat: *O magni figmentum Dei in manibus vestris ferentes.* Cernis hîc, eũ corpus Christi in Eucharistia appellare magni figmentum Dei &c.

CAP. 12. Nyssenus in Eucharistia verum verbi corpus agnoscit.

GRegorius Nyssenus, vt & suprà fol. 149. annotatũ est, sic habet: *Quamobrem rectè nunc etiam Dei uerbo sanctificatum panẽ, in Dei uerbi corpus credimus immutari. Etenim corpus illud panis erat potentia: sanctificatum est autem habitatione uerbi. Itaque qua ex causa panis in eo corpore mutatus, in diuinam uirtutem transijt, eadem de causa etiam nunc idem fit. Vt enim illic uerbi Dei gratia sanctum effecit illud corpus, sic etiã hic panis, ut ait Apostolus, per uerbum Dei & orationem sanctificatur, & uerbi corpus euadit,* &c.

Constat ex his, non minùs eum adorâsse diuinum Christi corpus in V. Sacramento, atquè ipsum Gregorium Nazianzenum.

Hesychius quoquè idẽ omninò fecisse censendus est, vt q̃ in Leui. lib. 2. cap. 8. scribat, *Nos hic habere corpus Domini, in quod oculis nec angeli possint prospicere.* Et in Leui. lib. 6. cap. 22. *Sancta sanctorũ,* inquit, *sunt propriè Christi mysteria: quia ipsius est corpus, de quo Gabriel ad uirginem dicebat: Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altißimi obumbrabit tibi: ideoq; quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei.*

Luc 2.

CAP. 13.

AD D. Chrysostomũ iam accedimus, à quo Aduersarij nulla se poterunt ratione subducere, vtpotè qui adorationem nimìs q̃ luculenter & apertè affirmet. In Matthæum Homilia 83. inter alia sic habet: *Ea re nos alimur, quam angeli videntes tremũt, nec absq; pauore, propter fulgorem qui indè resilit, adspicere possunt.* Quæ cum Hesychio pulchrè consentiunt.

In caput 10. prioris ad Corinthios locus est notatu dignißimus de adoratiõe, vbi, vt & suprà fol. 176. partìm allatũ est, scribit his verbis: *Nolimus, obsecro, nolimus impudentes nosipsos interimere, sed cum bonore & munditia omni ad Deum accedamus: & quandò id* (corpus eius) *propositum*

positum uideris, dic tecum: Propter hoc corpus non amplius terra & cinis ego sum: non amplius captiuus, sed liber. Hoc corpus affixum, uerberatum, morte uictum non est.

Christum in Eucharistia contemplantes, quid dicere debeamus.

Posteà his primam addit adhortationem, vt corpus Dominicum in Eucharistia adorare debeamus: *Hoc corpus, ait, in præsepi reueriti sunt Magi, & uiri impij & barbari, longè itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur saltem barbaros, nos qui cælorum ciues sumus. Illi enim cùm id præsepe & tugurium tantùm, neq; eorum quicquam, quæ tu nunc intueris, uiderent, summa accesserunt reuerētia & horrore. Tu uerò non in præsepi id, sed in altari: non mulierem, quæ in ulnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & spiritum perabundè super proposito diffusum sacrificio uides. Nec simplex, ut illi, corpus intueris, sed & eius potentiam & omnem cognoscis administrationem, & nihil eorum quæ per ipsum facta sunt, ignoras, & diligēter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur horrescamusq;, & maiorem, quàm barbari illi, præ nobis feramus pietatem, ut non simpliciter neq; frigidè accedentes, uehementiori igni caput obijciamus.*

Vt Christus nobis in Eucharistia adorandus.

Multò nos studiosiùs Christum in Eucharistia adorare debemus, quàm Magi orientales cum in matris sinu adorârint.

Et paulò pòst: *Neq; angelos, neq; archangelos, non cælos, non cælos cælorum, sed ipsum horum omnium tibi Dominum ostendo.*

Est hæc reuerà luculenta & grauis oratio, qua vir sanctus à nobis efflagitat, vt maiori cum honore & tremore Christū in Eucharistia, vbì eam nobis proponi & monstrari contigerit, adoremus, quàm eū olim Magi ex oriente veniētes, in presepi adorârint: quòd in ea nobis ostendatur totius celestis exercitûs & omnium creaturarū Dominus.

Eundem in modum in caput 15. eiusdem Epistolæ Homilia 41. quod idem suprà fol. 177. & 181. attigimus. *Non est temerè, inquit, hoc excogitatum, nec frustrà memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus, pro istis agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes.* Hoc verò testimonium fieri non potest, quin Aduersarij iniquo patiantur animo, Melanchthon inprimìs, qui id Chrysostomo vitio vertere nō dubitauit, quòd dicere ausus sit, nos agnum in altari iacentem, non pro viuis modò, sed etiam mortuis

Agnum Dei in altari iacētem pro vita functis deprecamur.

deprecari: quod tamen, vt & hoc loco Chrysostomus, & alij patres omnes indicant, in Christi Ecclesia ad nos vsq; semper in more positum fuit. Perpetua enim temporum successione hæc agno in altari iacenti precatio oblata est: AGNVS DEI QVI TOLLIS PECCATA MVNDI, MISERERE NOBIS. AGNVS DEI, QVI TOLLIS PECCATA MVNDI, DONA EIS REQVIEM. Quod quidem etiam deincèps locis omnibus, vbi tamen singulari Dei beneficio & fauore catholici fideles permanebunt, semper in vsu erit.

Lib. 6. de Sacerdotio: *Per id tempus*, inquit, *& angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatum uniuersus ordo clamores excitat, & locus altari uicinus, in illius honorem qui immolatur, angelorũ choris plenus est. Itemq;: Sacerdos tum deprecator est apud* Deum, *ut hominum omnium, non uiuentium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat.*

Esaie 6. Sermone de Eucharistia sic habet: *Seraphin adstant sex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ uirtutes pro te cum sacerdote intercedũt, ignis spiritualis è cælo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est, & non erubescis, reuereris & confunderis, neq; Deum tibi propitium facis?*

Oratione de beato Philogonio, Rogo uos, ait, *omnes obsecroq;, ut summo studio summaq; cum alacritate uelitis adesse: sed priùs suam quisq; domum repurget, ut uideamus* Dominum *nostrum in cunis iacentem ac fascijs inuolutum, horrẽdum ac stupendum spectaculum. Quid enim excusabimus, aut quam ueniam obtinebimus, si cùm ipse nostra causa descenderit de cælis, nos ad illum uel ex ædibus ire grauemur? Cùm alienigenæ barbariq; ex Perside accurrant, ut illum uideant in præsepi iacentem, tu uerò ne breue quidem spatium emetiri sustines, ut hoc felici spectaculo perfruaris. Nam si cum fide accesserimus, proculdubiò uidebimus illum in præsepi iacentem. Siquidem hæc mensa uicem explet præsepis. Nam & hîc ponitur corpus Dominicum, non quidem fascijs inuolutum, sicuti tunc, sed undiquaq; Spiritusancto conuestitũ. Qui mysterijs initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur. Ac Magi quidem (ex Oriente) nihil aliud quàm adorârunt: tibi uerò si cum pura accesseris conscientia, permittemus ut sumas, & sumpto*

domum

domum abeas. Accede igitur tu quoque munera offerens, non qualia deferebant illi, sed multò religiosiora. Obtulerunt illi aurum: offer tu temperantiam ac uirtutem. Obtulerũt illi thus: offer tu puras preces, quæ sunt odoramenta spiritualia. Obtulerunt illi myrrham: offer tu modestiã, & cor submissum cum eleemosyna. Et sub finem orationis hæc adijcit: *Quemadmodùm hic Deum excipis multo cum honore, sic & ipse te multa cum gloria illic excipiet,* &c.

Itemq; in Acta Apostolorum Homilia 21. quæ etiam suprà adduximus fol. 181. hæc eius verba leguntur: *Non simpliciter minister clamat pro his, qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt.* Non *diaconus est qui talem illam uocem emittit, sed spiritus, non sanctus, inquam, sed donum. Quid dicis? In manibus est hostia, & omnia proposita sunt benè ordinata: adsunt angeli, adsunt archangeli, adest filius Dei: cum tanto horrore adstant omnes, adstant illi clamantes omnibus silẽtibus: & putas simpliciter hæc fieri? Igitur & alia simpliciter & quæ pro Ecclesia, & quæ pro sacerdotibus offeruntur, & quæ pro plenitudine ac ubertate.* Sequitur posteà, *Domino præsente.*

Angeli cum hominibus adorãt Christũ in Eucharistia.

Homilia itidèm 3. de incompræhensibili Dei natura: *Vt homines,* inquit, *ramos olearũ gerẽtes, mouere reges cõsueuerũt &c. sic angeli tũc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti, ut pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolâsti* &c.

Atque vt rem omnem in pauca conferam, Chrysostomus, vtì nos ad congruam ac debitam venerationem & adorationem excitet, diuinissimum hoc Sacramentum hincindè appellat, *Horrendum sacrificium, & ineffabilia sacramenta, Terribilem mysticam mensam, Horrendum ac stupendum spectaculum, Inenarrabile donum, cum admiratione & horrore quodam laudandum, Sacrificium horrore & reuerentia plenissimum.* Vide eũ in Acta Apostolorum, cap. 9. Hom. 21. Sermone de Eucharistia, Oratione de B. Philogonio, lib. 6. de Sacerdotio.

Audi

Vt Chrysostomus Christũ in Eucharistia adorârit.

Audi iam porrò, vtì vir sanctus in sua liturgia Christum Dominũ in V. Sacramento ipsus adorârit. Precatio eius eadem ferè est cum Diui Basilij precatione: *Attende, ait, Domine Iesu Christe Deus noster, de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & ueni ad sanctificandum nos, qui in excelsis unà cum patre sedes, & hic inuisibiliter nobiscum ades, & dignos nos redde potenti manu tua, ut participes simus immaculati tui corporis, & preciosi tui sanguinis, & per nos omnis populus.*

Deindè, vt in liturgia habetur, Sacerdos adorat, & diaconus, in eo in quo est loco, ter secretò dicentes: Deus, propitius esto mihi peccatori: & populus, & similiter omnes cum pietate & reuerentia adorant.

Matth. 8. Luc. 7. Alia precatio eorũ Eucharistia.

Est deniquè & alia precatio, quà hodieq; Græci sacerdotes Christum in V. Sacramento adorant, his constans verbis: *Domine, non sum dignus, ut sub sordidum animæ meæ tectum ingrediaris: sed quemadmodùm æqui boni consuluisti, in spelunca & præsepi ratione carentium animalium recumbere, & in domo Simonis leprosi etiam similem mihi meretricem & peccatricem ad te accedentem suscepisti, ipse dignare etiam in præsepe animæ meæ rationis expertis, & in commaculatum corpus meum ingredi, mortui & leprosi: & sicut non abhorruisti os sordidum meretricis, impollutos tuos pedes osculantis: ità Domine Deus meus, nè me etiam peccatorem abhorrueris, sed tanquàm bonus & benignus, dignare me effici participem sanctissimi tui corporis & sanguinis.* Hæc Chrysostomus in liturgia.

CAP. 14.

IAm porrò ad duo illa præclarissima Ecclesiæ occidentalis lumina, Ambrosium & Augustinum nostra procedit oratio, quorum vterque Eucharistiæ adorationem luculentissimè asserit, docet, & à cunctis è religione Christianis reposcit & exigit.

AMBROSIVS quidẽ in cap. 11. prioris ad Corinthios, ità scribit: *Eucharistia est medicina spiritalis, quæ cum reuerentia degustata, purificat sibi deuotum.*

Timor, deuotio & reuerẽtia debentur V. sacramẽto.

Itemq; in eum locum: Probet autẽ se homo &c. scribit his verbis: *Deuoto animo & cum timore accedendum ad communionem docet, ut sciat mens reuerentiam se debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit.*

Hoc

Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in mysterio sanguinem potat. Vide suprà fol. 193, & sequé. Quorsum verò attinet, hæc atq; eiuscemodi testimonia, quæ nos instituant, quam deuotionem & reuerentiam V. Sacramento præstare debeamus, ex Ambrosio ꝓlixè coaceruare, cùm tamen ille Eucharistię adorationem, quàm possit fieri apertissimè, etiam præ cæteris, è scriptis diuinis tradat, asseueret & doceat?

Adorationis huius testimonium validissimũ & cui refragari nullus possit, videre apud illum est de Spiritusancto lib. 3. cap. 12. vbi inter alia dicit *Mariam Magdalenam Christum, cùm resurrexisset à mortuis, adorâsse: adorâsse eundem & Apostolos: & ideò quia detulerunt Apostoli fidei testimonium, accepisse eos fidei magisterium: itemq; & angelos cũ adorâsse, de quibus scriptum est: Et adorent eum omnes angeli eius. Adorãt autem, inquit, non solùm diuinitatem eius, sed etiam scabellum pedum eius, quia scriptum est, Et adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Matth. 28. Adorando Christum in Eucharistia, fidei nostræ testimonium deferimus. Psal. 96. Hebr. 1. Psal. 98.

Et post pauca: *Sed nè fortè ꝓpositũ aliquos præterfugere uideat exẽplũ, qua ratione ad incarnationis Dominicæ sacramentum spectare uideatur, quod ait propheta: Adorate scabellum pedum eius, consideremus. Non enim ex usu hominum æstimare debemus scabellum. Neq; enim corporalis Deus, aut non immensus, ut tanquàm fulcrum pedibus eius scabellum subiectũ putemus. Neq; adorandum quicquam præter Deum legimus, quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli serui.* Matth. 4. *Quomodò ergò aduersùs legem propheta præciperet, sub lege nutritus, & eruditus in lege? Non mediocris igitur quæstio, & ideò diligentiùs consideremus, quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Cælum mihi thronus, terra autem scabellum pedum tuorum.* Esaiæ 66. *Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit: Itaq; per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodiè quoquè in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu, ut suprà diximus, adorârunt. Neq; enim diuisus Christus, sed unus: neq; cùm adoraret tanq̃ Dei filius, natus ex uirgine negabatur:* Hactenùs Ambrosius, qui hic insigne & memorabile dicit testimonium, modò id diligenter expendatur. In ijs verbis, Adorate scabellum pedũ eius, iubemur Christũ adorare in Eucharistia.

PPP Diuus

CAP. 15.

Diui Augustini, qui Ambrosij discipulum egit, in horum certiorem explicationem testimonium, etiam suprà fol. 220. & fol. 222. partim citatum, huc mox adscribere visum est, id quod in Psal. 98. versum illum, Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctũ est, legitur: *Videte, inquit, fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco scriptura dicit: Cælum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Ergò terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quòd sit scabellum pedum Dei? Et quomodò adorabimus terrã, cùm dicat apertè scriptura,* Dominum Deum tuum adorabis: *& hîc dicit,* Adorate scabellum pedũ eius? *Exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum eius, dicit:* Terra *antè scabellum pedum meorum. Anceps factus sum: timeo adorare terram, nè damnet me qui fecit cælum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum* Domini *mei, quia psalmus mihi dicit:* Adorate *scabellum pedũ eius. Quæro qd sit scabellũ pedum eius, & dicit mihi scriptura:* Terra *scabellũ pedũ meorum. Fluctuans conuerto me ad* Christum, *quia ipsum quæro hîc, & inuenio quomodò sinè impietate adoretur terra, sinè impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne* Mariæ *carnem accepit: & quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit, inuentum est quemadmodùm adoretur tale scabellum pedum* Domini, *& nõ solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Nunquid autem caro uiuificat? Ipse* Dominus *dixit, cùm de ipsa commendatione eiusdem terræ loqueretur:* Spiritus *est qui uiuificat, caro autem nihil prodest. Ideò & ad terram quamlibet (talem) cùm te inclinas atq; prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est quod adoras: propter ipsum enim adoras. Ideò & hîc subiecit:* Adorate *scabellum pedum eius, quoniam sanctũ est. Quis sanctus est? In cuius amore adoras scabellum pedum eius. Et cùm adoras illũ, nè cogitatione remaneas in carne, & à spiritu non uiuificeris.* Spiritus *enim, inquit, uiuificat, caro autem nihil prodest. Tunc autem quandò hoc* Dominus *commendauit, de carne sua locutus erat, & dixerat:* Nisi *quis manducauerit carnem meam, non habebit in se uitam æternam* &c.

Esaiæ 66.

Deut. 6. 10. Matth. 4.

Gene. 1. 3.

Nemo Christi carnẽ edit in Eucharistia, nisi eam priùs adoret: quod ni faciat, peccat.

Christi corpus adoramus, quod diuinitatis eius propriũ corpus sit.

Caro humana vulgaris & cõmunis nihil prodest: at Christi diuina caro vitã nobis confert sempiternam.

Locus

Locus hic mirè elegans & insignis est, quo vir sanctus non id modò testatū efficit, Christū in sacrosancta Eucharistia adorari oportere, ipsiusq; ætate adorationis huius doctrinam, exercitiū & vsum adeò certa & peruulgata fuisse, vt indè demùm, quemadmodùm D. Ambrosius, mysterium in versu memorato, Adorate scabellum pedum eius, reconditum probè assecutus sit: verùm etiam id prætereà docet, vt ea adoratio fieri debeat, & quò animum in ea adoratione referre debeamus: diluitq; ea omnia, quæ Aduersarij nostri in diuersum fortaßis essent prolaturi. Primò ait, Scripturam præcipere, vt adoremus scabellum pedum Domini. Id verò de terra, quæ scabellū est pedum eius, generaliter non posse accipi: id enim fore contra illud primum præceptum, Dominum Deum tuum adorabis: sed de peculiari quadam terra intelligi oportere: eam autem esse carnē Domini, quam is ex sacratißima Maria virgine acceperit, in qua ambulârit, quam nobis manducandam dederit. Nemo autem, inquit, illam carnem manducat, scilicet in V. Sacramento, in quo eam nobis edendam præbuit, nisi priùs adorauerit. Porrò Christianum hac adoratione non solùm nō peccare in primum decalogi præceptum, sed tum potiùs grauiter peccaturum, si nolit adorare. Deindè aperit, quo pacto eam adorare, & in ipsa adoratione quò respicere debeamus. Non ità ea nobis adoranda est ceu caro communis, cùm ipse dicat Dominus, talem carnem non prodesse quicquam: sed vt carnem Dei propriam: ità vt non hæreamus animo, vel cogitatione remaneamus in carne, sed ad Deum respiciamus, qui hanc sibi carnem vnione hypostatica copulârit, ità vt ex Deo atq; homine vna persona & Christus vnus effectus sit.

Psal. 98. Qua ratione Christus in Eucharistia adorandus sit.

Id quod D. Epiphanius lib. Ancorato aduersùm Manichæos & Arianos elegantißimè explicat his verbis: *Maria verò* (inquit hæreticus) *quid? creata, aut increata? Creata nimirùm etiam ipsi dicimus, genita ex uiro & muliere. Corpus igitur ex* MARIA *quid dicis? Adoras Saluatorem incorporatum, aut non adoras? Quomodò uerò non adorabo? Si enim non adorauero, non habeo uitam. Eccè igitur creaturam adoras ipsum corpus? Ingens autem est uæsania eorum, qui talia dicunt. Nam rex purpuram indutus, ab omnibus adoratur.*

Deum incorporatum, i. Christū Deū & hominem inseparabiliter adoramus.

In Eranist. Dialog. 1.

Iisdem verò temporibus etiam D.Ignatium verè, vt Theodoretus ait, *omni ex parte benedictũ Ecclesiæ Doctorẽ, & qui per magni Petri dextrã pontificatûs gratiam susceperit*, in V.Sacramento Christũ adoràsse, nullus potest ambigere, qui modò velit attendere, quid is de illo senserit V.sacramento. *Vocat enim illud panem Dei, panẽ cæleſtẽ, panem uitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei uiui, qui natus est ex semine Dauid & Abrahæ. Itemq́; Dei gloriã per quod satanæ potestates expelluntur, & carnem seruatoris nostri Iesu Christi.* Vide suprà fol.80. & sequentibus.

D.Ignatius qd de Eucharistia senserit.

S.Martyr & Pontifex Alexander primus, quintus à D.Petro, Dionysio admodùm scribit consentanea Epistol.1. his ipsis verbis: *Nihil in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi: nec ulla oblatio hac potior est, sed omnes hæc præcellit: quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atq; ab omnibus ueneranda: & sicut potior est cæteris, ità potiùs excoli & uenerari debet.*

De Consecr. Distin.2. ca. Nihil in sacrificijs.

Cultus, id est, latria debetur Eucharistiæ.

D.Iustinus testis est, *nemini tum licitum fuisse participare Eucharistia, nisi qui crederet, quemadmodùm per Dei uerbum homo factus Iesus Christus, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam cibũ: qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, eius esse carnem & sanguinem.* Vndè facilè potest intelligi, ea tum tẽporis à fidelibus esse adorata. Fidem enim hanc adoratio necessariò cõsequi debet. Rom. 10. Vide infrà testimonia D.Ambrosij & Theodoreti.

D.Irenæus quoquè haud alitèr certè fecisse existimandus est, cùm is asserat, *nos in Eucharistia congruenter communicationem & unitatem prædicare carnis & spiritûs in Christo*: i. Christi carnem cum ipsius diuinitate hypostatica vnione coniunctam illic adesse.

CAP. 9.

ORigenes Eucharistiam non modò carnem appellat verbi Dei, vt habes suprà fol.112. sed etiam disertis verbis docet nos, vt ante eucharistię perceptionẽ, Christũ in illa adorare debeamus, Homilia 5. in diuersos Euangelij locos. Verba eius hæc sunt: *Quãdò sanctum cibum illudq́; incorruptum accipis epulum, quàndò uitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergò humi-*

humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti &c. Quī tādem poterat Origenes adorationi illustrius dicere testimonium, quandò etiam ipsam adorandi formulam nobis præscribit, qua tum Græca, tum Latina Ecclesia iam indè ab illis temporibus vsq; in præsens in Missa ante communioēm haud dubiè vsa est?

Origenes eā nobis tradit Christum in Eucharistia adorādi formulā, quā indè ad nos vsq; vtraq; tum Græca, tū Latina Ecclesia in Missæ officio vsurpauit.

D. Cyprianus adorationi haud vulgaria perhibet testimonia. *Panis iste,* inquit, *quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia uerbi factus est caro: & sicut in persona Christi, humanitas uidebatur & latebat diuinitas, ità sacramento uisibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad ueritatem, cuius corpus sacramenta sunt, syncerior pateret accessus usq; ad participationem spiritûs.* Et non multò infrà: *Sacramenta quidē, quātùm in se est, sinè propria esse uirtute non possunt, nec ullo modo diuina se absentat maiestas mysterijs.*

Sermone de cœna Domini.

Christus diuinā essentiā suam infundit V. sacramēto, vt religio circa illud suam exerceat deuotionem.

Obserua hîc, virum sanctissimum in Eucharistia agnoscere diuinam essentiam, diuinam maiestatem, naturalem Deificatam Christi carnem, quæ religiosam erga ipsum V. Sacramentum exigat à percipientibus deuotionem, quo corporis illic & spiritûs pariter efficiantur participes.

Diuina maiestas inest Eucharistiæ.

Deindè eodem Sermone etiam hæc adiungit: *Melius erat, mola asinaria collo alligata mergi in pelagus, quàm illota conscientia de manu* Do*mini buccellam accipere, qui usq; hodiè hoc ueracissimum & sanctissimum corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit, & piè sumentibus diuidit. In huius præsentia non superuacuè mendicant lachrymæ ueniam, nec unquàm patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Quotiès te in cōspectu* Do*mini uideo suspirantem, Spiritumsanctum non dubito adspirantem: cùm intueor flentem, sentio ignoscentem.*

In Canone Missæ oratur: Per quē hæc omnia Domine semp bona creas, sanctificas, benedicis &c.

Coram V. Sacramento, tāquàm in conspectu Domini suspiramus, ploramus, & mēdicamus veniā, nec patimur repulsam.

Equidem hęc luculēta esse puto, quibus instituimur, qua deuotione esse præditi, & quas preces fundere debeamus in præsentia huius veracissimi & sanctissimi corporis: hoc est, (vt ipsus ait) in conspectu Domini: & quàm certos nos esse oporteat, quicquid hîc ea

cum

cum deuotione petierimus, etiam à Deo nos impetraturos.

Facit huc etiam, quod ad Quirinũ lib.3.cap.94. scribit his verbis: *Cum timore & honore Eucharistiam accipiendam: in Leuitico: Anima autem quæcunq; manducauerit ex carne sacrificij salutaris, quod est Domini, & immunditia eius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo. Item in epistola ad Corinth.1. Quicunq; ederit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

D. Athanasius, vt est videre suprà fol.124. ait *nos in Eucharistia Christi corpus iunctum diuinitati uel deificatum, plenum spiritu: adeoq; corpus illud, cui dicitur, Sede à dextris meis, accipere.* Itaq; dubium non est, quin ille in V. Sacramento Christum adorârit.

CAP. IO.

Diuus Eusebius Emisenus Sermone de corpore & sanguine Domini, quæ est Homilia V. de Pascha, vt suprà quoquè attulimus fol.125. testatur Dominũ hoc instituisse V. Sacramentũ, vt in illo diuino mysterio perpetim religiosè coleretur. Verba eius hæc sunt: *Quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat, ut nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, ut coleretur iugiter per mysterium, quod semèl offerebatur in precium.*

Christus V. Sacramẽtũ instituit, vt corpus eius semèl ꝑ nobis oblatũ, iugiter in ipso V. Sacramento coleretur.

Atq; euidentiùs etiã eodẽ Sermone docet & hortaẽ nos his verbis: *Cùm ad reuerendum altare salutari cibo potuq; reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiore assume.*

Emisenus ad Eucharistiæ cõspectũ exigit firmã fidẽ, & corporis Dei nostri honorem ac venerationem.

Duo quędam à nobis hîc Eusebius reposcit & exigit, antequàm Eucharistiam accipiamus: Primò firmam fidem, qua non dubitemus adesse in V. Sacramento verum corpus Christi. Secundò, vt eã fidem honorando Christi Dei nostri corpore illic præsente testemur ac declaremus: vtì Origenes quoquè & reliqui omnes faciunt.

D. Hilarius quid tum fecerit, tum faciẽdum docuerit, haud difficulter indè potest colligi, quòd lib.8. de Trinitate palàm testatur, *Nos uerbum carnem ex Maria uirgine factum cibo dominico uerè sumere.* & in Psalmum 64. ità scribit: *Habemus etiam & cibum paratum. Et quis hic cibus est: Ille scilicet, à quo ad Dei cõsortium præparamur, per communionem*

In Eucharistia est verbum, quod caro factum est.

nionem sancti corporis:quorum hæc sententia est, nos diuinæ naturæ per gratiam consortes fieri.

D.Basilius Magnus lib.2.de baptismate, Quæst.2. & 3. verba illa Christi,Templo maior est hîc,ad Eucharistiam refert, tanquàm diceret,longè quiddã maius hîc adesse,quàm olim fuerit arca Dei,corã qua tamen constat Israëlitas adorâsse. Ait porrò,corpus vnigeniti filij Dei,quod est in Eucharistia, excellentius esse arietibus ac tauris, & quidem excellẽtia incomparabili:nec minùs peccare eos,qui corpus Domini indignè tractent & sumant,quàm qui Dominum ipsum morte affecerint.Itaque in Liturgia sua his verbis Dominum appellat:*Fac panem hunc ipsum honorificum corpus Domini Dei & Saluatoris nostri IESV Christi* &c. Deniquè Christum ipsum in V. Sacramento disertis verbis adorat, quæ suprà habentur fol.139.*Attende*, inquit,*Domine Iesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos,qui suprà cum Patre sedes, & hîc inuisibiliter versaris, & dignare potenti manu tua* &c.

Matt.12. Hæc ferè paraphrasticos.

Vt Basilius Christum in Eucharistia adorarit.

D. Ephræm, vt antè dictum est fol.141.ait *nos agnum ipsum Dei integrè comedere, Christum nobis hîc ignem & spiritum manducandum ac bibendum præbere*: deniquè *sacratissima & reuerenda mysteria nuncupat.*

Quòd si Aduersarij Inuocationis & Adorationis vocabula hîc desiderari causentur, audiant ea, quę iam subijcimus, Patrum testimonia.

CAP.II.

Diuus Gregorius Naziãzenus in Epitaphio Gorgoniæ sororis suæ,adorationi Christi in Eucharistia haud obscurũ dicit testimonium.Memorat illic,ipsius sororem Gorgoniam aduersa correptam valetudine, cùm humanum nullum superesset solatium, nocte quadam ad Dominum, quem in altari re vera præsentem habebat in Eucharistia, confugisse, & cum multis lachrymis illum inuocâsse. Verba Gregorij hæc sunt: *Quid igitur anima faciebat magna & maximis digna? & quodnam aduersus infirmitatem remedium habebat? Iam enim occultum proditur. Cùm iam de omnibus alijs desperâsset,ad omnium confugit medicum:noctisq́; captata*

Gorgonia Christũ in V. Sacramento veneratur magna voce, ac omni illic eũ conamine inuocat.

Matt. 9.

Luc. 7.

solitudine, cùm illi morbus paruas concessisset inducias, ante altare cum fide procubuit, ac illum quem uenerabatur, magna uoce ac omni inuocauit conamine, eiq; miracula cuncta, quæ olim fecerat, in memoriam reduxit: nam & uetusta & noua callebat. Tandem impudentia quadam pia & pulchra impudens facta, illam imitabatur, quæ ob tactum fimbriæ Christi, à fluxu sanguinis est sanata. Et quidnam facit? Super altare caput reclinat, ac cum simili clamore & lachrymarum profluuio, instàr illius, quæ olim pedes Christi rigauit, opem implorat: & non anteà se cessaturam est comminata, quàm sanitatem fuisset adepta. Indè totum corpus pharmaco illo suo perunxit: & si alicubì manus ex uenerando corporis & sanguinis CHRISTI *subexemplari quid recondiderat, illud immiscens lachrymis (pròh miraculum) discessit, cùm confestim de corporis salute facta esset certa, tam anima quàm corpore ac mente releuata, mercedem spei sumens, id quod sperauerat, animæq; sanitate, corporis etiam bonam ualetudinem nacta. Hæc quidem magna sint & nequaquàm conficta: his uos omnes, & qui ægrotatis, & qui sani estis, fidem adhibete. Quòd uerò narratio hæc nequaquàm iactatio existat, uel indè liquet, quòd ea uiuente, silentium de hac re fuit: nunc uerò reuelatur, & certè sciatis, quòd ne nunc quidem diuulgatum fuisset, nisi timor me corripuisset, si miraculum tantum tam fidelibus quàm infidelibus præsentibus & futuris abscondissem.* Hactenùs Nazianzenus.

In versiõe Bilibaldi Pirckheimeri desiderantur hæc verba, Illud immiscẽs lachrymis. nã Græcũ exemplar habet: τοῦτο καταμίξασα τοῖς δάκρυσιν.

Tob. 12.

Est hoc profectò haud vulgare testimoniũ. Gorgonia hæc, vti de ea testatur D. Gregorius frater illius, fœmina fuit mirè religiosa, veteris ac noui testamenti callentissima, quæque multa templis donârit, & sacerdotes impendiò venerata sit, deniquè seipsam Dei templum præstiterit. *Quanam*, inquit Diuus Gregorius, *templa ità oblationibus ornauit? tam alia, quàm istud: quod nescio vtrùm illa sublata dehinc ornari possit: seu potiùs quanam sic viuens templum* DEO *se exhibuit? Quæ ità in honore babuit sacerdotes?* &c. Potest verò ex supradictis animaduerti, Gorgoniam hanc (vt id temporis moris erat, quéadmodùm suprà ex Tertulliano, Cypriano, præcipueq; Basilio huius

Id genus homines iã paucos reperire est.

Gre-

Gregorij æquali & contemporaneo, ad Cæsariam Patritiam alijsque patribus docuimus) reuerendissimum corporis & sanguinis Christi sacramentum apud se domi in altari quodam in mũdo vase, vel arcula habuisse, vti illud subindè pro sua deuotiõe, maximè verò in mortis periculo, nè absque salutari viatico hinc migraret, posset percipere. Cùm igitur grauissimo affecta morbo, nulla neque medicorum opera, neque hominum solatio & auxilio se adiutari comperiret, *noctu captata solitudine*, vt ait Gregorius, *cùm illi morbus paruas concessisset inducias, ante altare cum fide procubuit, ac illum quem venerabatur* (non dubium, quin in V. sacramento) *magna voce ac omni inuocauit conamine*: simulque in memoriam sibi redigens, vt Magdalena quondàm suis lachrymis pedes Domini rigâsset, & vt mulier illa, quæ duodecim annis patiebatur fluxum sanguinis, ob credulum fimbriæ vestis Dominicæ tactum, repentè curata fuisset, pari fidei firmitate & ardore acerbè plorare cœpit, adeò vt totum corpus suum suis lachrymis madefaceret: atque ex venerandi corporis & preciosi sanguinis Christi reliquijs quippiam suis immiscens lachrymis, (quod meo quidem iudicio paulò pòst deuotè sumpserit) per illam ardentem fidem & fiduciam in Dominum IESVM (quem in Eucharistia, perindè vt olim ægra illa fœmina in vestimenti eius fimbria attigerat) ab illo periculosissimo & infestissimo, quo laborabat, morbo, momento citiùs erepta, & tum corpore tum animo sanata est. *Illam*, inquit Gregorius, *imitabatur, quæ ob tactum fimbriæ Christi à fluxu sanguinis est sanata. Et quidnam facit? Super altare caput reclinat, ac cum simili clamore & lachrymarum profluuio, instar illius, quæ olim pedes* CHRISTI *rigauit, opem implorat, & non anteà se cessaturam est comminata, quàm sanitatem fuisset adepta. Inde totum corpus pharmaco illo suo perunxit: & si alicubi quippiam ex preciosi corporis aut sanguinis Christi similis formæ* ἀντίτυπα, *manus reposuerat, illud immiscens lachrymis, O rei miraculum, abijt, confestim sentiens sanitatem, &c.*

Religiosi & pij Christiani vt olim corpus Christi secum domi habuerint.

Luc. 7. Natt. 9.

Cur D. Gregorius Nazianzenus V. Sacramẽtũ antitypũ vocet, vt Basilius quoquè & Chrysostomus, vide suprà fol. 103. & fol. 142.

Hæc D. Gregorius pro insigni & p̃claro Dei miraculo refert, quod præsentibus & futuris tum fidelibus, tum infidelibus, quò Christi in eo virtus agnoscatur, laudetur ac prædicetur, se ait non potuisse

non indicare. Quô fit, vt tanto attentiori studio locus iste obseruandus sit, &c.

Porrò eûdem Gregorium Christum in Eucharistia etiã adorâsse, ex eius carminibus suprà memoratis haud ægrè licet animaduerti. his enim verbis sacerdotes appellat: *O magni figmentum Dei in manibus vestris ferentes.* Cernis hîc, eũ corpus Christi in Eucharistia appellare magni figmentum Dei &c.

CAP. 12. Nyssenus in Eucharistia verum verbi corpus agnoscit.

GRegorius Nyssenus, vt & suprà fol. 149. annotatũ est, sic habet: *Quamobrem rectè nunc etiam Dei uerbo sanctificatum panẽ, in Dei uerbi corpus credimus immutari. Etenim corpus illud panis erat potentia: sanctificatum est autem habitatione uerbi. Itaque qua ex causa panis in eo corpore mutatus, in diuinam uirtutem transijt, eadem de causa etiam nunc idem fit. Vt enim illic uerbi Dei gratia sanctum effecit illud corpus, sic etiã hic panis, ut ait Apostolus, per uerbum Dei & orationem sanctificatur, & uerbi corpus euadit, &c.*

Constat ex his, non minùs eum adorâsse diuinum Christi corpus in V. Sacramento, atquè ipsum Gregorium Nazianzenum.

Hesychius quoquè idẽ omninò fecisse censendus est, vt q in Leui. lib. 2. cap. 8. scribat, *Nos hic habere corpus Domini, in quod oculis nec angeli possint prospicere.* Et in Leui. lib. 6. cap. 22. *Sancta sanctorũ,* inquit, *sunt propriè Christi mysteria: quia ipsius est corpus, de quo Gabriel ad uirginem dicebat: Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altißimi obumbrabit tibi: ideoq; quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei.* [Luc. 1.]

CAP. 13.

AD D. Chrysostomũ iam accedimus, à quo Aduersarij nulla se poterunt ratione subducere, vtpotè qui adorationem nimìs q̃ luculenter & apertè affirmet. In Matthæum Homilia 83. inter alia sic habet: *Ea re nos alimur, quam angeli videntes tremũt, nec absq; pauore, propter fulgorem qui indè resilit, adspicere possunt.* Quæ cum Hesychio pulchrè consentiunt.

In caput 10. prioris ad Corinthios locus est notatu dignissimus de adoratiõe, vbì, vt & suprà fol. 176. partìm allatũ est, scribit his verbis: *Nolimus, obsecro, nolimus impudentes nosipsos interimere, sed cum honore & munditia omni ad Deum accedamus: & quandò id* (corpus eius) *propositum*

positum uideris, dic tecum: Propter hoc corpus non amplius terra & cinis ego sum: non amplius captiuus, sed liber. Hoc corpus affixum, uerberatum, morte uictum non est.

Christum in Eucharistia contemplantes, quid dicere debeamus.

Posteà his primam addit adhortationem, vtì corpus Dominicum in Eucharistia adorare debeamus: *Hoc corpus*, ait, *in præsepi reueriti sunt Magi, & uiri impij & barbari, longè itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur saltem barbaros, nos qui cælorum ciues sumus. Illi enim cùm id præsepe & tugurium tantùm, neq; eorum quicquam, quæ tu nunc intueris, uiderent, summa accesserunt reuerẽtia & horrore. Tu uerò non in præsepi id, sed in altari: non mulierem, quæ in ulnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & spiritum perabundè super proposito diffusum sacrificio uides. Nec simplex, ut illi, corpus intueris, sed & eius potentiam & omnem cognoscis administrationem, & nihil eorum quæ per ipsum facta sunt, ignoras, & diligẽter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur horrescamusq;, & maiorem, quàm barbari illi, præ nobis feramus pietatem, ut non simpliciter neq; frigidè accedentes, uehementiori igni caput obijciamus.*

Vt Christus nobis in Eucharistia adorandus.

Multò nos studiosiùs Christum in Eucharistia adorare debemus, quàm Magi orientales eum in matris sinu adorârint.

Et paulò pòst: Neq; *angelos, neq; archangelos, non cælos, non cælos cælorum, sed ipsum horum omnium tibi* Dominum *ostendo.*

Est hæc reuerà luculenta & grauis oratio, qua vir sanctus à nobis efflagitat, vt maiori cum honore & tremore Christũ in Eucharistia, vbì eam nobis proponi & monstrari contigerit, adoremus, quàm eũ olim Magi ex oriente veniẽtes, in pręsepi adorârint: quòd in ea nobis ostendatur totius cęlestis exercitûs & omnium creaturarũ Dominus.

Eundem in modum in caput 15. eiusdem Epistolæ Homilia 41. quod idem suprà fol. 177. & 181. attigimus. *Nòn est temerè*, inquit, *hoc excogitatum, nec frustrà memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus, pro istis agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes.* Hoc verò testimonium fieri non potest, quin Aduersarij iniquo patiantur animo, Melanchthon inprimìs, qui id Chrysostomo vitio vertere nõ dubitauit, quòd dicere ausus sit, nos agnum in altari iacentem, non pro viuis modò, sed etiam mortuis

Agnum Dei in altari iacẽtem pro vita functis deprecamur.

deprecari:quod tamen,vt & hoc loco Chrysostomus, & alij patres omnes indicant,in Christi Ecclesia ad nos vsq; semper in more positum fuit.Perpetua enim temporum successione hæc agno in altari iacenti precatio oblata est: AGNVS DEI QVI TOLLIS PECCATA MVNDI, MISERERE NOBIS. AGNVS DEI, QVI TOLLIS PECCATA MVNDI, DONA EIS REQVIEM. Quod quidem etiam deincèps locis omnibus,vbi tamen singulari Dei beneficio & fauore catholici fideles permanebunt,semper in vsu erit.

Lib.6.de Sacerdotio:*Per id tempus,*inquit, *& angeli sacerdoti assident,& cælestium potestatum uniuersus ordo clamores excitat, & locus altari uicinus,in illius honorem qui immolatur,angelorũ choris plenus est. Itemq;:Sacerdos tum deprecator est apud Deum,ut hominum omnium,non uiuentium modò,sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat.*

Esaiæ 6. Sermone de Eucharistia sic habet: *Seraphin adstant sex alis faciem tegentia,omnes incorporeæ uirtutes pro te cum sacerdote intercedũt,ignis spiritualis è cælo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est,& non erubescis,reuereris & confunderis, neq; Deum tibi propitium facis?*

Oratione de beato Philogonio, *Rogo uos,* ait, *omnes obsecroq;, ut summo studio summaq; cum alacritate uelitis adesse: sed priùs suam quisq; domum repurget,ut uideamus Dominum nostrum in cunis iacentem ac fascijs inuolutum, horrẽdum ac stupendum spectaculum. Quid enim excusabimus,aut quam ueniam obtinebimus,si cùm ipse nostra causa descenderit de cælis,nos ad illum uel ex ædibus ire grauemur? Cùm alienigenæ barbariq; ex Perside accurrant, ut illum uideant in præsepi iacentem,tu uerò ne breue quidem spatium emetiri sustines, ut hoc felici spectaculo perfruaris. Nam si cum fide accesserimus,proculdubiò uidebimus illum in præsepi iacentem.Siquidem hæc mensa uicem explet præsepis. Nam & hic ponitur corpus Dominicum, non quidem fascijs inuolutum,sicutì tunc, sed undiquaq; Spiritusancto conuestitũ.Qui mysterijs initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur. Ac Magi quidem (ex Oriente) nihil aliud quàm adorarunt:tibi uerò si cum pura accesseris conscientia, permittemus ut sumas, & sumpto*

domum

domum abeas. Accede igitur tu quoque munera offerens, non qualia deferebant illi, sed multò religiosiora. Obtulerunt illi aurum: offer tu temperantiam ac uirtutem. Obtulerũt illi thus: offer tu puras preces, quæ sunt odoramenta spiritualia. Obtulerunt illi myrrham: offer tu modestiã, & cor submissum cum eleemosyna. Et sub finem orationis hæc adijcit: *Quemadmodùm hîc Deum excipis multo cum honore, sic & ipse te multa cum gloria illic excipiet*, &c.

Itemq; in Acta Apostolorum Homilia 21. quæ etiam suprà adduximus fol. 181. hæc eius verba leguntur: *Non simpliciter minister clamat pro his, qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt.* Non *diaconus est qui talem illam uocem emittit, sed spiritus, non sanctus, inquam, sed donum. Quid dicis? In manibus est hostia, & omnia proposita sunt benè ordinata: adsunt angeli, adsunt archangeli, adest filius Dei: cum tanto horrore adstant omnes, adstant illi clamantes omnibus silẽtibus: & putas simpliciter hæc fieri? Igitur & alia simpliciter & quæ pro Ecclesia, & quæ pro sacerdotibus offeruntur, & quæ pro plenitudine ac ubertate.* Sequitur posteà, *Domino præsente.* Angeli cum hominibus adorãt Christũ in Eucharistia.

Homilia itidèm 3. de incompræhensibili Dei natura: *Vt homines,* inquit, *ramos olearũ gerẽtes, mouere reges cõsueuerũt &c. sic angeli tũc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant:* Pro *his Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti, ut pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolâsti* &c.

Atque vt rem omnem in pauca conferam, Chrysostomus, vtì nos ad congruam ac debitam venerationem & adorationem excitet, diuinissimum hoc Sacramentum hincindè appellat, *Horrendum sacrificium, & ineffabilia sacramenta, Terribilem mysticam mensam, Horrendum ac stupendum spectaculum, Inenarrabile donum, cum admiratione & horrore quodam laudandum, Sacrificium horrore & reuerentia plenissimum.* Vide eũ in Acta Apostolorum, cap. 9. Hom. 21. Sermone de Eucharistia, Oratione de B. Philogonio, lib. 6. de Sacerdotio.

Audi

Vt Chrysostomus Christũ in Eucharistia adorârit.

Audi iam porrò, vtì vir sanctus in sua liturgia Christum Dominũ in V. Sacramento ipsus adorârit. Precatio eius eadem ferè est cum Diui Basilij precatione: *Attende*, ait, *Domine Iesu Christe Deus noster, de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & ueni ad sanctificandum nos, qui in excelsis unà cum patre sedes, & hìc inuisibiliter nobiscum ades, & dignos nos redde potenti manu tua, ut participes simus immaculati tui corporis, & preciosi tui sanguinis, & per nos omnis populus.*

Deindè, vt in liturgia habetur, Sacerdos adorat, & diaconus, in eo in quo est loco, ter secretò dicentes: DEUS, propitius esto mihi peccatori: & populus, & similiter omnes cum pietate & reuerentia adorant.

Matth. 8. Luc. 7. Alia precatio corã Eucharistia.

Est deniquè & alia precatio, qua hodieq; Græci sacerdotes Christum in V. Sacramento adorant, his constans verbis: *Domine, non sum dignus, ut sub sordidum animæ meæ tectum ingrediaris: sed quemadmodùm æqui boni consuluisti, in spelunca & præsepi ratione carentium animalium recumbere, & in domo Simonis leprosi etiam similem mihi meretricem & peccatricem ad te accedentem suscepisti, ipse dignare etiam in præsepe animæ meæ rationis expertis, & in commaculatum corpus meum ingredi, mortui & leprosi: & sicut non abhorruisti os sordidum meretricis, impollutos tuos pedes osculantis: ità Domine Deus meus, nè me etiam peccatorem abhorrueris, sed tanquàm bonus & benignus, dignare me effici participem sanctissimi tui corporis & sanguinis.* Hæc Chrysostomus in liturgia.

CAP. 14.

IAm porrò ad duo illa præclarissima Ecclesiæ occidentalis lumina, Ambrosium & Augustinum nostra procedit oratio, quorum vterque Eucharistiæ adorationem luculentissimè asserit, docet, & à cunctis è religione Christianis reposcit & exigit.

AMBROSIVS quidẽ in cap. 11. prioris ad Corinthios, ità scribit: *Eucharistia est medicina spiritalis, quæ cum reuerentia degustata, purificat sibi deuotum.*

Timor, deuotio & reuerẽcia debentur V. sacramẽto.

Itemq; in eum locum: Probet autẽ se homo &c. scribit his verbis: *Deuoto animo & cum timore accedendum ad communionem docet, ut sciat mens reuerentiam se debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit.*

Hoc

Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in mysterio sanguinem potat. Vide suprà fol. 193, & sequẽ. Quorsum verò attinet, hęc atq; eiusce modi testimonia, quæ nos instituant, quam deuotionem & reuerentiam V. Sacramento præstare debeamus, ex Ambrosio ꝓlixè coaceruare, cùm tamen ille Eucharistię adorationem, quàm possit fieri apertissimè, etiam præ cæteris, è scriptis diuinis tradat, asseueret & doceat?

Adorationis huius testimonium validissimũ & cui refragari nullus possit, videre apud illum est de Spiritusancto lib. 3. cap. 12. vbi inter alia dicit *Mariam Magdalenam Christum, cùm resurrexisset à mortuis, adoràsse: adoràsse eundem & Apostolos: & ideò quia detulerunt Apostoli fidei testimonium, accepisse eos fidei magisterium: itemq; & angelos eũ adoràsse, de quibus scriptum est: Et adorent eum omnes angeli eius. Adorãt autem, inquit, non solùm diuinitatem eius, sed etiam scabellum pedum eius, quia scriptum est, Et adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Et post pauca: *Sed nè fortè ꝓpositũ aliquos præterfugere uideat exẽplũ, qua ratione ad incarnationis Dominicæ sacramentum spectare uideatur, quod ait propheta: Adorate scabellum pedum eius, consideremus. Non enim ex usu hominum æstimare debemus scabellum. Neq; enim corporalis Deus, aut non immensus, ut tanquàm fulcrum pedibus eius scabellum subiectũ putemus. Neq; adorandum quicquam præter Deum legimus, quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Quomodò ergò aduersùs legem propheta præciperet, sub lege nutritus, & eruditus in lege? Non mediocris igitur quæstio, & ideò diligentiùs consideremus, quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Cælum mihi thronus, terra autem scabellum pedum tuorum. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit: Itaq; per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodiè quoquè in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu, ut suprà diximus, adorârunt. Neq; enim diuisus Christus, sed unus: neq; cùm adoraret tanq̃ Dei filius, natus ex uirgine negabatur:* Hactenùs Ambrosius, qui hîc insigne & memorabile dicit testimonium, modò id diligenter expendatur.

[Margin: Matth. 28. Adorando Christum in Eucharistia, fidei nostræ testimonium deferimus. Psal. 96. Hebr. 1. Psal. 98. Matth. 4. Esaiæ 66. In ijs verbis, Adorate scabellum pedũ eius, iubemur Christũ adorare in Eucharistia.]

CAP. 15.

Diui Augustini, qui Ambrosij discipulum egit, in horum certiorem explicationem testimonium, etiam suprà fol. 220. & fol. 222. partim citatum, huc mox adscribere visum est, id quod in Psal. 98. versum illum, Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctũ est, legitur: *Videte, inquit, fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco scriptura dicit: Cælum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Ergò terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quòd sit scabellum pedum Dei? Et quomodò adorabimus terrã, cùm dicat apertè scriptura, Dominum Deum tuum adorabis: & hîc dicit, Adorate scabellum pedũ eius? Exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum eius, dicit: Terra antẽ scabellum pedum meorum. Anceps factus sum: timeo adorare terram, nè damnet me qui fecit cælum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pedũ eius. Quæro qd sit scabellũ pedum eius, & dicit mihi scriptura: Terra scabellũ pedũ meorum. Fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hîc, & inuenio quomodò sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est quemadmodùm adoretur tale scabellum pedum Domini, & nõ solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Nunquid autem caro uiuificat? Ipse Dominus dixit, cùm de ipsa commendatione eiusdem terræ loqueretur: Spiritus est qui uiuificat, caro autem nihil prodest. Ideò & ad terram quamlibet (talem) cùm te inclinas atq; prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est quod adoras: propter ipsum enim adoras. Ideò & hîc subiecit: Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctũ est. Quis sanctus est? In cuius amore adoras scabellum pedum eius. Et cùm adoras illũ, nè cogitatione remaneas in carne, & à spiritu non uiuificeris. Spiritus enim, inquit, uiuificat, caro autem nihil prodest. Tunc autem quandò hoc Dominus commendauit, de carne sua locutus erat, & dixerat: Nisi quis manducauerit carnem meam, non habebit in se uitam æternam &c.*

Esaiæ 66.

Deut. 6. 10. Matth. 4.

Gene. 1. 3.

Nemo Christi carnẽ edit in Eucharistia, nisi eam priùs adoret: quod ni faciat, peccat.

Christi corpus adoramus, quod diuinitatis eius propriũ corpus sit.

Caro humana vulgaris & cõmunis nihil prodest: at Christi diuina caro vitã nobis confert sempiternam.

Locus

Locus hic mirè elegans & insignis est, quo vir sanctus non id modò testatū efficit, Christū in sacrosancta Eucharistia adorari oportere, ipsiusq; ætate adorationis huius doctrinam, exercitiū & vsum adeò certa & peruulgata fuisse, vt indè demùm, quemadmodùm D. Ambrosius, mysterium in versu memorato, Adorate scabellum pedum eius, reconditum probè assecutus sit: verùm etiam id prætereà docet, vt ea adoratio fieri debeat, & quò animum in ea adoratione referre debeamus: diluitq; ea omnia, quæ Aduersarij nostri in diuersum fortaßis essent prolaturi. Primò ait, Scripturam præcipere, vt adoremus scabellum pedum Domini. Id verò de terra, quæ scabellū est pedum eius, generaliter non posse accipi: id enim fore contra illud primum præceptum, Dominum Deum tuum adorabis: sed de peculiari quadam terra intelligi oportere: eam autem esse carnē Domini, quam is ex sacratissima Maria virgine acceperit, in qua ambulârit, quam nobis manducandam dederit. Nemo autem, inquit, illam carnem manducat, scilicet in V. Sacramento, in quo eam nobis edendam præbuit, nisi priùs adorauerit. Porrò Christianum hac adoratione non solùm nō peccare in primum decalogi præceptum, sed tum potiùs grauiter peccaturum, si nolit adorare. Deindè aperit, quo pacto eam adorare, & in ipsa adoratione quò respicere debeamus. Non ità ea nobis adoranda est ceu caro communis, cùm ipse dicat Dominus, talem carnem non prodesse quicquam: sed vt carnem Dei propriam: ità vt non hæreamus animo, vel cogitatione remaneamus in carne, sed ad Deum respiciamus, qui hanc sibi carnem vnione hypostatica copulârit, ità vt ex Deo atq; homine vna persona & Christus vnus effectus sit.

Psal. 98.

Qua ratione Christus in Eucharistia adorandus sit.

Id quod D. Epiphanius lib. Ancorato aduersùm Manichæos & Arianos elegantissimè explicat his verbis: *Maria verò* (inquit hæreticus) *quid? creata, aut increata? Creata nimirùm etiam ipsi dicimus, genita ex uiro & muliere. Corpus igitur ex* MARIA *quid dicis? Adoras Saluatorem incorporatum, aut non adoras? Quomodò uerò non adorabo? Si enim non adorauero, non habeo uitam. Eccè igitur creaturam adoras ipsum corpus? Ingens autem est uæsania eorum, qui talia dicunt. Nam rex purpuram indutus, ab omnibus adoratur.*

Deum incorporatum, i. Christū Deū & hominem inseparabiliter adoramus.

Nunquid ergò purpura adoratur, aut rex? Manifestum est, quòd rex. Coadoratur autem cum ipso etiam purpura quam gestat. Vbi uerò rex hãc exuit, & in locum reposuit, non ampliùs uestis purpura adoratur. Sedet etiã in tẽplo sæpè rex in proprio throno, & adorantes adorãt regẽ in templo ac throno proprio: ubi uerò surrexit rex, nemo neq; templũ, neq; thronũ adorat. Nemo *autem adeò insanus est, ut adorare uolẽs regem in templo ipsius, dicat ad regem, Egredere ex templo tuo, ut te adorem. Sic sanè nemo dixerit unigenito:* Dimitte *corpus, ut te adorem: sed adorat cum corpore unigenitum, increatum cum templo sancto, quod accepit ubi uenit. Et nemo dicit ad regem, Surge ex throno, ut te adorem citrà thronum: sed adorat regem cum throno. Itaq; & Christus adoratur cum corpore sepulto, & quod resurrexit.* Hæc Epiphanius.

Adoramus vnigenitum vnà cum corpore eius.

Quorum hæc sententia est: Vnigenitus Dei filius semèl assumpsit corpus suum, quod nunquàm posteà ne in morte quidem vel sepulcro reliquit. Credimus igitur in vnigenitum, non vt Dei filium duntaxat, sed vt DEVM & hominem, natum, passum, crucifixum, mortuum, sepultum: eumque adoramus, non quidem carnem per se solam, sed carnem vnà cum diuinitate illius, quæ ab eo tempore quo CHRISTVS incarnatus est, carnem illam nunquàm deseruit. Atque hoc est, quòd Augustinus ait, Dominum quodam loco, nempe Iohannis sexto, duo quædam dicere, quæ inter se videantur contraria, cùm tamen non sint contraria: vt, Caro nihil prodest: & è diuerso, Nisi manducaueritis carnem meam, non habebitis vitam in vobis. Horum igitur primum de communi carne & inanimata, quæque spiritum non habeat, accipiendum est: non autem de carne illa spiritu prædita & Deificata, quæ non modò prodest, sed etiam vitã nobis adfert sempiternam: atq; ea causa vnà cũ diuinitate in sacrosancta Eucharistia, priusquàm sumatur, adorari debet.

Verba Domini Iohan. 6. videntur inter se contraria.

Quod vt etiam ex alijs operum eius locis fiat testatius, Epistola centesima vigesima, de gratia noui Testamenti ad Honoratum, capite vigesimoseptimo, in versum illum Psalmi vigesimiprimi, Edent pauperes & saturabuntur: itemque illum, Manducauerunt & adorauerunt oẽs diuites terræ &c. scribit hunc in modũ: Neq; *frustrà*

ita

ità distincti sunt (pauperes & diuites:) ut de pauperibus suprà diceretur, Edent pauperes & saturabuntur: hic uerò (de diuitibus,) Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius, sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quoniam non imitantur. Manducantes enim, pauperes dedignantur esse: quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur uestigia eius. Veruntamen quòd humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, aspernantur diuites, & similia perpeti respuunt, timore, non magnitudine: infirmitate ergò, non sanitate. Sed quia Deus excitauit eum à mortuis, & donauit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine IESV flectatur omne genu, cælestium, terrestrium & infernorum, fama celsitudinis eius, & gloria nominis eius in ecclesia usquequaquè diffusa permoti, ueniunt & ipsi ad mensam, manducant & adorant, non tamen saturantur, quia non esuriunt & sitiunt iustitiam. Tales enim saturabuntur, quanquam perfecta saturitas in illa uita æterna erit, cùm ex ista peregrinatione uenerimus ex fide ad speciem, ab speculo ad faciem, ab ænigmate ad perspicuam ueritatem.

Vtriq; & pauperes & diuites adorãt ad mẽsam Christi ipsum Dominũ in Eucharistia, sed discriminatim ac dispari fructu.
1 Pet. 2.
Philip. 2.
Matth. 5.
2. Cor. 5.
1. Cor. 13.

Etiam hoc sanè illustre est testimonium, quo hoc quoquè declaratur & perspicuum fit, locum illum suprà scriptum in Psal. 98. de adoratione carnis Christi in Eucharistia accipi debere: id quod Augustinus eodem ferè modo explicat in antè dictum Psalm. 21. in expositione prima, interpretans uersum illum, *Vota mea reddam coram timentibus eum, Hoc est,* inquit, *Sacramenta corporis & sanguinis mei reddam coram timentibus eum.* Et deindè in illum uersum, *Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ, Manducauerunt,* ait, *corpus humilitatis Domini sui etiam diuites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt vsque ad imitationem, sed tamen adorauerunt:* id est, nihilo minùs ipsa adoratione Christum Dominum suum illic præsentem agnouerunt & testati sunt.

Prætereà suprà fol. 244. ex lib. 3. de Trinitate cap. 10. docuimus, huius sancti viri seculo veram ac realem Christi in Eucharistia præsentiam adeò passìm absque vlla hæsitatione cunctos credidisse, vt

Aetate Augustini, vt hodieq; apud catholicos, paruuli à parentibus edocti, Eucharistiam Dominũ Deũ esse senserũt.

etiam infantes authoritate grauissima à parentibus hac de re instruerentur: *Nisi*, inquit, *dicatur illis* (infantibus) *authoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omninò in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de latere tali percusso, liquorem illum omninò fluxisse.* Ex quibus facilè potest intelligi, parentes eosdem infantes suos etiam authoritate grauissima instituisse, vt in Eucharistia Christum adorarẽt: alioquì sanè haud illi permisissent ea in opinione suos infantes permanere.

Ob honorẽ, quo Christiani Eucharistiã afficere, ethnici putarunt eos Cererem & Bacchum colere.

Itidèm suprà fol. 247. ex lib. 20. contra Faustum, cap. 13. allatum est, vt eius tempestate nonnulli ethnici existimârint *Christianos propter panem & calicem*, (vt quibus diuinos haberẽt honores) *Cererem ac Liberum, ipsorum idola colere*: quod quidem argumento est, Christianos illis temporibus adorâsse Christum in Eucharistia, cùm alioquì, ni id fecissent, ethnicis in suspicionem venire non potuerint, ipsos Cererem Bacchumq; colere.

Libro quoquè de cat[...]ndis rudibus, cap. 26. quo libro docet, vt instituendi sint nostr[...]igionis rudes ac imperiti, ità scriptum reliquit: *De sacramento sanè quod accepit, cùm ei benè commendatum fuerit, signacula quidem rerum diuinarum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari: nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodùm habetur in vsu quolibet: dicẽdum etiam quid significet & sermo ille quem audiuit, quid in illo condatur, cuius illa res similitudinem gerit* &c.

Res inuisibiles in Sacramento honorantur.

Sermonẽ, intellige illa Domini verba, Hoc est corpus meũ.

Nota, vt vir sanctus asserat, tametsi signacula rerum diuiuarum in hoc V. sacramento visibilia sunt, at tamẽ res ipsas diuinas inuisibiles in eis honorari: id quod necessariò accipiẽdum est de latria & honore diuino, qui rebus diuinis debetur & competit.

In eandem ferè sententiam dixit ea, quæ in libro sententiarũ Prosperi habẽtur, vt suprà quoquè fol. 239. annotauimus, hac verborum serie: *Nos autem in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus: nec similiter prabendimus has duas species, quemadmodùm ante consecrationem prabendebamus: cùm fideliter fateamur, antè consecratiõem panem esse & vinum, quod natura formauit, post consecrationem verò esse carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit.* Et hic audis, carnem & sanguinem Christi, quæ non natura forma-

Carnẽ & sanguinẽ Domini in speciebus visibilibus honoramus.

formauit, sed quæ vi consecrationis coràm adsint, in V. Sacramento honorare nos debere: quę cùm res diuinę sint, immò Christus ipse, adoratio illis debetur.

Sed quorsum argumentis pluribus vti attinet? Iam suprà fol. 248. & sequentibus, ob asserendam veram ac realem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, ex sancti viri Epistola 118. ad Ianuarium adduximus, quòd ait, cibo huic singularem quãdam deberi venerationem: *Veneratione*, inquit, *singulariter debita*. quô fit proculdubiò, vt hoc celsissimum sacramentum per antonomasiam VENERABILE SACRAMENTVM nuncupetur: Itemq́; *iudicium sibi manducare & bibere eos, qui non dijudicant corpus Domini, nec discernunt à cæteris cibis*. Item, *ob tanti sacramenti reuerentiam, religiosos Christianos si non fuissent bene constituti & dispositi, timuisse quondam quotidie vel crebrò illud accipere: quòd putarent eligendos esse dies, quibus puriùs homo continentiusq́; viuit, quô ad tantum sacramentum dignus accedat*. Sentiebant ergò non vulgarem & quotidianam, sed singularem & accuratam suî præparationem & corporis castigationem eò exigi & requiri. Item, *placuisse Spirituisancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi*. Beda, qui in scriptis suis prolixa Diui Augustini commentaria in summam quandam & compendium contraxit, in Lucam libr. 6. cap. 22. scribit his verbis: *In honorem tanti tamq́; terribilis Sacramenti placuisse id Magistris Ecclesiæ* &c. Prætereà eadem Epistola ait Augustinus, *rectè nos facere, si accessuri ad Eucharistiam, dicamus cum Euangelico Centurione: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum*. Vide suprà Origenis & Chrysostomi testimonia. Hæc omnia quid tandem aliud loquuntur & docent, quàm CHRISTVM in Eucharistia adorari oportere: quique id non faciat, eum haud leue in se peccatum admittere, nec alio quàm increduli & infidelis loco habendum esse?

Eucharistiæ debetur singularis quædã & excellẽs veneratio: quia obrẽ singulariter Venerabile Sacramentũ appellatur.

Accessuri ad Eucharistiã, vt Christum cum Centurione adorare debeamus.

CYrillum & Leonem I. hoc loco producere, meo quidem iudicio, superfluum sit: cùm nemo propemodùm ex Patribus testetur euidentiùs, atquè Cyrillus, *Deum influere oblatis vim vitæ, & conuertere ea in veritatem propriæ carnis,* CAP. 16.

&

& in corpus vita &c. Vide suprà fol.302.& sequent.

Itemq;, *Nos per mysticam benedictionem* (sic enim ille vocat sacrosanctam Eucharistiam) *Iesum suscipere, qui secundùm naturam vita est, ex vivo patre genitus: nos illud corpus accipere, quod filio Dei, quod verbo Dei, quod vita in vnitate personæ coniunctum est, quodq́; vita rectè appellatur, & tactu suo vniuersa sanat & viuificat.* Vide suprà fol. 303.& sequent. In summa, *nos verbum accipere, quod caro factum est.* Vide suprà fol.304.

Perpende iam, vtrúmne Cyrillus Christum in V.Sacramento adorauerit. Ità etiam apud D. Leonem habes his similia, qui perindè vt Augustinus, testatur suo æuo *nec infantium linguas veritatem corporis & sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei tacuisse.* Vide suprà fol.326.

Theodoretus, vt suprà quoquè retulimus fol.339. adorationem luculentissimè asserit: *Signa mystica,* inquit, *manent in priore substantia, & figura, & forma, & uideri, & tangi possunt, sicut & priùs: intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur.*

A consecratione Eucharistia adoratur.

REMIGIVM quoquè Rhemorum Episcopum, Christum in Eucharistia adorâsse, in dubium vocare non potest, quisquis modò illius testimonium suprà in Asseruationis Eucharistiæ Articulo prolatum, rectè secum perpendere velit. Ait enim: *Caro, quam Verbum Dei patris assumpsit in utero uirginali, in unitate suæ personæ, & panis qui consecratur in ecclesia, unum corpus* CHRISTI *sunt. Sicut enim illa caro, corpus Christi est, ità iste panis transit in corpus* CHRISTI: *nec sunt duo corpora, sed unum corpus. Diuinitatis enim plenitudo, quæ fuit in illo, replet & istum panem: & ipsa diuinitas Verbi, quæ implet cælum & terram & omnia quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod à multis sacerdotibus per uniuersum orbem sanctificatur, & facit unum corpus Christi esse. Cernis hic uirum sanctum agnoscere Christum realiter uel substantialiter & personaliter præsentem in Eucharistia: itaque nihil certius, quàm eum quoquè in illa Christum adorâsse.*

fol. 446.

Diuus

DIVVS GREGORIVS I. apertissima præbet testimonia, maximam habere vim adorationẽ sacrificij, victimæ & hostiæ salutaris, nedùm ad præsentes, sed etiam absentes, nec viuos duntaxat, verùm etiam mortuos adiuuandos ac releuandos. Vide suprà fol. 345. CAP. 17.

DAMASCENVS lib. 4. Orthodoxę fidei, cap. 14. vbi clarissimè transsubstantiationem adstruit, etiam ad adorationem nos inuitat & adhortatur his verbis: *Proindè omni cum timore & conscientia pura, & indubitabili fide accedamus, & omninò fiet nobis quẽadmodùm credimus non dubitantes, & ueneremur ipsum omni puritate animi & corporis. Accedamus ei desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus suscipiamus: & apponentes oculos & labia & frontem, diuinũ carbonem concipiamus: ut ignis in nobis desiderij, assumens eo ex carbone ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur & deificemur.*

In Historia duorum militum, vt partìm suprà citauimus, etiam lu culentiùs scribit: *Ipse est enim,* inquit, *Dei sermo uiuus & efficax, & omnia uirtute sua peragens, facit & conuertit diuino uerbo suo, panis & uini oblationem in corpus & sanguinem, superueniente Spiritusancto, in sanctificationem & illuminationem cum deuotione percipientium.* Atque porrò subiungit: *Adora eum fide, osculando, uenerando imaginem Dominici characteris propter nos incarnati Dei uerbi, ipsum te reputans creatorem cernere imagine sua.* Deindè docet nos *eam uenerationem & adorationem non ad species externas referre, nec in ijs hærere, sed mentis oculis ad illius debere adspectum transire, qui propter nos incarnatus, semetipsum exinaniuit usque ad formam serui.* Christus in fide in Eucharistia deuotè adorandus.

EVTHYMIVS in Matthæũ cap. 64. *Itá quoquè,* inquit, *in adorandis mysterijs faciamus, non ea solùm quæ proponuntur intuentes, sed sermonibus eius credentes: cumq; ille dicat,* HOC EST CORPVS MEVM: *&,* HIC EST SANGVIS MEVS: *& pareamus, & credamus.*

D. BERNARDVS sermone de cœna Domini ad Petrum Presbyterum, quem iam antè fol. 376. adduximus, ad adorationem hac nos oratione extimulat: *Quid facis homo indigne? quid facis homo in-* Bernardus nos ad deuotam Christi in Euchari.

Ria adoratio-
nē hortatur.

grate? Adora deuotiùs, & recole frequentiùs in sacramento altaris, salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam. Si membrum Christi es, compatere capiti tuo: si frater Christi es, commouere fratri tuo &c.

CAP. 18. PIus ille EVSTACHIVS, qui & BONAVENTVRA, inter alias suas lucubrationes, etiam vitā D. Francisci conscripsit, in qua ista commemorat: *Alio quoquè tempore*, inquit, *quędam viro Dei fuit ouis oblata, quam propter innocentiæ & simplicitatis amorem, quas ouis natura prætendit, gratāter suscepit. Monebat vir pius ouiculam, vt & laudibus diuinis intenderet, & ab omni fratrum offensa caueret. Ouis autem, quasi viri Dei pietatem aduerteret, informationem ipsius sollicitè obseruabat. Nam audiens fratres in choro cantare, & ipsa Ecclesiam ingrediens, sinè alicuius informatione flectebat genua, vocem balatûs emittens ante altare virginis matris agni, ác si eam salutare gestiret. Insupèr & cùm eleuaretur sacratissimū CHRISTI corpus inter Missarum solennia, flexis curuabatur poplitibus, tanquàm si reuerens pecus de irreuerentia indeuotos argueret, Christiq́ deuotos ad sacramenti reuerentiam inuitaret.* Hæc quidem, sat scio, Aduersarij nostri habebunt ludibrio: sed eant illi sanè, & Dei miracula irrideant, quandoquè deridendi ab illo. Mihi id hoc loco arridet, tanta eos amentia & insania occupari, vt eam etiam bruta prodant animalia. Vt verò subindè DEVS per creaturas rationis expertes impiorum dementiā & vecordiam prodiderit, non est obscurum illis, qui in scriptis diuinis versati sint. Subiugale mutum animal, ait Diuus Petrus, in hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam.

Etiam bruta afalia quandoq; flexis poplitibus Christum in Eucharistia adorârunt.

Num 22.
2. Pet. 2

Eodem libro de Miraculis beati Francisci, sub titulo, De cæcis illuminatis, *Apud Thebas in Romania, inquit, mulier cæca vigiliam S. Francisci in pane tantùm & aqua ieiunans, ad Ecclesiam fratrum Minorum summo manè festinitatis à viro suo superducta est: q̄, dum Missa celebraretur, in eleuatione corporis Christi oculos aperuit, clarè vidit, deuotissimè adorauit. In ipsa verò adoratione voce magna proclamans, Gratias, inquit, Deo & sancto eius, quia video Corpus CHRISTI. Post sacrorum expletionem reuersa est mulier in domum suam cum gaudio spiritûs, & lumine oculorum. Exultabat quidem mulier, non solùm quia lucis corporeæ recuperârat adspectum, verùm etiam quia sacramentum illud mirificum, quod est lumen animarum*

verum

verum & viuum, respectu primario, per B. Francisci merita, fidei suffragante virtute, meruerat intueri.

HONORIVS III. ad excitandam egelidam Christianorũ deuotionem erga hoc V. Sacramentum, quid statuerit ac mandârit, suprà in secundo primario Articulo retulimus, nempè, *vt fideles, cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinent, idē facientes, cùm eam defert presbyter ad infirmum.*

VRBANVS IIII. festum V. Sacramēti īnstituit feria quinta post octauas Pentecostes toto orbe solenniter celebrandũ, vt in eius habetur Constitutiōe, quæ in generali Concilio Viennēn sub Clemēte V. à toto Concilio recepta, confirmata, & publicata est, lectu certè digna, in qua inter alia etiā hæc habenť: *O excellētissimum Sacramentũ, ô adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconijs exaltandum, cunctis honorandum studijs, deuotis prosequendum obsequijs, & syncerts mētibus retinendum.* Huius Vrbani IIII. voluntate & iussu D. Thomas Aquinâs eius diei officium composuit, & absq; dubio etiam iam dictam constitutionem confecit. In Hymno, *Pange lingua gloriosi corporis mysterium,* qui iam toto orbe Christiano passim canitur, nosipsos ad adorationem adhortamur his verbis: *Tantum ergò sacramentum veneremur cernui.*

NICOLAVS LYRANVS, quem etiam omnium Aduersariorũ nostrorũ p̄cipuus dux & signifer Luterus pro excellēti, & sacrorum Bibliorum ac Hebraicæ linguæ peritissimo viro habuit, vtì etiam reuerà fuit, tractatum quendam vel libellum scripsit contra Iudæũ impugnatorē sacrilegũ Euangelij secūdùm Matthæũ: vbì inter alia errorē hūc non adorādę Eucharistię, docet esse crassum omninò & Iudaicum. Ait enim Iudæum hunc adorationem Christi in Eucharistia, idololatriam appellâsse. Atquì hominem impurũ & scelestum hac ratione confutat: *Non enim*, inquit, *adorantur species visibiles, tanquàm Deus, sed ipse CHRISTVS inuisibiliter existens sub istis speciebus. Similiter habetur quodammodò Exodi tertio, vbì dicitur, quòd Dominus apparuit Mosi in flamma ignis de medio rubi: & non est dubium, quin Moses adorârit illum, quandò Dominus dixit sibi: Solue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est. Et ait: Ego sum* CAP. 19.

Aduersariorum nostrorũ blasphemia, Christum in Eucharistia non esse adorandum, crassa quædam & Iudaica blasphemia est.

Deus patris tui. Nec adorauit illum ignem seu flammam tanquam Deum: sciebat enim Moses hoc impossibile esse: sed adorauit Deum inuisibilem, sub similitudine visibili apparentem. Et idem dicendum est de apparitionibus diuinis, sanctis patribus factis, vt 3. Reg. 19. apparuit Heliæ sub sibilo auræ tenuis &c.

PAVLVS BVRGENSIS, quem Iohannes Reuchlinus mirè prædicat, & venerabilem magistrum appellat, testis est, in Iudæorũ Targis & commentarijs annotatum, Dauidem in Psalmorum libro, adorationem Messiæ in Eucharistia prædixisse Psal. 71. quo, ex Hebræorum consona sententia, propheta Messiam elegantissimè depingit. Vbi enim nos legimus, *Erit firmamentum in terra in summis montium: Hebræi in suis Targis & commentarijs legunt, Erit placenta tritici in capitibus sacerdotum. Ipsa buccella panis, aiũt, est ipse Messias, iuxta illud Oseæ: Inclinabo ad eos cibum, & traham eos in funibus Adam.*

Adoratiõem Christi in Eucharistia Dauid vaticinatus est.

In ea quoquè Ecclesiastis, *Quid est quod fuit? Ipsum quod erit, vel futurum est*, sic habent Iudæorum commentaria: *Rabbi Barachias dixit in nomine Rabbi Isaac: Quemadmodùm fuit redemptor primus, sic erit redemptor vltimus. Sicut enim redemptor primus fecit descendere manna, ità redẽptor vltimus erit placẽta frumẽti in terra.* Obserua hîc Rabbi Barachiã dicentem, iuxta Dauidis Prophetę vaticinium, vltimum redemptorem fore placentam frumenti. Atquì eodem Psalmo versum hũc proximè antecedunt ea verba, Adorabunt de ipso semper.

Eccle. 1.

Rabbi Barachias.

FELIX PRATENSIS quódàm Iudæus, posteà ad Christianã religionem traductus, qui Psalterium ex Hebræo Latinũ fecit, versum memoratum ait quendam Hebræorum ità exposuisse: *Erit deprecatio & complacentia frumenti in terra. Vbi ostendit maximũ sacramentum: quippe frumento, id est, sacrificio panis, quicunque deprecaturus est Deũ, vel Deo placere optauerit, panis sacrificio perficiet.*

CAP. 20.

HAec nimirùm hucusquè allata, tum scripturæ diuinæ, tum sanctorum patrum, qui indè ab Apostolis ad nos vsque clari extitêre, validissima testimonia: tum etiam perpetua, pulchreq; consentanea sententia & longa consuetudo catholicæ Christi Ecclesiæ, hauddubiò pmouerũt acri ingenio eximiaq; eruditiõe virũ ERASMVM ROTERODAMVM, vt duob' ille Zuinglia-

næ factionis capitibus, Oecolãpadio & Pellicano, quibus anteà haud vulgari erat amicitia & necessitudine cõiunctus, magna se animi contentione opponeret. Lib. 19. Epistolarum, ea epistola, cuius initium est, Euangelij vigor, inter cætera sic scribit Pellicano: *Hactenus cum omnibus Christianis adoraui Christũ pro me passum in Eucharistia, nec adhuc video quicquam, cur debeam ab hac opinione recedere. Nullis humanis rationibus abduci potero à concordi sententia Christiani orbis.* Hæc ille.

Erasmus in hoc Articulo mirè se opposuit Oecolampadio & Pellicano.

Aduersarij ab initio summo contenderunt opere, vt ad suas partes Erasmum adducerent: atq; iampridèm inter alia etiam libellũ quendam edidêre hac inscriptione, Erasmi & Luteri opiniones de Cœna Domini. Verùm ille longè fuit circunspectior, quàm vt illis se adiungeret: illumq; libellum, ceu calumniosum, vanum atq; famosum reijcit & confutat, aitq; eius authorem sibi hoc affingere, quòd sacrosanctam Eucharistiam alicubì panem Symbolicum vocet: quo nomine anno superiori proscriptus ille atque extorris Iodocus Velsius, qui Iusti sibi nomen vsurpat, in hac Agrippina Colonia eam ausus est appellare. Atquì Erasmus vim sibi atq; iniuriam inferri queritur, nec vsquàm se V. Sacramentum panem Symbolicum nuncupâsse dicit, sed Christum IESVM in illo semper substãtialiter præsentem agnouisse. Ipsa eius verba agè audiamus: *Nusquàm enim voco panem symbolicum: sed hoc somnium concepit ψευδώνυμος Leopoldus, ex carmine quod additur Catoni. Hîc enim de sacramento Eucharistiæ loquens, cibum mysticum appello, quòd sub speciebus uisibilibus recondita sit gratia spiritûs inuisibilis. Carmen sic habet:*

Frustrà iacitur rete ante oculos pēnatorum.

Erasmus negat se Eucharistiam vsquã appellâsse panē symbolicū.

Mysticus ille cibus, Græci dixère Synaxim,
Qui panis uiniq; palàm sub imagine, Christum
Ipsum præsentem uerè exhibet.

Atq; hic locus clarè docet, me non sentire quod Carolstadius docuit. An non satis euidenter profiteor illic esse Christum substantialiter, cùm dico, Exhibet? Nec hoc contentus, addo, Ipsum, excludens figuram. Nec hoc contentus, addo, Verè. Quid abest nisi substantialiter? Atquì hanc uocem nec recipit carminis ratio, nec Latini sermonis elegantia. In eodem carmine leguntur hæc:

Carolstadius Sacramentarius.

CAP. XXI. Criminatorius Melãchthonis libellus, atq; eius sententia, quantũ quidẽ ad hũc Articulũ attinet.

PHilippus Melanchthon anno 43. libellũ quendã edidit hoc titulo, Respõsio P. Melanch. ad scriptũ quorũdã delectorũ à Clero secũdario Coloniæ Agrip. Hoc in libello tẽpla oĩa totius Europæ illius ferulæ manum subducere, & eius immanes ferre contumelias coguntur, tanquã in illis diuina cœnę Dñicæ institutio impiè prophanetur: idq; duabus potissimũ ex causis: Primò quidẽ, ꝙ cùm hæc cæremonia (sic enim ille vocat) eò instituta sit, vt fides in viuẽtibus exerceatur, etiam turpiter ad mortuos referatur. Deindè, cùm sacramẽta nõ nisi certi generis actiones sint, iam cõtrà in cũctis Europæ ecclesijs nõ nisi panis circũferatur, idq; omninò præter instituti vsûs & Sacramẽti actionẽ. Quãdò verò nulli Deus creaturæ absq; verbo suo alligari potest, id pro certo habendũ cẽset, panẽ circũlatũ rem alienã esse à Sacramẽto, ꝙ extra institutã actionẽ vsurpetur. Probat hoc similitudine à baptismo petita. Certum est, inquit, cùm quis baptizatur, in ipsa dũtaxat baptismi actione Sanctũspiritũ adesse. Iã si quis baptismi aquã, tanquã in ea Spiritussanctus inclusus permaneat, circũferre, cunctisq; præcipere velit eã vt adorent, pij oẽs eũ errorẽ hauddubiè execrabuntur. Ità ergò pios oẽs id nôsse oportebat, cęremoniã hanc in ipsa dũtaxat actione sacramentũ esse, nõ aũt panẽ illũ, qui in aliũ vsum circũfertur. Vt verò morẽ hũc Ecclesiasticũ totius Europę oĩb⁹ horrori esse faciat & abominationi, porrò ait: Si iã Ambrosius & August. taceo Apostolos, excitati à mortuis in hęc spectacula inciderẽt, in quibus longo ordine sacrificuli (presbyteros enim Christi, per contemptũ sacrificulos vir iste grandis appellat) incedentes, ligneas, argenteas, marmoreas ferunt imagines, sequẽte deindè ipso hierophãta, & panẽ gestante: atq; porrò etiã circũfusam plebis turbã & frequentiã panẽ hunc adorare cernerẽt, quodã illi horrore correpti, percõtarentur hauddubiò, quib⁹ in locis & apud quos degerẽt, quęve nouę cęremonię ethnicę post illos extitissent: ꝙ arbitraturi essent, se in catholicę Ecclesię locis minimè versari. Si verò deindè cognoscerent, Domini cœnã in eiusmodi abusum recidisse, dolore & indignatione inflammati, magna animi commiseratione populum ad verum huius Sacramẽnti vsum reuocarent. Deindè hũc Christianę Ecclesię in Europa morẽ atq; ritũ, ethnicę illi & barbarę ac Persicę comparat consuetudini, qua olim apud Persas ignis sacer circun-

Melāchthō sacrificos Christianorum, sacrificulos: Persarum, sacerdotes appellat.

circūlatus,à populo adorabatur,quem etiam 365.idolorum sacerdotes antecedebant,vt is numerus cum totius anni diebus cōsentiret, qui peculiaribus quibusdā vtebantur ornamētis.Hęc Melanchthon, cuius hîc sententia potiùs reddita est Latinè, quàm verba.

Quæso te Lector, cerne, quem hîc colaphum toti Europæ Melanchthon infringat. Tam multis seculis, donec Luterus Vuittébergæ demùm existeret,tota Italia,Gallia,Hispania,Germania,Britānia, Hungaria,Polonia,alijsq; Christiani orbis per Europam nationibus nec vnum quidem ille superfuisse putat, cui tantum veræ pietatis,aut etiam eruditionis & iudicij inesset, vt V. Sacramēti circunlationem, vltra omnem hominum memoriam tota Europa in supplicibus processionibus & litanijs vsitatam,animaduertere posset vsq;adeò abominationi esse Deo,immò meram quandā idololatriā,nec nisi ethnicum, barbaricum, & Persicum spectaculum. Forsitan Melanchthoni(cui tot seculis Ecclesiam suam Deus deserüisse videtur) nunc primùm id adflauit & detexit Sanctus spiritus,vt is totā Europam tam diuturnæ blasphemiæ tam validè coarguat & reuincat, atq; hanc destruat idololatriam.

Melanchthonis philautia & arrogantia.

Sed obsecro amice lector, nè his verborū lenocinijs tibi imponi patiaris. Noli omni spiritui credere, sed proba spiritus, si ex Deo sint. Fac memineris Dominum de vero illo Sanctospiritu hanc suæ Ecclesiæ fecisse promissionē:Ego rogabo patrē, & alium paracletum dabit vobis,vt maneat vobiscum inæternùm,& doceat vos omnē veritatē. Itē:Non relinquā vos orphanos,&c.Putes tota Europa iam aliquot seculis, ante Luteri ortū, vel quosdam fuisse pios & eruditos viros: nec eos omnes propter vnum Melanchthonem,ceu idololatras & eorum duces reijciendos arbitreris:nec illi vni homuncioni plus tribuendum cēseas,quàm Christi catholicæ Ecclesiæ.Redige in memoriam ea D.Hieronymi dicta:*Apertè conuincenda est blasphemia, dicentiū adextremū Spiritūsanctū in Montanū descendisse,nec credendū asserentibus vniuersum mundū esse diaboli,& quod familiare est eis dicere,factum de Ecclesia lupanar:quin defende Ecclesiā,& dic non sinè causa Christum mortuum fuisse,nec ob sacerdotum tantùm mastrucam,Dei filium descendisse.*

Præmonitio aduersùs Melanchthonē. 1.Iohan.4. Iohan.14. Iohan.16. Dialogo aduersùs Luciferianos.

Primum igitur illud,quod Melanchthon calumniatur,putà,quòd V.Sacramento ad sacrificiū pro viuis & mortuis indignè & turpiter abutamur,

Dilutio calumniæ Melanchthonicæ.

abutamur, hoc loco tractandũ non suscipiã: sat habens, Lectorẽ remittere ad suprà allata scripturæ diuinæ & S. Patrum testimonia, in quibus passim occurrit, Christũ in sacrosancta Cœna sua, hoc instituendo V. Sacramento, se patri cælesti obtulisse, & vltrò morti dedisse pro illis omnibus, pro quibus posteà crucifixus & mortuus est, suũq; fudit sanguinẽ: id quod ipsa institutionis verba luculenter secum adferunt: suisq; præcepisse Apostolis, vt ipsius corpus ea ratione porrò cõficerent & offerrent, ac deindè demùm alijs distribuerẽt ac dispensarent. Cõsule hinc speciatìm suprà citata Hesychij & Chrysostomi testimonia: atq; infrà etiã extremo Articulo, huius aliquantò fusior mentio fiet.

De sacrificio Missæ pro viuis & de unctis, habes suprà innumera testimonia.

Quòd verò ad alterũ illud attinet, quod Melãchthõ tã immaniter & impotenter reijciendũ censet, principiò quidẽ id Lector animaduertas velim, hanc eius infestã calumniã & contumeliosam catholicæ Ecclesiæ subsannationem vnico illo friuolo, vano ac cõmentitio niti fundamẽto: nempe, corpus & sanguinẽ Christi nõ nisi in ipso Sacramenti vsu, hoc est, vt ille sentit, in sola Eucharistiæ communicatione, siue dum V. Sacramentũ editur & bibitur, dũtaxat coràm adesse, extrà verò minimè: perindè vt in baptismi sacramento, in ipso baptizandi actu præsens est Spiritussanctus, efficitque regenerationem baptizati.

Melanchthonis calumnia in Eucharistiæ circunstationem, falsõ nititur fundamento.

Id verò falsum esse atq; cõmentitiũ, iam suprà non vno loco, videlicet in 24. Scripturæ testimonio fol. 89. Item fol. 127. & fol. 149. & fol. 371. præcipuè autẽ in secundo Articulo primario, de perpeti corporis & sanguinis Christi præsentia in sacrosancta Eucharistia, &c. ceu loco ipsius proprio, perspicuè & plùs satìs probatũ est, vnàq; demonstratum, si quis secùs affirmare velit, eum in summam Dei cõtumeliam Christo Domino, qui ipsa veritas est, mendacium velle affingere: vbì etiam id luculenter explicuimus, quàm multum inter duo illa sacramẽta baptismi & Eucharistiæ, ratione institutiõis eorũ, intersit. Cõstat enĩ, Christũ baptismi sacramẽtũ his instituisse verbis: Baptizãtes eos in nomine Patris & Filij & Spiritussancti: idẽq; alibì dicit: Nisi qs renatus fuerit ex aqua & Spiritusancto, nõ potest introire in regnũ Dei. Nõ dicit, Aqua est Spiritussanctus. Itaq; mirum nõ est, baptismi vim & efficaciã in ipso vsu & actu baptizandi attendi oportere

Iohan. 14.

Discrimẽ inter Baptismi & Eucharistiæ institutionem.

Baptismus. Matth 28.

Iohan 3.

Sacramentum altaris. tere. Hoc verò altaris V. Sacramentũ longè alijs institutũ est verbis, quæ etiã dubiũ nõ est, quin semèl dũtaxat à Christo ꝓlata sint, priùs quàm illud Apostolis porrigeret, hisce nimirũ: *Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis meus*. Quæ verba non ad actionis vsum, sed ad consecrationem duntaxat & materiæ transmutationem referuntur, nec possint non esse à vero aliena, pro Melanchthonis iudicio & sententia, si nõ simul atq; à Christo prolata fuère, eodem momẽto corpus & sanguis Christi coràm adfuisset, & permansisset. Verùm longè satiùs est, eam valere Apostoli sententiam: Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Iam si Melanchthonicæ calumniæ fundamentum adeò non consistit, quo pacto ipsa eius calumnia potest consistere? Roma. 3.

Vt corpus Christi in ciborijs asseruetur. Nos quidem Deũ nulli creaturę citra eius verbũ alligamus, nec eũ, vt Melanchthon nobis affingit, includimus: sed quandoquidẽ ille sacerdotibus in Apostolorum persona præcepit, corpus ipsius vt conficiant, nec alia nobis, pręter hęc sua diuina verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, &c. eũ in vsum verba tradidit, nos incunctãter & certò persuasum habemus, simul atq; ea verba in panem & vinũ prolata sunt, iam non panem & vinum, sed verum corpus & verũ sanguinem Christi ibì necessariò adesse, vt eius sermo, qui mentiri & fallere non nouit, possit consistere. Non dicimus Deum habitare seu contineri in pyxide, vt in loco, etsi elementorum species, iuxta suę naturæ proprietatem, in ea contineantur: sed dicimus Christum illic vt in sacramento, secundùm mysterij conditionem, modò nobis imperscrutabili & ineffabili adesse, & nihilo seciùs secundùm sedem habitationis suæ, quæ in cęlo est, sedere ad dexteram patris: quẽadmodùm crebrò antè, præsertim in Basilij, Chrysostomi, Augustini & Bernardi testimonijs latiùs indicatum atque explicatum habetur.

Melanchthon id vrget admodùm, V. Sacramentũ nõ eo noïe institutũ à Christo, vt eleuetur vel mõstretur, adspiciatur, circũferatˀ, adoretur, aut quippiã ex illo vel solatij vel auxilij expetatur: sed ea sola causa, vt sumatur, edatur & bibatur. Atquì ex illo percõtari liberet, si quidem ea verba, Hoc facite in meam commemorationem, quę non nisi Apostolis suis dixit Christus in illa cœna sacrosancta, nihil reposcant aut significent aliud, quàm, edite, bibite, sumite, vbì tandẽ Apostolis & eorum successoribus, sacrificis vel sacerdotibus mandatũ sit, Verba ea, Hoc facite in meã cõmemorationẽ, lõgè plùs exigunt, quàm sumere, edere & bibere.

corpus

corpus Christi conficere & offerre, quæ duo antecedant necessè est, priusquàm illud alijs porrigant? id quod iamindè ab Apostolis patres omnes, nemine dempto, mira consensione testati sunt & docuére. Conficere. Offerre.

DE EVCHARISTIAE ELEVATIONE AC MONSTRATIONE.

ATQVE vt ad eleuationem & monstrationem Eucharistię, aliaq; quæ diximus, veniamus, equidem nôsse velim, quandò Dominus Iesus, vt Euangelistæ & Paulus referunt, panē accepit in manus suas, fregitq; & dixit, *Hoc est corpus meum*, vtrúmne id temporis sub horum pronunciatione verborum, ipsum V. Sacramentum suis monstrârit & ostenderit Apostolis cōtemplandum ac inspiciendum, priùs quàm illud acciperent? Ecquid verò tam frequens est apud Patres, quàm à consecratione illis qui adsunt, Christianis, corpus Christi à sacerdote monstrari, atque in eorum conspectum agi, ac deindè demùm sacerdotem ad communionem procedere debere? CAP. XXII. Mōstratio & spectatio V. Sacramenti, ipsius Christi verbis cōsentanea est, & in Catholica Ecclesia semper in vsu fuit.

DIONYSIVS Areòpagita Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 3. par. 2. *Post psalmos*, inquit, *decantatos, & sanctarum scripturarum lectione suo ordine recitata, extra delubrum catechumeni fiunt & cum ipsis energumeni, & ij quoq; qui in pænitentia sunt. Manent autem intùs soli, qui diuina spectare merentur atq; percipere.* Et post pauca: *At verò Pontifex cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustißima mysteria conficit, & quæ antè laudauerat venerandis operta atq; abdita signis in conspectū agit: diuinaq; munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem conuertitur*, &c. Vide suprà fol. 74.

EVSEBIVS EMISENVS Sermone V. de Pascha: *Sacrum*, ait, *Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora*, &c.

In Missa BASILII, itemq; CHRYSOSTOMI ista habentur: Sacerdos eleuans sanctum panem, dicit: *Sancta sanctis.*

Item CHRYSOSTOMVS Sermone 3. in epistolam ad Ephesios in morali exhortatione, indicat indignos & qui in peccatis essent, primùm, è tēplo eiectos fuisse, *dū offerretur oblatio, dū Christus atq; agnus ille dominicus immolaretur: illis aūt abactis, tū demū sublata (altaris) vela fuisse.*

Præterea: *Indigni sunt*, inquit, *istis videntium oculi, indignæ aures.* (De ijs agit, qui in vitijs & sceleribus iacerent) *Post acta mysteria accedere licet & videre: præsentibus verò mysterijs, abito.*

Item Homilia 45. in cap. 6. Iohannis: *Non tantùm*, inquit, *se videri permittit* (in V. Sacramento) *desiderantibus, sed & tangi, & manducari.* Ibidem docet *nos Christum in V. Sacramento, ceu in purpura videre.*

Sermone quoquè de Eucharistia in Encænijs: *Num vides*, ait, *panem? num vinum? Absit. Ne sic cogites.* Deniquè Homilia 21. ad populum Antiochenum: *Oculis vides horrenda mysteria.*

HESYCHIVS in Leuiticum libro secundo, capite octauo, ait *mysteria nullatenùs prophanorum visibus & auribus publicanda.* Eodem loco instituit eos *qui mente deficiente quandoq; nonnihil dubitant, vtrùm ea quæ videntur, corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculus nec angeli possunt prospicere, quid ipsis agendum sit.*

AMBROSIVS de fratre suo Satyro scribens: *Diuinum illud*, ait, *fidelium sacramentum poposcit, non vt curiosos oculos insereret arcanis*, &c. Vide suprà eius testimonium in secundo Articulo primario.

DAMASCENVS, *Apponentes*, inquit, *oculos*, &c. Et in historia duorũ militũ: *Ipsum te reputa creatorem cernere in imagine sua.* Verùm desipere ego haud iniuria videri possim, qui de mõstranda & eleuanda Eucharistia tam prolixè agam, cùm eius rei veteres omnes magna concordia mentionem faciant. Immò verò Doctor Reuchlinus, quem Aduersarij tantùm non Hieronymo æquare videntur, testis est, Missæ vocabulum esse Hebraicum, & originem trahere à dictione Hebraica מִסָּה, quæ spontaneam significet oblationẽ, vel spontaneum sacrificium, aut à dictione נָסַס, quod eleuare significat. Ipsa autem eleuatio est de ratione sacrificij. Atque vbi nos Deuteronomij decimosexto, in vulgata versione legimus, Oblationem spontaneam manûs tuæ, &c. quo ex loco Reuchlinus vocabuli Missæ Hebraicam docet & probat originem. Versio Munsteri, qui non postremus est apud Aduersarios, sic habet: Leuatione voluntaria manûs tuæ. Atque hactenùs quidem de Eucharistiæ eleuatione, monstratione, & spectatione dictum sit satis.

Lib. 4. ca. 14.

Reuchlinus.

Missæ vocabulum vndè trahat originem, iuxta Reuchlinum.

De V.

DE V. SACRAMENTI CIRCVNLATIONE.

Porrò V.Sacramenti circunlatio multò etiam peiùs habet Melanchthonem,quàm eleuatio vel monstratio. Cùm verò suprà plùs satis demonstratum sit, mox à consecratione Corpus Christi substantialiter ac verè & esse & permanere in V.Sacramento,doceri ab illo velim,cur nō etiam possit piè ac religiosè circunferri:maximè cùm ipsa circunlatio communionē vel perceptionem non excludat,vtpotè quæ opportuno tēpore posteà semper secutura sit.Quòd si circunlatio cum Eucharistiæ institutione tantoperè pugnat,vt Melanchthoni placet, qua ratione sancti patres illi,quos superiori Articulo de Eucharistiæ asseruatione ordine produxi,tam crebram faciunt eius ipsius circunlationis mentionem? CAP.23. Circunlatio V.Sacramēti non est cōtra illius institutionem.

Quî fit,inquam,vt Iustinus martyr,ipsa propemodùm Apostolorum ætate scribat,diaconos Eucharistiam ad absentes perferre? Irenæus eius ferè æqualis testetur Romanos Pontifices, si quis episcopus Romam fortè venisset,ei Eucharistiam solenniter transmisisse? Melciades constituerit,vt ex consecratu Episcopi oblationes,ꝓpter hæreticos dirigerentur per Ecclesias?Tertullianus,Cyprianus,Clemens Alexandrinus,Dionysius Alexandrinus,Basilius,& reliqui patres omnes vsque ad Augustinum,illo ipso non excluso,vno ore affirmēt, quòdàm,ꝑsertim immanissimis illis sæuiētibus ꝑsecutionibus,V.Sacramentū Christianis in Ecclesijs traditum,domū absportandum,& ibì reuerenter,atque, vt Cyprianus Sermōe de lapsis refert,cum timore & tremore asseruandum,suoq; tempore ea qua par esset,deuotione percipiendum?Vt deniq; sancti illi martyres Tharsytius & Hippolytus eum in modum illud gestârint? Iustinus. Irenæus. Melciades. Tertullianus & alij patres oēs ad Augustinum vsque inclusiuè. Tharsytius. Hippolytus.

Præterea quî fit,vt ingens illud & sacrosanctum Nicenum Cōcilium,Patresq; omnes concorditer testētur,Eucharistiam semper ad ægrotos perlatam, tam salutari viatico ante exitum suum communiendos?Vt sacerdos Luciæ martyri in ipso martyrij loco constitutæ,& iam gladio in ipsius gutture merso percussæ,ipsam Eucharistiam attulerit?Vt Zosimas eam in calicem miserit, ad Iordanē apportârit, & Mariam Aegyptiacam ante eius obitum ea muniêrit? Vt Lucia. Zosimas.

Horatus. Exuperius. Hieronymus.

Horatus Vercellensis presbyter illam Ambrosio in extremis agenti allatam porrexerit? Vt Exuperius, quẽadmodùm Hieronymus meminit, corpus Domini in canistro, & eius sanguinem in vitro portârit? vt olim, perindè vt hodieq;, vasa quædam peculiaria, putà, Ciboria, arculæ, capsulæ, pyxides, turriculæ, quales sunt quas vulgò iam monstrantias vocant, atque eius generis alia eum in vsum facta sint, in quibus V. Sacramẽtum in altari poneretur? quemadmodùm ea omnia secundo Articulo primario ad longũ ꝓsecuti sumus. Aut igitur vniuersam Christi Ecclesiã indè ab Apostolis circunferẽda sacrosancta Eucharistia immaniter errâsse necessè est, aut certè Melanchthonẽ hoc Ecclesię affingẽdo, magnã illi vim & iniuriã inferre.

IN V. SACRAMENTO SOLATIVM ET AVXILIVM RECTÈ IMPLORARI.

CAP. 24.

FOrtaßis autem id vel maximè Melanchthoni stomachum moueat, hodiè in Christi Ecclesia Venerabile Sacramẽtum in publicis processionibus circunferri, proponi & adorari, non tamen subsequente mox illius communicatione vel pceptione: tum etiam Christianos Catholicos in illo opem & consolationem expetere & implorare: cùm tamẽ, vt ille persuasum habet, edendi duntaxat & bibendi causa institutum sit. Verùm quàm hîc quoquè crassè & turpiter labatur, vel indè facilè constare potest, ꝙ cùm certissimè in Eucharistia verum Christi corpus substantialiter & sit & pmaneat, neminẽ tam esse impiũ, qui Deũ creatorẽ & seruatorem suũ in illa adorare: nec quenquã tam insulsum & amentẽ esse, qui ex illa deuotis precibus auxilium & solatiũ petere non debeat.

Non ea sola causa institutum est V. Sacramentũ, vt edatur & bibatur.

D. DIONYSIVS rem d[illegible]inam in Eucharistia adorat, precaturq;, *vt spiritales oculos nostros singulari & aperto sua lucis fulgore impleat.*

In Eucharistia solatiũ & opem contra mala o͠ia expetere à Christo debemus.

D. IGNATIVS Eucharistiam vocat *Dei gloriã, & carnem filij Dei viui.*

D. CYPRIANVS: *In huius* (inquit, Sacramẽti) *pſentia non ſupuacuè mendicant lachrymæ veniam, nec vnquàm patitur contriti cordis holocaustũ repulsam. Quotiès te in cõspectu Dñi video suspirãtem, Spiritũ sanctũ nõ dubito adspirantẽ: cùm intueor flentẽ, sentio ignoscentẽ.* Lib. 1. Epist. 2. V. Sacramentum vocat *ptectionem, tutelam & munimentum.* Et Serm. de Cœna Dñi, dicit *illud ad totius hominis vitã salutemq́, pficere, simul medicamentũ & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existẽs.*

Côtritio cordi nihil hîc negatur.

D. GRE-

D. GREGORII Nazianzeni soror Gorgõia, grauissimo correpta morbo, omĩ iã spe sublata humanę opis & auxilij, à V. Sacramento in altari posito solatiũ & opẽ sibi ferri petijt magna cũ fiducia cõtra illũ morbũ exitialẽ extremũq; piculũ: in ipsoq; V. Sacramẽto nostrũ oĩm medicũ magna voce ac omĩ inuocauit conamine: in memoriam ei reduxit fœminã illã fluxũ sanguinis ꝑpessam, cui nulla potuit medicorum arte & opa remediũ adhiberi, q̃ veram eius morbi medelã in sola Dñi fimbria q̃siuisset ac obtinuisset. Itaq; propè cõminata est Domino, (vt q̃ nõ illius modò fimbriam, sed ipsissimum viuificum corpus eius in V. Sacramento p̃sens haberet) non anteà se cessaturã esse à lachrymis & precibus, q̃ sanitatẽ fuisset adepta. Et mox voto potita suo, cum animæ sanitate, corporis etiam bonã est nacta valetudinẽ.

Nota eximiã Gorgoniæ fiduciam erga p̃sentis corporis Chr. in Eucharistia virtutẽ & efficaciam.

BASILIVS & CHRYSOSTOMVS in suis Liturgijs in p̃sentia corp. & sang. Christi, nõ ꝓ p̃sentiũ duntaxat, sed etiã absentiũ Christianorũ & totius Catholicæ necessitudinibus & reb⁹ necessarijs oĩbus precantur: adeoq; Basili⁹ satìs luculẽter innuit, ipsi⁹ ętate, si q̃s certo aliq̃ in piculo vel necessitate posit⁹ fuisset, eũ altaris sacrificiũ offerri & apud illud ꝓ ea necessitudine Dñm orari curãsse. Precatiõis Basilij verba sunt eiusmodi: *Memẽto Dñe circũstãtis populi, & ꝓ certa causa remanẽtiũ.*

Pro cunctis necessitatibus licet Chrĩstũ in corporis eius in V. Sacramento præsentia implorare.

CAP. 25.

CHRYSOSTOMVS Hom. 26. in Matthęũ: *Altari, inq̃t, aßistens sacerdos, ꝓ vniuerso orbe terrarũ, ꝓ absentibus atq; p̃sentibus, ꝓ his qui ante nos fuerunt, ꝓ his qui posteà futuri sunt, sacrificio illo ꝓposito, Deo nos gratias iubet offerre.* Itemq; lib. 6. de sacerdotio: *Eum ꝓ ciuitate tota* (in qua sacrificiũ MISSę pagit) *immò verò ꝓ vniuerso terrarũ orbe legatus intercedit, deprecatorq́, est apud Deũ* (in ipso Missæ officio,) *vt hoĩm oĩm, nõ viuentiũ modò, sed etiã mortuorũ pèccatis ꝓpitius fiat, qualẽ quęso esse oportet?* Atq; nè q̃s putet, eiusmodi preces nõ ad Chrm ea speciatim ratiõe fieri, ceu in V. Sacramento p̃sentem, sed ità potiùs, vt communiter eum inuocare solemus: pindè àc si Christiani nulla maiori impetrandi fiducia freti fuerint, si quid à Christo in hac corporis eius p̃sentia petijssent, alibì idem Chrysostomus habet, cuius etiã suprà meminimus, *nõ temerè excogitatũ, nec frustrà memoriã mortuorũ inter sacra mysteria celebrari, aut accedere ꝓ istis agnum illum iacentem, & peccata mũdi tollentem.*

Pro absentibus & p̃sentibus, ꝓ p̃teritis & futuris, & ijs qui iam sunt, pro viuis & mortuis, denique ꝓ orbe vniuerso.

Sacerdos in altari ꝓ toto orbe legatus intercedit.

Homil. 41. in 1. ad Corint.

Lege etiam AMBROSII orationes prępáratorias ad Missam, vbì hũc sanctum virum in hoc sacrosancto sacrificio inter alia sic precatum

esse

esse comperies: *Quãta enim Domine* IESV CHRISTE, *cordis contritione & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate & puritate, istud diuinum & cæleste sacrificium est celebrandum* &c. Profero ergò Domine, *si dignaris propitius intueri, tribulationes plebium, pericula populorum, captiuorum gemitum, miseriã orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperatiões languẽtium, defectus senum, suspiria iuuenũ, uota uirginum, lamenta uiduarũ &c. Rogamus etiam te sancte Pater, pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus æterna ac perpetua sanitas, gaudium & refrigerium sempiternũ, hoc magnũ pietatis sacramentum* &c.

Pro cunctis ordinibus & statibus Christiani orbis.

Adeoq; olim Christianos summis in angustijs & necessitudinib⁹ suis, singularem opem atq; consolationem in V. Sacramento, etiãsi illud tum non acciperent, vel ad accipiendum parati non essent, expetijsse atque imploràsse: eiq; ceu haud vulgari præsidio ac munimento, quòd Seruatorem suum Christum IESVM in illo præsentem scirent, indubitata fide fidenter innixos esse, & quicquid hoc pacto speràssent, etiam pro voto obtinuisse, eius rei exemplũ habes sanè præclarum ac memorabile, quod idẽ Ambrosius de fratre suo Satyro in oratione funebri recitat, & suprà prolixè à nobis relatum & vsurpatum est. *Is enim priusquàm pfectioribus esset initiatus mysterijs,* (id est, necdùm baptizatus) *licèt iam crederet, in naufragio constitutus, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium sacramentum poposcit, ligariq; fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, sicq; se tectũ atq; munitum satis credens, se deiecit in mare.* Nec deserũit *spes, nec fefellit opinio; mysterij cælestis præsidio, primus seruatus ex undis, & in portũ terrenæ stationis euectus est* &c.

Eucharistiam etiam extra vsum portatam, eo aio, vt diuinum auxiliũ & solatiũ ex ea obtineretur.

Est prætereà illud quoquè notatu dignum, quòd, vt Paulinus in sancti viri vita refert, trans Tiberim apud quandam clarissimam inuitatus Ambrosius, sacrificium in domo obtulit, & ibidèm paralyticam quandam mulierem eo sacrificio sanitati restituit.

Ex AVGVSTINO possent multa eiuscemodi proferri testimonia; inprimìs verò illud huc satìs quadrare videtur, quod lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 8. recitat, atque à nobis suprà relatum est, de Hesperio

sperio viro tribunitio his verbis: *Vir tribunitius Hesperius, habet in territorio Fussalensi fundum, ubi cùm afflictione animalium & seruorũ suorum, domum suam spirituum malignorum uim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederet. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantùm potuit, ut cessaret illa uexatio. Deoq; protinùs miserante cessauit.* Diabolicæ vexationes & infestatiões sacrificio altaris sedigatæ.

CYRILLVS lib.4. in Iohannem cap.17. hanc Eucharistiæ energiam tribuit, *quòd non mortem solùm, uerumetiam morbos omnes depellat, sed et sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroboret, perturbationes animi extinguat, ægrotos curet, collisos redintegret* &c. Quos tamen effectus illi potissimùm experiuntur, qui dignè eam pcipiũt.

PETRVS CHRYSOLOGVS cum Gregorio Nazianzeno pulchrè in eo cõcinit, ꝙ ex corpore Christi in Eucharistia solatiũ omẽ & auxiliũ nõ minori, sed multò etiam maiori cũ fidutia petendũ sit, q̃ olìm ex sola vestis Christi fimbria mulier illa sanguinis fluxũ patiens quæsiẽrit & cõsecuta sit. Vide suprà in eius testimonijs in primo Articulo primario, fol.328. Plus hic est quàm fimbria vestis Christi.

Quæ verò alia sanè ingentia & p̃clara Deus om̃ipotens præsentia corporis sui in V. Sacramento, in credentium consolationẽ & salutẽ miracula sæpenumerò effecerit, nõ est obscurum illis, qui sanctorũ patrum scripta & Ecclesiasticas historias lectitãrũt.

GREGORIVS TVRONENSIS lib.2. de miraculis S. Martini, cap.25. refert, *Bonulphum quendam contracto pede, in D. Martini Basilica dum sancta solẽnia agerentur, oblatis super altare sacris muneribus, mysterioq; corporis & sanguinis Christi palla ex more cooperto, sanitatem consecutum, & pedem extendisse incolumem.* Et cap.47. de alio quodam *contracto, qui plaustro per domos trahebatur, stipem postulans deuotorum,* ità scribit: *Deportatus à suis, ante sanctã absidam tumuli ponitur* (in D. Martini Basilica.) *Cumq; expletis Missis, populus cœpisset sacrosanctum corpus redemptoris accipere, ilicò dissolutis neruis, qui genua nexa tenebant, in pedes erigitur* &c. CAP.26. Contractus sanatur. Corporale. Contractus alius curatur.

D. GREGORIVS MAGNVS in vita D. Benedicti lib.2. Dialo. cap.24. exemplum narrat eiusmodi: *Quadã die dum quidam Benedicti*

puerulus monachus, parentes suos vltrà quàm deberet diligens, atq; ad eorum habitaculum tendens, (contra vota & promissam obedientiam) *sine benedictione de monasterio exijsset, eodem die mox vt ad eos peruenit, defunctus est. Cumq; esset sepultus, die altero proiectum forás corpus eius inuentũ est: quod rursus tradere sepulturæ curauerunt. Sed sequẽti die iterùm proiectũ exteriùs, atque inhumatum sicut priùs inuenerunt. Tunc concitè ad Benedicti patris vestigia currentes, cum magno fletu petiêrunt, vt ei suam gratiã largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinùs communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicum corpus super pectus eius cum magna reuerentia ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factũ fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltrà proiecit.*

D. Benedictus iussit corpus Christi ferri & poni in pectore cuiusdam vita defuncti.

Lib. 3. Dialog. de sancto Papa Agapeto scribit in hũc modũ: *Post nõ multum tẽporis vir beatißimus Agapetus, huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex, ad Iustinianum principem acceßit. Cui adhuc pergenti, quadam die in Græciarum iam partibus curandus oblatus est mutus & claudus, qui neq; vlla verba edere, neque ex terra vnquàm surgere valebat. Cumq; hunc propinqui illius flentes obtulissent, vir Domini solicitè requisiuit, an curationis illius haberent fidem. Cui dum in virtute Dei, ex authoritate Petri, fixam illius salutis spem habere se dicerent, protinùs venerandus vir orationi incubuit, & Missarum solennia exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis immolauit. Quo peracto, ab altari exiens, claudi manum tenuit, atq; aßistente & adspiciente populo, eum mox à terra in proprijs greßibus erexit. Cumq; ei dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta, ad loquendum lingua soluta est.*

Agapetus corpore Christi claudũ & mutum curauit.

Præter hæc ex eodem Gregorio suprà in eius testimonijs primo Articulo, pleraque alia Dei miracula allata sunt, virtute huius Venerabilis Sacramenti in salutem & consolationem credẽtium sæpè exhibita ac declarata: vt inter alia ex Homilia trigesimaseptima & libro quarto Dialogorum cap. 57. *de quodam ab hostibus capto: cuius toties vincula soluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniuge, quæ eum extinctum putauit, oblata fuissent hostiæ pro anima eius absolutione. Hinc ergò,* ait D. Gregorius, *hinc certa consideratione colligite, oblata à nobis hostia sacra, quantùm in nobis soluere valeat ligaturã cordiũ, si oblata ab altero, potuit in altero soluere vincula corporis.*

Vincula absentis cuiusdam vi V. Sacramenti soluta.

Quid hinc colligendũ.

De Agatho quoq; episcopo Panormitano, qui sacrificio altaris ꝓ

Agathus.

nauta

nauta suo, quem in mari perditum, iam mortuum putabat, oblato à Deo impetrauit, vt eodem tempore quo pro eo hostia sacræ oblationis immolata fuit, incolumis ad terrā euaderet. Quo loco D. Gregorius hæc subiungit: *Idcirco credo, quia hoc tam apertè cum viuentibus ac nescientibus agitur, vt cunctis hæc agentibus ac nescientibus ostendatur, quia si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse etiam mortuis victima sacræ oblationis possit.*

Gregorij ſ-des cum Aduersariorū nostrorū incredulitate pugnat.

BEDA Venerabilis quiddam his non absimile commemorat in Historia gentis Anglorum, de quodam ab hostibus capto & in vincula coniecto, *cuius germanus frater erat abbas vir sanctus, qui cùm eum peremptum audiret, pro absolutione animæ eius sæpiùs Missas facere curauit, quarum celebratione factum est, vt nullus eum posset vincire, quin continuò solueretur, illis maximè temporibus, quibus pro illo Missarum solēnia celebrabantur.* Ait eodem loco Beda, *sacrificium salutare ad redemptiōem valere & corporis & animæ sempiternam.*

PORrò D. BERNARDVS quàm stupenda & eximia sæpè miracula effecerit diuina asseruatæ Eucharistiæ virtute & facultate, in eius sancti viri vita describit pius & doctus ille Gulielmus abbas quondàm S. Theodorici, posteà verò monachus Igniacensis: de quo quid senserit vir sanctus, ex multis eius epistolis, prætereaq; ex egregio illo libro de Gratia & libero àrbitrio, quem illi nuncupauit, potest animaduerti. Idem autem gestis sancti viri præsens plerunque interfuit.

CAP. 27.

Gulielmus abbas S. Theodorici.

Inter alia lib. 1. cap. 9. narrat D. Bernardum *uirum quendam nobilē & magnificè honoratum, graui morbo correptum, ità ut amitteret penitùs intellectum pariter & loquelam, oblatione sacrificij immortalis & secreta oratione sua eatenùs curâsse, ut & intellectum & loquelam recuperaret: ac deindè post oblatum sacrificium uenienti ad ipsum uiro sancto, cum lachrymis & gemitu confiteretur, & diuina sacramenta susciperet: atq; sic demùm Christiano more in bona spe misericordiæ* Dei *animam exhalaret.* Quod miraculum non absimile illi est, quod in Eusebij Ecclesiastica Historia lib. 6. Dionysius Alexandrinus recitat.

D. Bernardus deuotiōe sua & sacrificio altaris, hominem ratione & loquendi vsu destitutū, restituit.

Cap. x. eiusmodi rem narrat: *Virū pauperē non lōgè à monasterio habitantem, uxor adultera maleficijs cruciabat, ut miser homo consumptis*

Incantatiōes diabolicæ vi V. Sacramēti depulsæ.

carnibus,nec poſſet mori nec uiuere ſineret.Sæpiùs deniq; & uocis uſum, & ſenſum omnem corporis amittebat,iterumq; redibat non ad uitam,ſed ad mortem prolixiorē crudeliter reuocatus.Adducitur tandèm homo ad uirū Dei in monaſterio demorantem,& ei tragœdia miſerabilis explicatur.Qui uehementer indignans,antiqui hoſtis malitiam tantum ſibi in Chriſtianū hominem uſurpâſſe,uocans duos è fratribus,ante ſanctum altare hominem deportari,ibiq; ſuperpoſito capiti eius uaſculo Euchariſtiam continente,in ipſius Sacramenti uirtute,à læſione Chriſtiani iubet dæmonem prohiberi. Factum eſt ut præcepit,& miſerum hominem poſt tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit ſanitati.

Nota, diuũ Bernardũ ciborium cum V. Sacramẽto hominis incãtatiõibus vexati capiti iuſſiſſe imponi,ſicq; dæmonis læſionem depuliſſe.

Eodem loco comperies eum defunctum quendam oratiõe ſua & oblatione hoſtiæ ſalutaris liberâſſe.

Alios S.Viri vitæ libros ſcribit Bernardus Abbas Bonauallenſis, vir ſanè pius & erudit⁹, qui quòd illi eſſet σύγχρονος,eius rei geſtas ꝓbè cõpertas habuit & exploratas.Is lib.2.cap.3. hanc refert hiſtoriã: *Inter eos qui uexabantur,mulier grandæua,ciuis Mediolanenſis, & honorata quondàm matrona,uſq; ad Eccleſiam B.Ambroſij poſt beatum uirum à multis tracta eſt:in cuius pectore pluribus annis diabolus ſederat, & iam ità ſuffocauerat eam,ut uiſu & auditu & uerbo priuata, frendens dentibus,& linguam in modum promuſcidis elephantinæ protendens,monſtrum, non fœmina,uideretur.Sordida ei facies,uultus terribilis,flatus fœtidus,inhabitatoris ſatanæ colluuia teſtabantur.Hanc cùm adſpexiſſet uir DEI, nouit inhærentem ei & inuiſcatum diabolum,nec facilè egreſſurum de domo,quam tanto poſſederat tempore.Conuerſus ad populum,*(cuius innumera aderat multitudo)*orare iubet attentiùs,& clericis & monachis ſecum iuxta altare conſiſtentibus,mulierem ibidèm iubet conſtitui & teneri. Illa uerò reluctans, & ui diabolica, non naturali uirtute, recalcitrans,non ſinè aliorum iniuria,ipſum abbatem pede percuſſit. Quem diaboli auſum manſuetè ille contempſit,ad expulſionem non indignatione iræ,ſed pacifica & humili ſupplicatione Deum inuocat adiutorem, & ad immolationē hoſtiæ ſalutaris accedit.Quotiès tamen eandem hoſtiã ſacrã ſignat, totiès ad mulierem quoq; conuerſus,eodem ſigno crucis edito,ſpiritũ nequã athleta fortis*

fortis impugnat. Nã & ille malignus, quotiès aduersùs eũ signũ crucis intẽditur, percussum se indicãs acriùs sæuit, & recalcitrans cõtra stimulũ, quidnam toleret, prodit inuitus. Expleta autem oratione dominica, efficaciùs hostem aggreditur uir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini *corpus imponens, & mulieris capiti superponens, talia loquebatur: Adest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas: iam resiste, si potes. Adest ille, qui pro nostra salute passurus, Nũc, inquit, princeps huius mũdi eijcietur forás.* Hoc illud *corpus, quod de corpore uirginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod uidentibus discipulis ascẽdit in cælum.* In *huius ergò maiestatis terribili potestate, tibi spiritus maligne præcipio, ut ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deincèps non præsumas. Cumq; eam inuitus deserẽs, & manere ultrà non ualens, atrociùs afflictaret, tam magnam iram quàm modicum tempus habens, rediens pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris ritè compleuit, diffundendamq; in populum pacem ministro dedit, & confestim pax & salus integra reddita est mulieri.* Hanc verò historiam hoc claudit epiphonemate: *Sic ille nequam, diuina mysteria quantæ sint efficientiæ & uirtutis, non confeßione, sed fuga coactus ostendit.*

Obseruа, vt dæmon signũ crucis extimescat, quod Aduersarij nostri contemnunt.

D. Bernardus patenam cum corpore Domini tenẽs super caput obsessæ fœminæ, eius virtute dæmonẽ grauissimis & insignibus verbis expulit, è quibus eius præclara de V. Sacramẽto fides, etiã sub altera duntaxat specie potest perspici ac animaduerti.

Fractio hostiæ salutaris.

Osculũ pacis in Missa.

Libro eodem cap. 6. aliud huic consimile miraculum hunc in modum refertur: Comes vel princeps Aquitaniæ graui schismate tenebatur, atque ea causa plerosq; episcopos ipsi assentire nolentes, à suis sedibus expulit, & multa in Ecclesiam mala perpetrauit. *Quem D. Bernardus & Carnotensis episcopus crebrò hortati erant, memor esset, unam esse Ecclesiã, & quicquid extra eam est, quasi extra arcã, iudicio* Dei *neceßè esse interire & dilui. Adducta quoq; exempla* Dathan *&* Abirõ, *quos reatu schismatis terra uiuos absorbuit, nec tanto malo uindictam* Dei *aliquandò defuisse monstratum. Sed cùm ista nihil proficerent apud comitem, uir* Dei Bernardus *efficaciora arma corripiens, ad altare sanctum oblaturus & supplicaturus accedit. Intrauerant Ecclesiã, quibus licebat diuinis interesse mysterijs: comes sustinebat pro foribus. Peractis igitur consecrationibus, & pace data & diffusa in populum, homo* Dei *iam non se agens ut hominem, corpus* Domini *super patenam ponit, & secum tollit: atque ignea facie &*

Vna tantũ est Ecclesia, in qua quisquis non est, eum perire necessè est.

Cant. 6. 4.
1. Pet. 3.
Nume. 16.

Sacrificiũ altaris, arma efficacia.

Consecratio.
Osculũ pacis.

 flammeis

D. Bernardus corpus Domini in patena fert ad tyrannum, eius virtute illum vt frangat & superet.

Nota, quid de huc V. Sacramēto etiā sub altera specie senserit vir sanctus: estq; hæc eius seria oratio sanè memorabilis.

flammeis oculis, non supplicans, sed minax forâs egreditur, & uerbis terribilibus aggreditur ducem: Rogauimus te, inquit, & spreuisti nos. Supplicauit tibi in altero, quem iam tecum habuimus, conuentu seruorum Dei ante te adunata multitudo, & contempsisti. Eccè ad te processit filius uirginis, qui est caput & Dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest iudex tuus, in cuius nomine omne genu curuatur, cælestium, terrestrium & infernorum. Adest iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deueniet. Nunquid & ipsum spernes? Nunquid & ipsum, sicut seruos eius, contemnes? Videns comes abbatem in spiritu uehementi procedentem, & sacratissimum Domini corpus ferentem in manibus, expauit & diriguit, membrisq; tremebundis metu & dissolutis, quasi amens solo prouoluitur. Eleuatus à militibus, rursum in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, saliuis per barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus epilepticus uidebatur. Tum uir Dei ad eum propiùs accedit, & pede pulsans, accliuem surgere iubet, & stare supra pedes, & audire sententiam DEI. Præsens est, inquit, Pictauensis episcopus, quem ab ecclesia sua expulisti: uade & reconciliare ei, & ipse ad sedem suam eum reducito: & satisfaciens DEO, redde pro contumelia gloriam: & in uniuerso principatu tuo diuisos & discordes ad charitatis reuoca unitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei uniuersa obedit Ecclesia, tu quoquè electo à DEO tanto pâre Pontifici. Audiens hæc comes, authoritate Spiritussancti, & sanctorum sacramentorum præsentia uictus, nec audebat respondere, nec poterat: sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit episcopum, & eadem qua eum abiurauerat manu, ad propriam sedem reduxit &c.

V. Sacramēti præsentia D. Bernardus vicit tyrannū.

Hactenùs de miraculis, quę Diuus Bernardus diuina huius V. Sacramenti virtute operatus est.

Lib. 4. cap. 4. & 5. longè plura eiusmodi miracula diuina narrantur, à viro sancto diuina sacrificij altaris virtute & facultate præclarè peracta: vt quòd ea fretus, multis cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, clinicis & paralyticis robur & sanitatem restituerit. Lege totum illud vtrunque caput, mira ibidem comperturus: maximè vt vir sanctus quippiam huiusmodi gratia & virtute

tute

tute Dei facturus, vt plurimùm antè ad diuinum altaris sacrificium, tanquàm ad solita præsidia confugerit. Sed hactenùs eius viri miracula, Eucharistiæ virtute perpetrata, protulisse satis sit.

Porrò iam antè ex vita & miraculis D. Francisci, editis ab D. Eustachio, aliàs Bonauentura dicto, allatum est, cæcam quandam fœminam, fidei ipsius suffragante virtute, in eleuatione corporis Christi visum recuperâsse.

POstremò ad tuendã propugnandãq; V. Sacraméti circúlationẽ, vt solatium & auxiliũ contra res & casus aduersos omnes impetretur, illud annotâsse fuerit operęprecium, quod ad rem facit nõ minimum, quòd Franciscus Quignomius presbyter Cardinalis S. crucis in Hierusalem, in Breuiario Romano de beata Clara virgine commemorat his verbis: *Cùm tempore Frederici Imperatoris, Saraceni, qui Italiam inuaserant, Assisium obsiderent, & ipsum virginum monasteriũ (cuius illa erat Abbatissa) oppugnarent, Clara licèt ægrotans, ad portam se iubet deportari in hostium conspectum, cum capsula qua Sacramentum Eucharistiæ continebatur, vbi hanc cum lachrymis orationem effudit: Nè tradas Domine bestijs animas confitentes tibi, & custodi famulas tuas, quas precioso sanguine redemisti. Cui vox de cælo reddita est: Ego vos semper custodiam. Itaq; Saraceni subitò terrore quodam perculsi, obsidionem soluunt: & qui muros ascenderant, cæcitate perculsi deciderunt.* CAP. 28.

D. Clara iussit V. Sacramẽtũ cótra sanguinarios Saracenos ad vrbis portã deferri, atq; per illud obtinuit, vt hostes quàmprimũ soluerẽt obsidionem.

Hæc ego testimonia & historias omnes eo nomine in medium producere volui, vt ex ijs cuiuis perspicere liceat, iamindè ab Apostolorum temporibus, pios quosque & religiosos Christianos apud V. Sacramentum, tanquàm in ipsius Domini vera ac reali præsentia, etiam extra sumptionem, rebus in aduersis & quibuslibet necessitudinibus suis solatium, opem, pręsidium, munimen, salutem & prosperitatem tum corporis, tum animæ bona fiducia petijsse, & crebrò quoquè iuxta fidem suam re ipsa feliciter obtinuisse: adeoque ad ea loca, vbi magna impenderent pericula, atque humanum omne solatium deficeret, venerabile Sacramentum esse apportatum, eiusq; virtute diuinum auxilium fidelibus mox coràm affulsisse: neq; id minùs sanè, quàm cùm Israelitę arcam Domini (in qua nihil inerat nisi sola huius venerabilis Sacramenti vmbra, nempè manna in vrna aurea

asseruatum, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti) contra hostes ferrent in castra, atque ea præsente, modò ne crassis & intolerandis essent sceleribus obnoxij, certam diuinitùs opem sibi adesse experirentur: adeò vt etiam incircuncisi illi Philistæi malè sibi metuentes, ac ingemiscentes, dicerent: Venit Deus in castra. Væ nobis. Et: Non maneat arca Dei Israël apud nos, quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon deum nostrum.

1. Reg. 4. 1. Reg. 5.

Quandò igitur fidelibus Christianis totiès certa consolatio, præsens auxilium, certum præsidium ac munimentum, salus & prosperitas ex ea celsissimi ac omni honore prosequendi Sacramenti virtute obtigit, indè nimirùm in CHRISTI Ecclesia ea nata & profecta est consuetudo, vt in rebus difficilimis summisque necessitudinibus ac periculis (in quibus alioquì ab ipsa propemodùm Apostolorum ætate semper habiti sunt religiosi cœtus, litaniæque & processiones institutæ) Venerabile Sacramentum, vt in quo vnica salus nostra CHRISTVS IESVS re vera & substantialiter præsens sit, in eiusmodi procesionibus circunferatur, quô Christiani eoipso excitentur ac inflammentur ad fidem, spem, fidutiamq; suam in præsenti Domino vel maximè collocandam, eumque attentè implorandum, vtì ex cunctis ipsorum aduersis casibus & afflictionibus eos liberare & extrahere dignetur. Eundem in modum æquè hinc etiam illa manauit consuetudo, præsertim ab institutione solennitatis Corporis Christi, vt ipsum Venerabile Sacramentum circùm parœcias, & quibusdam locis etiam circùm vrbes, vt hîc Coloniæ, quod Martinus Quintus approbauit, deuotè portetur, interìm orando Deum, vt vrbes & populum suum per IESVM Christum seruatorem nostrum ab omni mala aduersitate & tribulatione seruet ac tueatur, cùm scriptum sit: Nisi Dominus ædificauerit domum, in uanùm laborauerunt qui ædificant eam: Nisi Dominus custodierit ciuitatē, frustrà vigilat qui custodit eam.

Origo circũlationis V. Sacramenti in Christianorũ cœtibus, precandi causa coactis.

Psalm. 126.

Quanquã interìm negare non possum, Episcoporũ negligētia multos abusus hac in parte irrepsisse, quos illi facilè amouere potuissent, hodieq; possent: atq; hocipso multigenas horrēdas blasphemias, quę modò in illud diuinũ Sacramẽtũ cumulatìm euomũtur, quorũ causa meritò regiones & earũ incolę pessùm irēt, anteuertere ac prępedire.

Abusus negligentia prælatorũ circa Eucharistiæ circunlationem exorti.

Antiquissi-

A Ntiquissimus ille DIONYSIVS Areopagita, non modò à perceptione, sed etiam spectatione diuini huius ac V. Sacramenti arcet *Catechumenos, Energumenos, & eos qui in pœnitentia* (publica) *sunt: ac multò etiam magis eos, qui contrarys aut voluptatibus, fœdisq; libidinibus, aut perturbationibus obnoxij sunt. Quippe & illi, inquit, sacratissimis rebus & adspiciedis & sumēdis arcentur, & meritò id quidem.* Eccl. Hierar. ca. 3. par. 2. & 3: vbi etiam huius rationem prolixè reddit: nempè, *Quòd qui se Deo omninò deuouit vir, is dignißimè diuinis (adspiciendis &) participandis admittatur, qui quantùm fas homini est, ad summam peruectus est diuinæ imitationis effigiem, Deoq; non perditis dæmonibus, moribus similis est: adeoq; totis viribus diuina fretus gratia eò cōnititur, vt vnus cum Deo sit Spiritus.* Quæ certè Apostolica doctrina & traditio in grauissima illa D. Pauli cōminatione fundata est, quæ prioris ad Corinthios cap. 11. legitur, itemque illis eius verbis, quæ sunt 2. Corinth. 6. Quæ societas luci ad tenebras? Quæ conuentio Christo ad Belial? In eo quoq;, quod Heb. 12. ex veteri Testamento citat: Si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et quod est Exod. 3. vbì Dominus ad Mosen ex rubo dicit: Nè appropies huc: locus enim in quo stas, terra sancta est. Itemq; in illo, quod 1. Reg. 6. refertur, vt Dominus percusserit de viris Bethsamitib', eò quod vidissent arcā Dñi, septuaginta viros & quinquaginta millia plebis, &c. Atq; in hoc sanè Patres oēs posteriores Dionysio adstipulātur, & quibus verbis vsus sit Diaconus exprimunt, ijs videlicet: *Sancta sanctis.* Vide suprà fol. 75. & 76.

CAP. 29

Cur immūdi & voluptatibus subditi, à V. Sacramēti spectatiōe arcendi sint.

Exod. 19.

Inter quos tamen speciatìm D. Chrysostomus in Morali Serm. 3. in cap. 1. ad Ephesios, vt etiā suprà attigimus, perquàm seriò testatur & probat, eum qui communione V. Sacramenti dignus non sit, indignum etiam esse, qui sacrificio intersit, & spectet Eucharistiam. Adhibet eò verba illa Seruatoris ex Euangelio: *Amice, quomodò huc intrāsti, non habens vestem nuptialem? Non dicebat ad illum,* ait Chrysostomus, *quarè recubuisti? sed ante accubitum, ingressu etiam indignum illum fuisse dicebat. Non enim, vt quid accubuisti? aiebat, sed, quid ingressus es? Ista videlicet & nunc ad omnes nos dicit, qui impudenter hîc & improbè adstamus. Quisquis enim mysteriorum consors non est, impudens & improbus adstat. Propterea qui in peccatis sunt, primùm eyciuntur. Quemadmodùm enim ad mensam accumbente hero, non licet ys qui illum offenderunt, inter ministros*

Qui indignus est percipere Eucharistiā, illi etiam interesse indignus est.

Matth. 22.

TTT adesse,

adesse, sed è medio abiguntur: & quemadmodùm nemini eorum qui initiati non sunt, adesse licet, ità neque initiatis, si sordidi fuerint, &c. *Indigni sunt* Exod. 9. Hebr. 12. *istis videntium oculi, indigna aures. Et si bestia, inquit, montem tetigerit, lapidabitur: ità & digni non erant ascensione.* Hæc ille: cuius hanc institutionem illi inprimìs laici accuratè pensitare deberent, qui sacerdotis venerabile Sacramentum portantis latus vtrunq; stipant, eumq; deducunt.

Nec dubium hinc euenisse, quod Vrbanus quartus in ea constitutione, qua festum Corporis Christi, vt suprà dictum est, feria quinta proxima post octauas Pentecostes toto orbe celebrandum instituit, (quo ex tempore eodem festo venerabile Sacramentum Christiano populo reuerenter expositum & circunlatum hactenùs est) *omnibus Episcopis & Ecclesiarum prælatis districtè præcipiendo mandauit, ut subditos suos in Dominica, dictam quintam feriam præcedente, salutaribus monitis solicitè per se & per alios exhortentur, ut per ueram & puram confessionem, & eleemosynarum largitionem, intentas ac sedulas orationes, ac per alia deuotionis & pietatis opera taliter se studeant præparare, quòd huiusmodi preciosi Sacramenti, largiente Deo, mereantur fieri participes illa die, possintq; ipsius uirtute augmentum consequi gratiarum.* Hortatur ibidèm *Christianos omnes, ut in ipsa quinta feria deuotæ turbæ fidelium, propter hoc ad Ecclesias affectuosè concurrant, ut tunc tam clerici quàm populi pariter congaudentes, in cantica laudum surgant: tunc omnium corda & uota, ora & labia hymnos personent lætitiæ salutaris. Tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet puritas, & synceritas iucundetur. Tunc singuli alacri animo promptáque uoluntate conueniant, sua studia laudabiliter exequendo, tanti festi solennia celebrantes.* Et utinam (ait Constitutio) *ad* CHRISTI *seruitium sic eius fideles ardor dilectionis inflammet, ut per hæc & alia proficientibus ipsis meritorum cumulo, apud eum qui se pro illis dedit in precium, tribuitque seipsum ipsis in pabulum, tandèm post uitæ huius decursum, eis se in præmium largiatur.* Hactenùs Vrbanus.

Vt ad V. Sacramenti circúlationé veniendũ sit: speciatìm verò Christianos oẽs tũ communicare debere.

1 Cor. 14. Coloss. 3.

OBserua hîc, amice Lector, vt Vrbanus festum corporis Christi velit celebrari, ità videlicet, vt fideles omnes illo festo imminente, per puram confessionem & pœnitentiam ad Eucharistiam percipiendam sese præparent. Iam si Episcopi & Ecclesiarum præfecti Christianis ac pijs suis adhortationibus id apud sibi creditos populos efficerent, posset eiusmodi fidelibus V. Sacramentum tum spectandum piè exhiberi atque proponi, & ad magìs magisque excitandam atq; confirmandam fidem, spem, fidutiam, & erga Deum & proximum charitatem illorum, in processionibus circũferri, quô in eius præsentia pro cunctis tum loci cuiuslibet, tum totius Ecclesiæ rebus necessarijs preces fiant. CAP. XXX.

Id nimirùm integer ille & haud vulgariter doctus Cardinalis Nicolaus Cusanus, cui etiam illi, qui partis aduersæ sunt, insigne ingenij acumen & eximiam eruditionem non possunt non tribuere, probè animaduertit tũ, cùm Nicolai V. ad hanc præcipuè Coloniensem prouinciam legatum agens, hîc in prouinciali Synodo hanc edidit constitutionem: *Ad maiorem honorem sanctißimi* SACRAMENTI *statuimus, quòd deinceps ipsum sanctißimum* SACRAMENTVM, *nullatenùs visibiliter in quibuscunq; Monstrantys ponatur aut deferatur, nisi in sanctißimo festo corporis Christi cum suis Octauis, & extra huiusmodi festa cum suis Octauis semèl in anno, in qualibet ciuitate aut oppido, seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarij, aut aliâs pro pace vel alia neceßitate imminente, ex indispositione Rempublicam pragrauante: & tunc cum summa reuerentia atque deuotione.* Hanc constitutionem habes in Statutis Ecclesiæ Coloniensis, nupèr excusis fol. 251.

Nicolaus Cusanus.

V. Sacramẽtũ nõ semper publicitùs & visibiliter exponendũ & circunferendũ.

Excusis, scilicet Ann. 1554 Coloniæ in officina Quẽteliana.

Verùm enimuerò me quidem malè habet, saluo tamẽ semper meliori iudicio, quòd contra hæc multi horrendi irrupère abusus, qui hodieq; retinentur: vt, quòd festum corporis Christi non ità agitur, vt est institutum: deindè quòd V. Sacramẽtum in processionibus nimìs crebrò circunfertur, & populo præter quotidianam in Missæ officio eleuationem, plus nimio & plerunq; palàm spectandum exhibetur, nulla tamen neque confessione, neque pœnitentia præcedente, tantum abest vt ipsius Eucharistiæ perceptio sequatur. Abusus.

Quin & illud verũ est, nec possum ire inficiàs, diabolum oĩs boni corruptorem, etiã illud contra hæc inuexisse, vt publica V. Sacramẽti

circunlatione ad ciuiles quoq; hominum cõuentus vel cõuenticula, ad commercia & negociationes,& alios rerum mundanarum tractatus,adeoq; ad comessationes & compotationes, & quæ indè consequuntur,plerique abutantur. Quorum id vitio fiat,illi viderint,qui hæc prohibere facilè possent,nec prohibent tamen.

Vt quõdã stationes & processiões fieri cõsueuerint. Olim certè, cùm processiones & stationes ob auertendam Dei iram,eiusque conciliandam gratiam agerentur, populus ea, qua par est Christiana humilitate confitebatur,seseq; castigabat,precibus vacabat & ieiunijs,vt minimùm in meridiem vsq;,plerunq; etiam vsque ad vesperum:atq; id temporis œnopolia & tabernæ omnes clausæ seruabantur:cuius quidem pœnitentiam præ se ferentes disciplinæ Tertullianus,Chrysostomus & reliqui vetusti Patres, crebra suis in scriptis argumẽta & indicia proferunt. Neq; id me fugit,etiã hîc Coloniæ ab initio,posteaquã(vt diximus suprà)Martinus V. anno 1431. eã quæ hic fit à Paschate circùm vrbem Eucharistiæ circunlationem, confirmauit & ratam esse voluit,longè religiosiùs & maiori deuotione eã fieri cõsueuisse,atquè hodiè proh dolor fieri videtur. Immò etiã hominum memoria clerus in habitu nigro seu pœnitẽtiali vnà circũire solebat. Vt verò hisce tẽporibus agatur,simul etiam quî se habeat illa nimìs vsitata & frequens,ac propè quotidiana V. Sacramenti in perspicuis Monstrantijs,vt vocant,expositio,omnibus in prospectu est. Atquì hæc pijs & Deum timentibus non probantur: Hæretici verò & improbi quiq; offendicula indè nascentia ad suas hæreses & improbitates stabiliendas ac tuendas arripiunt. Vtinàm Deus ea corrigat, ijsque vt ea corrigant,inspiret,qui ea ratione functionis suæ corrigere iure obligantur.

Chrysost. oratiõe de B. Philogonio: Nostræ quidẽ celebritates, inquit, sub meridiẽ plerũq; soluuntur.

Cõsule chronica Coloniẽsia fol. 300.

Ecclesiæ præsides ratione sui officij vel maximè tenẽtur in eã curã incũbere, vt V. Sacramẽtũ reuerẽter habeatur.

D. BASILIVS lib. de Spũsancto, cap. 27. docet me, *Ecclesiæ præsides mysteriorum reuerentiam ac authoritatẽ silentio debere custodire, & quæ ne inspicere quidem fas sit non initiatis, horum doctrinam par non esse in literis uelut in triumpho ostentare. Quid tandèm, inquit, uolens magnus ille Moses, non omnibus omnia templi loca peruia esse statuit, uerùm extra sacra septa prophanos* (id est, eos qui se necdùm totos DEO dediderant) *locauit: prima uerò atria purioribus permittens, solos Leuitas dignos DEI ministros iudicauit? Victimas uerò & holo-*

Prophani extra tabernaculum.

Leuitæ in atrio.

& holocausta, ac reliquã sacrorum celebritatem sacerdotibus assignauit, unumq́; ex omnibus delectum, in adyta admisit: & neq; hunc semp, sed una solùm anni die, atq; huius hora certa ad ingrediendum ipsi constituta: quo propter nouitatem & insuetudinem, cum maiore admiratione inspiceret Sancta sanctorum: probè gnarus ex sapientia sua, ei quod conculcatum est, & per se appræhendi potest, imminere contemptum: quod uerò remotũ est ac rarũ, ei etiam naturaliter quodãmodò esse coniunctam admirationẽ. Hucusq; Basilius.

Sacerdotes in primo tabernaculo.

Summus sacerdos in secundo, quod vocatum est, sancta sanctorum.

DE RELIQVIARVM AC IMAGINVM GESTATIONE.

CAP. 31.

SI quidem Melãchthon veros illos abusus, qui pastorum incuria & negligentia circa Eucharistiæ circunlationem irrepsêre, sibi repræhendendos sumpsisset, equidem quòd ad hunc locum attinet, scripta eius neutiquàm attigissem. Quòd verò ille ꝑtereà tam contumeliosè irridet, subsannat, proscindit & criminatur, ꝙ dum V. Sacramentum in publicis processionibus circunfertur, vnà etiam diuorum sacræ reliquiæ & imagines gestanť, equidem illi condonare non possum. Putabam enim, eum, vt qui ab illa parte nôrit omnia, cunctosq́; sanctos Patres iam pridèm manũ ferulæ suæ subducere compulerit, etiam illud non ignorare, vtì olim in publicis processionibus isthuc geri consueuerit.

Miracula facta apud Diuorum reliquias.

D. AVGVSTINVS lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 8. quo loco nõ minùs viginti præclara & insignia recenset miracula, ipsius ætate apud Diuorũ reliquias, ꝑsertim Stephani ꝓtomartyris, diuinitùs patrata, inter cætera rem narrat eiusmodi: *Memorati memoriã martyris* (S. Stephani) *eiusdem loci Lucillus Episcopus, populo præcedente atque sequente, in manu portabat: fistula, cuius molestia iam diù laborauerat, & familiarissimi sui medici, qui eã secare vellet, opperiebatur manus, illius piæ sarcinæ vectatione, vbì sanctas attigit reliquias, repentè sanata est.* Ibidèm vocat reliqas diuorum, *sacra pignora*, quæ nos futuræ resurrectiõis & æternæ vitæ reddant certiores. Ipsam quoq; reliquiarum gestatiõem, appellat *piæ sarcinæ vectationem.*

Lucillus episcopus in quadam processione D. Stephani reliquias in manu ferẽs, fistulæ morbo liberatus est.

Augustinus & Ambrosius vt appellent reliquias sanctorum.

CAP. 32.

DIVVS AMBROSIVS Epist. 8o. lib. 1o. de Inuentione corporum sanctorum Geruasij & Protasij ad sororem, vocat eas *nobiles*

biles & sacratißimas reliquias, Ecclesiæ præsidia, Auxilia, Trophæa, diuinæ gratiæ munera, ipsosq; Sanctos, loci in quo reperti sunt, patronos.

Sāctorū imagines cur gestentur.

Porrò olim vnà cum reliquijs vel etiam absque illis, si fortè præstò non fuissent, sacratissimæ Matris Dei & sanctorum Apostolorum imagines in eiuscemodi publicis processionibus gestas esse, vt populo illorum diuina conuersatio, vita, perpessio & obitus in memoriam redigerentur, atque ad eorum ambiendas preces & intercessionem apud Deum admoneretur, non potest latére eos, qui Ecclesiasticas non ignorant historias. Adeoque apud omnes peruulgatum est, vt D. Gregorius, cùm Romę sæuissima pestis, quæ innumeros repentina morte tulit è medio, grassaretur, religiosissimam litaniam & processionem instituerit, atque in ea beatissimę Matris DEI imaginem gestari iusserit, & id temporis tum sua, tum populi Christiana pietate ac deuotione per illius preces sanctissimas impetrârit, vt ea pestis quamprimùm sopiretur.

D. Gregorius

2. Nicena Synodus.

Nimirùm nos, qui Christiani sumus, Deo sit gratia, probè compertum habemus, quid de reliquijs & imaginibus sentire, & quo pacto eas colere & venerari debeamus: cuius tñ rei si planè rudes & ignari essemus, discere id liceret ex 2. Nicena Synodo, q̃ est septima Oecumenica, atque ex Iohannis Damasceni libris Apologeticis, aduersùs eos qui sanctas imagines traducunt & criminantur, recèns versis & editis. Quòd si Melâchthoni ea scripturæ loca, & Patres omnes, qui illic prolixè citantur, non satisfaciunt, equidem vt illi consulēdum sit, non video. Vnum tamen Damasceni locum ex Historia duorum militum cōmittere non possum, quin huc adscribam, vt Abbas quidam eremitarum, Indiæ Tyranno ipsum & eremitas cur ossa defunctorum (id est, reliquias quorundam sanctorum patrum) circunferrent percontanti, hunc in modum responderit: *Ossa ista munda & sancta circunferimus, ô rex, illorum repræsentantes mortem, quorum sunt mirabilium virorum, & exercitu eorum & adeò dilectæ conuersationis in*

Vt olim abbas quidam eremitarum de reliquiarū gestatiōe cuidā Indiæ tyranno sciscitanti responderit.

1. *memoriam nosmetipsos reducentes, & ad similem zelum excitantes: requiem*
2. *quoquè speculantes & delicias, in quibus modò cōuersantur. Hos quia beati-*
3. *ficamus, & inuicèm nosmetipsos exhortamur, & eorum sequi vestigia sata-*
4. *gimus: insuper & mortis nobismetipsis aßiduè memoriam p̃sentamus, valdè*
5. *vtilem existentem, & ad sanctæ conuersationis agones deuotiùs erigentem: &*

Augu. de Ciuit. Dei. lib. 8. ca. 23. ità ha

sanctissi-

ſanctificationem nobis horum tactu haurimus. Hæ quinque rationes, dēpta poſtrema, veram nobis geſtationis imaginum vſum pulchrè ſignificant. Neque enim eas imagines pro dijs colimus & habemus, quemadmodùm ethnici, dæmones in ſimulacris & ſtatuis degentes, deos faciebant: ſed imaginibus tanquàm quibuſdam monimentis vtimur, quibus ad pietatem excitemur & admoneamur.

bet de ſimulacris ethnicorum: Hos ergò ſpiritus inuiſibiles, & arte quadam viſibilibus rebus corporalis materiæ copulare, vt ſint quaſi animata corpora illis ſpiritibus dicata, & ſubdita ſimulacra, hoc eſſe dicit (Hermes Aegyptius) deos facere.

Neque ſanè ritus hic & conſuetudo, vt tum potiſſimùm, cùm Euchariſtia in ſolennibus proceſſionibus circunfertur, reliquiæ & imagines ſanctorum vnà geſtentur, abſque certa ratione nata eſt. Cùm enim ea cauſa Venerabile Sacramentum in publicis præſertim proceſſionibus circūferatur, vt quotquot è populo Chriſtiano illic adſunt & ſequuntur, ineffabilis illius humilitatis & charitatis filij DEI commonefiant, vti ille noſtra cauſa cœleſti patri ſuo ad mortem vſq; obedierit, acerbiſſimum illud crucis iter ad Caluariam confecerit, atque illic corpus ſuum pro omnium noſtrûm vita immolârit: vtq; hac admonitione populus porrò accendatur & incaleſcat amore DEI patris, qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illū: ac nihilo ſeciùs amore filij eius, qui tam ignominioſam mortem pro nobis perpeſſus eſt: atque hoc ipſo vlterius ad animum reuocet, ſibique perſuadeat, nos iam non nobis, ſed ei qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, viuere debere, totoſque nos offerre ad ſeruiendum proximis, ſicut ille nobis ſeruiuit, eius ſequentes veſtigia. Quæ cùm ſancti præſtiterint, eos ceu membra noſtra, qui nobis quondàm carne & ſanguine ſimiles fuêre, per eorū reliquias & imagines ob oculos ponimus, *vt ex eiuſmodi reliquiarum & imaginum admonitione, maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adiuuante poſſumus. Ideò quippè indè ab Apoſtolorum temporibus ſemper ad ipſam menſam* (Domini) vt Auguſtinus ait, *non ſic eos commemoramus, quemadmodùm alios qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus, ſed magìs vt orent ipſi pro nobis, vt eorum veſtigijs adhæreamus: quia impleuerunt ipſi charitatem, qua Dominus dixit nō poſſe eſſe maiorem. Talia enim ſuis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini menſa pariter acceperunt: hoc eſt, ſanguinem ſuum pro fratribus fuderunt, quemadmodùm CHRISTVS ſuum pro nobis.* Vide Auguſtinum contra Fauſtum lib. 20. cap. 21. & in Iohan. Tractatu 84.

Alia cauſa, cur reliquiæ cum V. Sacramento geſtētur.

Vide Baſiliū li. 2. de Bapt. Quæſt. 2. & 3. in ſummis Moralium, & Regulis Monachorum.

2. Cor. 5.
1 Pet. 2.

Sanctorū memoria ſemp apud altaris ſacramentum celebrata, vt orent pro nobis.

Præ-

Prætereà quádò Sacrosancta Eucharistia etiam mysticum Christi corpus nobis significat, id est, communionem omnium sanctorũ Dei, sicut Apostolus ait: Vnus panis & vnũ corpus multi sumus &c. itemq; Augustinus Tractatu 26. in Iohānem: *Societas, inquit, sanctorũ, vbì pax erit & vnitas plena atque perfecta, iste cibus est & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit*: non est id sanè absurdum, vbì verũ Christi corpus circũfertur, vt interìm etiã quoàd eius fieri potest, huius beatissimę societatis & communionis mystici corporis, id est, sanctorum eius, commonefaciamus: de quibus Hieronymus contra Vigilantium scribit his verbis: *Tu* (Vigilanti) *Apostolis* (& sanctis) *vincula inijcies, vt vsque ad diem iudicij teneãtur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: Sequuntur agnum quôcunquè vadit?* Dubium non est, quin iam cum Domino in pfecta vnione vel vnitate, ineffabilib' gaudijs, & sempiterna viuãt beatitudine, nosq; hac quam diximus, admonitione spem & fidutiam nostram, ꝙ quandoq; eiusmodi societatis ciues futuri simus, erigere ac confirmare: adeoque eiusipsius felicissimæ societatis vel cõmunionis etiã in hac vita, quatenùs quidem per fidem fieri potest, iucunda quadam in Domino animi recreatiõe & oblectatione nos efficere participes.

1. Cor. 10.

Hieronymus contra Vigilantium Aduersariorum nostrorũ patrem.

Apoc. 14.

Quæ quidem eò mihi allata sunt omnia, non quòd vllam superuacaneam imaginum superfluitatem & formas petulantes, aliásve vanitates, leuitates, pompas seculares & spectacula, tibiarum, tympanorum & equitum strepitum, & cæteras id genus ineptias, quæ nonnunquàm magno & intolerando abusu his sese admiscent, commendare vel approbare velim, cùm illos atque eius generis abusus alios ex animo detester, Deoque abominationi eos esse non dubitem, magnoque opto opere, vt episcopi, quibus ex officio eiusmodi amouere incumbit, tandèm quandoquè vbiuìs locorum eos amoliantur atque profligent: sed eò potiùs hæc cõmemorauerim, vt Ecclesiam aduersùs importunas & petulantes Melanchthonis calũnias tueri possim, idque planum testatumque facere, memoratas processiones, modò ritè fiant, sanctorum Patrum, Ambrosij præsertim & Augustini, scriptis atque doctrina, non modò non impugnari, sed propugnari etiam vel maximè.

Superfluitas & leuitas oĩs amouenda.

EAT nunc igitur Melanchthon,& sua illa manca & insulsa prosopopœia pergat psuadere hominibus,si Ambrosius & Augustinus ad nos reuerterētur,cernerentq; Eucharistiam ea ratione,qua iam fit,circunferri,præsentemq; populū Christianum Dominum in ea inuocare:itemq; sanctorū reliquias & imagines,in Domini honorem,nostriq; admonitionem gestari,eos terrore correptum iri,persuasumque habituros, se in nouos quosdam ethnicos incidisse:vbi verò cōperirent, eos Christianos & dici & haberi velle,eos hoc cœnæ abusu(vt ipse vocat)vehementer commotū iri &c.Itáne,Melanchthon,Ambrosio & Augustino Christum in Eucharistia adorari stupori & horrori erit,cùm illi Christianos tam seriò & accuratè, tantaq; cōsensione doceant, eiusmodi adorationem non modò peccatū non esse,sed etiam nō adorâsse, id demùm haud leue peccatum esse? quandò etiam tum asseruatio, tum ipsa quoquè circunlatio V.Sacramēti, ceu diuini cuiusdā psidij haud incognita & incōperta illis fuit? qñ præstereà sanctarū reliquiarū & earum religiosæ gestationis tam honorificam illi mentionem faciunt? cùm deniquè illorum æuo ipsius Domini & Sanctorum eius imagines pio quodam ac honorifico in vsu fuerint? An'ne multò tibi verisimilius videtur,amice lector,si quidem hosce duos sanctos patres ad nos redire contingeret,perspicerentq; Christianos conuenienter ab ipsis nobis traditæ doctrinæ,V.Sacramentum eo quo par est honore afficere,atq; ex illo solatium & auxilium petere:tum quoquè sanctorum gestandis & spectandis reliquijs & imaginibus redire in memoriam optimæ vitæ & conuersationis,& præsentis cælestis ac beatissimi statûs illorum,seseq; ad illorum imitationem excitare, non mediocriter hinc illos potiùs exhilaratum iri,fidemq; quam ipsi docuissent,& pietatem ac deuotiōem,ad quam adhortati essent, in pijs ac religiosis Christianis mirum in modum gratam habituros, libentissimeq; etiamnū agnituros?Est illa sanè pclara fides,quòd dum Christi immaculatum corpus accipimus,ipsum Christum nos ferre minimè dubitamus,vt beatus ait Anastasius à sancto monte Sinai, quem Damascenus citat lib.3.pro veneratione imaginum: *Sanè,inquit, eximia est fides, qua nunc in Christum creditur: Vt enim Christum ipsum videmur audire loquentem,ità & eius Euangelia fideli auditu excipimus: &*

VVV nullâ

CAP. 33.

Melāchthōis inepta prosopopœia nil contra hæc facit,sed est commētitia, & sanctis viris contra illorū doctrinam affingitur.

Anastasius à monte Sinai.

nulla adspersiõis labe corpus ipsius suscipientes, nos ipsum Christum gestarè persuademur.

Melãchthõis blasphema comparatio ignis Persici cum cælesti ac diuino igne.

An nõ pie ac religiose Lector, impotens q̃dam ac horrẽda Melanchthonis in Deũ blasphemia censenda est, ꝙ ille celsissimũ hoc Sacramentum, hunc verum ac spiritalem ignem, è cælis descendentem, coram quo nos reuereri, contremiscere, ac Deum nobis propitium facere debemus, vt Chrysostom⁹ ait Sermõe de Eucharistia: quemq; Cyrillus, Damascenus & reliqui patres, pindè v: Chrysostomus, toties cælestem, diuinum, terribilem ignem vocãt, Persico illi ac idololatrico igni, quem barbari idololatricè circunferre & adorare solebant, conferre & æquiparare non dubitat? Quid, quæso, hoc aliud est, quàm Christum viuentem Dei filium, non alio quàm Baal loco habere? quemadmodùm non ità pridèm Sacramentarius quidam hîc Coloniæ coniectus in carcerem, V. Sacramentum cùm anno superiori pro more circunferretur, identidèm locis huius vrbis frequentissimis, & quò maior hominum multitudo ad processionem confluxerat, impiè ac seditiosè alta clamauit voce: Bethaua Bethaua: videlicet hac voce populo significare volens, vitulum aureum in Bathauen illic circunferri. Prô illam blasphemiam.

Oseæ 10.

Vocabulum Gottsdracht/ id est, Dei gestatio, hæretici ferre nequeunt.

Alius quidam eiusdem farinæ, rem sibi præclarè gessisse videbat, quòd vocabulum illud **Gottsdracht**, (id est, Dei gestationem vel circunlationem) impugnandum sibi sumpsisset: cùm non possit includi Deus, neque hominum gestari manibus. Sed quis, obsecro, id vnq̃ docere ausus est, Christi immensam diuinitatem, aut etiam corpus illius diuinum alicubì posse includi, ità vt in V. Sacramento localiter comprehendatur atque circunscribatur? Nos verò ità instituimur, eum sub panis specie, reuerenter & custoditè asseruata, substantialiter sese exhibere, conuenienter illis ipsius verbis: HOC EST CORPVS MEVM: atque vt in Cœna sacrosancta in suis sese ferebat manibus, vt Augustinus ait, ità nunc quoquè sacerdotis eum manibus gestari: id quod suprà ex omnibus ferè sanctis patribus plùs satìs probatum est.

In Psalmũ 33

CAP. 34.

HAbes iã amice lector, de hoc tertio primario Articulo, principiò ex sacris literis luculenter explicatum, & abundè demonstratum, quãdoquidem Corpus & sanguis Dei ac Domini nostri IESV CHRISTI in V. Sacramento substantialiter adest, atq; ità ex necessaria cõcomitantia ipse Christus IESVS totus & integer

integer illic habetur, ea causa illum à cunctis Christiana religióe initiatis in V. Sacramento adorari debere, nostrosque Aduersarios, qui concomitantiæ vocabulum habent ludibrio, aut cæcitate, aut de industria certissimè Nestorianis accedere, seseq; Nestorianos declarare. Deindè, Christi in V. Sacramento adorationem, iam indè ab Apostolorum æuo semper in Catholica Ecclesia omnibus probè Christianis in vsu fuisse. Tertiò, idem V. Sacramentum piè ac salutariter ostendi, spectari, & nedùm ad ęgrotos, sed aliàs etiam in publicis ꝓcessionibus & litanijs gestari posse: atq; vnà cum illo sanctorum reliquias & imagines: modò tamen abusus omnis, qui hîc nonnunquàm irrepsit, tollatur è medio. Postremò, à V. Sacramento, tãquàm Christo pſente, in quibuscunq; necessitudinibus & periculis nostris, meritò nos consolationem & opem posse expetere. Atq; in horum cõfirmationem ex vetustissimis ac probatissimis Patribus multa præclara, magniq; põderis & authoritatis testimonia ꝓduxi: è quibus inter cętera id planum fit atq; perspicuũ, olim, pindè vt hodieq;, sacrosanctæ Eucharistię adorationẽ etiã puerulos non ignorâsse, quò Deus omnipotens ex ore infantium & lactentium pficeret laudem ꝓpter inimicos suos, & destrueret inimicos, Aduersarios nostros, & se de eis vlcisceretur. Adhæc bruta quoq; animantia Dñm suũ in V. Sacramento agnouisse, eò nimirùm, vt muta animalia horum pseudoprophetarum proderent insipientiam. Deniq; etiã tartareos dæmones corã V. Sacramẽto, siue illud in Dei ara tractet̃, siue circunferat̃, nõ posse nõ terrore corripi, cõtremiscere, cedere & fugã capessere, videlicet quò Aduersariorũ nostrorũ incredulitas dæmonũ vincat pfidiã & incredulitatẽ. Ait eñ D. Thomas Aquinâs 3. parte, Quæst. 76. Artic. 7. Arg. 3. etiã dęmones huic V. sacramẽto reuerentiã exhibere, & ipsum timere. Quod equidẽ pter illũ & reliquos S. Patres certa possem expientia (vtpotè q illud in quadã dæmóiaca fœmina in Fischel haud ꝓcul à Nouesio etiãnũ supstitę nõ semèl pspexerim) docere atq; testari, nisi cõpertum haberẽ, Aduersarios nostros miracula oĩa suprà allata, sacrosanctę Eucharistię virtute patrata, ea quoq;, quę per sanctorum reliquias Deus operatus est, habere irrisui & in DEI contumeliam & blasphemiam vertere: adeò vt contra suam conscientiam non patiantur ea pro veris haberi, quę Deus per

Quàm crassus & immanis sit Aduersariorum nostrorum error.

Psal. 8.

2. Pet. 2.

spiritum suum manifestè sub eorũ oculis & adspectu operatur. Ecquid verò contra hæc possit adferri aliud, quàm vt ijsipsis verbis illis respódeamus, quibus Christus ad impios Pharisæos vsus est, cùm illi dicerent: Hic non eijcit dæmones, nisi in Beelzebub: his videlicet, Si satanas satanam eijcit, aduersùs se diuisus est: Aut quomodò potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi priùs alligauerit fortem, & tunc domũ illius diripiet? Ideò dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritûs autem blasphemia, & qui dixerit contra Spiritumsanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Aut facite arborẽ bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Progenies viperarum, quó potestis bona loqui, cùm sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Dico autem vobis, quoniam omne verbum ociosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis &c. Quæ Dñi dicta, Aduersarij nostri vt qui ei⁹ diuina miracula V. sacramenti vi & facultate totiès declarata, procaciter & petulanter negent, meritò pensitare debebunt.

Matth. 12.

Aiunt illi contra nos: Dæmonum testimonio vos rem causamq; vestrã asserere & adstruere vultis. Verùm id genus calumnijs & conuicijs etiam execrabiles illi Ariani Christianos Catholicos D. Ambrosij ætate proscindebant. Sed ausculta, vt illis vir sanctus responderit Sermone 91. de Inuentione corporum S. Geruasij & Protasij: *Amentiæ intantũm prodeũt, vt negent martyrũ merita, quorũ opera etiã dæmones confitentur. Sed hoc non mirũ. Siquidẽ tanta est incredulorũ perfidia, vt tolerabilior sit diaboli cõfessio. Dicebat enim diabolus: IESV fili Dei viui, quid venisti ante tẽpus torquere nos? Et cùm hęc audirẽt Iudęi, ipsi tñ Dei filium denegabant. Et nunc audistis clamantes dæmones & confitentes martyribus, quòd pœnas ferre non possint, & dicentes: Quid venistis, vt ante tempus nos grauiter torqueatis? Et Ariani dicunt: Non sunt isti martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare, cùm tormẽta dæmonũ, ipsorum voce probentur, & bñficia martyrũ, remedijs cæcorũ & absolutorũ indicijs declarentur. Negant cæcũ illuminatũ, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video qui non videbã. Ille dicit: Cæcus esse desini, & probat facto. Isti beneficiũ negant*

Dæmonum confessio tolerabilior est hæreticorum perfidia.

Matt. 8. Ambrosius hic agit de dæmonibus ex obsessis corporibus pulsis, cũ inuenta essent corpora SS. Geruasij & Protasij martyrum.

Cæcus hic il-

gant, qui factum negare non possunt,&c. Quæro hîc, (ait Ambrosius) *vtrùm mibi, an sanctis martyribus inuideant? Si mihi, nunquid à me aliqua virtutes sunt? Nunquid meo opere, meo nomine? Si martyribus? ostendunt alterius fidei fuisse martyres, quàm ipsi credunt. Neque enim alitèr eorum operibus inuiderent. Fidem illam maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipsi negare non possunt, sed Ariani negant. Non accipio à diabolo testimonium, sed confessionem. Inuitus dixit diabolus, sed exactus & tortus. Quod nequitia supprimit, extorquet iniuria. Cedit diabolus plagis, & adhuc cedere nesciunt Ariani. Quanta perpessi sunt, & quemadmodum Pharao malis suis indurantur. Dicebat diabolus, vt scriptum legimus: Scio te quis sis. Tu es filius Dei viui. Dicebant Iudæi, Nescimus quis sit. Dicunt dæmones martyribus, Venistis perdere nos. Ariani dicunt: Non sunt dæmonum vera tormenta, sed ficta & composita ludibria. Audiui multa componi: hoc nemo vnquàm fingere potuit, vt se dæmoniacum simularet. Quid illud, quòd ità exagitari illos videmus, quibus manus imponitur? vbi hîc locus fraudi est? vbi suspicio simulandi? Sed non ego ad suffragium martyrum vsurpo vocem dæmoniorum. Beneficijs sacra passio suis comprobetur. Melior vox est, quam sanitas loquitur eorum, qui debiles huc aduenerunt,&c.* Hactenùs Ambrosius.

Iginatus, Seuerus nomine, lanius ministerio fuit.

Exod. 9. Roma 9. Marc 1. Luc. 4. Iohan. 9.

Aduersarij nostri ex dæmoniacis ludibria efficere nó posśut.

Quandò igitur, amice Lector, Melanchthonem & Vadianum cernis miracula iam antè ex patribus, maximè Augustino, Gregorio Turoneñ, & ex vita Bernardi, &c. de V. Sacramenti sæpißimè declarata & exhibita virtute erga expellendos dæmones, &c. recitata, irridiculè subsannantes, tibi persuadeas velim, hac in parte nihilo eos Arianis esse meliores: modisq; omnibus haud alitèr eis respódeas, atquè Ambrosium didicisti Arianis respondisse: euidentißimisque & quæ nemo negare poßit, Domini factis & operibus eos mendacij coarguas, atque ex Apostoli doctrina, illos deuites: Hæreticum hominem &c. Corrumpunt bonos mores &c.


Tit. 3. 1. Cor. 15.

Equidem, quòd ad hunc tertium primarium Articulum (quẽ, vtì spero, planum satìs testatumq; feci) illos quoq; nunc missos faciam, atq; ad quartum eundemq; extremum Articulum primariũ, Deo auspice tractandũ accingar, ità demùm instituto inpræsentiarùm operi summã manũ impositurus.

QVARTVS ARTICVLVS PRIMARIVS.

COMMVNIONEM SVB ALTERA DVNTAXAT SPECIE, VT hactenùs in catholica Ecclesia, nõ laicis modò, verũ etiã sacerdotibus nõ sacrificantibus porrigitur, Christianã, & quę cõmunicantiũ vel Eucharistiã percipientiũ saluti sufficiat, nec cum CHRISTI *institutione & mandato pugnet, esse Communionem: atque ab ipsis Ecclesiæ incunabulis semper pro sufficienti habitam, olimq́; unà cũ utriusq; speciei Communione in usu fuisse, donec tandèm ille usus ob multas, easdéq; grauißimas et prægnantißimas, uerboq́;* DEI *probè subnixas & suffultas rationes & causas, aliquot Generaliorum Conciliorum decretis approbatus & retineri iussus est tantispèr, dum aliud uniuersalis Ecclesiæ iudicio decernatur.*

CAP. I. Quòobrẽ Aduersarij nullũ catholicæ doctrinæ articulũ tã infestis armis oppugnẽt, atquè hunc ipsum.



ADVERSARII nostri hac tempestate nullum catholicę doctrinę articulum tam acriter, odiosè & hostiliter oppugnãt, atquè hunc ipsum, vanaq́;, commentitia & virulenta dogmata sua, ad seducendos idiotas & simplices laicos ac vulgus imperitũ, hinc potissimùm auspicantur, quòd inter alias damnatas assertiones & errores suos nullum habeant, quem tantoperè externa quadam Scripturæ diuinæ specie apud imperitos fucarę se possę confidant: populoq́; ad

rauim vsq; inculcant, tũ diuinã huius V. Sacramẽti institutionẽ, tum Christi præceptũ id flagitare necessariò, vt vnusquilibet è religione Christianus vtranq; Eucharistiæ speciẽ percipiat: porrò è diuerso alterius speciei cõmunionẽ humana temeritate introductã, cũ diuina institutione è diametro pugnãtẽ: idq; adeò, vt hoc ipso Christi testamentũ, ordinatio, institutio & mandatũ temerè mutata, perfracta, abrogata, antiquata & in nihilũ redacta sint: & hisce de causis eam communionẽ pro impia, immò pro manifesto sacrilegio habendã, quam Christiani oẽs respuere teneantur, q obedire oporteat magis Deo q̃ hominibus. Quibus illi perpetuis tũ clamoribus, tum scriptis suis sanè calũniosis & cõtumeliosis laicos in sacerdotũ ordinẽ acerbissimè concitant & inflãmant, persuadẽtes illis, sacerdotes laicis calicẽ Dñi contra diuinam institutionem & pręceptum Christi, ex quodã animi fastu & tumore, aut certè absq; vlla ratione vel causa, per summã vim & iniuriam temerè ac dedita opera esse suffuratos. Aduersæ partis calumnia. Acto. 5.

Vbi verò id eis cedit ex sententia, vt hominibus, ijs præsertim qui alioquì etiam in clerum infestis & alienis sunt animis, atq; in ea oĩa, quæ aduersùs Clerum effingi, excogitari & geri possint, plùs satis propensi sunt, hæc ipsa persuadeant, iam apud illos catholicę Ecclesię authoritatem non modò labefactàrunt, sed propemodùm ferè in nihilum redegerunt, ac funditùs euerterunt: ità vt apud eiusmodi malè seductos homines eadem authoritas neq; in hoc, neque vllo alio articulo deincèps quicquam, aut certè perparùm habeat ponderis vel momenti: sed quicquid isti seductores è suis morosis cerebris confingunt, dicunt, scribunt, id demùm purum ac syncerum non potest nõ esse Euangelium: quod tamẽ non est cur quisquam admiretur. Cùm enim sanctæ catholicæ Ecclesiæ authoritas vnica sit columna & firmamentum veritatis, sequitur indè, vt illi, apud quos versuta huius viperinæ sobolis ac progeniei persuasione ea ipsa semèl labefactata & pessundata est, iam porrò ad quemlibet venti afflatum in omnigenos errores continenter prolabantur, donec tandèm in totius impietatis mergantur abyssum. Infesta huius Articuli oppugnatione Aduersarij primò nituntur Ecclesiæ authoritatem apud vulgus eleuare ac subruere. 1. Tim. 3. Ephe. 4.

Itaque nè probi ac pij Christiani, qui adhuc in catholicæ Ecclesiæ vnitate constanter permanserunt, illis antè dictis fucatis & horrendis calumnijs & contumelijs, ab hac sua & omnium nostrûm

ſtrûm matre, extra quam nulla eſt ſalus, abducantur: vtque Eccleſia à memoratis calumnijs & probris (quemadmodùm vnicuilibet probè Chriſtiano faciendum incumbit) vindicetur, equidem iam, quatenùs diuinæ gratiæ ope fretus conſequi potero, quartum hûc eundemq; poſtremum Articulum ex ſcriptis diuinis & catholica ſanctorum patrum & vniuerſalis Eccleſiæ doctrina aſſerere ac tueri conabor: qui quidem ea ratione à me digeſtus eſt & conſtitutus, vt ex ijs, quæ illo compræhenduntur, facilè quiuis meum poſſit propoſitum & inſtitutum animaduertere. Neq; enim mihi animus eſt, cõmunionẽ vtriuſq; ſpeciei, quæ Apoſtolorum temporibus & diù poſteà (vt ex D. Paulo, & Patrum ſcriptis à meipſo ſuprà cumulatìm & prolixè citatis, perſpicuum ſit) in vſu fuit, oppugnandam ſuſcipere: aut etiã inficiàs ire, hodieq; eiuſmodi cõmmunionem vniuerſalis Eccleſiæ decreto & ordinatione (modò priùs Eccleſiaſtica diſciplina eſſet reſtituta, taliſq; cautio & prouiſio adhibita, nè quæ indè cuiuſlibet hæreſeos, ſchiſmatis, contemptionis Eccleſiaſticæ authoritatis, offendiculorum & ſcãdalorum reliquiæ formidandæ ſint, nec vllus indignus ſanctiſsimi & V. Sacramenti abuſus metuendus) cautè & circunſpectè denuò permitti poſſe. Atq; vtinàm eiuſcemodi cauta ac prouida ordinatiõe & permiſſione cunctis iam graſſantibus horrendis hęreſibus, alijſq; pauendis & exitioſis ſchiſmatibus ſalutariter mederi liceret: equidem non ambigo, catholicæ Eccleſiæ, modò (vt dixi) eius authoritatem agnoſcere, & eam, quàm par eſt, Eccleſiaſticam diſciplinam amplecti vellemus, hac in parte piam & humanam prouiſionem minimè defuturam.

Author communionẽ vtriuſque ſpeciei, modò ea ex Eccleſiæ ordinatione & decreto pmittatur, non refragatur.

Igitur inpræſentiarùm hęc ego mihi accuratè tractanda adſtruendaq; ſuſcipio, Principiò quidem, catholicã Chriſti Eccleſiam porrigendo vnam tantùm Euchariſtię ſpeciem, in eaipſa Eccleſia (vt probari poteſt) iamindè ab Apoſtolorum temporibus, quanquã vnà cũ communione vtriuſq; ſpeciei, abſq; vlla cuiuſquam infeſtatione vel contradictione, donec Iohãnes Hus hęreticus in Bohemia exiſteret, vſurpatã, nihil penitùs errare. Deindè in tribus illis generalibus Cõcilijs, Cõſtantiẽſi, Baſileẽſi & Florẽtino ferè cõtinẽter habitis, nihil hac de re decretũ atq; ſancitũ eſſe, quod à Chriſtiana religione alienum, impium & illicitum cenſendum ſit, tametſi Aduerſarij noſtri hoc nomine

Quænam Author tractare & probare velit.

nomine Ecclesiá & Concilia illa contumeliosissimè traducunt & criminantur. Nec puto hoc meum institutum & propositum quęquam mihi vitio versurum, cùm scriptú sit: Sicut qui thesaurizat, ità & qui honorificat matrem suam. Atq; è diuerso alibì: Stultus homo despicit matrem suam. Itemq;: Oculum, qui contempserit obedientiá matris, effodiant corui torrentis, & comedant eum filij aquilæ. Huc accedit, quòd à S. Patribus didici, quanto studio singula Ecclesiæ catholicę membra, ad illam defendendá, sese paratos exhibere, atq; etiam ad patiendum pro illa promptos offerre debeant: *cùm non sit inferior gloria, sustinere martyrium nè scindatur Ecclesia, quàm est illa, nè idolis immoletur:* quemadmodùm Eusebius libr. 6. Ecclesiast. Histo. cap. 34. ex Dionysio Alexandrino, & D. Augustinus de Vera Religione cap. 6. tradunt.

Eccl 3. Pro. 15. & 30. Sic ex Hebræo vertit Xātes Pagninus, quem Gropperus secutus hoc loco videtur.

ADVERSARIORVM ACHILLES QVATVOR, SEV PRAECIPVA EADEMQVE PHALERATA ARGVMENTA ADVERSVS ECCLESIAM DEI.

VT igitur ad rem propiùs accedamus, nôrunt hauddubiè omnes illi, qui Aduersariorum scripta lectitârunt, eos, quod quidem ad húc Articulum attinet, hisce quatuor potissimùm argumentis in Dei Ecclesiam incurrere: Primò aiút, Dominum Iesum hoc V. Sacramētum sub vtraq; specie omninò simul & inseparabiliter instituisse, atq; hoc ipso indicâsse, vnāquanq; speciem non esse perfectum & integrum sacramentum, sed non nisi ambas species simul vnicum constituere sacramentum: ità vt quādò in Domini cœna, quemadmodùm ipsi aiunt, panis & vinum pariter exhibētur, tum demùm illic corpus & sanguis Chri porrigantur, quasi sub vna specie sinè altera neq; corpus neq; sanguis Christi nobis prębeantur ac ministrentur. His em̄ verbis Melanchthon vtitur: *Dato pane & uino in cœna* Domini, *exhibētur corpus & sanguis* Domini. Et rursus: *Necessè est uti integro sacramento, quia partes non sunt separabiles.* Et pòst non pauca: *Sacramentalis coniunctio habet suū modum: positis symbolis, adest Christus, & est efficax: quia ministerium sic ordinatum est diuinitus.*

CAP. 2. Aduersarij Ecclesiā, quod ad húc Articulū attinet, quatuor pcipuè argumentis oppugnant. 1.

uinitûs. Et quia Dominus,vt ipsi volunt,ea ratione hoc V.ſacramentum inſtituit,vt ſpecies altera abſq; altera non ſit ſacramentum,indè illi porrò inferunt,neminem hanc Domini inſtitutionem & ordinationem,ceu illius teſtamentum, vlla ex parte poſſe immutare, cùm

Gal.3. etiam hominis teſtamentum,vt ait Apoſtolus, nemo ſpernat aut ſuperordinet. Atque hac de cauſa Sacramentum ſub altera ſpecie dimidiatum vocant,& qui eo pacto illud porrigunt, Sacramenti dimidiatores &c.

2. Secundò volunt illi,Dominum expreſſum edidiſſe mandatũ his verbis,Bibite ex hoc omnes:itemq; illis, Hoc facite in meã commemoratiõem.Hoc verò mandatum ſiue pręceptum ex æquo ad Chriſtianos omnes,tam laicos,quàm ſacerdotes pertinere,nec quicquam velle aut præ ſe ferre aliud,quàm Chriſtianos omnes V.Sacramẽtum ſub vtraq; ſpecie percipere,& interìm Deo pro illius beneficijs per vnicum filium eius in nos collatis,gratias agere debere:negant verò Dominum memoratis verbis corporis & ſanguinis ſacrificium in V. Sacramento pro alijs offerendũ inſtituiſſe ac demandâſſe.Vndè porrò aſſerunt,actionem ſacerdotis,laici actione hîc nihilo potiorẽ eſſe cenſendam: hoc ſolùm inter vtranq; intereſſe,quòd miniſter Sacramentum porrigat,laicus autem accipiat. Atq; hinc conficere moliuntur,quandoquidem ſupradictum Chriſti pręceptum ad ſacerdotes & laicos iuxtà pertineat,nemini contra hoc diuinum mandatum fas eſſe quippiam attentare ac inſtituere,conuenienter illi ſententiæ

Gal.1. Apoſtolicę: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis,

1.Cor.11. anathema ſit:atq; alteri illi,qua Apoſtolus præceptiuè dixerit: Probet autẽ ſeipſum homo,& ſic de pane illo edat & de calice bibat:præter quæ aiunt Apoſtolum totam hanc cęremoniam vſq; ad Domini glorioſum reditum ſeruandam præcepiſſe.

3. Tertiò affirmant illi, iam indè ab initio Apoſtolorum temporibus, & multis poſteà ſeculis tum in Græca, tum Latina Eccleſia, nullum alium communionis vſum, quàm ſub vtraque ſpecie, fuiſſe: tandèm verò vix quadringentis ab hinc annis alterius ſpeciei communionem irrepſiſſe:ità tamen, vt quo authore, vel qua authoritate id acciderit,incertum habeatur: quanquàm in hocipſo (vt ſæpenumerò & in plerisque alijs) Melanchthon non ſibi conſtat, nec ſe-

Philippus Melanchthon ſecum pugnat.

cum ipse consentit. Eodem enim libello, quo hæc scribit, nihilo seciùs affirmat Romanos Pontifices humana duntaxat authoritate hãc Domini nostri Iesu Christi ordinationem & constitutionem contra illius expressum mandatum, temerè mutâsse: quod ille nimirùm eô tantùm facit, vt odium laicorum ex nouo hoc dogmate in Sedẽ Romanam summa acerbitate conceptum, magìs magisq; inflammet, nè vlla pacis conciliandæ spes reliqua sit.

Quartò, animis infestissimis in Concilium Constantiense, itemq; Basileense incurrũt, quibus concilijs, vt ipsi asserunt, dimidia huius sacramenti pars ex toto sublata & æternùm vetita sit, idq; contra expressum Dei mandatum. 4.

Hæc quidem quatuor pręcipua sunt Aduersariorum arma, quibus illi totis viribus Catholicæ Ecclesiæ authoritatem oppugnare & labefactare nituntur. Sed quæso te Lector amice, nè hæc arma reformides, quantunuìs illa magnam prę se ferant vim & vehementiam. Sunt enim reuerà prorsus imbecilla, & inani, fluxo, falsoq; nituntur fundamento. Atq; eam ob rem Ecclesia Christi, cui præualere nihil Matth. 16. potest, etiam ab illis inuictam sese facilè seruabit.

HORVM IIII. ARGVMENTORVM VANITAS ET FVTILITAS.

Falsum est, dominum vtranq; sacramenti speciem omninò simul aut prorsus inseparabiliter, atq; ea ratione instituisse, vt CAP. 3. 1. non quęlibet per se, sed vtræq; species simul integrum & absolutum sint sacramentum: sub quibus vtrisq; speciebus, & non sub altera tantùm, cælestis illa V. Sacramenti Res perfectè contineatur, exhibeatur ac porrigatur.

Vanum est, verba illa pręceptiua Christi, quibus in sacrosancta 2. Cœna sua ad duodecim apostolos vsus est, ad Christianos omnes ex ęquo pertinere: sacerdotumq;, qui hac in parte in apostolorum locũ ordine siue legitimè acciti & vocati sunt, acceptam potestatem, officium & actionem in hoc ipso tractando V. Sacramẽto, non pluris faciẽdam esse, quàm vniuscuiuslibet Christiani, ipsum V. Sacramentũ tantummodò percipientis.

Commētitium eſt, Apoſtolorum ætate & multis deincèps ſeculis, nullam cõmunionem aliam, præter eam vtriuſq; ſpeciei in catholica Chriſti ecclesia eſſe vſurpatam, & alterius ſpeciei communionē intra annos abhinc quadringentos primùm cepiſſe originem.

A vero alienum eſt, Conſtantienſe & Baſileenſe Concilia dimidiā ſacramenti partem ex toto eripuiſſe, æternumq́; prohibuiſſe, atque hoc ipſo Sacramētum truncâſſe & dimidiâſſe: adeoq́; à vero prorſus abhorret, eadem Concilia quicquam hac in parte ſtatuiſſe ac decreuiſſe, quod vel à Chriſtiana pietate diſcrepet & impium ſit, vel cum priſcæ Eccleſię moribus pugnet.

Cũprimis neceſſè eſt verã & genuinam diuinæ huius V. Sacramēti inſtitutionis ſententiã explicare.

Atq; vt hęc improba & vana partis aduerſæ impoſtura omnibus perſpicua fiat ac manifeſta, meo quidem iudicio id inprimìs neceſſarium fuerit, vt ante omnia diuina huius V. Sacramenti inſtitutio, id eſt, verba ipſa & tota actio Chriſti in eius ſacroſancta cœna, in medium producantur, & accuratè inſpiciatur, penſetur & expendatur, quid & quo pacto Dominus tum temporis geſſerit, quibuſcum locutus ſit, quid illis ipſis faciendum mãdârit: tum prætereà, quid eiuſmodi mandatum & collata poteſtas propriè poſſit & exigat vel requirat, & quatenùs illa ſeſe porrigat & extendat: adhæc, ſitne inter Apoſtolos & eorum ſucceſſores (qui deincèps ad huius demãdati officij vel miniſterij executionem vocati ſunt, hodieq́; vocantur) aliosq́; vulgares Chriſtianos, hoc demandatum officium actu ipſo non adminiſtrantes, ſed V. Sacramentum ex ſacerdotis manibus tantùm accipientes, diſcrimen aliquod & differentia haud mediocris facienda: & quodnam ſit eiuſmodi diſcrimen vel differentia. In his enim, (dempto tamen illo catholicæ Eccleſię omnibus noto & hactenùs ſemper recepto ac trito vſu) cauſæ & negocij huius cardo præcipuè vertitur.

VERA AC SOLIDA DIVINAE V. SACRAMENTI INSTITVTIONIS EXPLICATIO.

CAP. 4.

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

SI igitur tres illi Euangeliſtæ, Matthæus, Marcus & Lucas, in manus ſumantur, & diligenter inſpiciantur, magna illi conſenſione

docere

docere intelligũtur: Primò quidem, Dominũ id temporis ad huius V.Sacramenti institutionem ex omnibus discipulis non nisi duodecim Apostolos adhibuisse. Apud Matthæum enim his verbis scriptũ legimus: *Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Apud Marcum verò: *Vespere autem facto, uenit cum duodecim. Et discumbentibus illis.* Deniquè apud Lucam: *Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.* Quod illi proculdubiò hoc loco non absq; certa ratione tam euidenter, tanta concordia, tantoque studio conscripsisse putandi sunt. Indicant verò prætereà, Dominum ea verba quæ id temporis, ad huius V.Sacramenti institutionem pertinentia, locutus est, nullis alijs propriè dixisse, quàm duodecim Apostolis, tãquàm illis, quos speciales mysteriorum suorum & sacramenti huius dispensatores ordinârit ac instituerit. Cùm enim dixisset illis, Bibite ex hoc omnes, mox sequitur apud Marcum: Et biberunt ex illo oẽs. Quod de illis solis duodecim necessariò accipiendum est, quemadmodùm etiam illud, quod apud Marcum & Mattheum subiungitur: Omnes scandalizabimini in me nocte ista. Immò verò Dominus Apostolos id temporis illic præsentes, à cunctis alijs hominibus, pro quibus mortem oppetiturus erat, expresse distinxit atq; secreuit, dicens illis, vt apud Lucam habetur: Qui pro vobis funditur: De alijs verò apud Matthæum & Marcum dicens hunc in modum: Qui pro multis effunditur. Quæ vtraq; Domini verba S. Ecclesia in sacro Canone hac ratione connectit: Qui pro vobis & pro multis effundetur.

Dominus ex cunctis discipulis suis non nisi 12. Apostolos ad V. Sacramenti institutionẽ adhibuit.

Verba Christi ad V.Sacramẽti institutionem pertinentia, cum temporis propriè solis duodecim dicta sunt.

Deindè liquet ex Euangelistis, maximè verò D. Luca & Paulo Apostolo, dominum præsentibus illis duodecim non omninò simul nec eodem temporis puncto, neq; etiam actu neq; sermone cõtinuo panem & vinum consecrâsse. Non enim simul panẽ & vinum in manus accepit, & ait: Accipite, edite & bibite. Hoc est corpus meum & sanguis meus. Sed primò cœnantibus adhuc illis & manducantibus solum panem accepit in manus, gratias egit & fregit, & dedit eis, dicens: *Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur,* siue frangitur: statimq́; nulla adhuc facta calicis mentione, illud eius corpus ex manibus eius acceperunt, & comederũt. Posteà verò, cùm

Christus panem & vinũ distinctè cõsecrauit & porrexit.

Christus panẽ consecrauit & porrexit inter cœnandum.

iam à porrecto & sumpto corpore sic satis iustum temporis spatium intercessisset, nimirùm vt Lucas & Apostolus referunt, non etiamdum illis cœnantibus & edentibus, sed postquàm cœnauit, & cùm iã cœna omninò peracta & absoluta esset, tum demùm similiter accepit calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum.* Quem etiam illi ab eo acceperunt, & biberunt ex illo omnes, vt ex Marco suprà allatum est.

Calicem cõsecrauit & porrexit, cœna iam peracta.

1. Cor. 11.

Est prętereà etiam hoc manifestum, Dominum cuiuslibet speciei consecrationi & distributioni speciatìm hanc clausulam adhibuisse: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Cuilibet speciei instituendæ Dominus hãc adhibuit clausulam, Hoc facite &c.

His igitur ità pręmissis, iam nunc ad veram & germanam horum Christi verborum, eiusq; mandati & actionis huius explicationem procedemus, principioq; dispiciemus, quamobrem Dominus huic sacrosanctæ Cœnæ suæ & V. Sacraméti institutioni solos duodecim Apostolos, nec vllum pręterea alium ex discipulis suis voluerit interesse.

CVR DOMINVS INSTITVTIONI V. SACRAMENTI SOLOS DVODECIM APOSTOLOS INTERESSE VOLVERIT.

CAP. 5.

Dubium nõ est, ea causa id Dominum voluisse, vt indè nos disceremus atq; intelligeremus, eum sua sacramenta non æquè omnibus vel quibuslibet, sed suis tantùm Apostolis, & qui deincèps ad eiusmodi ipsis demandatũ ministerium & functioné ordine ac legitimè vocandi essent, cõsecranda, sanctificanda, offerenda & pro illorum institutione tractanda cõmisisse & cõmendâsse. Nam tametsi nemo nescius est, sicq; sese res habet, Sacrámenta non in Apostolorum duntaxat & qui ijs essent successuri, rem & vtilitatem, sed generatìm in Christianorum omniũ sempiternam saluté esse instituta: at nihilo minùs illud quoquè verũ est, Dñm suos Apostolos & eorum successores tãtùm speciales instituisse dispensatores mysteriorum & sacramétorum suorum, vt ea ipsius loco & vice, ipsius quoquè diuino & omnipotente sermone & verbo cõsecrent,

Christus solis Apostolis & eorum successoribus sua sacraménta commisit tractãda &c.

ſecrent,conficiant,ſanctificent,offerant,atq; porrò ea ratione & fidelitate atq; prudentia adminiſtrent,vt Chriſtiani fideles non modò rem illam diuinam,quæ in illis ſubſtantialiter & continetur & porrigitur,pro eo atquè par eſt, integrè obtineant,ſed etiam Sacramenta non niſi piè,deuotè ac reuerēter in ſalutem ſuam, quo nomine inſtituta ſunt, ex ipſorum manibus percipiant: id quod integri diſpenſatoris & œconomi officium potiſſimùm repoſcit.

Et reuerà ob eiuſmodi demandatam prouinciam & diſpenſationem,collatamq; authoritatem & poteſtatem,nō debet ſacerdotium cogi in ordinem,nec cuilibet Chriſtiano, ad Euchariſtiam ſumendam duntaxat accedēti,par cenſeri,vt Melanchthon pro ſuo illo laico affectu innuit: ſed longè lateq; illud excellit, nedùm cuiuſlibet priuati hominis ſtatum,verùm etiam quaſcunq; ciuiles & ſeculares dignitates & poteſtates, quanlibèt illæ magnę ſint:immò hac in parte non immeritò cæleſti dignitati æquiparatur. Teſtātur hoc paſsìm & è ſcriptis diuinis fusè admodùm & euidenter docent ac probant ſancti patres,inprimìs verò Chryſoſtomus libris ſex de Sacerdotio, Ambroſius libro vnico de dignitate ſacerdotali, & Bernardus ſermone de Cœna Domini ad Petrum presbyterum. Et certè ità ſeſe rē habere,quilibet per ſe facilè poteſt animaduertere.

Fūctio & poteſtas ſacerdotalis oēs ciuiles & ſeculiares dignitates ſuperat.

Dominus enim (vt hoc exempli cauſa adferamus) Apoſtolis ſuis ipſo die paſchatis,vel reſurrectionis ſuæ apparuit,dicens eis: *Sicut miſit me pater,& ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet,inſufflauit & dicit eis: Accipite Spiritumſanctum: quorum remiſeritis peccata,remittūtur eis: & quorum retinueritis,retenta ſunt.* Iohan. 20. Itidemq; ante aſſcenſionem in cælos,Apoſtolis ſuis rurſus appárens, his verbis apud illos vſus eſt: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergò, docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine Patris,& Filij, & Spiritusſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis.* Matth. 28. Quanuìs igitur hæ diuinę functiones,& miniſteria,atque eiuſmodi poteſtas & authoritas Apoſtolis collata eſt,non in rem illorum tantùm, ſed omnium Chriſtianorum & fidelium: nemo tamen, quod in confeſſo eſt, hæc ſibi miniſteria atque hanc authoritatem, tanquàm ea verba ad ipſius perſonam referenda ſint, vendicare & vſurpare poteſt, niſi

Officiū conzionandi & ſacramēti adminiſtrandi nemo ſibi vſurpare poteſt, niſi q legitimè ſit vocatus.

De ministerio verbi vel prædicationis.

De Baptismo

De absolutione.

De cūctis Ecclesiasticis ministerijs & officijs generatim

nisi in locum Apostolorum speciatim & ordine ad ea vocatus sit: quemadmodùm D. Paulus ad Rom 10. de verbi ministerio testatur: ità dicens: Quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur? Idemq; de baptismi ministerio vel officio innuit 1. Cor. 1. his verbis: Non enim misit me Christus baptizare, (putà, principaliter) sed euangelizare. De absolutione quoquè & remissione peccatorum 2. Cor. 2. Nam & ego, inquit, quod donaui, si qd donaui, ꝓpter vos in persona Chr̄i. Deniquè in vniuersum de cūctis Ecclesiasticis functionibus & ministerijs, 1. Cor. 4: Sic nos, inquit, existimet homo, vt ministros Chr̄i, & dispensatores mysteriorū Dei. Et Ephes. 4: Et ipse (Dominus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad cōsummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.

Quemadmodùm igitur functionem vel ministerium illud Apostolis demandatum ijs verbis, Euntes docete omnes gentes, nō quilibet sibi sumere potest: nemo enim tam sublimem functionem sibi vsurpare debet, nisi ad eam legitimè vocatus & missus sit: vtq; itidèm illud Domini mandatum, Baptizate omnes gentes in nomine patris &c. non quiuis sibi vsurpare potest, nisi suprema necessitas aliud poscere videatur, vtì pręter alios Tertullianus lib. de velandis virginibus, Hieronymus contra Luciferianos, & Augustinus lib. 2. contra Epistolam Parmeniani, & rursus lib. 2. de vnico Baptismo testantur. Deniquè vt non singuli quiq; ea Domini verba, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt, ad se adducere & accommodare, & clauium potestatem sibi vsurpare queunt, licèt interìm verbi diuini prædicatio & sacramenta in salutem om̄ium instituta sint: ità etiam cum hoc V. Sacramento sese res habet. Nam tametsi illud ità institutum est, vt Christianis omnibus generatìm bono sit ac saluti, non tamen cuilibet fas est ea Domini mandantis verba, Hoc facite in meam commemorationem, sibi sumere ac vendicare. Ijs enim ipsis verbis, Apostolis tantùm & sacerdotibus, qui hac in parte in eorum locum ordine ac legitimè vocantur, non autem indiscriminatìm omnibus, id vt facerent, mandatum est, quod ipse Dominus tunc fecit: quod quid sit, infrà prolixè declarabitur. Indè adeò est, vt iam suprà attigimus, quòd S. Patres inter sacerdo-

Functio & actio sacerdotis hoc in tractando Sacramento lōgè præstantior censenda est, q̄ aliorū fidelium.

ſacerdotalem functionem & ordinem,& quaſlibet prophanas ac ſeculares poteſtates & dignitates tam ingens diſcrimen intereſſe docuêre.

AMBROSIVS lib.de dignitate ſacerdotali,cap.2.de Epiſcopali & ſacerdotali functione & dignitate ſcribit his verbis: *Honor & ſublimitas Epiſcopalis,nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares,& principũ diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cùm uideas regum colla & principum ſummitti genibus ſacerdotum, & exoſculatis eorum dexteris,orationibus eorum credant ſe communiri.* (Quod tamen Luteranorum ſtomachus concoquere non poteſt,itaq; ſuo more mirè id irrident & conſpuũt.) *Quid iam de plebeia* (ait Ambroſius) *dixerim multitudine,cui non ſolùm à Domino præferri meruit, ſed ut eam quoquè iure tueatur patrio,præceptis imperatum eſt Euangelicis? Sic certè à Domino ad beatum Petrum dicitur: Paſce oues meas.* Hæc Ambroſius. Sacerdotalis dignitas eſt incomparabilis. Iohan.21.

CHRYSOSTOMVS lib.3.de Sacerdotio hanc ſacerdotũ authoritatem & poteſtatem longè copioſiùs & excellentiùs prædicat & euehit,idq; ob demandatam diuinorum Sacramentorum & myſteriorum adminiſtrationem:vbi etiam Sacramentorum ferè omnium dignitatem& magnitudinem explicat. *Sacerdotium,*inquit,*regno tãto eſt excellentius,quantum ſpiritûs & carnis interuallum eſſe poteſt. Etenim ſacerdotium ipſum in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem ordinemq; referendum eſt. Atq; id perquàm meritò. Quippe non mortalis quiſquam,non angelus,non archangelus, non alia quæuis creata potentia, ſed ipſe paracletus ordinem huiuſmodi diſpoſuit: qui mortalibus hominibus etiamnùm in carne manentibus author fuit,ut angelorum miniſterium animo conciperent. Idcircò neceſſè eſt ſacerdotem ſic eſſe purum, ut ſi in ipſis cælis collocatus,inter cæleſtes illas uirtutes medius ſtaret. Terribilia nanq; atq; horrifica fuiſſe ferunt, quæ gratiæ tempus præceſſerunt: quod genus fuère tintinnabula,mala punica,lapides pectori ſacerdotis,itẽq; alij humeris eiuſdem ſuperpoſiti,mitra,ſtrophium, ueſtis ad pedes uſq; demiſſa,lamina aurea,ſancta ſanctorum,ingens intùs quies atq; ſilentium. At* Diſcrimẽ inter ſacerdotium & pphanos magiſtratus. Spiritusſanctus ordinẽ ſacerdotij inſtituit. Hæc ſacerdotibus notanda ſunt & ppendenda. Exod.28.

uerò si quis ea, quæ gratiæ tempus nobis aduexit, examinet, terribilia atq; horrifica quæ dixi, iudicabit esse admodùm leuia, ac quod de lege à Paulo dictum est, hic demùm uerum esse comperiet, quandoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum est in hac parte, propter eminentem gloriam. Id verò Chrysostomus deindè probat magnitudine dispensationis diuinorum mysteriorum vel Sacramentorum, cuius antè meminimus: atq; ab hoc diuinissimo altaris sacramento orditur, vt suprà videre est fol.182. Indè porrò hæc addit: *Ponito ob oculos Eliam illum, prætereà & innumeram illam turbam circunfusam, & sacrificium lapidibus superpositum, tum uerò reliquos omnes admodùm quietos ac taciturnos, solum autem prophetam preces fundentem: secūdùm id flammam derepentè è cælo delabentem, sacrificiumq; ipsum lambentem.* Mira *sunt ista profectò, ac stupore omni plena. Ab illis ergò sacris ad nostratia sacra te transfer: nec ea mira modò esse uidebis, sed etiam omnem stuporem excedentia. Adest enim sacerdos, non ignem gestans, sed spiritum sanctum: is preces diuturnas fundit, non quòd flamma cælitùs dilapsa, sacra apposita absumat, sed ut gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igni excocto purgatoq;.* Hoc *ergò mysterium omnium maximè horrendum uerendumq;, quis tandèm, qui insanus idem minimè sit, quiq; è potestate non exierit, fastidire ac despicere poterit? Nam si quis consideret, quantum id sit mysterium, ut is scilicet qui homo ipse sit, carne ac sanguine etiamnùm constans, ijsq; inuolutus, beatæ atq; immortali naturæ illi fieri propinquior queat, tum probè intelliget, quanto sacerdotes honore, quanta dignitate Spiritussancti gratia dignata fuerit. Operantibus enim illis, tum sacra hæc, quæ dico, initiantur perficiunturq;.*

2.Cor.3.

Præstātia Sacerdotij ratione Eucharistiæ.

3.Reg.18.

Melāchthon sacrificulos Europæ, Persicis idololatris sacerdotibus comparat, qui ignē quēdam ceu deū circūferebāt & adorabāt. Sed lōgè secùs loquitur Chrysostomus.

Non ergò in perceptione denium adest corpus Christi.

Mox ad pœnitentiæ Sacramentum accedens: *Tum etiam alia, inquit, his nihilo inferiora, quæ ipsa ad dignitatis salutisq; nostræ rationem spectant: Etenim qui terram incolunt atque in ea uersantur, ijs commissum est, ut ea quæ in cælis sunt dispensent: ijs datum est, ut potestatem habeant, quam* Deus Opt. *neq; angelis, neque archangelis datam esse uoluit.* Neque *enim ad illos dictum est: Quæcunq; alligaueris in terra, erunt alligata & in cæ-*

Excellētia Sacerdotij ratione sacramēti pœnitētiæ. Angeli eam nō habēt potestatē, quam sacerdotes.

in cælo: & quæcunque solueris in terra, erunt soluta & in cælo. Habent *quidem & terrestres principes uinculi potestatem, uerùm corporum solùm. Id autem quod dico sacerdotum uinculum, ipsam etiam animam contingit, atq; ad cælos usque peruadit: usqueadeò ut quæcunq; infernè sacerdotes cōfecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quænam, obsecro, potestas hac una maior esse queat? Insania manifestaria, despicere tantum istū principatum, sinè quo neq; salutis, neq; promissorum bonorum compotes fieri possumus.* Matt. 16. 18. Vinculum sacerdotum. Sinè sacerdotibus laici neq; salutis, neq; promissorum bonorum compotes esse queunt.

Pergit deindè, & ad Baptismi Sacramentum sese confert, atque rursus ad hoc venerabile altaris Sacramentum. *Nam si non potest quis, ait, in regnum cælorum ingredi, nisi per aquam & spiritum regeneratus fuerit: & , Qui non manducat carnem Domini, & sanguinem eius non bibit, æterna uita priuatur: omnia autem hæc haud aliter, quàm per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, sacerdotum: qui fiet, ut citra illarum opem aut gehennæ ignem euitare quis possit, aut repositæ in cælo coronæ præmia assequi? Hi enim sunt, hi sunt, inquam, quibus tum concreditæ sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus à Deo est commissus: per hos ipsos CHRISTVM induimus, unà cum Dei filio sepelimur, beatæ carnis illius membra efficimur: quo nomine sacerdotes meritò non modò plùs uereri debemus, quàm uel principes uel reges, uerùm etiam maiori honore, quàm parentes proprios, honestare.* Iohan. 3. Iohan. 6. Solis sacerdotibus cōgruit baptizare & corpus Domini porrigere. Catechismus & Exorcizatio. Galat. 3. Rom. 6. Ephes. 5.

Tandèm ad extremæ vnctionis sacramentum veniens, his vtitur verbis: *Neque enim in puniendo solùm, sed & in benè merendo, maiorem DEVS potestatem sacerdotibus largitus est, quàm naturalibus nostris parentibus: quos inter utrosque tantum sanè interiectum est internallum, quantum uitam inter præsentem & æternam. Parentes enim nos in præsentem, sacerdotes in uitam æternam generant. Atque illi certè ne corporalem quidem interitum à liberis amoliri possunt, neque ingruentem morbum propulsare, cùm hi laborantem ac morti iam iam*

Sacramētum Vnctiōis extremæ soli sacerdotes debent administrare.
Pœnitentia à baptismo cōtra Nouatianos & Anabaptistas.

propinquam animam identidèm seruârint, alijs remißiorem pœnam infligentes, alios prorsus labi non permittentes, non doctrinæ solùm atq; cōmonitionis, sed etiam precum præsidio. Neq; enim solùm cùm nos regenerant, sed posteà etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter uos aliquis? accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent sup eū, ungentes eū oleo in nomine Domini: & obsecratio fidei saluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Hucusquè Chrysostomus.

Quæ quidem omnia, in ipso primo rei huius aditu adducere eatenùs compulsi sumus, vt initiò imprudentes ac simplices à suspiciendis & admirandis Melanchthonis & assecIarum eius scriptis vel paulispèr auertamus: vtpotè in quibus illi laicis nimiùm credulis id persuadere nituntur, Christum ea verba, quibus hoc instituendo & porrigendo V. Sacramēto ad Apostolos vsus est, non minùs Christianis omnibus & quibuscunq;, quàm Apostolis ipsis & eorum successoribus sacerdotibus dixisse: tum quoquè, sacerdotis ministerium, verba & actionem in hoc tractando V. Sacramento, nihilo pluris facienda & ducenda esse, quàm cuiuslibet Christiani ad ipsum sacramētum duntaxat sumendum accedentis &c. Atq; hoc quidem ità facere visum est, donec ad Dominicæ institutionis & mandati explicationem propiùs accedam. Potest enim ex hac Chrysostomi doctrina lector animaduertere, nō nisi meram quandam insaniam esse isthęc velle hominibus persuadere. Iam porrò ad alterum illud tractandū progredimur, Cur Dominus vtranq; speciem non omninò simul & inseparabiliter, quemadmodùm Melanchthon vult, instituerit.

CVR DOMINVS PRIMO PANEM SEPARATIM CONSECRARIT, ET SVIS DEDERIT APOSTOLIS, AC DEINDE VINVM QVOQVE SEPARATIM VEL SINGVLATIM: QVIDQVE HAC RE DOMINVS INNVERE VOLVERIT.

Melan-

CAP. 6. Melanchthonis error.

MElanchthō libello memorato, De vſu integri Sacramēti, ad primā obiectionē catholicorū reſpōdet, vt antè relatum eſt, duas has partes, i. duas ſacramenti ſpecies, omninò eſſe inſeparabiles, ità vt altera ab altera in perceptiõe nullo pacto ſeiungi poſſit. Et in prima quidem præſumpta ratione & confirmatione ſua, itēq; reſponſione ad 5. obiectionē in hoc inſiſtit, ſacramentalem cõiunctionem ſuum habere modum, ità videlicet, vt cùm vtraq; ſpecies datur & exhibetur, tū demùm corpus & ſanguis Chriſti exhibeatur, quòd hoc miniſteriū eo pacto à Domino ſit inſtitutum. Solam enim vnam ſpeciem non eſſe integrum ſacramētum, ſed partem tantùm ſacramēti. Quæ verò Eccleſia hactenùs docuit de concomitantia, id eſt, vbi corpus Chriſti ſit, illic etiam ſimul ex neceſſaria concomitantia ſanguinem, ſpiritum & diuinitatem eius adeſſe oportere, atq; vbi ſanguis eius ſit, illic ex eadem concomitantia, etiam corpus, ſpiritum & deitatem eius, ſicque totum Chriſtum ſub qualibet ſpecie neceſſariò adeſſe, hæc Melanchthon non niſi hominū commenta & traditiones vult eſſe, quæ ſpeciem quidem habeant ſapientiæ, ſed propter quas tamen non ſit recedendum à miniſterij huius inſtitutione, nec Domini mandatum violandum: tanquàm dicere velit, id tum fieri, quandò Euchariſtia ſub vna tantùm ſpecie porrigitur.

Hic Melāchthon Neſtorizat contra magni illius Epheſini cõcilij decretū & ſententiā.

Hanc aūt Melanchthonis aſſertiõem prorſus vanam eſſe & à vero alienam, ipſius Domini dicta factaq; docent luculentiſſimè. Neq; enī inficiàs ire poteſt Melanchthon, Dominum duas diuerſas vel diſcretas accepiſſe materias, nempe panem & vinum, eaſq; duabus diuerſis ſeu diſtinctis diuinorum verborum ſuorum formis conſecrâſſe, ità vt quęlibet ſpecies propriam ſuā & materiā & formam habeat, ſicq; quælibet ſpecies ratione proprię materię & formę ſuę, & perfectum & integrum ſit ſacramentum.

I. quælibet huius ſacramēti ſpecies eſt integrū ſacramētū: Primò ea ratione, quòd quælibet ſpecies propriā habeat materiā & formā.

Adeoq; non modò duas diuerſas materias Dominus accepit, eaſq; duabus diſcretis diuinorum verborum ſuorum formis conſecrauit, ſed illas etiam, vt antè dictum eſt, nō omninò ſimul nec eodem momento, nulla temporis mora intercedente conſecrauit & porrexit: quandoquidem panem ipſis adhuc cœnantibus & manducantibus, corpus ſuum effecit, & mox Apoſtolis ſumendum dedit: quod tum

2. Quòd Dominus has duas materias non ſimul conſecrârit & porrexerit.

illi, antè quàm vlla fieret calicis métio, ex eius manibus ordine acceperunt & comederunt: vbi sanè, quòd numero essent duodecim, aliquod congruum temporis spatium intercessisse dubium nō est, adeò vt hanc Dominici corporis consecrationem & distributionem perfectum Domini opus fateri necessè sit. Dei enim perfecta, minimè verò dimidiata & mutila, sunt opera. Hac auté consecratione, distributione & perceptione Dominici corporis iā peracta, postquàm cœnatum est, demùm etiam similiter calicem accepit, & in sui sanguinis calicem consecrauit, ac deindè etiam illum distribuit. Quod itidèm Domini fuisse opus perfectum, nemo negare potest.

Deut. 32.

5. Ad hæc quandò Dominus cuiuslibet speciei consecrationi hanc clausulā distinctè ac separatìm adiūgit, ad euidentem vtriusq; huius diuinæ actionis aduertendam distinctionem, haud mediocriter id notatu dignum est, quòd Dominus singularum specierū consecrationem his mandandi verbis conclusit: Hoc facite in meā cōmemorationem: quę nimirùm non peracta demùm vtriusq; speciei consecratione & distributione, sed ad singulæ cuiusq; speciei consecratióem & distributionem singulatìm pronunciauit. Hinc enim eruditi facilè intelligūt, duos hîc esse actus separatos, cùm eorum quilibet suam propriam habeat determinationem. Vt enim Dn̄s ait, Accipite & māducate: Hoc est corpus meū, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem: ità etiam de calice dixit similiter, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: Hoc facite in meā cōmemorationem; quemadmodùm apud Lucam & Paulum videre licet. Iurisconsulti, quibus certè iudicium & acrimonia in verbis probè trutinandis & expendendis (id enim professioni eorum peculiare est) haud immeritò attribuitur, docent, vt Melanchthon non est nescius, in cunctis actibus & dispositionibus eos articulos, quorum quilibet suam propriam habet determinationem & clausulam concludentem, pro separatis esse habendos.

Quidnam igitur censendus est Dominus duplici hac, & ità, vt antè dictū est, diuersa & distincta institutióe, cōsecratione & distributióe aliud nobis indicare voluisse, quàm vt futuris deincèps temporibus in Ecclesiæ eius potestate & authoritate situ esset, vel vtranque, vel si res ità posceret & flagitaret, alteram duntaxat speciem

salutariter accipiendam dispensare? Atque nè quis putet hoc è meo natum cerebro, vel meam hanc duntaxat esse opinionem & somnium, certum est S.Patres & in actione & in verbis Domini illud probè animaduertisse, idemque nobis nedùm in scriptis suis, sed etiam in decretis synodalibus expresè ac euidenter significâsse.

Beatissimus ille Iulius I. qui vixit anno Domini 339. Episcopis per Aegyptum scribit, (quod posteà in 3. Braccarensi Concilio temporibus Vitaliani Papæ habito, Canone 1. de verbo ad verbum repetitum est) hunc in modum: *Vbi Apostolis corpus & sanguinem commendauit, seorsum panis & seorsum calicis commendatio memoratur.* Eundem in modum etiam Diuus Bernardus loquitur Sermone de Cœna Domini ad Petrum presbyterum: *Ordinat,* inquit, *Dominus sacrificium corporis & sanguinis sui, seorsum panem, seorsum tradens & uinum.*

c. Cùm omne de Cõs. Dist. 2.

Christus singulas species V.Sacramẽti seorsum ac separatim instituit.

Porrò hoc ipso Dominum id clarissimè significare voluisse, quamlibet V.Sacramenti speciem non dimidium, sed integrum esse Sacramentum, atque sub altera specie tantundem quantum sub vtraque accipi, idem Diuus Bernardus testatur Epistola 69. ad Guidonem Abbatem de tribus fontibus: in qua Epistola, sanè lectu & notatu digna, hunc tantùm Articulum, volens satisfacere precibus & quæstioni iam dicti Abbatis, diligenter sibi tractandum suscepit. Abbati huic id incommodi acciderat necopinatò, dum Missæ sacrificium faceret, culpa & negligentia diaconorũ, quòd sub Missæ initium in calicem vinum non fuit infusum, quod ille tum demùm percepit, cùm iam à facta consecratione tandèm ipsum V.Sacramentum sumere voluit. Hac ex causa vltra modum ille turbatus, perterritus & mœrore affectus est, nec quid faceret, scire potuit. Tandèm id illi consultissimum visum est, vt super particulã hostiæ sacratæ, quę à fractione V. Sacramenti in calicem mittitur, vinum in calicem funderet, atq; hoc pacto Eucharistiæ perceptionem absolueret & compleret. Quanuìs autem ità fecisset, tamen ob eam negligentiã & culpã, non ipsius, sed ministrorũ eius vitio admissam,

Dominus indicare voluit, vnãquanq; speciem non dimidiatum, sed integrum esse sacramẽtum.

magno

magno, conſcientię dolore, mœrore & perturbatione afflictus fuit: atq; vt his moleſtijs conſcientiam ſuam leuaret, & priſtinam illi ſerenitatem reſtitueret, ad D. Bernardũ tum pro captando conſilio, tum etiã pro debita ſatisfactione vel mulcta irroganda literas dedit. Itaq; D. Bernardus in ipſo Epiſtolæ exordio commendat quidẽ hanc eius triſtitiam, vt quæ ſecundùm Deum fuerit: ſed mox eum conſolatur, eo præſertim nomine, quòd hæc negligentia non ipſius, ſed miniſtrorum eius, ipſo neſciente, culpa perpetrata ſit. Deindè impoſita illi certa pœna, quam tum Abbas ipſe, tum eius miniſtri luere deberent, his verbis eius propoſitæ quæſtioni reſpondet:

Quod Chriſti corpus tãgit, ſanctificatur.

Si mihi idem contigiſſet quod tibi, uellem ad remedium mali unum è duobus elegiſſe, aut ipſum quod feciſti, (Arbitror enim liquorem & ſi non ex conſecratione propria atq; ſolenni in ſanguinem Chriſti mutatum, ſacrum tamen fuiſſe ex contactu corporis ſacri) aut certè ab illo loco, ubi dicitur, Simili modò poſteà quàm cœnatum eſt, uerba ſancta iteràſſe, & ſic complêſſe quod reſtabat de ſacrificio. Eius verò hanc adfert rationem: *Neque enim dubitauerim de corpore iam cõſecrato: qui utiquè iuxta ritum Eccleſiæ didici ab ipſa, quod & ipſa accepit à Domino, panem ſcilicet ac uinum & ſimul apponere, & non ſimul tamen ex his ſacra conficere. Cùm ergò priùs de pane corpus, quàm de uino ſanguis more eccleſiaſtico conficiatur, ſi per obliuionem tardiùs, quod poſteriùs ſacrandum eſt, apponatur, nõ uideo quid ſacris præcedentibus tarditas poſſit præripere conſequentium. Puto enim, quòd ſi Domino poſt factum de pane ſuum corpus, uini conſecrationẽ placuiſſet aliquãdiù intermittere, aut certè penitùs omittere, nihilo minùs corpus manſiſſet quod fecerat, nec factis facienda præſcriberẽt. Nec nego panem & uinum aqua quidem mixtum ſimul debere apponi: quin potiùs aſſero haud aliter fieri debere: ſed aliud eſt culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud, inquam, eſt, quòd cauſamur non benè quippiam fieri: & aliud, quòd mentimur nec fieri.* Hæc Bernardus.

Nõ ſimul ex pane & vino ſacra conficiuntur.

Priùs de pane corpus, quàm de vino ſanguis conficitur.

Vinum poſteriùs ſacrãdũ.

Conſecratio panis perfecta præcedit.

Corpus cõſecratũ, idq; pfectũ manſiſſet, etiam ſi Chriſtus vini conſecrationem penitùs omiſiſſet.

Obſerua hîc amice lector, qua ratione vel fundamento hæc ſancti viri benè deliberata reſponſio nitatur. Ait enim ſe ab Eccleſia ex eius more Eccleſiaſtico didiciſſe, quod & ipſa priùs acceperit à Domino, ex pane & vino nõ ſimul ſacra confici, ſed ſingulas ſpecies ſingulatìm conſe-

1. Cor. 11.

consecrari: de pane priùs corpus, quàm de vino sanguinem confici: & post factum de pane corpus Christi, panisq; consecratione perfecta, tum demùm etiam vinum sacrari. Ex hac igitur ratione, tãquàm quæ apud illum nullam habeat dubitationem, porrò infert & concludit, vnius speciei consecrationem ab alterius consecratione minimè pẽdere: nec moram vel dilationem seu intermissionem consecrationis alterius speciei, sacris præcedentibus, id est, prioris speciei consecrationi quicquam vel pręripere, vel pręscribere. Itaq; Guidonẽ Abbatem corpus Christi sub panis specie verè consecrasse, non obstante, quòd calicem ex obliuione & negligentia ministrorum consecrare nequiuerit. Immò disertis & rotundis ait verbis, si Domino post factum de pane suum corpus, id est, post institutionem & consecrationem V. Sacramenti sub vna panis specie, vini consecrationem & alterius speciei institutiõem placuisset aliquandiù intermittere, aut certè penitùs omittere, nihilo minùs corpus mansurum fuisse quod fecerat, eumq; ĩdem verum corpus suum nihilo minùs substantialiter, permanenter & integrè sub illa vna panis specie, ceu perfecto & integro sacramento, nobis relicturũ daturumq; fuisse. Refert autẽ sese ad Catholicę Ecclesię doctrinam, morem & consuetudinem, quæ id ab ipso Domino acceperit. Porrò eos qui diuersum sentiunt, ait V. Sacramenti huius negare efficaciam, & mentiri turpiter nihil hîc fieri à Domino.

Quibus reuerà nihil potuisset contra Melanchthonem adferre luculentius, cuius vt antè dictum est, verba hæc sunt: *Dato pane & uino in cœna Domini, exhiberi corpus & sanguinem Domini.* perindè atquè si non detur vtraq; species, nihil detur. Quod alia eius verba, quæ eodem libello post non pauca sequuntur, apertè indicant, nempe, *Sacramentalem coniunctionem suum modum habere: positis symbolis, adesse Christum. Alteram speciem non integrum esse sacramentum, sed partẽ tantùm sacramenti. Necessè esse uti integro sacramento, quòd partes non sint separabiles.* Melãchthoni cũ D. Bernardo non conuenit.

Atquì in diuersum scribit Bernardus, isthuc asserere, hoc esse negare efficaciam diuinæ consecrationis, & mentiri atq; per mendaciũ affirmare velle, nihil factum esse vel fieri consecratione prioris spe-

ciei, videlicet panis: quandoquidem Christi Ecclesia nos docuerit, quod ipsa acceperit à Domino, priùs de pane corpus, quàm de vino sanguinem Domini confici, alteramq; consecrationem non pendére ab altera: & non laicum modò, verùm etiam sacrificãtem sub vna panis specie verum Christi corpus substantialiter, permanẽter & integrè habere, etiamsi casu quodam accidente, calicem minimè consecrâsset. Indè adeò est citra vllum dubium, quòd Christi Ecclesia in collectis, quę orationes ad communionem dicuntur, consecrata illa diuina munera, totiès SACRAMENTA CAELESTIA, DIVINA SVBSIDIA, MVNERA SACRA, atq; id genus alijs nominibus appellat in plurali. Bucerus certè hac in parte rectiùs sapuit, vt qui duas has species, duo esse discreta sacramenta non neget.

Bucerus & si meliùs sapuit, tamẽ cõtra suã conscientiam veritatẽ impugnauit.

SACRIS DOCETVR LITERIS, SVB ALTERA TANTVM SACRAMENTI SPECIE, CHRISTVM DOMINVM INTEGRE NOS HABERE ET SVMERE.

CAP. 7.

QVòd autem sub vnaqualibet V. Sacramenti specie tãtundem re vera & substantialiter habeamus, quantum sub vtraq;, id est, ipsum Christum Dominum totũ ac integrũ, ità vt vna duntaxat sumenda specie, oĩa illa salutariter consequi possimus, propter quę Eucharistia percipienda est: putà, remissionem peccatorum, salutem corporis & animæ, & vitam æternam: id verò patrum authoritatibus fusiùs probari non magnoperè indiget, quandò ex ipsis Domini Seruatoris verbis haud obscurè constat, efficitur atq; docetur.

Quæ diuina munera in Eucharistiæ perceptione expetere debeamus.

Accipit Dñs panem in manus suas, gratias agit, frangit, dat discipulis suis, & dicit: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur: idq; antè quàm ad calicẽ consecrandũ accedat. Porrò certum est, nec quisquã inficiàs ire potest, verba hæc, HOC EST CORPVS MEVM, quod pro vobis datur, verbis illis Iohã. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita: &, Qui dat vitam mundo, vt eodem loco habetur: quibus id pollicetur, quod hîc præstat: pulchrè admodùm respondere, ijsdemq; declarari: quemadmodùm verba datiua respon-

Ea Domini verba, Hoc est corpus meũ, quod ꝓ vobis datur, idẽ faciũt quod illa, Hoc est corpus meũ, quod ꝓ mũdi vita datur, &, quod dat vitam mundo.

respondent promissiuis,& declarantur per illa:vt est suprà in 3.5. & 11.Scripturę testimonijs in primo Articulo primario fol.10.& sequẽtibus, & fol. 21. latiùs indicatum. Cùm igitur, his ità se habentibus, negari non possit, Christũ Dñm secundùm hæc iam allata ipsius verba,quibus in cœna vsus est,(quę quidẽ simulatq; prolata fuere, è vestigiò absq; vlla efficientię eorũ dilatiõe,vera quoquè fuisse necessè est)idẽ illud corpus quod pro mũdi vita datũ est, & quod dat vitam mũdo,discipulis suis sub vna panis specie dedisse ac porrexisse,eosq; idẽ corpus sub hac specie integrum accepisse, antè q̃ nñs calicẽ consecrare & distribuere cœpisset: necessariò profectò hinc efficitur,eũ sese in V. Sacramento sub altera tantùm panis specie perfectè & integrè illis pbuisse & cõmunicâsse,illosq; eũ hac ratiõe perfectè ac integrè accepisse & comedisse,priùs q̃ calicis consecrationẽ inchoâsset. Est enim hoc in confesso,nec negari potest,corpus eius,quod ꝓ mũdi vita datũ est,quodq; mũdo dat vitã,non commune aut vulgare, sed peculiare quoddã,& vitale ac viuificans planeq; deificatum esse corpus,& sicut Christus ipse est,Deũ & hominẽ perfectum: quandoquidem corpus eius nõ seorsum à diuinitate separatũ, sed vnà cum ipsa deitate &per ipsam deitatẽ,q̃ vita est,mundo dat vitam.Id quod ipse testatur his verbis:Spiritus est qui viuificat &c.Itemq; illis:Sic Deus dilexit mundum,vt filium suum vnigenitum daret, vt om̃is qui credit in eum,non pereat,sed habeat vitam æternam.

Christus sub specie panis integrum se præbet.

Iohan.6.

Iohan.3.

Quæ quidem citra vllam controuersiam ità se habere, pręcedentia eodem loco memorato,putà Iohan.6.verba Christi docent euidenter.Cùm enim Iudæi illi dicerent,Patres nostri manducauerunt manna in deserto, his verbis eis respondit: Non Moses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum, qui dat vitam mundo. Ac deindè addit: Ego sum panis vitæ. Et rursus: Ego sum panis vitæ. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit,non moriatur. Iterumq; tertiò, quô vel sic probè eius mens & sententia capiatur: Ego sum panis viuus,qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Deindè iam nullis alijs interiectis ista subiungit, quæ iam antè protulimus: Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.Non poterat equidem expressiùs & euidentiùs

Panis cælestis,vel mãna, quod Christus in Eucharistia sub panis specie largitur, est ipse Christus.

indicare, corpus illud, quod dat pro nobis, verum panem cęlestem & verum manna, & seipsum esse, qui dat vitam mundo: quem panem, id est, ipsum Christum, si manducemus, vitam nos æternam habituros: quo sanè ea omnia compręhenduntur, quæ nos in V. Sacraméto cupimus adipisci: immò ea quoquè omnia, quorum causa Christus venit in hunc mundum, & nos Christiani sumus.

Neque arbitror à Melanchthonis parte quenquam vsq; eò perfricuisse frontem, vt hæc verba Domini Iohann. 6. de corpore Domini in V. Sacramento nolit accipi. Quisquis enim is esset, hac sua manifestaria amentia, Domini illa verba, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, per summam Dei contumeliam euertere conaretur, planeque asserere, ea memoratis apud Iohannem 6. cap. verbis, *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*, minimè respondere: atque ità Dominum nunquàm antehàc pręstitisse nobis, quod ibidèm se daturũ recepit atq; pollicitus est: nempe corpus suum in cibum, & vtriusque hominis conseruationem ac sustentationem. Taceo, quòd is idem sanctos patres omnes, qui iam indè ab Apostolis ad nos vsq; fuère, vt qui magna concordia hæc Iohan. 6. verba, etiam de corpore & carne Christi in V. Sacramento acceperint, nobisque interpretati sint, (vt in suprà adductis eorum testimonijs prolixè videre licet) insana atq; execranda temeritate & audacia sua stolidissimè reiecturus, atque planè in contemptum adducturus sit.

Sancti Patres ad vnũ omnes accipiũt verba Christi Iohan. 6. de corpore Christi in Eucharistia.

D. IGNATIVS ait, *Panem Dei volo, panem cæleslem, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei viui.* Vide suprà fol. 80. *carnem seruatoris nostri*, fol. 83. Item: *Frangite panem, qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, sed viuendi per Iesum Christum in Deo:* suprà fol. 81. ORIGENES appellat *carnem verbi Dei*, suprà fol. 112. *corpus sanctum, quod sanctiores eos reddat, qui mẽte integriore hocipso vtantur.* Suprà fol. 117. Idem hortatur nos, *vt cum omni cautela & veneratiõe seruemus, nè ex hoc Domini corpore parùm quid décidat per negligentiam nostrã: quòd, si id accidat, rei simus corporis Domini.* Suprà fol. 114. Itemq;, *hunc panem vitæ & sanctum cibum atque incorruptum epulum sumpturi, vt humiliemus nosipsos, & dicamus ei: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, Suprà fol. 116. CYPRIANVS affirmat, *panem hunc non effigie, sed natura mutatum*, Suprà fol. 118. Item Sermone in orationem Dominicam

cam, verba omnia Iohan 6. quorum iam mentionem fecimus, de hoc cælesti pane accipit, Suprà fol. 120. Ibidèm ait *eũ, qui hoc de pane ederit, & corpus eius attigerit, ac iure communicationis acceperit, viuere.* Eodem modo EMISENVS habet suprà fol. 126. adeoq; asserit is, *Eucharistiæ sacram perceptionem non in quantitate, sed in virtute consistere: & corpus hoc tantum esse in exiguo, quantum esse constat in toto.* Homil. 5. de Pascha. BASILIVS vocat *honorificum corpus Domini Dei & Saluatoris nostri.* Suprà fol. 140. HIERONYMVS appellat *corpus agni, panem cælestem, & panem super omnes substantias.* Suprà fol. 154. CHRYSOSTOMVS *corpus Dei, adeoq; ipsum Dominum Deum nostrum.* Suprà fol. 176. AMBROSIVS itidèm verba illa Iohan. 6. refert ad Eucharistiã: panemq; hunc vocat *supersubstantialem, panem vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit: aitq; nos hunc panem accipiendo, diuinæ substantiæ in illo participari alimento.* Suprà fol. 186. Consule prętereà AVGVSTINI & CYRILLI aliorumque omnium testimonia, & eos idem sensisse comperies. Itaq; nemo iam ambigere poteſt, totum Christum esse substantialiter, & integrè accipi in V. Sacramento sub panis specie: quod quidem speciatìm probat D. Bernardus sermone de Cœna Domini ad Petrum, his atque id genus alijs identidèm repetitis verbis: *Sacerdotem tenere Deum suum, & alijs dando porrigere:* Item, *contrectare sacerdotes Deum manu & ore:* Itemq;: *Hostia,* inquit ex persona Dei, *quam vides, iam non panis, sed caro mea quæ pependit in cruce pro mundi vita.* Deniquè: *Nolite,* ait, *irreuerenter accedere. Deus em̃ est: & quanq̃ panis mysteria habeat, mutat̃ tñ in carnẽ.*

Nimiùm ille crassus & insulsus error fuerit, affirmare solam illic carnem eius adesse absq; sanguine, anima & diuinitate. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, Rom. 6. Nõ se diuidi patitur, 1. Cor. 1. Omnis spiritus, qui soluit Iesum, hic est Antichristus, 1. Iohan. 4. Verùm hactenùs dixisse satìs sit, Christum sub panis specie in V. Sacramento integrum adesse. In summa: Si quidem Christus in alterutra non sit specie, nec in vtraq; erit, vt cordatus quisque per se nullo negocio intelligit.

Christus inseparabilis: vbicunquè est, totus & integer est.

IN EVCHARISTIA SVB VINI SPECIE TOTVM AC INTEGRVM HABERI CHRISTVM.

TRES FINES, VEL CAVSAE FINALES, VT VOCANT, PERCIPIENDAE SACROSANCTAE EVCHARISTIAE.

Atq; vt hæc magis perspicua fiant, parumpèr fines illos & causas finales,ob quas V.Sacramentum percipi debet, distinctè expendamus.Primò quidem eo nomine & fine ad Eucharistiam accedendum est,vt eoipso Domini mortem annunciemus,i.eius nimis quàm acerbam perpessionem cogitemus ac meditemur,& toto pectore,ac quatenùs eius gratia consequi poterimus,summa virium facultate gratias ei agamus pro beneficijs ineffabilibus,quæ in nos illa sua ad mortem vsq; obedientia,atque illa salutifera sua passione & morte declarauit,conuenienter illi Apostolicę sententię: Quotiescunquè manducabitis panem hunc,& calicē bibetis,mortem dñi annunciabitis,donec veniat.Secundò,vt hoc pcipiendo V.Sacramēto,accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro:Hoc est,corpus illius:atq; hoc pacto illi intimè concorporemur,& naturę eius participes reddamur,idq; in corporū ac animarū nostrarū conseruationē ac sustentationē in vitam ęternam,sicut ipse dicit:Et qui manducat me,& ipse viuet propter me. In me manet, & ego in illo:& ego resuscitabo eū in nouissimo die: vtì hoc prisci patres,maximè Irenæus, Chrysostomus & Cyrillus,elegantissimè ac mellitissimè declarant:quorum testimonia suprà allata consulas licet.Tertiò,quandoquidem per Eucharistiam eius omnes participes sumus,atq; per eam ille est in omnibus nobis,vtì sic etiam omnes in eo vnum efficiamur, sicut ipse dicit Iohan. 17. Vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me,& ego in te,vt & ipsi in nobis vnum sint.Et ego claritatem,quam tu dedisti mihi,dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus:ego in eis,& tu in me,vt sint consummati in vnum:sicut D.Hilarius hæc ipsa verba ad sacrosanctam Eucharistiam sua interpretatione accommodat.Atq; etiam,vt, quia omēs sumus de carne eius & de ossibus eius, omēs vnum corpus efficiamur, sicut Apostolus dicit 1.Cor.10.Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus,omnes quidem de vno pane participamus.

CAP.9. Tres fines vel causæ finales percipiendæ Eucharistiæ.

1.Cor.11.

2.

Iohan.6.

3.

Ephes.4.

Hos

HOS TRES FINES AEQVE COPIOSE NOS SVB ALTERA, ATQVE SVB VTRAQVE, SPECIE CONSEQVI.

CAP. 10.

Alterius speciei perceptione æquè possumus redire in memoriã passiõis Christi, atq; vtriusque.

QVòd verò hosce tres salutares fines simul omes æquè largiter sub alterutra, atquè sub vtraque specie Eucharistiã accipiendo consequi possimus, nullo id quidem negocio doceri potest. Quòd enim ad primum finem attinet, nè quis sibi persuaderet, antè dictam beatæ passionis & mortis Christi meditationem & cõmemorationem fieri non posse æquè alterutrius, atquè vtriusque speciei perceptione, Dominus Christus, vt Apostolus testatur, & suprà memoratum est, cuiuslibet speciei institutionem singulatìm his verbis ad Apostolos dictis conclusit: Hoc facite in meam commemorationem. Adhuc cœnantibus illis accepit panem, & dedit illis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem: idq; antè quàm calicem consecrare & porrigere inciperet. Similiter & calicem, postquàm cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamẽtum est in meo sanguine: hoc facite in meam commemorationem. En hîc consecrationem & porrectiõem calicis speciatìm hac absoluit clausula, Hoc facite in meam commemorationem, æquè vt V. Sacramenti sub panis specie distributionem eadem ipsa clausula speciatìm absoluerat. Qua re quid ille aliud innuit, quàm nos cuiuslibet speciei perceptione non minùs copiosè eius acerbissimam perpessionem & mortem cõmemorare, atq; ob eã summas ei grates laudesq; agere posse, quàm si vtranq; sumamus speciem? Alioquì enim cuiusq; speciei instituendæ ac porrigendæ frustrà præceptum illud, quod diximus, adhibuisse videbitur: cùm tamen nemo nostrûm nescius sit, eum nihil temerè dixisse, & nec apicem vnum frustrà scriptum esse.

Alter finis. Sub qualibet specie V. Sacramẽti Dominum integrè accipimus in coser-

Quòd autem ad alterum finem attinet, nempe, nos sub qualibet specie Dominum integrè accipere, atq; hoc ipso ei nos intimè ac penitissimè concorporari, in vtriusq; hominis, corporis & animæ conseruationem & sustentationem in vitam æternam, id iam paulò antè ipsius Domini verbis Iohan. 6. validissimè asserui & probaui. Dat

enim

enim nobis in V. Sacramento verum, vitale & viuificans corpus suú, quod pro mundi vita datum est, & dat vitam mundo, idq; cum hac pollicitatione: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet inæternùm. Et: Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me, scilicet æternùm. Finem igitur illum, propter quem hoc V. Sacramentum sumi debet, percipiendo corpus illius sub altera panis specie adipiscimur, putà, æternã beatitudinem siue salutem, de qua D. Petrus prioris Epistolæ cap. 1. dicit his verbis: Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. Equidem Patrum innumera testimonia, huc facientia, quæ iam suprà allata sint, hîc repetere nolim. Porrò eúdem finem, id est, peccatorum remissionem & salutem, etiam in calice Domini obtineri, sicq; eandem omninò diuinam virtutem & efficaciam esse in calice, quæ sub panis specie est, id quoquè iam antè abundè demonstratum est. uationē animæ & corporis in vitam æternam.

Deniquè etiam tertium finem, videlicet, vt omnes perceptione V. Sacramenti vnum in Christo corpus efficiamur, sub vnaqualibet specie nos posse perfectè consequi, Apostolus docet 1. Cor. 10, vt est antè dictum, sanè quàm luculenter & expresse his verbis: Vnus panis, vnum corpus multi sumus, oés quidé de vno pane participamus. Vbi certè Apostolus solius panis mentioné facit, iuxta Græci textûs veritatem, in quo, vt ibidèm Erasmus testatur, nulla fit calicis mentio: simulq; indicat, quî factum sit, vt in Latinis exemplaribus de calice appositum sit. Finis tertius.

Quandò igitur ex his omnibus planum testatumq; fit, sub qualibet specie tantundem nos vt sub vtraq; consequi, simulq; fines eos omnes, propter quos hoc V. Sacramentum sumendum institutú est, adipisci, non potest indè nó sequi irrefragabiliter, vnicuilibet Christiano ad obtinendam tum corporis, tum animæ salutem, satìs esse & sufficere sub altera duntaxat specie deuotè & reuerenter communicare: cùm nemo negare possit, nihil referre quid ex æquipollentibus fiat: quemadmodùm etiam illud vulgò tritum prouerbium, quod à scriptura non discrepat, habet, Nó de itinere, sed de meta curandum esse. Atq; indè est, id quod posteà non obscuris, sed illustribus & certis testimonijs docebitur, quod ab ipsis adeò Apostolorum téporibus Nihil refert, quid ex æquipollentibus fiat.

vsq; ad Constantiense Concilium, præter communionem vtriusq; speciei, semper etiam vnius tantùm speciei communio, quandoquè panis solius, idq; presertim intra domesticos parietes, in eremis, pro peregrinis & ægrotis asseruata & vsurpata fuit: nonnunq̃ solius vini, maximè infantibus atq; eiusmodi morbo correptis, vt nihil esculentũ admitterent, data atq; porrecta fuit: atq; quælibet eiuscemodi cõmunio semper pro Christiana & sufficiente habita est.

Quid Paulus, hac oratiõe, Quicunque manducauerit panẽ hũc, vel biberit calicem Domini indignè, significet.

Quò quidem (meo iudicio) nõ parùm facit (quicquid tandẽ Melanchth... dicat) etiam illa Pauli sententia 1. Cor. 11. vbì sic habet: Quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Dñi. Audis enim hîc eum dicentem, ꝙ quicunq; vel ederit, vel biberit indignè, eum & corporis & sanguinis Dñi reum fieri. Qua dictione (vel) disiunctiua Apostolus hauddubiò à contrario sensu subindicare voluit, ꝙ quisquis vel hunc panẽ dignè manducauerit, vel calicem hunc dignè biberit, iustitiam & vitam edat atq; bibat: quemadmodùm hæc Apostoli sententia infrà susiùs explicabitur, & Melanchthonis glossa, quam in eam cudit, confutabitur.

EORVM, QVAE IAM DICTA SVNT, VERITAS COLLATIONE TYPORVM CVM HOC V. SACRAMENTO, ADSTRVITVR.

CAP. II.

Typi veteris Instrumenti, Manna & petra in deserto, qbus hæc Sacramenta correspondent, id indicant, sub altera specie tantundem quãtũ sub vtraq; accipi.

POstremò hæc ità se habere, vterq; ille in veteri Instrumẽto cõmendatus, huius vtriusq; in nouo testamento institutæ speciei V. Sacramenti typus, multò etiam apertiùs indicat: videlicet manna, quod consentaneum inprimis gessit typũ corporis Christi sub panis specie: & aqua in eremo ex petra manans, quæ æquè cõmodus fuit typus sanguinis Christi sub vini specie: vtì Apostolus ipse testis est 1. Cor. 10. Obserua eñ, vt Dñs olim hos duos typos populo Israelitico in deserto prebuerit, ac deindè cõfer illam figurarũ exhibitionẽ vel p̃stationẽ cum hac rerũ figuratarũ ac significatarum planeq; verarũ exhibitione, & luculenter indè comperies, quàm pulchrè hæ diuinæ exhibitiones iuxta figurarum & rerum figura-

guratarum analogiam mutuò sibi correspondeant atq; consentiát.

Vt enim in aperto est, Dominus in eremo Israelitis sub veteri Instrumento non simul manna & aquam è petra dedit. Primò nanque manna, quod scriptura panem cæli nominat, in spiritalem alimoniam eis contulit, Exo.16. Posteà verò, aliqua intercedéte mora, etiá aquá è petra, Mosis virga percussa, eis prœstitit in spiritale alimentum. Exod.17. Obserua porrò, vt harum figurarum quœlibet singulatìm, nó autem vtraq; demùm coniunctìm, totum ac indiuiduum Christú significârit: manna quidem, vt Christus ipse testatur Iohan.6. Aqua autem è petra, vt Apostolus testis est 1.Cor.10. Deniquè obserua, vt Israelitæ in harum figurarum vnaqualibet tum temporis adhuc venturum Christum Dominum integrum ac indistractum in fide spiritaliter perceperint, vtì nos eum hodiè sub vtralibet specie substantialiter accipimus. In manna enim, etiam antè quàm Dominus è petra aquam illis prœberet, omnia iam habebant, vt Sapientiæ 16. cap. scriptum est his verbis: Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo prœstitisti illis sinè labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas, & deseruiens vniuscuiusq; voluntati, ad quod volebat quisq; conuertebatur &c. Nota hîc, manna omne in se habuisse delectamentum & omnem saporis suauitatem, & vnumquenq; pro sua voluntate in eo quicquid voluisset, esse adeptum. Idem testatur Apostolus de petra aquá manante, eam totum ac indistractum Christum significâsse, & spirituales Israelitas illum ex ea bibisse. Bibebant autem, inquit, de spirituali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus. primæ Corinth. decimo.

Dominus nó dedit simul eodem tépore manna & aquam è petra Israelitis.

Quodlibet horum totú Christú significauit.

Atq; Israelitæ sub horú quolibet totum Dominú intellexere, & accepere spiritaliter.

Manna pro cuiusq; desiderio omne delectamentum & omné suauitaté in se habuit.

Petra significauit totum Christum.

Hœc ergò omnia si quis probè consíderet, nimirùm animaduertit, quàm pulchrè & apposítè hæ figurœ vtrique huius V. Sacramenti speciei, quam desígnârunt, respondeant & cósentiant. Vt enim olim Deus Israelitis non simul prœstitit manna & aquam è petra, ità etiam CHRISTVS non simul accepit panem & vinum, & dixit: Hoc est corpus meum & sanguis meus: neque ea discipulis suis simul tribuit & porrexit: sed primò corpus suum inter cœnandum, sanguiné verò iam cœna peracta, vt suprà identidèm dictú est. Deindè vt quœli-

Explicantur ea quæ de typorum & per eos significatorum sacramentorú collatione dicta sunt.

bet illarum duarum figurarum totum ac indiuisum Christum populo Israëlitico significauit & expressit:ità nos quoquè necesse est Christum ipsum integrum ac indissectum sub qualibet Eucharistiæ specie habere substátialiter. Ad hæc, sicut Israëlitæ sub vnaquaq; harum figurarum Christum integrum ac indistractum, adhuc quandoquè venturum, per fidem typicè percepêre: sic nos citra dubium hodiè eundem Christũ omninò integrum ac indiuisum sub qualibet V. Sacramenti specie perfectè & realiter seu re vera accipimus. Deniq; vt illud veteris Instrumenti manna omnem saporis suauitatẽ habuit, ità vt quilibet è populo Israëlitico pro voto in eo quicqd vellet obtineret: ità nimirùm ac multò etiam magìs noui testamenti manna, quod est Eucharistia sub panis specie, quicquid vel optare vel expetere possimus, in se substantialiter habeat necessum est. Debent enim figuræ necessariò respondere veris illis rebus per ipsas significatis siue præfiguratis: nec typi plus aliquid significatiuè vel typicè, quàm res ipsæ, quarũ typi sunt, realiter in se continere debent: nisi asserere velimus, quod nefas sit, Iudæos olim in typis plus esse consecutos spiritaliter, quàm nos hodiè in diuinis mysterijs & sacramentis accipiamus substantialiter.

Memorabilia Philõis & Iosephi de mãna testimonia.

Et est sanè notatu dignum, quod duo illi inter Hebręos facilè principes ac pręcipui, Philo & Iosephus, de mãna literis cõsignârũt. Iosephus quidem lib. 3. his vtitur verbis: *A Deo*, inquit, *& incredibilis erat hic cibus: cuius hæc natura est, vt qui hunc habet, alium non desideret:* Et post pauca: *Atq; ità perpetuum gaudium & securitatem per hũc cibum sunt adepti.* Philo autẽ libro, Quòd deterius potiori insidiari soleat, ait, per *manna quiddam generalißimum intelligi, id est, veram panaceam, escarum omnium ingenium & saporem continens*: quandoquidem omne delectamentum pro cuiuscunq; illud cum fide percipientis voto & voluntate in se habebat.

Manna cur coriandri semini assimile fuerit.

Multò etiam illud dignius notatu est, hucque non parùm facit, quod idem Philo lib. 2. Allegoriarum legis indicat, *propterea semini coriandri manna fuisse simile*, (nõ dubium, quin ex singulari Dei prouidentia ac ordinatione) *quòd huius seminis ea natura sit, vt etiamsi cõcidatur minutißimè, singulæ portiunculæ & micæ satæ germinent, non secùs quàm coriandrum* (vel corianũ) *solidum*. Cùm igitur Dñs mannæ, ceu figurę,

ciusmo-

eiusmodi seminis coriandri formam & figuram præbuerit, quò indè animaduerteret populus ille Israëliticus, ipsius efficientiam non in externa copia & multitudine, sed in occulta Dei virtute sitam esse, vti etiam peculiariter hoc de illo scriptura testatur his verbis: Nec qui plus collegerat, habuit ampliùs: nec qui minùs parauerat, reperit minùs: ecquis tandèm dubitare possit, V. Sacramentum sub panis specie, ceu rem illam veram, cuius manna typus tantùm fuit, hanc conditionem vel proprietatem longè excellentiùs & conuenientiùs habere? adeò vt etiam in minima quaq; eius particula vel frustulo tota ac integra ipsius totius V. Sacraméti vis & virtus, immò Christus ipse totus ac integer sit: atq; in illis, qui etiam in huiusmodi exiguis particulis illud dignè percipiunt, per fidẽ in charitate fundati, vbertìm germinet, excrescat, & spiritales ac salutiferos proferat fructus, nec minùs quidem, quàm si eius partes multo maiores, secundùm externas species accepissent: idq; maximè hac cõsideratione, quòd Christus omninò inseparabilis & indiuiduus est. Exod.16. Ephes.3.

QVOD IN MINIMA QVAQVE EVCHARISTIAE PARTICVLA TOTVS SIT CHRISTVS, LVCVLENTA EX PATRIBVS ASSERTIO.

NEc est sanè, cur cuiquam hoc meum argumentum insolens & exoticum esse videatur: cùm ex hoc ipso sancti patres apud se statuerint, & expresſè prætereà, ceu Dei verbum, docuerint: quo etiam Aduersariorũ nostrorum error manifestè confutatur ac destruitur: nempè, V. Sacramentum nedùm sub vna specie in consecrata ac indiuisa hostia, sed etiam in minima qualibet eiusdem vnius speciei particula, perfectè, integrè ac salutariter accipi. CAP.12. A mĩna probãt Patres, in qualibet minima V. Sacramenti particula totũ esse Christum.

Testatur id principiò insignis ille martyr CYPRIANVS lib.4. Episto.7. & quidem elegantissimè ac luculentissimè: ipsamq; Epistolam hoc pacto orditur, quo etiam tota deincèps Epistola nititur: Nos, inquit, *quantùm concipit mediocritas nostra, existimamus, in nullo mutilari & debilitari posse beneficia diuina, nec minus aliquid illic posse cõ-*

tingere, ubi plena & tota fide & dantis & sumentis accipitur, quod diuinis muneribus hauritur. Pergit indè, atq; inter cętera sic dicit: *In sacramentis salutaribus, necessitate cogente & Deo indulgentiam suam largiente, totum credentibus conferunt diuina compendia.* Id verò ceu per exempla porrò confirmat, maximè per hoc V. Sacramentum: *Spiritus sanctus, inquit, non de mensura datur, sed super credentes totus infunditur. Nam si dies omnibus æqualiter nascitur, & si sol super omnes pari & æquali luce diffunditur, quanto magis Christus sol & dies uerus, in Ecclesia sua lumen uitæ æternæ pari æqualitate largitur? Cuius æqualitatis sacramentum uidemus in Exodo esse celebratum, cùm de cælo manna difflueret, & futurorum præfiguratione alimentum panis cælestis, cibum Christi uenientis ostenderet. Illic enim sinè discrimine uel sexûs, uel ætatis, gomor à singulis æqualiter colligebatur. Vndè apparebat, Christi indulgentiam & cælestem gratiam postmodùm secuturã, æqualiter omnibus diuidi: sinè sexûs uarietate, sinè annorum discrimine, sinè acceptione personæ super omnẽ Dei populum spiritalis gratiam muneris infundi.*

Gratia Spiritus sancti non cõfertur manca ac mutila.

Exod. 16. Manna.

Sermone quoquè de Cœna Domini: *Vna, ait, est domus Ecclesiæ, in qua agnus editur: nullus ei communicat, quem Israelitici nominis generositas non commendat. Huius panis figura fuit manna, quod in deserto pluit, & si, ubi ad uerum panem in terra promissionis uentum est, cibus ille defecit.* Et pòst pauca: *Panis iste angelorum omne delectamentum habens uirtute mirifica, omnibus qui dignè & deuotè sumunt, secundùm suum desiderium sapit, & ampliùs quàm manna illud eremi implet & satiat edentium appetitus, & omnia carnalium saporum iritamenta, & omnium exuperat dulcedinum uoluptates.*

In vna Ecclesiæ domo agnus in sacramẽto editur.

Manna. Psal. 77.

Explicat hæc multò etiam expressiùs & pulchriùs D. EVSEBIVS EMISENVS Homilia 5. de Pascha, his verbis: *Quòd illius legis manna, de quo legitur: Pluit illis manna ut ederent, hoc unicuiq; sapiebat quod desiderijs concupisset: aliud erat quod sumebatur, aliud quod uidebatur, & inuisibiliter sapor ille in singulorum sensibus formabatur. Ergò illud legis mãna cælitùs illapsum, per multimodas suauitates naturæ suæ meritũ, et generis sui excedebat intuitũ: & cùm creaturã suã dispensatio largitoris multiplici*

tiplici

tiplici diuersitate condiret, præbebat gustus quod ignorabat adspectus. Iuxta percipientis desiderium escæ illi nouitas & dignitas nascebatur, unumquenq; uarijs & alienis saporibus reficiebat mellifluum pluuiæ illius donũ, & multiplex sicci imbris obsequium. Quæ cùm ità sint, quod illic auiditas faciebat, hic fides faciat. Manna, siccus imber.

Et paulò infrà: *Ad cognoscendũ & percipiendũ sacrificiũ ueri corporis, ipsa te roboret potẽtia consecrãtis. Qui tunc latuit præfiguratus in mãna, sit tibi manifestatus in gratia. Ipsum aũt fuisse in mãnæ illius specie præsignatum, etiã pphetа euidenter ostendit, dicẽs: Panẽ cæli dedit eis, panẽ angelorũ mãducauit homo. Et qs panis angelorũ, nisi Christus &c?* Et paulò pòst: *de quo pane (i. manna) uetus narrat historia, nec q plùs collegerat, amplius: nec qui minùs parauerat, reperit minùs: eò q Eucharistiæ sacra pceptio nõ in quãtitate, sed in uirtute cõsistat: Quod corpus, sacerdote dispẽsante, tãtum est in exiguo, quãtũ esse cõstat in toto: quod cùm ecclesia fideliũ sumit, sicut plenũ in uniuersis, ità integrũ pbaſ esse in singulis. De quo sensu apostolica sentẽtia deriuata est, dicẽs: Qui multa, nõ abundabit: & qui modicũ, nõ minorabit. Si fortè panes esuriẽtibus apponeremus, non ex toto perueniret ad singulos: qa particulatim & minutatim p portione sua unusquisq; præsumeret. De hoc uerò pane cùm assumitur, nihilo minùs habent singuli q̃ uniuersi: totũ unus, totũ duo, totum plures sinè diminutione percipiunt: quia benedictio huius sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi.* Psal. 77. Panis angelorũ, Christus. Exod. 16. 2. Cor. 8. Discrimẽ inter panẽ cõmunẽ, & hũc cœlestem.

CHRYSOSTOMVS eundem in modum loquitur de manna Homilia, cuius titulus est, Quòd nemo læditur, nisi à seipso, dicens, *hanc mannæ naturam fuisse, ut esset cibus quotidiè nouus, & saporem sui pro desiderio uescentium subministrans.* Intellige hæc de externarũ specierum distributiõe.

HIERONYMVS his scribit consimilia in Psalmum 147. *Iudæi,* inquit, *tradunt: quoniã mãna quandò comedebãt, secũdùm uoluntatẽ uniuscuiusq; sic sapiebat in ore: ac si dixisset, Qui mãna comedebat, si desiderabat mala, si pirũ, si uuam, si panẽ, si carnes, secundùm qualitatẽ & uoluntatem comedentis, ità & sapor in manna erat.* Et in Psalmum 67. *Per quẽ tunc,* ait, *in Sina huic generationi manna defluxit, ipse Christianæ genti corporis sanguinisq; sui manna in Ecclesia subministrat.* Et in l. c. Singuli, de Manna pro cuiusq; desiderio sapuit.

Confe-

In qualibet V. sacramenti portione Christus integer est.

Consec. Distin. 2. vt illi Gratianus adscribit, hęc eius verba legũtur: *Singuli autem totum accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est: nec per singulos minuitur, sed integrũ se in singulis præbet.* Concordat his HILARIVS PAPA in c. Vbi pars est corporis, ead. Distinct. *Vbi pars,* inquit, *est corporis, est & totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figura præcessit, de quo dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus parauerat, habuit minùs. Non enim est quantitas uisibilis in hoc æstimanda mysterio, sed uirtus sacramenti spiritualis.* Hactenùs Papa Hilarius.

Exod. 16.

GRAECVS INTERPRES, quem B. Thomas Aquinâs in Catena citat, in cap. 22. Lucæ, in ea verba: Et accepto pane &c. sic habet: *Totum autem corpus & sanguinem Domini suscipit, etiamsi mysteriorum partem accipiat. Sicut enim unum sigillum diuersis totam suam figuram impartitur, & integrum manet post distributionem: & sicut una uox penetrat ad multorum auditus: sic nulli dubiũ sit, corpus & sanguinem Domini totũ in omnibus reperiri. Fractio autem panis uenerandi, passionem significat.* Hæc ille Græcus interpres.

A simili.

Fractio externæ speciei quid significet.

His omnibus conuenienter nos instituit PASCHASIVS libello de Sacramẽto altaris, ante annos 700. edito, cap. 17. his verbis: *Nõ est enim quantitas uisibilis in hoc æstimanda mysterio, sed uirtus sacramenti spiritalis: sicut nec quantitas hominis Christi metienda in corpore, sed uirtus in eo & diuinitas consideranda.* Et infrà: *Et ideò fili hoc mysteriũ dum communicas, dilata sinum mentis tuæ, emunda conscientiam, & percipe non quantum mica exhibet, sed quantum fides capiat.*

Claruit tẽporibus Caroli Crassi Imperatoris, Anno 881.

Videtur respexisse ad illud D. Cypriani li. 2. Epist. 3. Quãtũ illic fidei capacis afferimus (loquitur de baptismo) tantũ indè gratiæ inundantis haurimus. Et rursus Episto la 6. De Deo: Dans creden. tibus tãtum, quantum se credit capere qui sumit.

Deindè ante annos quadringẽtos PETRVS LOMBARDVS Episcopus Parisieñ, quem Magistrum Sententiarum vocant, (vir, crede mihi, neutiquàm vulgaris, sed cumprimìs excellens) suprà dictam catholicæ Ecclesiæ sententiam, ad ipsius vsq; ætatem ex eorum, quos iam diximus, aliorumq; sanctorum Patrum doctrina apud Christianos omnes ceu per manus traditam atq; deuolutam, perspicuis tradit verbis lib. 4. Distinct. 11. *Sub utraq;,* inquit, *specie totus sumitur Christus, nec plus sub utraque, nec minùs sub altera tantùm sumitur.* Citat eò Hilarium Papam & locum ex Exodi 16. cap. quorum suprà meminimus.

mus. Quòd verò illic subijcit, *Nec debent dici duo sacramenta, sed vnu: quia sub vtraq; specie idem sumitur*: intelligendum est, quemadmodùm seipsum declarat, Nempe vnũ dicendũ esse ratione rei contentę, quæ non diuiditur per duas species: & si interìm ratione diuersorum elementorũ seu signorum, (quæ Augustino propriè sacramenta vocantur, vt sacramentũ à re sacramenti distinguitur) diuersarũq; etiam sacramétalium formarũ diuinę consecratiõis, sint duo perfecta sacramenta: quorum singula idem continent, & vnum tantundem, quantum ambo.

Porrò Dist. 12. ex D. Augustino testatum efficit, *fractionẽ & partitionem sacramenti non in substantia corporis Christi, sed in sacramento*, id est, in specie fieri. Dicit eñ Augustinus Sermone de verbis Euãgelij huncin modũ: *Nec quãdò mãducamus* (Christũ,) *partes de illo facimus: & quidem in sacramento fit sic* (i. externa specie.) Item: *Nôrunt fideles, quomodò manducent carnem Christi. unusquisq; accipit partem suam. Vndè & ipsa gratia, partes uocantur. Per partes manducatur, & manet integer totus: per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cælo, manet integer totus in corde tuo.* Fractio Eucharistiæ solũ fit in specie. Cur cõsecratæ hostiæ, partes vocentur.

Hanc fidem hodieq; CHRISTI CATHOLICA ECCLESIA in tota Europa hoc pijssimo insigniq; cantico profitetur: Ex egregia illa Prosa rhythmica, Lauda Sion Saluatorem &c.

Caro cibus, sanguis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraq; specie.
A sumente non concisus,
Non confractus, non diuisus,
Integer accipitur.
Sumit unus, sumunt mille:
Quantum iste, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.
Et paulò pòst:
Fracto demùm sacramento,
Nè uacilles, sed memento,
Tantum esse sub fragmento,

Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura,
Signi tantùm fit fractura,
Qua nec status, nec statura
Signati minuitur.

Hactenùs ex illa Ecclesiæ cantione.

Hæc igitur vniuersæ Christi Ecclesię tot iam seculis certa ac indubitata fides est, quam illi, qui partis aduersæ sunt, quãdoquè nobiscũ ex animo professi sunt. Quí verò & quo iudicio vel ratiõe eã posteà sua defectione & apostasia abiurârint, tibi Lector cogitandum, atq; illis etiam atq; etiam pensitandum relinquo.

HEBRAEOS ANTE NATVM CHRISTVM RECTIVS HINC SENSISSE, ATQVÈ NOSTROS ADVERSARIOS.

CAP. 13.

EQuidem id pro comperto habeo, Iudęorũ quondàm Rabinos aliquot diuino spiritu aliquanto largiùs perfusos & imbutos, de Messiæ sub vnaqualibet futuri V. Sacramẽti specie præsentia, ante ipsius Messiæ aduentũ longè rectiùs sensisse & credidisse, atquè Melanchthon etiamnùm sentiat, quandò tamen Chrs iam tot ante secula venit, & quidnã de ipsius V. Sacramẽto credẽdum sit, suis ipse verbis sanè illustribus indicauit. Nec possum cõmittere, quin RABBI CAHANA, qui longè ante Christi natiuitatẽ fuit, testimonium huc adscribam, à Petro Galatino viro excellentissimo, li. 10. de Arcanis Catholicæ veritatis, cap. 6. his verbis recitato: *In illud Gen. 49: Ligãs ad uitem* [* *pallũ suũ,*] *ciuitatem suã, & ad palmitem, ô fili mi asinum suum. Lauabit in uino uestem suam, & in sanguine uuæ pallium suũ. Rubriores sunt oculi eius uino, & dentes eius lacte candidiores.* Vbi sic Rabbi Cahana ait: *Hæc uerba, Ligans ad uitem ciuitatem suam, ostẽdunt, quòd sacrificium quod fiet ex uino, non solùm transmutabitur in substantiam sanguinis Messiæ, sed etiam cõuertetur in substantiã corporis eius. Verba autem illa, Et ad palmitem ò fili mi asinum suum, significant quòd diuinitas & Dei filius unietur asino, i. materiæ suæ: quoniam Hamor, id est, asinus,*

[Insigne pphe ticũ testimoniũ cuiusdam Hebræorum Rabini, q ante Christũnatũ extitit: quo crassus Ad-]

materialis interpretatur. Quemadmodùm etiam asinus fert onera & uestes uiatorum, ità rex Meßias delicta totius orbis super se portabit, iuxta illud Esaiæ 53. cap. dictum: Et Deus obuiare fecit in eo peccatum omnium nostrûm. Cùm autem dicitur, Lauabit in uino uestem suam, & in sanguine uuæ pallium suum, eadem est sententia diuersis uerbis: quoniam uestis dicit materiam, sicut dictum est Iob 10. *cap. Pelle & carne uestisti me. Et in sanguine uuæ pallium suum, id est, diuinitatem suam. Quia sicut pallium totum hominem circundat, ità Deus totum replet mundum. Rubriores sunt oculi eius uino, & dentes eius lacte candidiores: hoc est, In sacrificio, quod fiet ex pane, non obstante quòd album sit uelut lac, cõuertetur substantia in substantiam corporis Meßiæ, eritq́; in ipso sacrificio substantia sanguinis Meßiæ rubra ut uinum. Erunt item in sacrificio uini, sanguis & caro Meßiæ, & eadem erunt in pane: quoniam corpus Meßiæ non potest diuidi. Idq́; ratio postulat. Nam si caro & sanguis diuisa essent, distinguerentur abinuicem. Corpus autem Meßiæ non potest diuidi, sicut scriptum est* Exod. 12: *Et substantiam non confringetis in eo. Præterea caro sine sanguine, & econuersò, sunt res mortuæ. Corpus uerò Meßiæ post resurrectionem, quia glorificatum erit, semper uiuet. Et hinc est dictum illud: Dauid rex Israel in seculum uiuit. Oculi autem & dentes ideò dixit, ut uenustior fiat oratio, & sensus occultetur.*

Adversariorum error arguitur & condemnatur.

Rabbi iste dictionem illã hebraicã, Iro, (quæ apud Hebræos pro duplici punctatione, duo quædã significat, nempe, pullũ, & ciuitatẽ) pro ciuitate accepit.

Nota contra Aduersarios nostros.

Dictio Hebraica, Hecezẽ, & substantiam significat, & os.

Hæc ad verbum Rabbi ille Cahana.

Quòd autem dicit corpus Meßiæ post resurrectionem fore semper uiuum, ideò est, quia (ut suprà latiùs probatum est) prisci Hebræorum aiunt, unum de Meßiæ nominibus esse Dauid: idq́; potißimùm Ieremiæ testimonio probant, 30. cap. ità dicentis: Et seruient Domino Deo suo, & Dauid regi quem suscitabo eis: quæ quidem uerba, Quem suscitabo eis, non de ipso Dauid, qui longè antè præcesserat, sed de Meßia intelligi debere dicunt. Quapropter Rabbi Cahana rectè dixit, hinc esse arcanũ illud, Dauid rex Israel semper uiuit.

Hæc sunt Petri Galatini.

Apud priscos Hebræos mysterium illud fuit, Dauid regẽ semper victurũ, vtq́; id accipiendum sit.

Huic Rabbi si vsq; ad venturi Messiæ, Domini nostri Iesu Christi, & eius apostolorum tempora in humanis agere licuisset, haud-

dubiè, vt ex his cernere licet, non ille tam fuisset incredulus, vt Melanchthon & qui cum illo sentiunt: quin libenter ille credidisset, id quod Christi Catholica Ecclesia magna consensione confitetur, sub vnaqualibet specie V. Sacramenti, totum Messiam integrè & perfectè & esse & accipi: sicque Eucharistiæ sub altera specie perceptione, vtì probè fidelis, benè cótentus fuisset: neq; perindè vt modicę fidei Aduersarij nostri, vtriusq; speciei sumptionem, contra Ecclesiæ decretum, grauissimas ob causas matura cum deliberatione prudenter ac piè editum & constitutum, vt posteà abundè docebimus, tam importunè, proteruè & procaciter vrsisset.

COMMVNIONEM ALTERIVS SPECIEI, CVM CHRISTI TESTAMENTO, INSTITVTIONE ET MANDATO MINIME PVGNARE.

CAP. 14.

BVcerus, homo deploratæ memorię, Melãchthon & Andreas Friccius, quandoquidem palàm asserere non audent, sub altera specie non tantundem haberi substantialiter, quantum sub vtraq;: licèt hac in parte, Melanchthon pręsertim, prauam animi sui opinionem & sententiam cordatioribus & intelligentibus satìs prodant, communióem alterius speciei hac potissimùm causa, quam ipsi iustam putant, sibi impugnandam sumunt, quòd etiamsi tantum esset sub vna, quantum sub vtraque specie, nihilo minùs diuina poscat & flagitet institutio, vt vtraque species cũctis è religione Christianis porrigatur: atque eam ob rem hanc institutionem retinendam censent, nec ob vlla hominum commenta ab ea discedendum &c. Ità illi ea omnia, quæ hactenùs in hoc Articulo à me prolata sunt, pro hominũ commentis, non pro Dei verbo, tametsi Catholica Chrĩ Ecclesia, non alio quàm verbi Dei loco semper ea accepit, habere volunt. Huc verò tria pręcipuè scripturæ loco adhibent ac proferunt: Primò illa Domini verba, Bibite ex hoc omnes. Deindè ea quæ sequuntur, eiusdem Domini verba: Hoc facite in meam commemorationem. Postremò verba illa Apostoli: Probet

Præcipuũ Aduersæ partis argumẽtũ cõtra alterius speciei communionem.

bet autem ſeipſum homo,& ſic de pane illo edat, & de calice bibat: quæ quidem Apoſtoli verba,licèt abſq; vlla ratione, tamen eò torquere nituntur, Melanchthon inprimìs, tanquàm præcipiendi vim habeant,quibus Chriſtianos omnes parére neceſsè ſit,atq; ità vtrāq; ſpeciem ſumere,i.panem edere & calicem bibere.

Quanuìs autem cordatus quiſq; & intelligens ex ijs,quæ antè diximus, facilè animaduertat, homines iſtos ex illa ſemèl animo concepta ſcripturæ diuinæ praua intelligentia pertinaciter à vero aberrare, & alios porrò in erroré inducere,nihilo minùs viſum eſt Articulum hunc paulò fuſiùs explicare.Et principiò quidem,niſi me fallunt omnia,nemo eruditus id inficiàs ire auſus erit,quod partìm iam antè attigimus,ſi quidem Dominus poſt ea verba, Bibite ex hoc oẽs, verba illa ſequentia, Hoc facite in meam commemorationem, ſuis Apoſtolis (cum quibus ſolis,vt antè annotatum eſt, ſuam fecit cœnam) locutus non eſſet, iam ſanè Aduerſarios ex eo, quem ſibi prætexunt,fuco nullam habere cauſam vel rationem ea ipſa verba, Bibite ex hoc omnes,(vt quę tum ſolis Apoſtolis Dominus dixerit, quẽadmodùm ea quę apud Marcum ſequuntur,Et biberunt ex illo oẽs, de ſolis nimirùm Apoſtolis dicta, clariſſimè indicant) ad Chriſtianos omnes detorquendi. Quia verò poſt miniſtratum calicem Dominus eis dixit,Hoc facite in meĩ commemorationem, indè illi iam inferre moliuntur,id quod Dominus tunc fecerit, (quod illi de Euchariſtia ſub vtraq; ſpecie adminiſtranda duntaxat accipi volũt) etiã Apoſtolos & eorum ſucceſſores, huius ratione mandati, etiam ſinè medio facere neceſſariò oportere:maximè cùm Apoſtoli in illa Domini cœna non ſacerdotum, ſed totius Eccleſiæ & Chriſtianorum omnium perſonam ſuſtinuerint. Indè adeò eſt,quòd Bucerus, qui quidem dum eſſet in humanis,inter Aduerſarios facilè acutiſſimus, verſutiſſimus & callidiſſimus fuit,qualem ego quidem eum habui, (non autem vt infidus ille rerum & negociorum ſacri Imperij explorator Iohannes Sleidanus libro illo ſuo mendacijs referto, De ſtatu Religionis & Reipub.ſub Carolo V.Imperatore, falsò mihi affingit) quòd is,inquam,Bucerus (cùm authore Medmāno,me & bonis viris omnibus nedùm inſcijs,ſed etiam inuitis,in hanc diœceſim vnà cum Melanchthone,Hedione,& eius farinæ alijs, non abſq; ingenti mi-

Dilutio.

2.Tim.3.

Ex verbis illis,Bibite ex hoc omnes, cùm Aduerſarij nihil extorquere queãt,ea quæ ſequuntur, Hoc facite in meam cõmemorationem, torquenda ſibi ſumunt.

Vide reſponſionem meã ad Buceri calumnias, Cæſareæ Maie-

ſeria

stati An. 1545. nuncupatam & typis excusam.

seria & calamitate, quæ indè extitêre quidem, sed tamē Dei benignitate rursus sopitę sunt & profligatæ, temerè ac prętēdēter irrepsisset) in prętensa defensione deliberandę illius ter execrandę deformationis, cuius ille quidem architectus tum fuerat, sed non suo, verùm alio longè sublimiori nomine per hanc diœcesim veteratoriè spargi ac diuulgari curauit, sub hoc titulo, De vtraq; specie in cœna administranda &c. alia scripturæ loca penè omnia, vtpotè ex quibus nihil se speraret extorquere posse, missa fecit, potissimùm autem ac pręcipuè his Domini verbis, Hoc facite in mei commemorationem, eò inflectendis, contorquendis ac vi pertrahendis sese torquet & occupat, vt eam illa necessariò pro se ferre videantur significationem, tanquàm ijs Dominus Apostolis & eorum successoribus generale & minimè obscurum dederit mandatum, vt Eucharistiam sub vtraque specie Christianis omnibus, haud alitèr quàm eam ipse eis porrexisset, deincèps nouerint necessariò porrigendam, nisi contra ipsius præceptum venirę velint. Quamobrem sanè necessariū fuerit, vt hæc Domini antè memorata verba ab hac extorta & coacta intelligentia vēdicemus, vtq; ea pro germana certaq; sententia sua accipiēda sint, explicemus: ac deindè etiam Apostoli verba tractemus, & aduersariorū cauilla & argutationes diluamus,

DOMINVM HIS VERBIS, HOC FACITE IN MEI COMMEMORATIONEM, NOVI TESTAMENTI SACERDOTIVM INSTITVISSE, SVISQVE APOSTOLIS ILLIS IPSIS TRIPLICEM CONTVLISSE POTESTATEM.

CAP. 15. Genuina verborum illorum, Hoc facite in mei cō memorationem, intelligentia, qui eruenda.

QVisquis in Christi Euangelijs descriptam Dominicæ cœnæ pręparationem, diuinam huius V. Sacramenti institutionem, totamq́; illam actionem, inprimìs autem ea Domini verba quibus ad eam vsus est, quidq́; ijs nobis significare & innuere voluerit, accuratè inspicit, & religiosa animi pietate ac deuotione perpendit & pensiculat: tū quoquè per

per ordinem patres alios post alios ad Apostolos vsq; reuoluit, atque apud illos perquirit & explorat, vt memorata Domini verba, Hoc facite in meî commemorationem, in Christi Ecclesia semper accepta & intellecta sint, (vtì quilibet piè & religiosè Christianus ex ea prophetica admonitione facere tenetur: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicét tibi) is proculdubiò comperiet verba hæc quę Dominus duodecim Apostolis locutus est, non perindè ad Christianos omnes, vt ad Apostolos & eorum successores, i. sacerdotes posse pertinere. Quod vt planum testatumq; faciamus, citra vllam dubitationem id verissimum est, nec negari potest, Dominum hisce diuinis verbis suis, ante passionem suam veteris testaméti sacerdotium, ceu pręuiam vmbram & figuram, antiquare & abrogare voluisse, vtì etiam reuerà fecit, atq; in eius locum noui testamenti sacerdotium substituere, deincèps ad ipsius vsq; reditum duraturũ, suosq; Apostolos in eiusmodi sacerdotij noui testamenti sacerdotes consecrâsse ac ordinâsse, eisq; & eorum successoribus, i. presbyteris siue sacerdotibus, eò legitimè & ordine vocatis, triplicem quandam diuinam potestatem & authoritatem, quam non perindè omnibus prębuerit, contulisse & attribuisse: vt si rectè consideres, sint magìs verba potestatem tradentis, q̃ præcipientis. Sunt auté hę potestates:

Deut. 32.

Christus his verbis priscæ legis sacerdotium abrogauit, & nouum instituit: Apostolos suos sacerdotes ordinauit, iisq; & eorum successoribus triplicem cõtulit potestaté.

Potestas

1. Prima, vt verum corpus & sanguinem eius ex pane & vino aqua mixto, virtute & facultate diuinorum verborum ipsius, perindè vt ipse fecit, possint conficere & consecrare.

2 Altera, vt eiusmodi verum corpus & sanguinem eius in V. Sacramento, mox à diuina consecratione, in locum omnium priscæ legis sacrificiorum (quę ille his ceu vmbras luce, aboleuit) deincèps Deo patri ceu vnicum eiq; gratissimum & acceptissimum sacrificium toto orbe in ipsius memoriam, donec veniat, offerre queant.

3. Tertia, vt hoc sacrificium & hác hostiam, postq̃ immolata est, ipsi percipiant, atq; porrò, ceu cõstituti ac ordinati dispésatores mysteriorum Dei, etiam alijs Christianis, probatione priùs p̃cedente, ea ratione impertiantur, vt ea omnia, quę dñs in cruce pro nobis cęlesti patri suo in nostrî redemptionem obtulit, in sempiternam corporũ ac animarum salutem re vera & actu ipso consequantur.

Quæ nimirùm tria à Domino demandata ministeria, eiusmodi

sunt,

ſunt,vt non indiſcriminatìm per quoſlibet, ſed per ſolos apoſtolos & eorum ſucceſſores,i.ſacerdotes,ad ea legitimè vocatos, (modò in his expreſſæ Domini voluntati & ordinationi debeat ſatìs fieri) ſint adminiſtranda & expedienda:adeò vt Aduerſariorum aſſertio vana ſit & commentitia,dum aiunt, apoſtolos in illa ſuprema cœna non ſacerdotum,ſed ſolummodò vulgarium Chriſtianorum ſuſtinuiſſe perſonam,locumq; obtinuiſſe:actionemq; & functionem ſeu miniſterium ſacerdotum in hoc tractando V.Sacramento non pluris faciendam,quàm cuiuſlibet alterius Chriſtiani, Euchariſtiam duntaxat percipiẽtis:tum etiam in ea verba, Hoc facite in meî commemoratiõem,id ſolùm velle & exigere,quòd vtì Dominus Apoſtolis ſuis Euchariſtiam ſub vtraq; ſpecie prębuit,ità etiam miniſtri Eccleſiæ eandem Chriſtianis omnibus neceſſariò porrigere debeant:adeoq; ijſipſis verbis generatìm Chriſtianis omibus pręceptum eſſe, vt Euchariſtiam hac & non alia ratione percipiant.Quæ tamen omnia, vtì ab illis aſſeruntur,à vero prorſus abhorrent. Primò enim id negari non poteſt,longè aliud, multoq; maius & auguſtius hic Apoſtolis datum eſſe mandatum,quàm (iuxta Aduerſariorum aſſertioné)illud ſit quod iam iamq; memoratum eſt:neq; Chriſtianis omnibus communiter & ex æquo poſſe congruere,vt hanc triplicem ſibi vendicẽt & vſurpent poteſtatem,putà,Dominici corporis conſecrandi, offerendi,diſpenſandi.Deindè etiam illud concedendum eſt, eos qui nó conſecrant,ſiue illi ſacrifici ſint,ſiue laici, ex hoc Domini mandato nullam aliam ſibi vendicare poſſe authoritatem, ſiue poteſtatem, q̃ vt à ſacerdotibus ſacrificantibus & corpus Domini conficientibus, ceu diſpenſatoribus myſteriorum Dei,deuotè ac piè petant, vt Euchariſtiam ipſis præbeant, quò per eam res diuinas, quæ illa continentur,ſiue bona diuina ſub ipſa contenta, in ſuam ſalutem ſempiternam perfectè adipiſcantur.

Aſſertio Aduerſariorum multis modis vana & commentitia.

Ea verba, Hoc facite in mei commemorationem, quatenùs ad non ſacrificãtes ptineant.

Quæ cùm ità ſe habeant,equidem nihil ambigo,cordatum quemlibet,modò is Matthæi,Marci & Lucæ Euangelia in manus ſumere, vtq; ab illis Chriſti cœna deſcripta ſit, penſiculare velit,facilè re ipſa & exactè comperturum, poſteaquàm Dominus(veniẽte die azymorum,in qua neceſsè erat occídi paſcha, vt Lucas ait) ſuis mandauit Apoſtolis,vt illud ſcilicet paſcha,pro more priſcæ legis ipſi præpararent,

rarent,idemque hauddubiò,cùm iam præparatum esset, iuxta legis eiusdem ritum immolauit, & cum suis Apostolis ipse quoquè percepit,ac deindè ad hoc V.Sacramentum instituendum sese conferẽs, dixit:Hoc facite in meĩ commemorationem:his eum factis & dictis nihil aliud neq; indicare,neq; dicere voluisse, quàm si ità esset locutus:Hactenùs agnus paschalis & alia veteris Instrumenti sacrificia, quę corporis & sanguinis mei in peccatorum remissionem offerendum sacrificium,ceu typi quidam designârunt,immolata sunt:atquĩ cuncta hæc prisca sacrificia,ceu meræ quædam vmbrę, deincèps finẽ habebunt:nec vos posthàc pascha & id genus prioris testamenti hostias sacrabitis & offeretis,neq; iuxta Mosaicæ legis prǽscriptum sumetis & comedetis:sed,Hoc facite in meĩ commemorationem: Hoc facite,quod ego iam facio:i.deincèps prǽcedentium omnium typicorum sacrificiorum loco,corpus & sanguinem meum consecrabitis, offeretis & percipietis,eaq́; alijs fidelibus ea qua par est ratione impertiemini.

Christum in omniũ priscæ legis sacrificiorum locum,vnum dũtaxat instituisse sacrificium,facta dictaq; eius indicant.

DE PRIMA POTESTATE CORPORIS ET SANGVINIS DOMINICI CONFICIENDI.

CAP. 16.

ENimuerò solis Apostolis, & eorũ successoribus verbis sæpè dictis excellentissimam hanc diuinamq́; V.sacramenti consecrandi,& ex pane & vino aqua mixto,veri corporis & sanguinis eius conficiendi tributam esse authoritatem siue potestatem,vel indè potest intelligi,quòd neq; illi, neq; quisquã mortalium,immò nec vllus angelus,absq; eiusmodi singulari diuinoque Domini mandato tam supra omnem modum admirabile & supernaturale opus,quod rationem & intellectum omẽm longè superat, efficere & perpetrare posset:id quod sancti Patres ad vnum omnes ad ipsos vsq; Apostolos,concorditer testantur.

Absq; Domini singulari mãdato Apostolis tradito,nulla creatura posset eius corpus conficere.

DIONYSIVS AREOPAGITA luculenter ait: *Quocircà reuerèter simul & ex pontificali officio,quòd hostiam salutarem,quæ supra ipsum est,litet,se excusat,ad ipsum primo decenter exclamans:Tu dixisti: Hoc facite in meam commemorationem.Deindè tanto ministerio dignus fieri postulat,ut sacramenta sanctè conficiat.* Vide suprà fol. 77.

CCCC IVSTI-

IVSTINVS his ſcribit conſentanea: Apoſtoli, inquit, *in commentarijs ſuis, quæ Euangelia dicuntur, ità ſibi Chriſtum præcepiſſe tradiderunt, ut cibum hunc per preces ſermonis ipſius conſecrarent: cum accepto pane, cùm gratias egiſſet, dixiſſe:* Hoc *facite in meĩ memoriã.* Vide ſuprà fol. 86.

Verba diuinæ conſecrationis.

CYPRIANVS ſermõe de Cœna Domini: *Ex quo,* inquit, *à Domino dictum eſt, Hoc facite in meam commemoratiõem, Hæc eſt caro mea, &, Hic eſt ſanguis meus, quotieſcunquè his uerbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis & calix benedictione ſolenni ſacratus* &c. Vide ſuprà fol. 118.

BASILIVS in ſua Liturgia Chriſtum Dominum eum in modum inuocat, quo D. Dionyſius antè ſcripſerat: *Fac me,* inquit, *uirtute ſancti tui ſpiritûs idoneum, ut ſacerdotij gratia indutus, huic ſanctæ menſæ adſiſtam, & ſanctum & impollutum corpus tuum & ſanguinem precioſum conſecrem.* Itemq́; eundem Dominum his precatur verbis: *Propter tuam ineffabilem & immenſam benignitatem, citra ullam mutationem & conuerſionẽ homo factus es, &* Pontifex *noſter appellatus es, & huius miniſtratorij & incruenti ſacrificij conſecrationem nobis tradidiſti* &c. Vide ſuprà fol. 139.

Ratione poteſtatis conſecrandi corporis Chriſti, ſacerdotij miniſterium angelicæ anteſertur dignitati.

In eandẽ ſententiã ſcribunt reliqui Patres oẽs. Heſychius in Leuiticum lib. 2. cap. 8. Chryſoſtomus in Matthæũ, Homilia 83. & lib. 3. de Sacerdotio: quæ ſuprà citauimus: Ambroſius de ijs, qui initiantur myſterijs, cap. 9: & lib. 4. de Sacramẽtis, cap. 4: & Libro de dignitate ſacerdotali: Hieronymus ad Heliodorum: videlicet, conſecrationis actionem non niſi ad ſacerdotem ex Domini mandato pertinere: adeoq́; ipſum Dominum eſſe, qui ore ſacerdotis myſteria ſanctificet, conſecret & conficiat. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum, cap. 13: Noſter, inquit, panis & calix certa conſecratione myſticus fit nobis: ſinè qua non eſt ſacramentum religionis. Chryſoſtomus quoquè libro tertio de Sacerdotio, & Bernardus de Cœna Domini ad Petrum, ratione huius poteſtatis, ſacerdotium angelicæ præferunt dignitati.

Ex quibus id perspicuum fit, memorata illa mandantis Domini Verba, Hoc facite in meam commemorationem, ob hanc præcipuam authoritatem & potestatem, cui nulla alia possit æquiparari potestas, ad Laicos reliquosque omnes, non legitimè ad sacerdotij ministerium siue munus vocatos, nulla ex parte pertinere, vel posse referri: eosdemque huiusmodi potestatem vi verborum istorum non nisi per summam impietatem vllo pacto sibi posse vsurpare: qui verò impia ac nefaria temeritate id faciant, eos longè horribiliora manere supplicia, quàm olim Core, Dathan & Abiron, eorumque complices, quos repentino hiatu terra viuos absorpsit.

Non vocati legitimè ad sacerdotium, non possunt absq; summo Dei contemptu corpus Christi conficere. Num. 16.

Quemadmodùm ferè etiam præfecto Osuualdo in Comitatu Tyrolensi Sefeldæ quondàm accidit, qui tamen non pari se scelere obstrinxerat, sed ea tantùm in re quodam animi fastu & superbia peccârat, quòd non instàr subditorum suorum, sed perindè ut sacrificus, magnam hostiam à suo parocho, quem ui eò adegerat, modis omnibus porrigi sibi uellet. Cùm enim iam eiusmodi hostiam percepturus, ad aram accederet, repentè in saxum durißimum, quod ultra omnem admirationem ad illum deuorandum sese aperuit, toto fermè dimidio corpore immersus est, atque ægrè sanè deuotis sacrifici precibus & obsecrationibus ab ulteriori demersione seruatus est: at nihilo minùs paulò pòst tremulus & clinicus, multumq; dolens & pœnitens, diem clausit extremũ. Accidit hoc hominum etiamnùm superstitum ferè memoria. Equidem foramem illud saxi sese repentè aperientis, & ipsius Osuualdi tum manuum, tum digitorum relicta uestigia, omninò conspicua in ipso altaris lapide, (cui ea in illo extremo periculo & necessitudine, dum mergeretur, apposuerat, sese retinere uolens) ipsam quoquè hostiam, quam sacerdos illi rursus ex ore extrahere compulsus fuit, etiamdùm incorruptam meis ipse oculis inspexi: fuitq; reuerà id mihi horrendum stupendumq; spectaculum.

Terribile exemplũ quod nostris propè temporibus accidit, ante annos plùs minùs 80.

Quæ tamen, atq; eius generis alia horrenda supplicia & animaduersiones Aduersarij nostri floccipendunt: apud quos etiam illi, qui

Abominãda Aduersariorũ temeritas

sacrifici nõ sunt,nec ad hoc sublime ministerium, per Apostolorum successores Episcopos,ritè ac ordine vnquàm vocati sunt,non dubitant etiam sinè Ecclesiastica consecrationis forma, immani quadam & planè satanica temeritate corpus & sanguinem Domini conficere, pparare & porrigere alijs: cùm tamẽ nihil certius sit,quàm eos huius nullam habere potestatem,vel authoritatem,nec quicquam efficere aliud,quàm quod vel maximè sit Deo inuisum & abominabile: vtì patres omẽs testantur,atq; tandem in magno illo Lateranensi concilio definitum & decretum est his verbis: *Hoc vtiquè sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos fuerit ritè ordinatus secundùm claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis,& eorum successoribus Iesus Christus.* Hucusq; verba Concilij illius,in quibus per Apostolorum successores,Episcopi ritè ac ordine vocati accipiuntur,ad quos solos eiusmodi ordinatio pertinet:vtì Paulus testatur ad Titum,quem Cretæ Episcopũ instituerat,vt constitueret per ciuitates presbyteros,sicut ipse ei disposuerat:itemq; Epistolæ 1.ad Timo.cap.4.& 2.cap.1.Idem autem Cõcilium Lateranense postcà in generali illa Florentina Synodo, præsente Græcorum Ecclesia, denuò instauratum & approbatum est. Quin etiam multò antè in 2.Hispalensi Concilio,cap.2. definitũ est, *ordinatos ab alijs,quàm à veris Episcopis,* (intellige, qui secundùm seriem his,quos Apostoli Domini ordinauerunt,legitimè successerunt) *non consecrationis titulum,sed ignominiæ elogium percipere.*

Matth.16. Iohan.20. Tit.1.

Consule prolixam illam beatissimi Damasi,quẽ D.Hieronymus, vt notum est,tanti fecit,ad Episcopos Numidiæ aliosq; orthodoxos Episcopos hac de re scriptam Epistolam,quæ in eius Epistolis quartum obtinet locum,in qua ille multis locis pręclarissimisq; scripturę exemplis id probat efficaciter, ordinationes non ab legitimis factas Episcopis,prorsus irritas esse,nec posse hac ratione non legitimè ordinatis vllam sacerdotalem conferre potestatem:cum non possint eiusmodi temerarij homines alijs dare,quod ipsi non habeant. Hac de causa dubio pcul pius ille Eusebius Samosatenus Episcopus, cùm sua ætate sub immani illa Ariani Imperatoris Valẽtis tyrãnide,Ecclesias multas vacuas esse pastoribus cognouisset,militis habitu sumpto, quo se à tyrãno abscõderet,& capite Episcopali tiara,quã ex pileo fe-

Eusebius Samosatenus quid fecerit, nè catholicis deessent legitimi sacerdotes.

cerat,tecto,Syriam,Phœniciā & Palæstinam peragrauit, ordines vacuos in ecclesijs,presbyteris,diaconis,alijsq; sacris ministris supplés: vtì Nicephorus refert lib.11.cap.21. Vbì id obseruandum venit,licèt id temporis Ariana hæresis passìm dominaretur, non tamen ad eam barbaricam vastitatem ventum esse, vt quispiam præter episcopos, sacerdotum & aliorum ministrorum cósecrandorum sibi ius authoritatemq; vendicaret. Atq; etiamsi id quisquā ausus fuisset, Eusebius certè hoc tā prolixū,ipsiq; cūprimìs periculosum iter vel eo solo nomine emensus esset,nè catholici germaneq; Christiani absq; legitimis essent presbyteris,qui eis salubriter præessent, ipsaq; sacramenta sanctè & efficaciter conficere & ministrare possent:quod quidem illi præstare nequeunt,qui absq; eiusmodi legitima vocatione sese intrudi curant. Quæ sint de prima potestate dicta satìs, solis sacerdotibus legitimè vocatis,ijs Domini verbis, Hoc facite in meî commemorationem, collata.

DE ALTERA POTESTATE, NEMPE DOMINICI CORPORIS ET SANGVINIS OFFERENDI.

Porrò secundò,Dominum seruatoré vtì primùm ipse in sacrosancta cœna verum corpus & sanguinem suū in Eucharistia cælesti patri suo incruentè obtulit,priùs quàm ea suis apostolis daret & porrigeret:quod nos suprà in primi Articuli primarij testimonijs passìm plùs satìs docuimus, præcipuè verò in Hesychio fol.158.ità etiā deindè his mandādi verbis,Hoc facite in meî commemorationé, Apostolis & eorum successoribus tantùm,i.sacerdotibus,non auté quibuslibet indiscriminatìm, potestatem hanc & authoritaté tribuisse idem corpus & sanguiné suū in sacramento altaris eundem in modū Patri suo cælesti pro Christianis omnibus,tum viuis,tum vita functis,ad ipsius vsq; reditum offerendi & immolandi, id nimirùm diuina illius verba & tota cœnæ illius actio liquidò demonstrant. Confer eius verba, quę hîc de corpore suo & sanguine noui testamenti locutus est, cum illis mosis verbis de agno paschali immolando, Exo.12. itemq; cum illis de immolatione CAP.17.

ſanguinis priſci illius teſtaméti, quo populum omné & totum tabernaculum adſperſit Moſes, Exo. 24. atq; ex horum collatióe locorum id certò comperies, Christum Dñm in locum illorum veteris Instrumenti ſacrificiorũ, hoc ſuum noui teſtaméti ſacrificium ſubrogâſſe:
Pſal. 109. cumq; Dauid dicat, Tu es ſacerdos in æternùm, cum citra dubium in ſacroſanćta cœna ſua, vt olim Melchiſedech, panem & vinum, q̃ corpus ſuum effecerat, obtuliſſe ac immolâſſe.

Quî verò potuiſſet Dominus hanc ſacrificiorum permutationem indicâſſe euidentiùs, quàm quòd ſanguini irrationalium pecorũ veteris Teſtamenti, ſanguinem noui oppoſuit? hoc ipſo ſcilicet luculéter oſtendens, vt olim vetus teſtamentum ſacrificio ſanguinis confirmatum fuit, ità ſe quoquè nouum teſtamentũ ſacrificio calicis ſan-
Exod. 24. guinis ſui confirmâſſe. Moſes ità ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunćtis ſermonibus his. Christus verò ſic dixit de ſanguine ſuo: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamen-
Matt. 26. ti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. In hac vtriuſq; ſacrificij huius collatione S. Patres diligenter ſeſe exercitârunt.

CHRYSOSTOMVS in cap. 26. Matthæi Homilia 83. in hæc Dñi verba ſcribens: *Quemadmodùm*, inquit, *uetus teſtamentum pecudes & uitulos habebat, eodem modo nouum, Dominicum poßidet ſanguinem.* Et in ea Apoſtoli verba 1. Cor. 11. Similiter & calicem &c. *Quid autem id ſignificat*, inquit, *Hic calix nouum teſtamentum eſt? Erat aũt ueteris teſtamenti calix, ſacrificia, & ſanguis brutorũ: etenim poſt ſacrificiũ in calice, & ſi phiala, ſanguine accepto, ita ſacrificabãt. Cùm igitur pro ſanguine brutorum ſanguinẽ ſuũ induxiſſet Dominus, nè quis his auditis perturbaretur, illius ueteris ſacrificij meminit*, intellige per antitheſin.

Ab Oecumenio collecta. GRAECA COMMENTARIA in eundem Pauli locum ſic habẽt: *Erant in ueteri quoquè teſtamento pocula, in quibus libabant, ubì etiã poſtquàm uićtimas immolâſſent, ſanguinem irrationalium excipientes poculis, libabant. Pro ſanguine igitur irrationalium, Dominus proprium dat ſanguinem. Et benè in poculo, ut oſtendat uetus teſtamẽtum anteà hoc delineâſſe. Propterea dixit: Nouum teſtamentum eſt per meum ſanguinem, non irrationa-*

tionalium animalium:per meum,inquam,ſanguinem, non per irrationalium ſanguinem,ut in ueteri teſtamento.

THEOPHYLACTVS nimìs quàm luculenter ſcribit in cap. 26. Matthæi,in illa Domini verba,Hic *eſt ſanguis meus: Sicut uetus, ait,teſtamentum immolationem habebat & ſanguinem, ità & nouum teſtamentum ſanguinem habet ac immolationem.*

Non diuerſum ab his ſcribit AVGVSTINVS epiſtola 86.ad Caſulanũ contra Vrbicũ his verbis:*Dicit ceßiſſe poculo ſanguinẽ, nõ cogitãs etiam nunc ſe accipere ſanguinẽ. Quãto ergo meliùs & cõgruentiùs uetera tranſiſſe,& noua in Chriſto facta eſſe,ſic diceret, ut cederet altare altari, panis pani,pecus pecori,ſanguis ſanguini?* Vide ſuprà fol.255.

Sed dicat fortaſsìs aliquis:Equidẽ necdùm percipio Euangeliſtas hac immolandi vel offerendi voce expreſsè vſos eſſe. Sed quid quæſo iſthuc refert,quandò Domini & Euangeliſtarum verba idem faciunt,& tantundem valent,atquè offerẽdi vocabulum? En habes hîc eiuſcemodi verba:*Accepit Ieſus panem,gratias egit,fregit,& dixit: Hoc eſt corpus meum,quod pro uobis datur,ſiue frangitur.* Itemq́;:*Hic eſt ſanguis meus,qui pro uobis funditur in remißionem peccatorum.* Hæc verba, Gratias egit,Fregit,item,Quod pro vobis datur vel frangitur:iteq́;, Qui pro vobis funditur in remiſſiõem peccatorũ,verba ſunt immolatitia,& quæ immolationem ſignificent.Eius rei teſtis eſt EVSEBIVS PAMPHILI de Demonſtratione Euangelica lib.1.cap.10. *Horrorem,*inquit,*afferentia menſæ* Chriſti *ſacrificia,ſupremo* Deo *offerre, per eminentißimum omnium ipſius pontificem edocti ſumus* &c.non dubium,quin illis Dñi verbis: Hoc facite in meî commemorationem: Hoc eſt corpus meũ,quod pro vobis frangitur:Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis funditur.Eundem in modũ CHRYSOSTOMVS verba illa,Frãgitur, &, Pro vobis frangitur,exponit in cap.10.prioris ad Corinthios Homil.24:*Quarè,*inquit,*addit Paulus,Panis quem frangimus? Hoc in Euchariſtia uidere licet,in cruce autem minimè, ſed omninò contrà. Os enim,*inquit,*eius non conteretur. Sed quod in cruce paſſus non eſt, id in oblatione pãtitur, & propter te ſe frangi permittit:* Intellige, Significante myſterio. Idem de hoc verbo, & de illo alio

(Funditur) Prosper in Augustini sentētijs testatur, vt habetur de Cōsecratione Distinct. 2. ca. Cùm frangitur. Atq; ipse adeò Augustinus verba hęc, Quod pro vobis datur, nō alitèr accepit, quàm, Quod pro vobis immolatur, lib. 3. de Trinita. cap. 10. & lib. 4. cap. 14. Atq; eam ob rē cùm Dominus gratias egisset, & dixisset: Hoc est corpus, quod pro vobis datur: &, Hic est calix in sanguine meo, qui pro vobis funditur, nihil aliud neq; indicare, neq; dicere voluit, quàm se patri suo cælesti corpus suum pro nobis om̄ibus cum gratiarū actione immolare: vt idem Augustinus etiam alibì testatur, nempe in Psal. 39. Deniquè IOHANNI DAMASCENO lib. 4. orthodoxę fidei, cap. 14. verba illa Pauli, Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, idem sunt, quod, *In nocte qua seipsum obtulit.*

Porrò, quòd ad Dn̄i mandatum, Apostolis & eorum successoribus presbyteris vel sacerdotibus datum attinet, confer hoc Domini verbum, FACITE, in nouo testamēto, cum illo, FACIATIS, veteris Instrumenti: vt Leuit. 24. Et faciatis hircum pro peccato. Et Iudicū 13. vbì dicēti Manue, Faciamus tibi hœdum de capris, respōdit angelus: Si vis holocaustum facere, offer illud Domino: atque id genus plura alia loca, vt Ezechielis 45. & 46. facileq; perspicies, Facite idem hic significare, quòd, offerte: quanquàm etiam præterea idem sit, quod, Consecrate & Sumite: quandoquidem in veteri Instrumēto hęc tria in sacrificijs significauit, vt quę primùm sanctificarentur, vel consecrarētur, deindè offerrentur, postremò sumerentur. Quod quidē eò minorē apud nos dubitatiōem habere debet, quādò etiā apud ethnicos scriptores verbum hoc non rarò idem valet, quod, offerre, vt nōrunt eruditi. Apud Romanos certè in sacrificijs solenne erat, sacrificum hoc compellare verbo, Hoc age. Adeoq; D. Paulum istud (Hoc facite) ità accepisse & intellexisse, pręteneaq; docuisse, panē & calicē Dn̄i esse Ecclesiæ sacrificium, satìs ex his eius verbis constare potest, q̄ sunt prioris ad Corinth. cap. 10: Videte Israël secundùm carnem. Nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergò? Dico quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid? Sed quòd quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & nō Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorū. Non potestis calicē Dn̄i bibere, & calicē dęmoniorum: non potestis mensę Dn̄i participes esse, & mensę dæmo-

Verbū Græcè in vtroq; testamento idē est, ὁ ποιεῖν, quod Facere Latini dicūt.

Ex Apostolo 1. Cor 10 perspicuum est, Eucharistiam esse Ecclesiæ sacrificium.

dæmoniorum. Discis hinc, vt Apostolus nostrum, id est, Christianæ Ecclesiæ altare & sacrificium, altari & sacrificijs Israëlitarum: itemq; calicem nostrum, calici quem ethnici dæmonibus immolabant, nostramq; mensam illorum mensæ per Antithesin opponat.

Quorsum verò plura è scriptis diuinis proferre attinet, cùm in cõfesso sit, hoc celsissimum altaris Sacramentum in Christi Ecclesia iãindè ab Apostolorũ tẽporibus, ab ipsis etiã Apostolis semper Ecclesiæ sacrificiũ & appellatum & habitum esse? quod equidem puto satìs luculentam esse horum Domini verborum interpretationem.

Apostoli ipsi ac deindè reliqui Patres; oẽs Eucharistiã sacrificiũ appellant.

ANDREAS Apostolus, cùm ab Aegea vrgeretur sacrificare idolis, respondit illi his verbis: *Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidiè in altari sacrifico.* Vide suprà fol. 186. Quòd verò Apostoli verba hæc, Hoc facite in meì commemorationem, ea ratione accipiẽda esse docuerint, Patres omnes indè ab illorũ ætate ad nos vsq; admodùm concorditer testantur.

TESTIMONIA S. PATRVM DE SACRIFICIO ALTARIS, EX ILLIS VERBIS, HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM.

DIONYSIVS scribit his verbis: *Quocircà reuerenter simul & ex pontificali officio, post sacras diuinorum operum laudes, quòd hostiam salutarem, quæ super ipsum est, litet, se excusat, ad ipsum primò decenter exclamans, Tu dixisti: Hoc facite in meam cõmemorationem.* Vide suprà fol. 77. Quorum hæc sententia est, tanquàm si Pontifex diceret Deo: Equidem hoc tibi sacrificium, Dñe Deus, offerre non auderem, nisi tu his verbis, id vt facerem, mandâsses. CAP. 18.

IRENAEVS, Apostolorum tempori admodùm vicinus, etiam euidentiùs id testatur his verbis: *Sed & suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo*

Lib. 4. cap. 32. Dominus suis cõsuluit discipulis, vt Eucharistiam offerreat.

offert Deo. Addit indè: *De quo* (sacrificio) *in 12. Propheta Malachias sic praesignificauit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris: quoniam ab ortu solis vsq; ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum: quoniam magnum est nomen meum in gentibus.* Atque reuerà prophetia hæc certò & absque vllo medio de hoc sacrificio accipienda est. Christi enim in cruce oblatio semèl tantùm, idque vno duntaxat orbis loco in Iudæa facta est: porrò sacrificium humiliati & contriti cordis, cunctaque alia merè spiritalia nostræ deuotionis sacrificia, nouo Testamento cùm veteri communia sunt: neq; illis id tribuere possumus, ea omninò pura esse. Itaq; sacrificium hoc vel oblatio, de qua Malachias agit, illud altaris sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod sacerdotes offerunt, necessariò accipienda est.

Prophetia Malachiæ necessariò de hoc sacrificio accipiẽda est.

CYPRIANVS vt ea Domini verba, Hoc facite in meî commemorationem, acceperit, apud illum videre licet lib. 2. Epist. 3. vbì sic habet: *Nam si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, vtiquè id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit. Nam si IESVS Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium Deo patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in suî commemorationem praecepit: vtiquè ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur: & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse.* Eodem loco prophetia Dauidis de sacrificio Melchisedechico ad huius V. Sacramenti oblationem refert & interpretatur: ità vt nulli dubium esse queat, D. Cypriano hæc verba, Hoc facite in meî commemorationem, Dominici corporis & sanguinis oblationem potissimùm significare.

Sacerdos vice Christi fungẽs in altari, ita debet offerre Eucharistiã, vt Christus eã obtulit, in memoriã crucĩ illius sacrificij in cruce.

Psal 109.

Sacrificium Melchisedech, typus sacrificij altaris.

Aduersarij hanc Cypriani epistolam pro communione vtriusque speciei contra nos acerrimè producunt: sed non vident illi eã de sola sacerdotis oblatione vel immolatione agere, quæ nullo pacto alitèr ab eo fieri debet, quàm vt Christus ipse Deus ac Dominus illius, summusque sacerdos in cœna sua fecit. De communione autem & dispensatione venerabilis Sacramenti nihil hìc agitur. Immò verò è patrum testimonijs vix vllum aliud est, quo Aduersariorum teterrimus

Aduersarij D. Cypriani epistola abutuntur.

error, hoc sacrificium negantium, tam validè & efficaciter retundatur ac profligetur, atquè hac ipsa epistola.

EVSEBIVS PAMPHILI libro quinto, capite tertio de Demonstratione Euangelica, cum Cypriano conspirans: *Christus, inquit, ipsius Melchisedech ritu, ea quæ ad sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficit. Nam quemadmodùm ille, qui sacerdos gentium erat, nusquàm videtur sacrificijs corporalibus functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit: ità sanè primus ipse Saluator ac Dominus noster, deindè qui ab ipso profecti sunt sacerdotes, in omnibus gentibus spirituale secundùm ecclesiasticas sanctiones sacerdotij munus obeuntes, vino ac pane, & corporis illius, & salutaris sanguinis mysteria repræsentant.*

CHRYSOSTOMVS loco suprà memorato in caput vigesimũsextũ Matthæi, hæc Domini verba eundem in modum explicat: Ait enim: *Sicut illud* (sacrificium agni paschalis) *in rememorationem miraculorum, quæ in Aegypto patres vestri viderunt, faciebatis: sic & hoc facite in meam commemorationem. Sanguis ille ad primogenitorum salutem fuit effusus, hic in remissionem totius orbis peccatorum. Et quemadmodùm Moses, Hoc æternum vobis erit memoriale, dicebat: sic & ipse, In meam, ait, commemorationem, donec veniam.* Cernis, vt vir sanctus hîc doceat, quẽadmodùm Moses præceperit immolari agnum paschalem in memoriam eorum miraculorum, quæ circa illos in Aegypto facta erant, diuinitùs, præsertim in primogenitorum salutem & conseruationem, ità etiam Christum mandâsse offerri in suî commemorationem carnem & sanguinem suum, donec veniat.

En, vt hic Chrysost. vocabulũ Facite, pro, Offerte, accipiat.

In Epistola 1. Corinth. 10. Homilia vigesimaquarta ait *Christum seipsum offerendum præcepisse.* Quòd verò his verbis, Hoc facite in meî commemorationem, id iusserit, testatur idem in cap. 10. ad Hebræos, Homilia decimaseptima: *Nónne per singulos dies,* inquit, *offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius.* Sermone de Proditione Iudæ sic habet: *Sicut illa vox quæ dicit, Crescite & multiplicamini, & replete terram, semèl quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ità & vox illa semèl quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsque ad hodiernam diem, & vsque ad eius aduentum, præstat sacrificio firmitatem.* Porrò idem sacrificium solis

Verba Christi in hanc vsq; diẽ sacrificio altaris suam præstãt firmitatem.

DDDD 2 sacer-

sacerdotibus esse demandatum, cernere licet apud illum lib.3. de Sacerdotio, & Homil.2. in caput 1. posterioris ad Timotheũ Epistolæ, vbi hæc eius verba leguntur: *Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est quam dedit Christus ipse discipulis, quamq́; sacerdotes modò quoquè conficiunt.*

His Vualden. error condemnatur.

AMBROSIVS cum Chrysostomo pulcherrimè cõsentit in cap.10. ad Hebræos, vbi his vtitur verbis: *Pontifex noster ille est, qui hostiã mundantem nos obtulit: ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem, cõsumi non potest. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in meã commemorationem, &c.*

Vt Christus pro nobis obtulit sanguinem suum, ità sacerdotes eũ imitantes, idẽ sacrificiũ pro populo debẽt offerre.

Itemque in Psalmum 38. *Vidimus*, ait, *principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequamur vt possimus sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio. Quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quandò Christi corpus offertur, &c.*

Aduerte hîc, vt Ambrosius ex illis Domini verbis, *Quod pro vobis datur*: &, *Qui pro vobis & pro multis effunditur*, id collegerit & acceperit, Christi corpus & sanguinẽ à sacerdote in altari pro populo offerri debere: sacerdotesq́; vt minimùm functionis & ministerij sui nomine non tam fuisse contemptos & abiectos, vt sunt Melanchthoni.

CHRISTI CORPVS ET SANGVIS IN SACRA LITVRGIA PRO VIVIS ET MORTVIS, CVNCTISQVE ECCLESIAE NECESSITVDINIBVS PIÈ OFFERVNTVR.

CAP.19.

DOctrinam hanc & institutionem, tametsi ea in Christi Ecclesia à catholicis omnibus certissima semper est habita, Aduersarij nostri odio acerrimo & inexpiabili persequũtur, contraq́; eam modis omnibus quibus possunt, blaterant & obstrepunt. Atquì illi CHRISTI institutionem, vtì ea iam indè ab initio ab eius Ecclesia intellecta, celebrata & vsitata est, cõuellere non poterunt, sed vt vsque ad eius reditum salua & incolumis permaneat, velint nolint, permittere cogentur. Se solos oĩa nõsse arbitrantur: quod tamen posset illis non inuideri, modò ea

probè

probè cognita haberent, & sua scientia rectè vterentur. Ego verò p-quàm discere ab illis velim, quandoquidem Catholica Christi Ecclesia in memoratis Domini verbis, Hoc corpus quod pro vobis datur vel frangitur, Hic sanguis, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, sacrificium quoddam nobis indicat & tradit, exemplar illius, quod in cruce peractũ est: quid causæ sit, cur eiusmodi sacrificium pro illis omnibus, pro quibus datũ, fractum, fusum est, offerri non debeat. Si enim verum hîc est corpus, verusq; sanguis Christi, & si hoc sacrificium exẽplar est illius semèl in cruce, in sanctis sanctorum litati sacrificij, vt Chrysostomus, Ambrosius, & omnes sancti Patres asserunt, quarè non etiam pro fidelibus omnibus, tum viuis tum defunctis, vt itidèm patres illi docent, offerendum sit? Prætereà si verum est, quod Cyprianus ait, in huius (sacrificij) præsentia nunquàm pati contriti cordis holocaustum repulsam, cùm, vt Augustinus tradit, nihil tam gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri, cur nõ idem corpus tum pro viuis, tum pro vita functis offerri liceat, cùm tamen pro omnibus illis mortuus sit Christus, & omnium illorum æquè dominetur? Equidem non puto Aduersarios nostros contradicturos Cypriano, ità dicenti: *Quoniam sacrificium quod in cruce obtulit Christus,* (id est, verũ corpus & preciosus sanguis eius, quæ re vera hîc habentur) *sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua uirtute consistit, ut non minus hodiè in conspectu patris oblatio illa sit efficax, quàm ea die, qua de saucio latere sanguis & aqua exiuit.*

Domini verbis docetur, Christi corpus & sanguinem in altari pro viuis & mortuis offerri debere.

Serm. de cœna Domini.

De Trini. lib. 4. cap. 14.

Rom. 14.

Sermone de baptismo Christi sub finem.

Verum quidem est, donec Aduersarij nostri perfricta fronte negabant, Christum nullum instituisse nec reliquisse sacrificium, tantispèr illis non posse non videri perperàm facta ea omnia, quæ iamindè ab Apostolis hac in parte Catholica fecit Ecclesia: atquì si illi Dei munere & fauore eatenùs possent redire ad sanitatem, sibiq; restitui, vt cum Ecclesia sacrificium à Christo institutum agnoscerẽt, iam sanè non possent etiam non fateri, sacrificium hoc & pro viuis, & pro mortuis offerri oportere.

Cùm Eucharistia sit Ecclesiæ sacrificium, debet pro viuis & mortuis offerri.

Priscæ legis sacrificia, quæ non nisi vt vmbræ quædam hoc sacrificium significârunt, multiuaria, vt tertius Moseos liber probat, fu-

ĉre, putà, Holocausta ꝓpitiatoria ꝓ peccatis, ꝓ gratiarũ-actione, vesca, consecrationis vel initiatiõis &c. Ea q̃ pro peccatis offerebantur olim in veteri lege, Domino offerebantur, alia pro peccatis perpetratis, alia pro ignorãtia & negligentia sacerdotũ, principũ, magistratuũ, totius populi, plerunq; etiam certæ alicuius personæ. Sacrificia gratiarum actiõis, q̃ eadem pacifica appellantur, Dño immolabantur pro omnigenis à Deo collatis beneficijs & donis tum in actioné gratiarũ, tum ob futura ꝓmerenda à Deo munera ac beneficia. Sacrificia vesca ex munda erant farina, & panes absq; ferméto. His annumerantur vini & olei sacrificia: atq; hæc sacrificia oĩa, non ꝓ viuis duntaxat, sed etiã defunctis offerebant, ea ꝑsertim, quæ pro peccatis fiebãt: vt videre licet 2. Machabæorũ, cap. 12. vbi sic habes: Iudas fortissimus duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymã, offerri ꝓ peccatis mortuorũ. Qué librũ etsi Aduersarij contemnendũ putãt, at tñ Augustin⁹ & alij Patres eũ minimè contẽnunt. Immò verò hodieq; Iudæi ex veteri more pro suis vita functis fratribus & sororibus precant. Precatio, quam in eorum Synagoga ꝑcentor alta dicit voce, & populus repetit, eiusmodi est: Memor sit DE⁹ animarũ eorũ, & collocet eas in paradiso cum Abrahã, Isaac & Iacob, & alijs sanctis &c. queadmodùm Antoni⁹ Margarita à Iudaismo ad Christi fidem traductus, scribit libello illo suo, cui titulum fecit: Vniuersa Iudæorũ fides. A. 2.

Pro peccatis hostiæ. Leuit. 4. 5. 6.

Gratiarum actionis. Leuitici 3. 7.

Sacrificia vesca. Leuit. 2. 6. Num. 5. 15. 18. 20.

Sacrificia priscæ legis, nedùm pro viuis, sed etiam mortuis immolata sunt.

Libro de Cura pro mortuis gerenda, cap. 18.

Iudæi hodieque pro suis vita functis orant.

Scribit is Iudæos habere libellum quendam, quem Memorem vocent, in quo vita functi cõscripti sint, vndè singulis annis ter eorũ nomina è sede quadrangula, vel suggestu quadrato, quem Almemorem vocent, recitentur.

Quòd si hæc ità se habent, vt quondã vmbræ veteris illius legis ꝓ cũctis & spiritalibus, & téporarijs necessitudinibus, nec ꝓ viuis modò, sed etiam ꝓ mortuis oblatæ sint, quãtò magìs hoc ꝑstantissimũ ac diuinissimũ corporis & sanguinis Chři sacrificiũ, illis vmbris ꝑfiguratũ, offerri debet, ob cõciliandũ DEũ Christianis oĩbus, ob ei⁹ auertendã irã, ob impetrãdã peccatorũ veniã, ob agẽdas DEO ꝓ cũctis illius bñficijs gratias, ob futura oĩa tum corporalia, tũ spiritalia dona ac bñficia ꝓmeréda & impetrãda, nec in viuorũ dũtaxat, sed etiã mortuorũ vsum atq; vtilitaté? queádmodũ

Ex Apostolorum ordinatione sacrificium altaris semper pro viuis & mortuis oblatum est.

id iā indè ab Apostolorū ęuo, ex illorū hauddubiè pscripto & ordinatiōe in Catholica Ecclesia semp esse actitatū & obseruatū, ex innumeris Patrū, suprà passim allatorū, testimōijs didicisti: Speciatim verò ex eorundem Apostolorum decreto & institutione p vita functis sacrificium offerri debere, vetustissimi patres testantur, Dionysius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, De his, q in quiescentibus fiunt, cap. 7. Tertullianus ad vxorē, Cyprianus lib. 1. Epist. 9. ad Faustū ob sororis obitū dolentē, Athanasius lib. Quęstionū ad Antiochū Principē, Quæst. 34. vbi etiā huius reddit rationē his verbis: *At sicut vitis florescit extrà in agro, & odorem eius sentit vinū in vase reclusum, sicq́, conflorescit etiā ipsum: ità intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficentia ab exangui immolatione, & gratificatione pro ipsis facta: sicut solus ordinat & præcipit, qui viuorum & mortuorum potestatē gerit Deus noster.* Item Gregorius Nazianzenus Oratione funebri pro matre. Gregorius Nyssenus. Epiphanius libro tertio contra hæreses. Chrysostomus in priorē ad Corint. Homil. 41. lib. 6. de sacerdotio, Homilia 69. ad populum Antiochenū. Augustinus lib. 9. confess. cap. 13. Item libro de cura p mortuis gerēda, cap. 18. vbi locum illum 2. Machabæorum 12. citat, additq́;: *Sed etsi nunq̄ in scripturis ueteribus omninò legeretur, nō parua hac cōsuetudine claret authoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare fundūtur, locū suū habet etiā cōmendatio mortuorū.* Itē De 88. Hęresibus ad Quoduultdeū. Gregorium Magnū & reliquos iam ptermitto, vt quorū testimonia suprà p lixè citata sunt, è quibus eorū fides & sentētia liqdò potest intelligi.

A simili: vt defuncti fructûs & efficaciæ sacrificij altaris participes fiant.

En quàm sublimiter vir sanctus senserit de authoritate cōsuetudinis à catholica Ecclesia receptæ, eius præsertim, quam solennes illæ preces sacerdotis in altari testantur.

BASILIVS libro de Spiritu sancto, Chrysostom⁹ in cap. Matthęi 26. & in cap. 15. prioris ad Corinthios, in Homilia prima de Adam & Eua, Augustinus, quem citat Cęlestinus in suis Decretis ad omnes Galliarum episcopos, id nos instituunt, fidem nostram formis illis precum & obseruationum sacerdotalium, quarum in sacramentorū celebratione perpetuus fuit vsus, confirmari debere: *Vt legem credendi*, inquit Augustinus, *lex statuat supplicandi.* Cui doctrinæ & institutioni si Aduersarij nostri aliquid tribuendum putarent, legerentq́ue preces illas, quas Collectas vocant, atque ex eis vetustissimas, ante annos mille in sacro Liturgiæ officio vsurpatas, inuenirent illi,

Formæ obsecrationum sacerdotalium, quarū perpetuus & solēnis fuit vsus, docent nos quid credere debeamus.

Vetustæ Ecclesiæ precationes, quas collectas vocant, non vulgaris sunt authoritatis.

illi, Ecclesiam ore sacerdotum hac ratione semper esse precatam: *Deus qui tribulatos corde sanas, & mœstificatos actu lætificas, ad hanc propitius hostiam dignanter attende, per quam totius mundi tribuisti relaxari delicta, quam tibi pro nostra offerimus tribulatione: tu & hãc benignus accipe, & nostra sana discrimina, uincula solue, delicta dele, tribulatiõis nostræ attende miseriam, & angustiarum nostrarum submoue pressuram, ut exuti omnibus quæ patimur malis, in tuis semper delectemur iudicijs* (aliâs delicijs) *exultare.* Itemq;: *Hæc cælestia sacramenta omnibus fidelibus uiuis & defunctis, pro quorum tibi sunt oblata salute, prosint ad ueniam* &c.

Verùm aduersarijs, vt antè diximus, hoc deficit, ꝙ intelligere nolunt altaris sacrificium, illius in cruce peracti sacrificij exemplar esse: nosq; hîc idem habere corpus, quod in cruce pepderit: & cùm nihil ex nobisipsis habeamus, quod gratũ Deo offerre possimus, nos hoc filij eius corpus, ceu gratissimũ sacrificium offerre, & obnixè precari, vt non ad nostram actionem siue opus, sed in amantissimi filij sui faciem respiciat, nostriq; misereatur.

Crassus Aduersariorum nostrorũ error de opere operato & applicatione Missæ.

Melanchthon & qui eius factionis sunt, nos horrendum in modũ proscindunt, tanq̃ qui propriam sacrificandi vel offerendi actiõem siue opus nostrum etiam alijs, & speciatìm vita functis in peccatorũ remissionẽ applicemus & accõmodemus, cùm tamen nos nõ nostro opere, quantùm quidem ad corporis Chr̃i immolationem pertinet, sed solo opere operato, id est, quod Deus ipse sacerdotis quidẽ ministerio, sed non attento sacerdotis merito efficit, quod est corpus & sanguis Christi, nitamur: quod vbì iuxta illius mandatũ Deo patri offertur, non nostri operis, sed diuinæ vnigeniti filij eius institutionis nomine, gratissimum illi, vt diximus, tum pro viuis, tum pro mortuis sacrificium est: at tamen pro illis duntaxat mortuis, qui fidẽ suam redemptiõi per Christum factæ alligârunt, atq; hac fide apud Deum meruerunt, vt hoc sacrificium, quemadmodùm Augustinus ait, eis prodesse possit.

Non applicamus nos vita functis merita siue efficaciam & fructũ passionis Christi & sacrificij huius pro nostro arbitratu, sed eius diuinæ misericordiæ id nos permittimus, qui solus id ordinat ac moderatur

deratur pro sua voluntate, quique viuorum ac mortuorum dominatur, vt suprà ex Athanasio ad Antiochum annotatum est.

Equidē non parùm id demirari soleo in Melāchthone, quòd cùm ille fateatur in Ecclesiæ initijs hanc ferè grauissimam fuisse pœnam sacerdotum, qui se aliquo scelere obstrinxissent, vt ab offerendi ministerio remouerentur, vtì in Concilij Ancyrani cap. I. videre licet, & posteà non nisi inter laicos cōmunicandi haberēt potestatē, cuius laicæ cōmunionis Cōcilium Sardiceñ cap. I. & Agatheñ cap. 50. mētionem facit, (neque enim ingratìs id illi assentior, hanc germanam esse laicæ communionis interpretationem vel acceptionem) nihilo minùs illum altaris sacrificium negare ac reijcere ausum esse. Quòd primitiua Ecclesia haud facilè seueriùs potuit in sacerdotes animaduertere, quàm illis ab offerendi functione prohibendis, conficitur indè, id temporis in Christi Ecclesia sacrificandi vel offerendi ministerium non pro vili ac nullius ponderis, multò minùs impia, sed ꝑ præcipua & excellentissima functione habitum esse.

MISSAE SACRVM POTEST,
ETIAM NVLLIS COMMVNICARE VOLENTIBVS, PIĖ PERAGI.

Quòd isthæc omnia in hunc locum de altera potestate sacerdotibus, illis Domini verbis, HOC FACITE IN MEĪ COMMEMORATIONEM collata, fusiùs adduxi, ea causa feci, vt omnibus in prospectu sit, quàm miserè Aduersarij hominibus imponant, dum illis persuadent, eò duntaxat institutum esse à Domino Eucharistiæ V. Sacramentū, vt edatur & bibatur in ipsius memoriam, nec vllis alijs id prodesse nisi sumentibus, atq; idcircò pro alijs offerri non debere. Qua illi falsa doctrina præcipuam institutionis huius V. Sacramenti causam (quæ est, vt sit sacrificium nouæ legis, loco omnium veteris instrumenti sacrificiorum, ꝑpetuisq; temporibus in Ecclesia colatur ac offeratur & ꝑseueret vsq; ad aduentū Domini) prorsus abolere moliūtur, Christiq; Ecclesiam tam multigena vtilitate, quam indè ab initio ex hoc sacrificio semper consecuta est, per summam impietatem priuare. Quam CAP. 20. Præcipua institutiōis Eucharistiæ ratio est, vt sit noui testamenti sacrificium.

ob rem etiã in huius sui erroris stabilimentũ & cõfirmationẽ,hac in parte damnatis iampridèm Vualdensibus subscribunt,Cœnam Domini (sic enim ipsi eam appellant) sinè communicantibus fieri non debere.At verò sanctissimi patres,quibus diuina huius sacrificij vis & efficacia,ingens quoquè & præcipua, eademque multiuaria vtilitas,quam hinc Ecclesia quotidiè percipit,ex Apostolorum doctrina probè perspecta fuit,longè alitèr senserunt: neque hoc quotidianũ & iuge sacrificium,à Domino ipsis demãdatum,eo nomine vnquàm sibi prætermittendum putârunt,quòd vt plurimùm, fide & charitate refrigescente,nulli adessent,qui communicare vellent.

Chrysostomi æuo magna populi pars in Paschate tãtùm sumebant Eucharistiã, vt nostro quoquè seculo.

CHRYSOSTOMVS in epistolæ ad Ephesios caput 1.Sermone 3. *Frustrà*, inquit,*habetur quotidiana oblatio,frustrà stamus ad altare. Nemo est,qui simul participet.*Adeoq; in cap.10.ad Hebręos,Homilia 17,*Plurimi*,ait,*ex hoc sacrificio semèl accipiũt in toto anno,alij bis,alij sæpiùs.*Neq; tamen propterea ab ipso Chrysostomo & eius presbyteris intermissa est quotidiana ac iugis sacrificij oblatio.

Testantur idem Ambrosius lib.6.de Sacramentis,cap.4.& Augustinus de verbis Domini in Lucã,Serm.28.& lib.2.de Sermone Domini in monte,Græcos non nisi semèl in anno communicâsse, cùm tamen nihilo minùs quotidiè sacerdotes sacrificarent:*Si*,inquit Ambrosius,*quotidianus est panis,cur post annum illum sumis, quemadmodùm Græci facere consueuerunt?*Augustinus quidem:*Quotidiè Eucharistiæ cõmunionem percipere,nec laudo*,inquit,*nec reprehendo: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor:* at nihilo minùs Hippone in Aphrica quotidiè sacrificium immolari voluit.

De Ecclesiasticis dogmatibus,cap.53.

Sacerdos licet plerunq; nullos habeat communicantes,tamen animo complectitur tanquam secum communicãtes,quotquot toto orbe cõmunicant.

Mirùm profectò est,Aduersarios cernere nolle, etiamsi sacerdos sacrificans plerunquè neminem habeat,qui ad altare cum ipso communicare velit, attamen permultos eum habere toto orbe cõmunicantes,qui eodem tempore cum ipso communicent. Ait Apostolus nos multos vnũ panẽ & vnũ corpus esse,omẽs qui de vno pane participamus.Et Chrysost.Homil.51.ad populũ dicit monachos in eremis degentes,in mysterijs altaris sese mutuò licèt absentes complecti:In mysterijs,inquit,alter alterum amplectitur. Quod quid aliud est,quàm eos etiam absentes spiritaliter simul communicare?Immò Melanchthon ipse scribit in Euangelium Dominicæ 2. post Pascha,

tanquàm

tanquàm fui hac in parte planè immemor, nos vbicunquè tádèm simus, siue in mari, siue apud Turcas, aut alios ethnicos animo, voluntate, cognitione & inuocatione Dei cum visibili Ecclesiæ cœtu, vbicunquè demùm ille sit, adunare & colligere debere, perindè vt Ioseph, licèt in Aegyptum abductus esset, nihilo seciùs συμπολίτης Ecclesiæ patris sui Iacob permansit. Quod si ità est, qua tandèm ratione vel argumento potest ille sacrosanctas illas Missas, quæ sinè communicantibus fiunt, sibi impugnandas sumere? maximè cùm hęc non sacrificantium culpa sit, quòd nemo communicet, sed laicorum, qui charitate refrigescente nolunt accedere: quibus tamen non petentibus hęc cęlestis esca cum tædio ingerenda non est, licèt alioquì, quandocunquè piè ac religiosè eam petunt, minimè eis negetur: id quod Erasmus quoquè aduersùs hunc errorem commemorat in libello, De amabili Ecclesiæ concordia.

Verùm huc omnes Aduersariorũ tendunt conatus, vt IVGE SACRIFICIVM tollant è medio, & Antichristo iuxta Danielis vaticinium viam muniant. Vide Chrysostomum in opere imperfecto in caput 24. Matthæi, Homil. 49. vbi ait, iuxta Danielis Prophetiã, hoc sacrificium Christianorum tribus annis & sex mensibus tollendum esse ab Antichristo. Et pius ille Rupertus Tuitieñ lib. 2. de Diuinis officijs, cap. 10. scribit hunc in modum: *Aufer à cœtu Ecclesiæ quotidianas Saluatoris nostri huiusmodi exequias, & uide quàm meritò dicat ipse Saluator, Quæ utilitas in sanguine meo? Refrigescente enim ea, quæ hoc modo nunc ubiquè calet, eius memoria, refrigescet uniuersa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis iusti Abel, qui per traditum tanti sacrificij ritum, quotidiè reparat uocem, quotidiè laxat os bibentis & uociferantis terræ, scilicet Ecclesiæ, maledictum coarguens Cain, & maturam indignè fusi sanguinis uindictam reposcens. Calente ergò memoria tam celebri, charitas Christi concalescit, perstat super fundamentum suum ædificium fidei, spes quotidiana peccatorum remissione reuiuiscit.* Hic sanctus vir his extremis temporibus nobis Prophetam exhibet, quádò eius prophetia huius diuinissimi ac multò pijssimi sacrificij abolitiõe, hincindè in Germania plùs satis in

Qui iuge altaris sacrificium ex Ecclesia sublatum volũt, ipsissimi sunt Antichristi anteambulones.

Psal. 29.

Heb. 11.

Gen. 4.

dies completur. Hactenùs de altera, eaque præcipua potestate, quam Dominus Apostolis suis, eorumq; successoribus tātùm, id est, sacerdotibus, hisce verbis, *Hoc facite in meî commemorationem*, tribuit.

DE TERTIA POTESTATE, SCILICET EVCHARISTIAE DISPENSANDAE.

CAP. XXI. IAM tertiò, Dominum his verbis, *Hoc facite in meî commemorationem*, non quoslibet indiscriminatìm, sed suos dūtaxat Apostolos, & eorum successores sacerdotes, huius V. Sacramenti dispensatores instituisse, non magnoperè probatiōe indiget: cùm id vel indè satìs liqueat, quòd hoc V. Sacramentum, vt antè dictum est, nullo pacto porrigi vel dispensari queat, nisi antè à sacerdotib' consecratum & oblatum sit: vtì etiam in veteri testamento sanctificationem & immolationem antecedere oportebat, priùs quàm sacrificium ipsum in cibum cederet. Atq; hac de causa impietas & peccatum Ophni & Phinees, liberorum Heli summi sacerdotis, erat grande nimìs coram Domino, quòd ex illis, quæ priùs immolari debuerant, auferri volebant, quantùm ipsis visum esset, sicq; detrahebant homines sacrificio Domini. Quod peccatum pro ipsius immanitate, hostili arcæ Dei ablatione, atq; illorum amborum, & patris eorum horrēda nece, domusq; eorum desolatione & interitu, atq; tot millium Israelitarum internecione tandèm vltum & mulctatum est.

1. Reg. 2.

1. Reg 4.

Vetustus ille Tertullianus libro de corona militis, & lib. 2. ad vxorem, potestati huic, quòd ea ad solos pertineat sacerdotes, his paucis verbis eiusmodi dicit testimonium: *Eucharistiæ*, inqt, *sacramētum nec de aliorum manu, quàm præsidentium sumimus*: quod cum in alijs patribus omnibus passìm occurrat, superuacaneum puto prolixiùs prosequi.

Habes igitur, amice lector, ex his oībus, Christum Dn̄m his suis verbis, HOC FACITE IN MEÎ COMMEMORATIONEM, noui testamēti sacerdotiū in priscæ legis sacerdotij locū substituisse, suosq; Apostolos sacerdotes consecràsse, illisq; ac eorum posteris vel successorib' sacerdotibus supradictam triplicem potestatem tribuisse, videlicet primò corporis & sanguinis ipsius consecrandi, ac deindè eadē Deo patri offerendi, & postremò ipsa percipiēdi, ac alijs ritè impertiēdi.

QVID-

QVIDNAM HINC CONSEQVATVR, ET AD QVID SACERDOTES RATIONE TERTIAE POTESTATIS IPSIS DEMANDATAE, NEMPE DISPENSATIONIS EVCHARISTIAE, OBLIGATI SINT VEL TENEANTVR, QVÍDQVE LAICI HOC NOMINE AB ILLIS EXIGERE POSSINT.

EX his omnibus id primùm infero, manifestò falsum & vanũ esse, quòd Aduersarij scriptitant, & hominibus persuadent, verba illa mandandi, quibus Christus in sacrosancta cœna vsus est, ex æquo ad Christianos omnes pertinere, sacerdotumque ministerium & actionem in hoc tractando V. Sacramento non pluris faciendam, quàm cuiuslibet alterius Christiani actionem: cùm è diuerso ea luculenta, mera & indubitata veritas sit, quæcunq; Dominus huius instituendi præstantissimi Sacramenti causa in illa sua cœna locutus est, ea peculiariter ac speciatim suis duodecim Apostolis, ad quos tum sua verba dirigebat, eum esse locutum, illosq; & eorum successores duntaxat suos peculiares instituisse & ordinâsse dispensatores, quô eã, quã diximus, triplicem potestatem ipsius loco, vice & nomine exerceant & exequantur: atq; hac ex causa neminem præter sacerdotes, eò ordine ac legitimè vocatos, hanc sibi triplicem potestatem absque summa impietate posse vendicare.

CAP. 22. Aduersarij qua in re mẽtiantur.

Porrò cùm etiam illud hinc perspicuum sit, celsissimum hoc Sacramentum in Christianorum omnium salutem institutum esse, ijsdéq; iuxta doctrinam & ordinationem Apostolicam eò se accommodantibus, vt illius possint esse capaces, à sacerdotibus tanquàm dispensatoribus mysteriorum Dei, porrigi debere: quandò etiam suprà satìs superq; declaratum atq; probatum est, tametsi Dominus hæc sua diuina mysteria (quòd ea non modò Sacramentum, sed etiam præcipuum noui Testamenti sui sacrificium esse debeant) sub duabus illis panis ac vini speciebus instituerit, idq; eò potissimùm, vt huiusmodi

Licèt ad immolationem vtraq; species pertineat, quò cruentū í cruce pactū sacrificiū repræsentēt, attamē quòd ad sumptionem attinet, tātundē est sub altera, atq; sub vtraq; specie.

Quid sit illud, de quo inter nos & Aduersarios est controuersia.

duabus separatis speciebus (quandò ex Deo à sacerdote offeruntur) illud semèl in cruce peractum sacrificium, in quo corpus & sanguis Domini separata sunt, conuenientiùs & expressiùs significaretur, atque ob oculos statueretur, at nihilo minùs quod ad V. Sacramenti porrectionem & sumptionem attinet, sub altera eiusdem V. Sacramenti specie non minùs, sed planè tantundem reuerà & substantialiter adesse, porrigi & accipi, atq; sub vtraque: cùm hæc, inquam, ità se habeant, iam in hoc vno lis omnis & controuersia inter nos & catholicos, & illós qui sunt diuersæ partis, versatur & hæret: Num Ecclesiæ præfecti & pastores, ceu dispensatores mysteriorum Christi, diuinā illius institutionem bona fide exequantur, ipsisq; demandatæ functioni & officio faciant satis, quandò Christianis alteram tantùm V. Sacramenti speciem porrigunt, atq; sub illa tantundem eis præbent, quantum sub vtraq;: nempè verum Domini corpus & sanguinem, adeoq; ipsum Dominum prorsus indistractum, totum & integrum, cum omnibus largissimis charismatis & donis illius, quæ in Eucharistiæ perceptione expeti & obtineri debent: an verò eo ipso, ꝙ vtranque speciem non ministrant, contra Domini institutioné, diuinūq; & expressum mandatum & voluntatem agant.

SACERDOTES DISPENSATIONI, IPSIS À DOMINO CREDITAE AC DEMANDATAE, FACERE SATÌS, QVANDÒ CHRISTVM SVB ALTERA SPECIE EIVS FIDELIBVS PORRIGVNT,

CAP. 23.

QVibus ità paucis respondendum est, dispensatores mysteriorum Christi, neutiquàm venire contra Dei ac Domini sui mandatum & institutionem, sed eidem ac diuinæ illius voluntati obsequenter parére, morem gerere ac satisfacere, quandò pro re nata, vel pro præsenti conditione eius fidelibus sub altera V. Sacramenti specie, tantundem re ipsa & in veritate præbent ac porrigunt, quantum est sub vtraq;: eosque eo nomine,

nomine, quòd vtranq; non porrigant speciem, torquendo illam mandati vocem, tanquàm eiusdē mādati transgressores & præuaricatores sint, nulla vel ratione vel iudicio posse reos agi & insimulari.

Est enim hoc in confesso, adeò vt negare nullus posiit, in mandatis omnibus hoc precipuè spectandum, quidnam Dominus per ea potisiimùm fieri velit. Nam tametsi verum est, formam mandati studiosè obseruandam, at tamen è diuerso nihilo minùs verum est, eum cui data sint mandata, ea ipsa non minùs conficere & exequi, quandò id facit, quod reuerà tantundem sit, & æquipolleat vel tantundem valeat, àc si mandata eadem, perindè vt modis omnibus verba ipsa præ se ferunt, esset executus: cùm in id vnum vel maximè intentus esse debeat, vt sua administratione Domini sui familiæ nihil detrahatur neque decedat, & ipsa familia bonis, illi à Domino attributis, nulla ex parte fraudetur. Siquidem in rebus mandatis nihil referre constat, quid ex æquipollentibus fiat, nihilque interesse, num mandatum hoc modo vel breuiori compendio conficiatur, modò idem sequatur effectus: quòd non ità anxiè de via, quemadmodùm de meta, curandum sit. Melāchthon quidem ait hæc & id genus alia, humana esse commenta: Id verò non ità se habere, neq; hæc hominum esse commenta, sed dogmata diuina, diuinamq; institutionem, cuius sancti Patres semper diligentem habuerint rationem, & quam in Sacramētorum & ecclesiasticarum cæremoniarum, externęq; disciplinæ administratione & executione magnoperè obseruârint: deniq; hanc doctrinam & institutionem, in diuinis præsertim & spiritalibus rebus, multò etiam ampliùs quàm humanis negocijs valere debere, nemo sanè negare ausus erit, qui in scriptis diuinis versatus sit.

Dispensator præcipuè scopū mādati Domini sui attēdere, eumq; exequi debet.

Vide infrà D. Cyprianum.

Melanchthonis obiectio.

Dilutio.

Atq; vt indè exordiar, quidnam fidelis & prudentis dispensatoris munus & officiū reposcat, Dominus ipse Luc. 12. id exprimit his verbis: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem cōstituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?

Ex his animaduertis, cuiusmodi Dn̄s velit esse dispensatorem, vt non fidelis modò, sed etiam prudens sit, vt nôrit familiæ ipsius & cuilibet ex illa, quouis tempore, pro re nata, vt commodisiimè & vtilisiimè posiit fieri, cælestis ac spiritalis tritici, vndè animas nostras viuere necesse est, debitā portionē siue mensuram impēdere ac impartiri.

In Cãtica Cãticorũ Serm. 33. appellat species externas, Sacramẽti corticẽ, carnis furfurem. Itidẽm in Sermone in cœna Domini ad Petrũ Presb.

Neutiquàm sanè eum ad externas omnes tritici species obligat, quas D. Bernardus escæ huius corticem & furfurẽ vocat: sed sufficit Domino, vt familia ipsius debitam huius cibi mensuram vel portionem pro re nata, sub institutis speciebus siue vna, siue pluribus, re ipsa & actu ipso consequatur: quandoquidem neque Domini, neq; familiæ eius interest, modò nucleo integro possit perfrui, vtrùm sub vna vel pluribus testis siue corticibus eo potiatur.

Docet ergò passìm Dominus, vt etiam eius tum Prophetæ, tũ Apostoli, in quibuscunque diuinis institutionibus & mandatis, non tam exactè curandum esse, vt verbis ipsis vsquequaq; satisfiat, quàm vt institutionum & mandatorum scopus re vera attingatur. Atq; huc spectant illæ Domini sententiæ: Sabbatum propter hominem factũ est, & non homo propter sabbatum. Item: Non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sinè crimine sunt? Item: Si sciretis quid est, Misericordiam volo, & nõ sacrificium, nunquàm condemnâssetis innocentes. Et Ioan. 7. Si circuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Mosis: mihi cur indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate. Quæ Domini sententiæ magno sunt opere obseruandæ. Reuerà enim inter mãdata & præcepta omnia, ad externam obseruantiam pertinẽtia, nullum ea seueritate datũ est, atquè illud de colẽdo sabbato: quẽadmodùm Exo. 20. Deuteron. 5. & rursus Exod. 16. & 31. Leuit. 19. 23. 26. Hierem. 17. Ezechiel. 20. videre licet. Huc accedit, quòd sabbatum non modò ceu præceptum, sed etiam vt mysterium & significans Sacramentum institutum est, vt locis iam dictis Exod. 20. & Deutero. 5. cernere est. Adeoq; sabbatum ea seueritate & grauitate coli iussum est, vt vetitũ fuerit, etiam manna colligere sabbato, vt habes Exod. 16. & Hier. 17. ità scriptum legimus: Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die sabbati.

Marc. 2. Matth. 12.

Ibidèm.

Olim nihil tã seuerè seruari mãdatũ est, atquè sabbatum, quod Iudæis non modò præceptũ, sed etiã sacramentum fuit.

At nihilo seciùs docet nos Dominus, nè nimìs scrupulosè literam & externum sabbati cultum & ferias, sed ipsum potiùs scopum & finem, propter quem diuinitùs institutum est sabbatum, accuratè inspiciamus: qui nimirùm est salus hominis in sabbato curata & quæsita: qui cùm attingitur & obtinetur, etiamsi videatur nonnihil contra

Fit nihilo minùs satis præcepto sabbati obseruandi, cùm finis pcepti attingitur.

literam fieri, at nihilo minùs præceptum seruandi sabbati coram Deo confici & impleri. Itaq; licèt discipuli Domini contra legis literam, vt appáret, agerent, cùm sabbato transirent per sata, & esurientes vellerent spicas & manducarent, tamen Dominus eos innocẽtes & præuaricationis minimè reos fuisse affirmauit. Alia enim erat ratio mannæ, quod duplum erat colligi iussum pridiè sabbati, vt pro sabbato quoq; sufficeret. Itidemque licèt clinicus ille apud Iohannem 5. cap. curatus sabbato à Domino, tollens grabatum suum, immò etiam ipse Dominus præcipiens vt id faceret, secundùm externam literæ speciem contra legem venire viderentur, quòd illicitum esset, vt antè dictum est, sabbatis ferre onera, at nihilo seciùs & se & clinicum illum grauissimè defendit, quòd nec ipse, nec ille sanitati restitutus homo contra legem, sed potiùs iuxta legem, ageret: Dominus quidem, vt qui sabbato miseri illius salutem procurâsset, qui finis & scopus est sabbati: at miser ille, vt qui necessitati inseruiret, nec quicquam propria libidine vel per contemptum ageret. Exod. 16.

Atque vt summatìm dicam, Dominus passìm ad legis finem, & ad rem illam inuisibilem ac spiritalem, quam litera & verba externa significant, nos remittit, vt videre est Iohan. 4. & 6. vbì de hoc celsissimo sacramẽto verba facit. Verba quæ ego locutus sum vobis, inquit, spiritus & vita sunt. Et Apostolus totum hoc ad dispensatorum Christi functionem trahens, 2. Cor. 3. ità ait: Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non literæ, sed spiritûs. Nec tamen propterea dixerim, in dispensatoris situm esse arbitrio & authoritate, externas species, sub quibus Sacramenta instituta sunt, vel penitùs omittere, vel mutare; sed id solùm, quandò vna species tantundem exhibet, quantum altera, vel etiam vtraq;, eo casu nihil agi contra institutionem diuinam, si Sacramentum pro re nata & præsenti conditione, sub vna duntaxat specie porrigatur. Dominus passim nos ad legis finem remittit, & ad rẽ illã internã, quã verba externa significant. II

TRES CERTAE REGVLAE, è QVIBVS DISCERE LICEAT, VTRVM EA, QVAE PRO TEMPORE EST, SACRAMENTORVM ADMINISTRATIO REPRÆHENSIBILIS SIT, AN INCVLPATA.

CAP. 24. VT verò hæc vberiùs atq; in specie de administratione Sacramentorum plana faciamus, quô friuola omnia Aduersariorum contra Dei Ecclesiam argumenta & cauilla diluantur ac proterantur: nôsse fuerit operæpreciũ, sanctos Patres ex scripturis diuinis hanc nobis luculentam, solidam ac benè fundatam institutionem & informationem tradere, vt vbì nonnunquàm ob eam, quæ pro tempore est, Sacramentorũ administrationẽ error & dissensio existit, ità vt quidam eiusmodi administrationẽ eo nomine sibi impugnandam sumant, quòd integræ externarũ specierum, sub quibus Dñs Sacramenta instituit, exhibitioni aliquid detrahatur, atq; eam ob rem asserant Sacramenta hac ratione nõ rectè nec integrè administrari, sed mutila, dimidiata, & frustatìm vel ex parte duntaxat porrigi: contra id genus, inquam, emergentes errores, tradunt nobis Patres tres certas regulas, quibus diligenter inspectis, ex eiusmodi erroribus ad perspicuam veritatis cognitionẽ facilè pertingamus.

Obserua diligenter hanc institutionẽ.

Tres certæ, & in scriptis diuinis fundatæ Regulæ.

Primò aiunt, accuratè nos perquirere & peruestigare debere,
I. num vspiàm Scriptura diuina indicet, illum qui pro tẽpore est, vsum ac morem, tantundem in se cõplecti & continere, nec minùs præbere ac porrigere, quàm si species externæ, sub quib9 instituta sunt Sacra-
II. menta, omninò integrè & perfectè porrigerentur. Secundò, nũ quãdoq; Dñs, eiusq; sancti Apostoli, vel eorum proximi successores, qui & doctrinam & administrationem Sacramentorum ab illis citra dubium accepêre, ac deindè alij illos secuti, beati Ecclesiarum præfecti ac pastores, de quorum vera fide & integra ac pia vita nunquàm dubitatum sit, Sacramenta eo modo, qui pro tempore in vsu est, sed per
III. quosdam in dubium reuocatur, porrexerint & administrârint. Tertiò, an certa possit doceri experientia, Sacramenta illo qui pro tempore vsurpatur, modo administrata, non minùs virtutis & gratiæ in fidelibus operata esse & effecisse, quàm si modis omnibus integra externarum specierum exhibitione administrata forent. Tria enim hęc si vel coniunctìm vel singulatìm comperiantur, deincèps nihil ambigi oportere, quin is, qui pro tempore habetur, administrationis vsus, pro Christiano, pio & inculpato habendus sit, etiamsi ex illo omnes externæ species non omninò integrè populo porrigantur.

EXPLANATIO ET CONFIRMATIO SIVE PROBATIO PRIMAE REGULÆ.

NE quis verò hisce de regulis quicquam hęsitare possit,D. Cypriani sanè elegantem epistolam, cuius antè mentio habita est,septimam quarti libri epistolarum eius, hoc loco aliquanto fusiùs explicatam,in primæ regulæ cõfirmationem proferre statui,quòd inprimìs huc faciat. Eius sancti viri ętate erant,qui putarent Sacramentum baptismi illis non rectè nec integrè administrari & conferri,qui ob aduersam valetudinem lecto decumbentes,non totius corporis immersione, sed modicæ aquæ adspersione se fecissent baptizari,eô quòd (vt Cyprianus ait) aqua salutari non loti essent,sed perfusi. Aiebant eiusmodi baptismum, formæ baptizandi ab Christo ipso institutæ,nulla ratione cõsentire,aut esse consentaneum. Christũ enim suis Apostolis istiusmodi dedisse mandatũ: Euntes,baptizate omnes gentes: non autem, Euntes, adspergite omnes gẽtes. Qua in re certè faciebat pro illis institutionis Sacramẽti huius litera,quandoquidem βάπτων, vndè baptismus, nõ adspergere, sed immergere vel intingere significat: nec dubium, quin illi præterеà senserint,diuinum huius Sacramẽti mysterium eum totius immergendi corporis,atq; ex aqua rursus emergẽdi modum necessariò flagitare,quòd Christus ipse certa & expressa cum conditione dixerit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritusancto, non potest introire in regnum Dei. Id quod Apostolus Roma. 6. latiùs prosequitur & explicat his verbis: Cõsepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem,& si cõplantati facti sumus similitudini mortis eius, (quod immersio significat) simul & resurrectionis erimus: (quod sibi vult emersio & reditus ex aqua.) Hac ratione illi quos diximus aduersarij baptismũ adspersionis pro legitimo, integro & Christiano agnoscere & habere nolebant, perindè vt nostri Aduersarij communionem alterius speciei pro legitima & integra habere nolunt, eosq; qui hac ratione baptizati essent,non Christianos,sed clinicos appellabant.

[Margin: CAP. 25.]

[Margin: Temporibus Cypriani quidã baptismũ sola adspersióe aquæ collatũ, ceu mutilũ & mãcũ, quòd ad speciẽ externam ab ipso Domino institutã, attinet, impugnárunt.]

[Margin: Matth. 28.]

[Margin: Iohan. 3.]

Verùm id genus cõtẽtiosorũ hominũ antilogia vel contradictiõe posthabita, Cyprian' memorata epistola decernit ac statuit, baptismũ adsper-

Licèt baptismus adspersionis aquæ videatur in externa administrāda specie mācus esse & mutilus, nihilo minùs Cyprianus eū pro sufficiēti & integro habet.

adspersione collatum, æquè Christianum, sufficientem & efficacem esse, atquè illum qui totius corporis in baptisteria immersione fiat, etiamsi videatur, quòd ad externæ speciei administrationem attinet, mancus esse & mutilus: idq; ex antè dictis prima & tertia regulis. Primò enim, tametsi Dominus dixit, Baptizate, id est, immergite omnes gentes, *non tamen*, inquit, *quenquam mouere debet, quòd (non immergi, sed) adspergi vel perfundi videntur ægri, cùm gratiam Dominicam cōsequuntur, quandò scriptura sancta per Ezechielem cap. 36. loquatur & dicat: Et adspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditijs vestris, & mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vobis*, &c. Adducit item loca alia ex Numerorum cap. 19. & 8. &c. quibus omnibus probat, scripturam sacram purificationem & expiationem integram, non minùs adspersioni vel perfusioni, quàm immersioni tribuere: atque vtrunque hunc baptizandi modum, quòd ad vim & efficaciam attinet, pro eodem habet. Atque indè porrò infert: *Quandoquidem ex scriptura appàret, adspersionem quoquè instar lauacri obtinere, quandò hæc in Ecclesia fiunt, vbì sit & dantis & accipientis fides integra, stare omnia: & consummari ac perfici eos (qui, adspersione baptizati sint, æquè atquè illos qui immersione) salutari aqua & fide legitima Christi gratiam consecutos. Non enim in vllo mutilari & debilitari posse, (vt etiā antè ex hac epistola relatum est) diuina beneficia, nec minus aliquid illic posse contingere, (putà, in paruo, quàm in magno) vbì plena & tota fide & dantis & sumentis Sacramenta accipitur, quod diuinis muneribus hauritur.*

Diuina beneficia diminutiōe externarū specierū, sub quibus sacramēta instituta sunt, nō dimidiantur, nec mutilantur.

Hæc ad primam regulam pertinent, quæ (vt mea fert opinio) Aduersarij eò minùs oppugnabunt, quòd intelligentiam ex scripturarum collatione haustam, propemodùm pro vnico veroq; scripturæ intellectu habendam censeant.

August. In dubijs, ait, cōsulendā regulā fidei ex collatiōe scripturarū & Ecclesiæ authoritate pceptā De doct. Christ. lib 3.

Deindè Cyprianus eundem in modum ex tertia probat regula, eū quem diximus baptismum, etiamsi externus baptizādi modus à Domino institutus, non adeò exactè & integrè in illo seruetur, pro vero ac perfecto habendum esse: idque ratione certæ experientiæ, qua eius effectus comperiuntur: vt quòd eo pacto baptizati, æquè impugnatione, vexatione & incursu dæmonis liberentur, atquè illi qui immersionis baptismum accipiunt. *Hoc deniquè*, inquit, *& rebus ipsis experimur, vt necessitate vrgente in ægritudine baptizati, & gratiam conse-*

Experientia, certissima rerū magistra.

consecuti, careant immundo, quo anteà mouebantur, & laudabiles ac probabiles in Ecclesia uiuant, plusq; per dies singulos in augmentum cælestis gratiæ per fidei incrementa proficiant, &c. Hæc Cyprianus.

Nè quis autem fortaßis obijciat, eiusmodi baptizādi modum, vrgente necessitate duntaxat toleratum esse, in confesso est, à Cypriani temporibus iam diutissimè in Christi Ecclesia, non in necessitatis duntaxat casibus, sed aliâs etiam semper quotiès vsurpatur, præsertim in infantibus, illum pro Christiano, salutari ac sufficiente habitum esse, nec quisquam hactenùs defectum integri baptizādi modi, à Christo instituti questus est, quemadmodùm Aduersarij nostri hac tempestate ob species externas de nobis immanissimè conqueruntur, nulla eius habita ratione, quòd communio alterius speciei nō minùs duabus illis, quas diximus, regulis, atquè adspersionis baptismus asseratur & vindicetur, vti posteà latiùs docebimus.

Iam verò, vt prima regula pluribus adstruatur, in aperto est, Dominum suis præcepisse discipulis, certa verborū forma in baptismo vterentur, nempè, In nomine Patris, & filij, & Spiritussancti. Atqui illi nihilo minùs aliam vsurpârunt formam, quæ tamen tantundèm valeret, quantum prior: putà, In nomine Domini nostri IESV Christi: siquidem CHRISTI vocabulum simul & patrem vngentem, & Christum vnctum, & Sanctispiritûs vnctiōem comprehendit. Idq; in primis Ecclesiæ nascentis initijs aliquandiù obseruârūt, quô hocipso nomen Domini IESV Christi celebrius redderetur. Verùm hîc Melanchthon obstrepit, argumentum hoc minimè valere asserens, quòd textûs nusquàm affirmet Apostolos hac forma vsos: Baptizo te in nomine Christi. Ego verò sic sentio, siquidem ille Hilarium Tomo 1. de Synodis aduersùs Arianos, cùm hoc scriberet, legisset, non eum perindè scripturum fuisse. Hilarius enim sic habet: *Si verum est, quod Hæretici asserunt,* ὁμόουσιον, *idcircò improbari oportere, quia uitiosè intelligi soleat, pereant quoquè omnia diuina illa & sancta Euangelia salutis humanæ, nè postremò Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti iußi, tantùm in IESV nomine baptizauerūt.* Et est id admirādum sanè, Melāchthonē ausum negare Apostolos hac forma vsos, cùm tamen Actorum cap. 2. scri-

Apostoli externā in baptizando verborum formam aliquandiù mutârunt, non tamē mutato sensu.

Ex Melanchthonis verbis appâret, eū Hilarium minimè legisse.

ptum sit: Baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine IESV Christi, in remissionem peccatorum vestrorum &c. Et cap. 8. Cùm (Samaritani) credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, in nomine IESV Christi baptizabantur viri ac mulieres. Itemq; cap. 10. Et iussit eos Petrus baptizari in nomine Domini IESV Christi. Non hîc expressè habetur, eos baptizatos in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti, vt in Christi membra transirēt. Si ergò in locū formæ ab ipso Domino præscriptæ ac institutæ, aliam idem significantem & æquipollentem Apostoli ad tempus vsurpare potuerunt, quanto magis fas est æquiualentem externam speciem vsurpare pro altera?

Tametsi ea Domini verba, Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritussancti, tres immersiones iuxta literā exigant, tamē p Ecclesiæ authoritate sufficit vna immersio.

Et quamuis negari non possit, in ipsis Ecclesiæ primordijs verba illa Domini, Baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti, pro germano ipsorum significatu ità accepta esse, quòd ijs Dominus haud obscurè iusserit, baptizādos ter distinctè in aquā immergi debere, cùm Apostolorum canon 50. his constet verbis: *Si quis Episcopus aut presbyter in una initiatione non tres immersiones, sed unam duntaxat, quæ in mortem Domini detur, peregerit, deponitor. Non enim dixit Dominus, In mortem meam baptizate, sed, Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti.* Quamobrem etiam Tertullianus aduersùs Praxeam ità scribit: *Christus nouißimè mandauit discipulis, ut tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritumsanctū, non in unum: Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur.* Et rursus De corona militis, *Ter, inquit, mergitamur.* Similia habētur in Ambrosio & Augustino. Immò antiquus ille & pius Papa Pelagius vult hoc esse præceptum Euangelicum. Ità enim ait, vt videre est in ca. Multi sunt, de Consecrat. Distin. 4. *Multi sunt, qui in nomine solummodò Christi, una etiam mersione se asserunt baptizari. Euangelicum uerò præceptum, ipso Deo & Domino Saluatore nostro IESV Christo dicente & tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum baptisma unicuiq; tribuere, dicente Domino IESV Christo discipulis suis: Ite, baptizate omnes gētes in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti.* Ità Pelagius. Nec dubiū, quin diù admodùm in confirmationē Christianę fidei de sacrosancta Trinitate, ob confutandos Iudæos & Sabellianos, hoc ità constanter obseruatum sit.

At nihilo minùs, cùm modus baptizandi in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti cũ vna immersióe, nó minoré habeat eamq; Christianam significationé, vtì p eum vnica illa ac indiuidua sacrosanctę Trinitatis vnitas indicet, atq; idcircò æquè sit efficax, & alijs scripturæ locis consentaneus, vt de baptismo in nomine Christi suprà annotatum est, Gregorius I. Pelagij successor, & Concilium Toletanum 4. ex antè dicta prima regula vnã immersionem ceu Christianam ap̃pbârũt, vtì hodieq; multis ea locis vsurpatur. Vide Gregorium Regesti lib.1. Epist.41. ad Leandrũ. & c. Propter vitandũ. de Cõs. Dist.4.

Ex hac eadẽ regula p̃bat Augustinus lib.13. de Ciuit. Dei, cap.7. *licèt Dominus expressè cum certa conditióe dixerit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ intrabit in regnũ calorũ, nihilo minùs quicunq; etiam non percepto regnerationis lauacro, p Christi confessione moriuntur, tãtùm eis valere ad dimittenda peccata, quantùm si abluerẽtur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. *alia sententia istos facit exceptos, vbì non minùs generaliter dixit, Qui me confessus fuerit coram hominibus, cõfitebor & ego eum coram patre meo, qui in calis est* &c. Baptismus sanguinis. Ratio huius est, vt ipse alibì ait, lib.4. contra Donatistas, cap.22. *Quòd baptismi vicem impleat passio: cuius non leue documentum habeamus de latrone, cui non baptizato dictum est, Hodiè mecum eris in paradiso.* Immò eodem loco ex scriptura diuina & D. Cypriano docet, *etiam solam fidei confessionem, & fidẽ conuersionemq; cordis id quod ex baptismo deest, posse supplere, si fortè ad celebrandum mysterium in angustijs temporum succurri non potest* (illi, qui baptismũ quidẽ petat, sed morte subitaria præueniatur.) quẽ nos hodiè baptismum flaminis appellamus. Baptismus flaminis. Quã ob rem D. Ambrosius persuasum habuit, Imperatorem Valentinianum non amisisse baptismi gratiam, quam poposcit, licèt morte p̃uentus ad baptismum non peruenerit: vt habes In Oratione Funebri de obitu Valentiniani.

Hæc ergò omnia satìs sint asserendæ primæ regulæ, videlicet, etiamsi Dominus in institutióe sacramentorum suorum expressè significet, quænam externæ eorundem species esse debeât, nihilo minùs Ecclesiæ suæ præfectos & pastores posse illa sacramenta sub paucioribus externis speciebus religiosè ac piè administrare, cùm alibì in scriptis diuinis mentio fit, eiusmodi administratio-

nem

nem tantundèm in se habere atque conferre, àc si perfectè & integrè sub expressis & designatis speciebus omnibus fieret, neque debere pios externa verba, etiamsi conditionalia sint, qualia tamen hoc loco non sunt, nimìs anxiè & exactè vrgere, quandò nihilo seciùs institutionis fini & Domini voluntati sit satis.

ALTERIVS REGVLAE ASSERTIO.

CAP. 26.

Praxis Ecclesiæ docet, vt sacramentorum institutio intelligẽda sit.

Iohan. 13.

1. Cor. 4. & 11.

SEcunda quoquè regula non potest vllam apud quenquã habere dubitatiõem. Cùm enim Domini & Apostolorum eius exempla imitamur, atque eo modo Sacramenta administramus & conferimus, vt eos quondàm fecisse comperimus, nõ possumus aberrare: quandoquidem eiusmodi praxis Ecclesiæ, verba institutionis interpretatur & explicat, nosq; certiores reddit, vt illi institutioni satisfacere debeamus. Christus ipse ait: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodùm ego feci vobis, ità & vos faciatis. Vndè etiam rectè illud dictum est, Quòd omnis Christi actio nostra sit instructio, Et Apostolus quoq; de seipso dicit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, Quòd verò eiusmodi catholicæ Ecclesiæ praxi inniti, eamq;, præsertim in sacramentorum dispensatione, ob vitanda schismata sequi debeamus, D. Augustinus multis testatur locis, & infrà in Constañ Concilij defensione, prout necessitas postulare videbitur, vberiùs dicetur.

TERTIAE REGVLAE CONFIRMATIO.

CAP. 27.

Sacramenta sub paucioribus administrata speciebus si eãdem in fidelibus vim & energiam exercere comperiãtur, quã cùm species oẽs modis omnibus integræ ministrãtur, etiam sum de integra eorũ ad-

TErtia itidèm Regula non minùs certa est, atquè priores. Cùm enim certa id experientia testetur ac doceat euidentissimè, Sacraméta non minorem habere vim, energiam & efficientiam, quandò non nisi sub vna vel paucioribus speciebus vsurpantur & administrantur, quàm si cum perfecta ac modis omnibus integra externarum specierum omnium exhibitione ministrentur & conferantur, ecquis tandèm possit ambigere, sub eiusmodi specie ea integra esse & haberi? Ex effectu enim certissimè deprædendimus efficientis causæ veritatem: teste Cypriano in epistola paulò antè memorata, & D. Basilio in Summis Moralium, Summa 26. cap. 26. vbì ipsius Dñi verbis id probat, quæ apud Matthæum 7. cap. ità habentur: Nunquid colligũt de spinis vuas, aut de tribulis

tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, bonos fructus facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, &c. Itemq; Matthæi 12. cùm Pharisæi illam potentem dæmonum expulsionem, ex destinata malitia contra suam ipsorum cōscientiam Beelzebub adscriberent, Dominus ait: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructū eius malum: siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Multò etiam luculentiùs hæc regula adstruitur ex 10. & 11. cap. Actorum, vbì Petrus apud illos, qui aduersùm eum disceptabant, quòd intrâsset ad viros præputium habentes, & manducâsset cum illis, hac se regula tuetur, referens visionem ipsi cælitùs oblatā, & illud inprimìs, quòd ad ipsius prædicationē cecidisset Spiritussanctus super gentes, æquè atque in Iudæos. Cùm autē cœpissem loqui, ait Petrus, cecidit Spiritussanctus super eos, sicut & in nos in initio. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Iohannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritusancto. Si ergò eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominū IESVM Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis, tacuerūt, & glorificauerūt Deum &c. Qui locus pro nostra parte cumprimis est insignis & notatu dignissimus. Act. 1. Matt 3. Mar. 1. Luc. 3.

Itaq; si hasce tres certas regulas hoc in Articulo, quem Aduersarij non nisi vi quadam adhibita in controuersiam vocant, inspicere & expendere velímus, rem omnem totumq; hoc negocium illæ nobis clarissimè dubio procul expedient & absoluent, planumq; & testatū facient, communionem alterius speciei, Christianam, legitimam, & sufficientem esse, nec Seruatoris institutiói & ordinatiói repugnare.

PRIMA REGVLA COMMVNIO ALTERIVS SPECIEI ASSERITVR.

ENimuerò prima regula hanc cōmunionē asseri, vel indè liquet, id quod iam antè multis modis & plùs satis ꝓbatū est, tametsi Chr̄s in cœna sua V. Sacramentū sub duabus speciebus instituit, tn̄ alijs locis, disertis verbis illū significare & innuere, nos sub vna tantùm V. Sacramēti specie tantundē habere & accipere, quantū sub vtraq;, nempe, ipsum Christū Dn̄m integrum: atq; ità fines illos omnes, propter quos idem V. Sacramentū nobis CAP. 28.

percipiendum reliquit, æquè alterius duntaxat, vt vtriusque speciei sumptionem consequi nos posse. Vndè porrò ex hac certa & probata regula irrefragabiliter id conficitur, hanc vnius speciei communionem nihil pugnare cum Domini institutione, mandato, ordinatione & testamento, maximè cùm hæ duæ species non partes inseparabiles sint, vt Melanchthon ait, sed duæ separatæ species, sub quarũ vnaqualibet corpus & sanguis Christi integrè habentur.

Duæ species Sacramẽti, diuersæ & separatæ sũt, quarũ quælibet seorsum tantum cõtinet, quãtum vtraque.

Quamobrem verum esse negari non poterit, communionẽ hanc non mutilam & dimidiatam, sed integram & sufficiẽtem esse: quemadmodùm olim Luterus ipse, necdùm in schisma & errorem, cuius posteà (quo implète spiritu, probè iam intelligit) author & architectus fuit, planè demersus & absorptus, contra Boëmos defendit. Verùm satis mihi perspexisse videor, ecquidnam Melanchthoni desit: videlicet, diuinam transsubstantiationem, id est, conuersionem substantiæ panis, in substantiam veri, viui & viuificantis corporis Christi, ille credere non vult. Eam enim qui pro Catholica institutiõe & doctrina credit, nimirùm ille communionem alterius speciei neutiquàm sibi impugnandam sumet, immò verò ea benè contentus erit. Qui autem illam impugnat, is proculdubiò in corde suo eiusmodi diuinæ conuersionis fidem contra scripta diuina & Ecclesiam abnegat, & est infideli deterior. Hactenùs de prima Regula.

Cur Aduersarij Cõmunionẽ alterius speciei impugnent, ea sola ratio est, quod nõ credãt panem in corpus Christi transsubstantiari.

Quanuìs autem Communio alterius speciei ex hac Regula, inexpugnabili nitatur fundamento, at tamen Aduersarij quantùm maximè consequi possunt, illud oppugnare ac subruere nituntur: idq; hoc vtendo arguméto: Si sub altera specie tantum est, quantum sub vtraq;, atq; hæc cõmunio æquè efficax est vt altera, tantundemq; valet qua quis ratione cõmunicet, id est, siue sub altera, siue sub vtraq; specie, ergò Christus vtranq; speciem, quandò vna sufficeret, frustrà instituit: frustrà suis dixit & præcepit discipulis, Bibite ex hoc oẽs.

Aduersariorũ obiectio I.

II. Itemq; isto. Si ità esset, non scripsisset Apostolus Corinthijs suis, quos laicos fuisse constat, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quæ verba, vt præ se ferunt, præceptiuè scripta sunt. Verba, inquit Melanchthon, sunt disponentis & præcipientis, vt vtraq; parte vtamur.

Primæ diluuo.

Sed hæc Aduersariorum cauilla prorsus futilia sunt, nec vlla ratione

one possunt consistere. Primum quidem propterea, quòd non sit consequens, Deum olim multa atq; multigena sacramenta & sacrificia instituisse, idcircò etiam ex Dei præcepto vnumquenque obligatum fuisse ad eiusmodi sacramenta & sacrificia pariter sumenda ac percipienda. Quàm multiuaria Deus in veteri Testamento per Mosen sacramenta & sacrificia instituerit, quæ omnia vnicum illud sacrificium, tum adhuc futurum, multis modis significarent ac præfigurarent, iam suprà attigimus, satisq; perspectum est illis, qui Leuiticum, Mosis tertium librum, lectitârint. Nec tamen ea causa, quod in confesso est, quilibet è populo ex illis omnibus edere tenebatur. Sacerdotes quidem, dempto holocausto, ex omnibus comedebát, at vulgus minimè. De sacrificijs pacificis, vel gratiarumactionis atq; id genus alijs, cedebat vulgo sua portio, absque vini libamentis, quæ vnà cum his sacrificijs à sacerdote offerebantur: nec dubium quin p eiusmodi vulgi portionem non minùs ipsis integrum tum adhuc futurum sacrificium præfiguratum sit, quàm sacerdotibus, qui pariter & esculentis & poculentis sacrificijs vescebantur. Deindè eius spiritalis adhuc futuri sacrificij æquè àc sacerdotes spiritaliter participes facti sunt, etiamsi non omnes typicorum sacrificiorum species simul perceperint: quemadmodùm nusquàm proditum est, eos de gratiarumactionis hostijs quippiam edisse. Vt igitur hinc nemo argumentari potest, Dominum tam multijuges sacrificiorum species olim frustrà instituisse, quòd vulgus non omnes illas simul etiam ederet, sed tantùm sacerdotes qui eas offerre deberent, CHRISTI venturi multis modis significandi ac præfigurandi gratia: ità nec hîc cauillari quisquam potest, tametsi laicis non est necessariò sumendus calix, idcircò à Domino frustrà eum esse institutum.

Num. 15. 25. & 29.

Etiamsi laici non sumant calicem, non ppterea frustrà institutus est.

Nôsse enim ac meminisse debemus, quod iam suprà ,plixè annotatum est, Christum in sacrosancta Cœna sua corpus & sanguiné suũ non ea duntaxat causa instituisse, vt sit sacramentum percipiendũ, sed etiam, idque præcipuè, vt sit noui Testamenti sacrificium, in locum omnium prioris Testamenti sacrificiorum, in ipsius Ecclesia, donec veniat, colendũ & immolandum. Porrò cùm hoc idé sacrificium, eius semel in cruce pacti cruenti sacrificij exéplar & ἀντίτυπον esse

debeat, duas species illas potissimùm immolandi & sacrificandi causa voluit instituere, vt Apostoli & sacerdotes in eorũ locum ritè ac ordine acciti, consecratione & publica oblatione & eleuatione ac monstratione vtriusq; speciei, populo eius sub quodam exemplari vel antitypo, & commemoratoriè id repræsentarẽt ac ob oculos statuerent, vt ipse Dei filius non modò corpus suum semèl pro nobis tradiderit, sed etiam preciosum sanguinem suum in cruce ꝓpter nos profuderit, atq; hoc ipso acerbam mortẽ perpessus sit, sicq; vt Apostolus ait, non sinè sanguine, sed per proprium sanguinem introierit semèl in sancta, vtì pro eiusmodi ineffabili benignitate & beneficio perpetim nos illi gratias agamus. Nam tametsi sub qualibet specie re vera tantundem est, quantum sub vtraq;, at tñ species panis, itemq; vini per se sola separationẽ illã preciosi sanguinis à sacratissimo corpore illius tam exactè & significanter non indicat vel repræsentat, vt ambæ species simul. Quamobrem etiam hoc visibile nouæ legis sacrificium sub vtraq; specie institutum est, vt pro sua natura inuisibilis sacrificij illius semèl in cruce litati, cumprimìs consentaneum sit exemplar & ἀντίτυπον: vtì Augustinus hoc Ecclesiæ sacrificium hisce verbis describens, ait Sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij sacramentum, id est, sacrum signum esse.

Heb. 9.

Cur sub vtraque specie sacrificiũ.

De Ciui. Dei lib. 10. cap. 5.

Cùm igitur Apostoli & sacerdotes iuxta memoratam Dominì institutionem V. Sacramentum sub vtraq; specie offerre deberẽt, hoc etiam præceptum adiungere voluit, vt speciem vtranq;, postquàm ità consecrata & oblata est ab eis, ipsi quoquè perciperent: vtì id temporis Apostolos omnes fecisse Marcus ait. Siquidẽ Leuit. 6. ità scriptum erat: Ista est lex hostiæ pro peccato: Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto. Quæ nimirùm scriptura per Christum solui non debuit, sed adimpleri. Vndè etiam Apostolus ait 1. Cor. 9. Nescitis quoniam qui in sacrario operãtur, quæ de sacrario sunt, edunt? & qui altario deseruiunt, cum altario participant? vtì hoc posteà ex Apostoli verbis in Concilio Toletano duodecimo, cap. 5. latiùs explicatum est, Canone illo inter cætera etiam ità dicente: *Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* Rupertus quoquè Tuitiensis in memoratum Leuiti. 6. caput indicat his verbis: *Benè ergò ac legitimè Canonica censuit authoritas*

Cur sacerdos sacrificans vtranq; debeat speciem sumere.

ritas, vt nunquàm ſacerdos, qui Miſſas celebrat, omittere audeat, quin ipſe communicet. Hæc igitur ratio eſt, quamobrem ſacrificans ſacerdos, iuxta huius inſtitutionem ſacrificij, vtranque ſpeciem ſemper accipere debeat.

Cum illis verò ſacerdotibus, qui Miſſas non faciunt, & laicis non ſacrificantibus, id eſt, Chriſti corpus & ſanguinem eius loco vel vice non conficientibus, nec liturgia publica (quæ illis demandata non eſt) Chriſtiano populo cum quadam illius ſemel in cruce factæ effuſionis ſanguinis repræſentatione exhibentibus ac proponentibus, lógè alia ratio eſt. Cùm enĩ ad hos nõ immolatio vel ſacrificatio, ſed tantùm eſus vel participatio ſacrificij pertineat, ſatìs eſt illis (vtpotè ea, quam diximus, ratione non compræhenſis) ſi hac ſacrificij perceptione vel communicatione Chriſtum immolatum cum omnibus illius diuinis donis & chariſmatîs (ſiue ſub altera id fiat, ſiue ſub vtraque ſpecie) perfectè obtineant, & tantundem re vera conſequantur, quantum ipſe ſacrificans ſacerdos. Nec obſcurum eſt, eiuſmodi diſcrimen olim in veteri lege habitum, nec ſanè inter ſacerdotes modò & laicos, verùm etiam inter ipſos ſacrificantes & nõ ſacrificantes ſacerdotes, vtì 1. Reg. 2. cap. ſcriptum eſt, virum Dei, qui venit ad Heli, quẽ Dominus cum poſteris eius à ſacerdotij functione amoturus erat, hunc in modum illi dixiſſe: Futurum eſt autem, vt quicunque remanſerit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum & tortam panis, dicatq́;: Dimitte me, obſecro, ad vnam partem ſacerdotalem, vt comedam buccellam panis.

Nõ ſacrificãtibus ſufficit ad cõmunionem altera ſpecies.

In veteri Teſtamento idẽ habitũ diſcrimen.

Nec eſt ſanè, quòd hac re laici ſe torqueant, tanquàm Domini mandatum hoc ab ipſis neceſſariò & coactu quodam repoſcat & exigat, vt ipſi quoquè è calice bibant: quandoquidem Domini verba in Cœna non ad illos præceptiuè, ſed propriè ad Apoſtolos, & illis ſucceſſuros Eccleſiæ præpoſitos ac præfectos, dicta ac directa ſunt, idque eo pacto, vt potiùs ſint verba poteſtatem tradentis, quàm præcipientis: quibus illis, & non laicis venerabilis Sacramenti diſpenſatio, poſtquàm illud conſecratum & immolatum eſt ab eis, demandata eſt: cuius diſpenſationis eis demandatæ non laici, ſed illi Domino rationem reddituri ſunt. Quid ergò neceſsè eſt, laicos vſqueadeò illorũ ſeſe functioni ac miniſterio immiſcere, maximè cùm nõ ignorẽt

Laici fruſtrà ſe occupãt ea re, nũ ex Domini mãdato teneãtur ſub vtraque ſpecie communicare.

nõ minùs sub altera, quàm sub vtraq; V. Sacraméti specie se cósequi? Immò cùm sub ipsa panis specie non modò Christi corpus edant, sed etiã preciosum illius sanguiné per fidem spiritaliter ac salutariter bibant, adeò vt nec de bibendi sanguinis veritate quicquam illis decedat? Porrò ad verã illã internamq; ac spiritalé potationé passim studiosè prouocamur. D. Eusebius Emisenus Sermo. 5. de Pascha: *Sacrũ Dei tui corpus*, inquit, *& sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiori assume.* Et meo quidem iudicio Dñs hoc haud obscurè significauit, cùm ait Iohã. 6. Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum. In quæ verba sic scribit Augustinus: *Qui venit ad me, hoc est quod ait, Qui credit in me. & quòd dixit, Non esuriet: hoc intelligendum est, Et non sitiet vnquàm. Vtroq; enim significatur illa æterna satietas, vbi nulla est egestas.* Quò faciunt etiam illa, quæ Sermo. 2. de verbis Apostoli habet: *Illud manducare*, inquit, *refici est. Illud bibere, quid est nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam, & integra est vita.* Indè adeò est, quòd idem vir sanctus, & ante eum D. Cyprianus alibi non vno loco docent euidenter, nos CHRISTI corpus simul edere & bibere: respicientes hauddubiò ad iam dicta Domini verba, Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet: quandoquidem hîc Dominus generatìm omnes ad se tãquàm ad panem viuum inuitat, quo pariter & famem sedare & sitim possint extinguere.

> Intellige nihilo minùs etiam verè & substãtialiter eos Christi sanguinem bibere, vt superiora satis probãt, & ea quæ sequuntur.

Cyprianus Serm. de cœna Domini: *Manducauerant* (maiores, inquit, nostri) *& biberãt de eodé pane secundũ formã visibilé.* Et D. August. Epist. 152. *Et quicunq;*, ait, *in ea* (catholica Christi Ecclesia) *corpus Christi mãducauerit indignè, iudiciũ sibi manducat & bibit.* Et in Psalmum 33. *dicit nos manducando crucifixum & bibendo illuminari.* Huc accedit, quòd hæc edendi sanguinis phrasis non est scripturis insolens aut inusitata. Leuit. 7. sic habes. Sanguinem omnis animalis non sumetis in cibo. Oĩs anima quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis. Augustin. li. 3. Quæstionum in Leuiticum, cap. 57. ait in veteri lege *prohiberi sanguiné manducare, in noua suberi.* Quæ cùm ità se habeant, quandò Christi viuum ac vitale seu viuificans corpus edimus, vnà etiam eius sanguinem manducamus & bibimus.

> Vide quàm pulchrè hæc quadrẽt ad ea Apostoli verba: Quicũque mãducauerit pané hũc, vel biberit calicé Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Atque

Responsio ad obiectionem ex illis Domini verbis Iohan.6 Nisi manducaueritis carnē filij hominis,& biberitis eius sanguinē &c.

Atq; ex hoc fundamento, vel hac ratione etiam Boëmorum argumentis itur obuiàm, illis Dñi verbis Iohan.6. precipuè nitētibus: Nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinē, nō habebitis vitam in vobis: ità videlicet, qui V. Sacramentū sub panis specie percipiant, eos sub illa specie non modò carnē filij hominis, sed simul carnē & sanguinē eius manducare & bibere; sicq; piè admodùm hisce Dñi verbis satisfacere, ꝙ edere & bibere sub vna specie, vtriusq; speciei vsurpationi vi & efficacia æquipolleat, id est, æquè in nobis efficere & operari possit vitā æternā. Idq; eô magìs, quòd D. August. Sermone ad Infantes ad altare, citato à Beda in Collect. 1. Cor. 10. ità scriptum reliquerit: *Nulli est aliquatenùs ambigendum, tunc vnumquenq; fidelium corporis sanguinisq; dominici participem fieri, quandò in baptismo membrum Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicisq; consortio, etiamsi antè quàm panem illum comedat & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quandò ipse quod hoc Sacramentum significat, inuenit.* Vides hîc sanctum virum iam allatam Domini sententiā Iohan 6. Nisi manducaueritis &c. ex prima Regula eo modo accipienda docere, quo etiam illam Iohan.3. accipiendam docet: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritusancto, nō intrabit in regnum cælorum. Vt enim huius declarandi causa ait, (quod suprà positum est) eū qui hoc dixit, etiam alibì dixisse, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: sic quoq; proculdubiò hîc dicere vult, eum qui Iohan.6. his vtitur verbis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: alio loco hac oratione vsum, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: ità vt sententia alia per aliam intelligēda sit, atq; in illis rebus, quæ absolutè necessariæ sunt ad salutem, potiùs Domini mentem & intentionem, quàm literæ rigorē & externa spectanda & inspicienda esse. Atque hæc quidem inpræsens respondisse sufficiat ad illa totiès iam repetita Domini verba Iohan.6. præsertim quandò Aduersarij, dempto tamen Andrea Friccio, ad communionē vtriusque speciei illa non vrgent, sed de sola spiritali comestione & potatione accipiunt, in quo tamen ipso cum priscis illis sanctis patribus non consentiunt.

Porrò

Porrò quanuis hæc ità se habeant,non tamen me præterit esse nónullos,qui sub singularis cuiusdã religionis prætextu hóc de se alijs significent,ità ipsos persuasum habere,si quidé ex Domini calice foris bibere sinerentur, non alitèr ipsos affectos fore,quàm si ex ipso Domini latere biberent.Hac verò deuotione alterius duntaxat speciei administratione ipsos fraudari.Verùm si id genus homines crederent, Christi carnem & sanguinem facta transsubstantiatione sub altera panis specie substantialiter adesse,possent vtiquè eadé circa eã deuotione perfrui,àc si calix illis porrigeretur. Puto enim eos certò credere,verum ipsos manna cæli illic habere. Id verò omne delectamentum,omnem dulcedinem & omnem saporis suauitatem pro crédentibus in se cõtinet,atq; in illo administrantur. Huius enim mannæ figuram vel typum vetus Testamentum,vt notum est,eum in modum describit,quòd Israëlitis antè quàm contra Dominum murmurare cœpissent,simul escæ ac potionis loco fuerit: quodq; illis è cælo plucrit,Psalm.77.Quamobrem,vt Philo ait libro,Quòd deterius potiori insidiari soleat, Propheta quandoquè petram vocat manna per synonymiã, id est, spiritalem petram,& manna idem & esse & significare.Itemq; D.Gregorius Nyssenus in Vita Moseos ait hunc *nostrum cælestem panem,qui per manna ænigmaticè significatus sit,defluentem in terris inueniri.Et Cyrillus dicit Deum influere oblatis vim vitæ.* Si ergò in V. Sacramento sub altera panis specie verum habes manna,omnem in se dulcedinem & omnem saporis suauitatem continens:immò si habes illic veram petram,id est,Christum ipsum, per viuam fidem admoue os cordis tui,ede ac bibe realiter quantum libet per fidem tuã ex hoc manna & ex hac petra.Si esuris,habes hìc escam præclarissimam:Si sitis,habes in eadem esca potum præstantissimum: siquidem illum habes,qui ait:Si quis sitit,veniat ad me,& bibat.Iohan.7.Externa panis species hanc tibi spiritalem,eandemq; realem potationem non præripit.Notatu dignum est,quod Diuus Aponius in Cantica lib.3.scribit in ea verba: Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi: *Botrus ille,*inquit,*qui à duobus iuuenibus de terra repromissionis in desertũ perlatus fuisse legitur,omni modo figuram adsumpti hominis Christi redemptoris nostri signabat.Qui vtiquè(botrus)pro loco, vel tempore,vel causa, esca & potus Ecclesiæ factus est,per corporis sui & sanguinis Sacramentum.* Vbì id mihi

Vt quidã putét se maiori deuotione fruituros in vtriusque speciei,quàm alterius administratione.

Vt ij suæ possint deuotioni satisfacere.

Sap.16.

Veteris Testamenti manna fuit Israelitis simul esca & potus.

In Eucharistia sub altera specie panis licet edere & bibere spiritaliter ac realiter p omni cordis voto ac desiderio.

Cant.1.

id mihi Lector expendas velim, quid dicere velit, cùm ait, Hunc botrum factum esse escam & potum Ecclesiæ pro loco, vel tempore, vel causa. Itaque si hunc insigné botrum à duobus populis Iudæis & Romanis, vt idem Aponius ait, in crucis patibulum leuatum, in venerabili Sacramento sub altera specie substantialiter præsentem habes, habes illic etiam pro omni tua necessitudine & desiderio cibum potumque simul: tantùm fidem huc adferas tuam, & ede ac bibe indè, quantum ea capere potest. Tantum indè gratiæ inundantis, vt ait Cyprianus, *hauries, quantum illuc fidei capacis attuleris*: id quod ante nos pij ac Deo deuoti Christiani re & actu ipso experti sunt: qua de re consulas licet pijssimum illum Thomam Malleolum à Campis, qui post Concilium Constantiense fuit, libello de Sacramento Altaris, cap. 1. 4. & 14.

Atqui in diuersum, videlicet non solùm internè vel intra se, sed etiam sub externa specie sanguiné eos bibere debere, Bucerus Chrysostomum allegat Homiliam 18. in 2. ad Corinthios, vbi sic habet: *Est autem ubi nihil differt sacerdos à subdito, ut quandò fruendum est horrendis mysterijs: similiter enim omnes ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in ueteri lege, partem quidem sacerdos comedebat, partem autem populus: & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos. Sed nunc non sic: uerùm omnibus unum corpus proponitur & poculum vnum.* Hactenùs Chrysostomus: qui hoc loco, vt ipse Bucerus non fuit nescius, de suorum temporum more duntaxat agit, quandò communio vtriusque speciei laicis porrigebatur: neque his tamen communionem alterius speciei, quæ ipsius & Basilij tempestate etiam in vsu fuit, id quod negari nô potest, & ad secundam Regulam perspicuè docebitur, vllo pacto reiectam & explosam voluit. Verum quidem est, Dominum IESVM in sui institutione venerabilis Sacramenti nô expresè id præscripsisse, vel præcepisse, vt, quòd ad perceptionem attinet, inter sacerdotes & laicos aliquod necessariò discrimen esse oporteat: sed propterea tamé Apostolis suis & eorú successoribus, vtpotè dispensatoribus & œconomis suis, potestaté quam eis contulerat, non abstulit, videlicet V. Sacramentum pro re nata, vel pro ratione téporú fidelibus suis vt cómodissimè fieri posse

Obiectio.

Dilutio.

Cur Chrysostomus sacerdotes & laicos in Eucharistiæ perceptione pares faciat.

visum sit, dispensandi & administrandi: salua tamen eorum qui sacrificant, proprietate, id est, vt illi ipsi sacrificantes semper vtranq; speciem, quam obtulerunt, etiam percipiant.

Chrysost. inter sacerdotes & laicos permultum vult interesse. Alibi sanè Chrysost. ipse, vt est suprà fusè annotatum, grande facit discrimé inter sacerdotes & laicos. Itaq; locus alius ex alio interpretãdus & intelligẽdus est. Quãobré etiã illud planè friuolũ est, ꝙ Bucer

Alia obiect. ꝑtereà obijcit, nõ solùm sacerdoté, sed vnà cũ illo populũ sacrificare,

Dilutio. vel Sacramẽtũ offerre. Verũ est id quidé. Offert em̃ populus cũ sacerdote interiore voto, acceditq; sacerdoti & adstipulat̃ sacrificio, precaturq; Deum, velit ea pro ipsis grata habere: atquì solus sacerdos id foris exequitur sacerdotali, eoq; publico ministerio, ipsi peculiariter demandato, suasque peculiares habente conditiones, laicis minimè communes: quod probatione fusiori opùs non habet.

Obiectio. Id verò insolés cũprimìs & absurdũ argumentũ est, quo Friccius cõtrà vtitur. Ponamus em̃, ait ille, laicis verũ Christi sanguiné nõ eripi, cùm eũ in eius viuo corpore accipiãt: at tamé fusus sanguis illis subducitur. Ait enim Christus: Bibite ex hoc oẽs. Hic est sanguis meus qui ꝓ multis effunditur in remissioné peccatorũ. Nõ potest aũt eius sanguis potari, nec

Hebr 9. is peccata potest diluere, nisi fundatur, vtì Paulus ait: Sinè sanguinis

Dilutio. effusione nõ fit remissio. Sed è diuerso mirũ est, Friccio nõ venisse in menté, quantoperè hoc argumentũ pugnet cũ Luterano dogmate. Si em̃ nõ solùm esse hìc necessè est corpus & sanguiné Christi, sed etiã, vt ipse sentit, sanguiné profundi, nõ iam hìc repræsentatiuũ, sed etiã cruentũ est sacrificiũ, atq; iuxta hãc sentẽtiã, Christus denuò crucifi-

Eucharistia est repræsentatiuum sacrificium. gitur. Verùm hanc opinioné Deus à nobis ꝓcùl abesse velit. S. Patres passìm nos docét, nõ hìc cruentũ, sed repræsentatiuũ & incruẽtũ esse sacrificiũ. Ità illud appellat Nicenũ Cõciliũ I. Gregor. Naziã. in Iulianũ, Cyrillus in Iohã. li. 4. ca. 22. & super Canon. 11. Concilij Ephesini.

Ambrosius in Epist. ad Heb. cap. 5. respondet Friccio his verbis: *Dominus in Euangelio ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberi-*

Nihil cruẽtũ hic in V. Sacramento animo concipiendum est. *tis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed in ista carne & sanguine nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat: nè sicut dicit Apostolus, qui corpus Domini indignè manducat, iudicium sibi manducet, sed viuificatricem substantiam atq; salutarem in pane & vino, per quæ si dignè sumantur, nobis est peccatorum remissio, & regni Dei possessio collata.* Hæc

Ambro-

Ambrosius. Equidem haud inuitus id Friccio assentior, in hac sacrificatione, quæ per sacerdotem duntaxat fit, repræsentatiuam quandã sanguinis Christi effusionem fieri, vtì etiam quædam repræsentatiua fractio hîc fit per eundem. Vocatur enim, inquit August. epist. ad Bonifaciũ, *ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manib. fit, Christi passio, mors, crucifixio: non rei veritate, sed significante mysterio.* Vt ergò Laico necessariũ non est, vt ipsemet ad repræsentandam extrinsecùs passionem Christi, panem consecratũ frangat, quod solus sacerdos ceu λύτεργος vel minister publicus facit: ità quoq; illi necessum non est, vt in ipsius persona sub externo signo repræsentatiua sanguinis fusio peragatur. Satìs est illi, sacerdotem nomine totius Ecclesiæ in ipsius præsentia repræsentatiuum sacrificium sub vtraq; specie (vtpotè ad eiusdem sacrificij integritatem necessaria) perficere: cuius etiam per deuotioné suam se potest participem reddere, atq; porrò corpus & sanguinem Chr̄i integrè accipere: quæ quidẽ pceptio vel sumptio tã integra est sub altera, atq; sub vtraq; specie. Et hęc ad primũ partis aduersę argumẽtũ, de ĩstitutiõe V. Sacramẽti sub vtraq; specie respõdisse sufficiat.

Ad aliud argumentum ex prioris ad Corin. ca. 11. allatũ, quod Melanchthon cumprimìs vrget, népè, Apostolũ eam epistolã toti Corinthiorũ Ecclesiæ scripsisse, non presbyteris tantùm: eumq; illic his vti verbis: Ego accepi à Dño, quod & tradidi vobis: ac deindè præcipere eum, vt probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, idque copulatiuè, eamque copulatiuam, Et, illum ibidèm tertiò repetere. Itaq; Christianos omnes, vnà & panem edere, & calicem bibere oportere &c. ad hæc, inquam, ità respondendum est, Apostolũ quæ eo loco de cœna Domini scribit Corinthijs, non præcipiẽdi aut legem præfigendi ratione scribere, sed referre illis duntaxat, queadmodùm à Dño V. Sacramentum institutum sit: eaq; explicata institutione, castigare eum abusus, qui apud illos contra eã institutioné, eò ꝙ nõ dijudicarent ab alijs escis corpus Dñi, irrepserant: adeò vt Apostoli eo loco verba tantundem nobis significent, quantum ipsius institutionis verba apud Euangelistas: eaq; causa non magìs illa, quàm Euangelistarũ, verba ad Laicos detorqueri posse. Qui enim exponit & declarat institutionem, sicut eam accepit, is nihil addit institutioni, sed eam tantùm illustrat, & ob oculos ponit.

Responsio de loco Pauli, 1. Cor. 11. quem Melanchthó admodùm vrget.

Apostolus tãtùm refert Corinthijs, vt Dominus Eucharistiã instituerit.

Ea Pauli dicta, Probet autem seipsum homo &c. vt accipienda.

Quòd autem dicit, hæc Pauli verba, Probet autem seipsum homo, &c. eam præcipiendi vim secum adferre, quòd quilibet sub vtraque specie Eucharistiam sumere teneatur, id ego illi neutiquàm assentior. Is enim illorum verborum germanus & certus sensus est, quãdoquidem erant inter Corinthios, qui non dijudicarent corpus Domini, in ipsorum vtiquè grauissimum iudicium & condemnationem, eapropter hortari & instituere illos Apostolum, quandò pro illorum temporum more percepturi essent corpus & sanguinem Domini, vt priùs se probarent & explorarent. Id quod illa eius verba testantur: Hoc facite, quotiescunquè bibetis. Itemq; illa: Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis. Non ergò iubet absolutè manducare panem & bibere calicem: sed cùm manducandus est hic panis, & bibendus iste calix, ostendit quo pacto salutariter edatur & bibatur. Nec in his eius verbis, Et sic de pane illo edat & de calice bibat, copulatiuam Et, id velle, vel necessariò exigere, vt semper vnà hunc panem edere & sanguinem extrinsecùs bibere nos oporteat, satìs indicant ea, quę ab Apostolo eodẽ loco referũtur: Quicũq; manducauerit panẽ hũc vel biberit calicẽ Dñi indignè, reus erit corporis & sanguinis Dñi. Hîc iã nõ, vt etiã suprà dictũ est, copulatiua Et, sed potiùs disiũctiua (vel) habetur: sicq; locus alius aliũ interpretať, vtì plerũq; pręcedẽtia verba posterioribus exponũtur ac declarantur. Nec dubiũ quin hæc Apostoli mẽs sit & sentẽtia, ꝙ queẽadmodũ is ꝗ vel edit corp⁹, vel bibit sanguinẽ Dñi indignè, reus est vtriusq; & corporis & sanguinis Dñi, iudiciũq; & mortẽ sibi mãducat & bibit: ità ediuersò cũ qui vel edat corp⁹, vel bibat sanguinẽ illũ dignè, vitã sibi mãducare & bibere.

Obiectio.

Melanchthon id vult esse sophisticũ, prouocatq; ad veritatẽ, quæ pulcherrima virtus sit. Atquì cõtrà ego assero, à Melanchthone allatam interpretationem, cumprimìs merè sophisticam habendam, nec minùs etiã ego aduersùs illũ ad ipsam veritatẽ prouoco. Ait ille, Apostolũ hîc disiunctiuã vel, eô vsurpâsse, quô eius comminatio tãto esset horribilior, nosq; sciremus, singulis Sacramenti partibus parem deberi honorem. Porrò magna Sacramentum ignominia affici, quãdò eius pars quędã sumi prohibetur: cumq; ea ignominia potissimùm ad calicẽ pertineat, Apostolũ nos hîc eius abusûs noïe acriter obiurgare, quandoquidem eius verba, Quicunq; mãducauerit panẽ, vel biberit

Dilutio.

calicem

calicem Domini indignè, inter alia id sibi velint, eum qui calicẽ vetet, aut non percipiat, reum esse corporis & sanguinis Domini &c.

Sed quæso te amice lector, tecum ipse perpendas, sit ne hoc crassum planè sophisma, quòd Melanchthon ea verba, Qui biberit calicem Domini indignè, id vult significare. Qui calicis vsu interdicit, vel calicem non bibit. Num igitur hoc loco amor veritatis in Melanchthone, qui Ecclesiasticarum controuersiarum dijudicationem sibi sumit, excellat, tum dijudicato. Confer Melanchthõis interpretationem cum Ecclesiæ interpretatione, atq; tum statuas, vtra veritati sit magìs consentanea. Insulsa Melanchthonis interpretatio

Adeoque quandò Melanchthon ipse fatetur, cuilibet Sacramenti speciei parem deberi honorem, certum est, Apostolum hac disiunctiua id innuere, vnamquamlibet speciem integrum esse Sacramentum, cùm alioquì vni alicui parti, quæ per se sola nõ esset sacramentum, honor ille congruere nõ possit, qui integris corporis & sanguinis Christi sacramentis debetur.

Prætereà in confesso est, etiamsi Apostolus hac se sententia non declarâsset, quo pacto voculam illam *Et*, in priori sententia vellet accipi, at nihilo minùs non ità vt vult Melãchthon, eam necessariò intelligi oportere, vt concursum vtriusque coniuncti requirat. Coniunctionem enim nonnunquàm pro disiunctione accipi Labeo ait: Et Paulus Iurisconsultus inquit, sæpè ità compertum esse, vt cõiuncta pro disiunctis accipiantur. Præsertim verò, vt Iurisperiti aiunt, dictio Et, pro dictione Vel, tum accipienda est, quandò cõiuncta reipsa vnum sint: aut si ex re ipsa vel argumento, de quo agitur, aliud iudicari æquum sit. Atquì plùs satìs iam suprà docuimus, panem cõsecratum re ipsa vel realiter tantundem in se habere, quantum consecratum calicem: & è conuerso, eiusdemq; ea esse efficientiæ &c. Vocula Et, sæpè pro vocula Vel, accipitur.

Itaq; hac ego spe ducor, me abũdè planũ perspicuumq; fecisse, nõ attentis cunctis hisce pręcipuis Aduersariorũ argumentis & cauillis, communionem alterius speciei, nihil omninò pugnare cum Domini IESV institutione, quicunq; demũ hanc vocare visum sit, siue mandatum, siue testamentum, siue institutionem Domini, quòd videlicet in mandatis & institutionibus nihil referat, quid ex æquipollentibus fiat: In testamentis quoquè spectanda sit voluntas testatoris,

quam solam sufficit adimpleri, etsi non tam exactè ad literam verba seruentur: constetq; voluntatem testatoris, tum ex fine dispositióis, tum ex verbis eius alibì prolatis seu scriptis, tum ex alijs actibus ei⁹, suæq; domûs more depræhendi: quorum priora iam ostensa sunt, vltimum mox ostédetur. Nec dubitare velim, amice lector, quin ex his à me prolatis id assecutus sis, nos de Melanchthone & reliquis Aduersarijs, qui nos criminantur atque proscindunt, iure posse dicere, quod de Donatistis Augustinus dicit lib. 1. contra Cresconium Grammaticum, cap. 1. Communionem nostram non documentorũ pondere, sed maledictorũ leuitate criminantur. Atque hactenùs de prima regula dictum sit: iam porrò ad aliam accedimus.

ALTERA REGVLA AEQVE ADSTRVITVR ALTERIVS SPECIEI COMMVNIO.

Cap. 29.

ALtera Regula non minùs errorem hunc, atquè prima, discutit & conuellit: cùm probari facilè possit, multisq; doceri modis, vtì etiam facturi sumus, neque verò obscuris, sed omninò certis, illustribus & luculentis testimonijs, cõmunioné alterius speciei primò ab ipso Dño, deindè ab eius Apostolis, eorumq; proximis successoribus, viris planè Apostolicis, ac deincèps à cunctis Catholicæ Ecclesiæ p̃fectis & pastoribus ad nos vsque, pro Catholica, pia, salutari ac sufficiẽti esse habitam, ac identidèm Christianis, qui ea quoquè contenti fuére, administratam.

Melanchthon quidem hominibus persuadere nititur, moré hũc sub altera duntaxat specie communicandi, nupèr admodùm natum, & incertis authoribus cœpisse, qui illum non modò contra mãdatum Dñi, verùm etiã cõtra vetustũ Ecclesiæ moré introduxerint: atq; in huius postremi confirmationem quædã Patrum producit testimonia, Cypriani, Hieronymi, Historię Tripartitæ, cuiusdam Toletanæ Synodi, quã tñ non designat: & moré Ecclesiæ Gręcę, atque indiciũ quoddã eiusdé moris olim in Germania seruati &c. quibus doceat quòdàm Christianis oĩbus Eucharistiã sub vtraque specie ministratam. Quod quidé nemo negat, quinetiã in Constañ & Basileeñ conciliorũ decretis id palàm agnoscitur & affirmatur. Atquì porrò hinc ille inferre vult, veteri Ecclesiæ Chr̃i communioné alterius speciei prorsus

Melãchthon exempla adfert contra alterius speciei communionem.

Melanchthonis exempla & argumenta nihil faciunt contra vnam speciem & Ecclesiæ morem.

ꝓrſus incognitã nec vnq̃ vſurpatã fuiſſe: cùm tñ ipſe non ſit neſcius, eiuſmodi ratiocinationem ſuã non valere, inferre videlicet ex meris particularibus affirmatiuis vniuerſalẽ negatiuã. Nõ em̃ cõſequẽs ſit, quandoquidem Euchariſtia Cypriani, Ambroſij, Hieronymi &c. tẽporibus ſub vtraq; ſpecie fidelib' porrecta eſt, idcircò ijſdẽ tẽporib' nunq̃ ſub altera ſpecie porrectã eſſe, vtì nec illud ſequit: Philippus cum p̃fecto reginæ Aethiopũ deſcendit in aquã, & baptizauit eum immergendo, Itaque Apoſtolorũ æuo nunq̃ collatus eſt baptiſmus adſpergendo. Poteſtq; eiuſmodi vitioſa argumentatio facilimè reijci & confutari, ſi vel vno facto in medium ꝓlato doceri poſſit etiã ſecùs illis temporibus obſeruatum. Immò verò etiamſi tale aliquod factũ non extaret, nihilo minùs, vt Iuriſperiti aiunt, negatiua p rerum naturã improbabilis eſt. Hoc autẽ loco nos Catholici nõ vno, ſed vel ſexcentis, ijſq; certis & indubitatis exemplis perſpicuè teſtatum id efficere poſſumus, iam indè ab Apoſtolorum ętate perpetuis temporibus, non modò vtriuſque, ſed etiam alterius ſpeciei communionẽ in vſu fuiſſe, idq; præſertim Cypriani, Ambroſij, Hieronymi & aliorũ, quos Melanchthon ipſe in diuerſum adducit, temporibus. Actor. 8.

COMMVNIONEM ALTERIVS

SPECIEI, IAM INDÈ AB APOSTOLIS CHRISTI ECCLESIAE IGNOTAM NON FVISSE, ET SEMPER PRO INCVLPATA HABITAM.

AD ea iam teſtimonia nos conferimus, & ab ipſo Domino ſumemus exordium, exemplumq; illud in Conſtantieñ & Baſileeñ Cõcilijs huius rei gratia allatũ, in prima acie collocabimus, tametſi illud Aduerſarij magna contentione oppugnant. Lucæ 24. legimus Dñm, dum in Emaus cum duobus diſcipulis recumberet, accepiſſe panem, & bñdixiſſe ac fregiſſe, & porrexiſſe illis: apertosq; eſſe oculos eorũ, & cognouiſſe eũ in fractione panis: & ipſum euanuiſſe ex oculis eorum. Hanc rem geſtam ſiue hiſtoriam conferat quilibet cũ verbis cœnæ Dominicæ, atque eadẽ omninò verba cõperiet: nempe, Dominũ accepiſſe panem, benedixiſſe, fregiſſe & illis dediſſe vel porrexiſſe. Fuit ea nimirùm haud vulgaris benedictio, atque ità etiam poſt illam benedictionem neutiquàm vulgaris vel cõmunis panis: vtì ſancti Patres tam Græcæ

Cap. 30.

Chriſtus duobus diſcipulis in Emaus Euchariſtiã ſub vna ſpecie dedit.

q̃ Latinæ Ecclesiæ de administrata illis à Dño Eucharistia, locũ hunc accepêre & interpretati sunt. Chrysost. in ope imperfecto Homi. 17. in fine, & eius abbreuiator Theophylactus in cap. Lucæ 24. Augustinus lib. 3. de cõsensu Euãgelistarũ, cap. 25. *Permißio*, inquit, *satanæ facta est à Christo, ut inferret impedimentũ oculis eorũ, nè agnosceretur ab eis, usq; ad sacramentum panis, ut unitate corporis participata, remoueri intelligatur impedimentũ inimici, ut Christus poßit agnosci.* Beda deniq; in cap. 24. Lucæ: *Certi*, inquit, *mysterij causa factum est, ut eis in illo alia ostenderetur effigies, & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent: nè quisquã se Christũ agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est, Ecclesiæ, cuius unitatem in sacramento panis cõmendat Apostolus, dicẽs: Vnus panis, unum corpus multi sumus. 1. Cor. 10. ut cùm eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, ut agnoscerent eum* &c. Deindè subijcit verba Augustini iam citata.

Augustinus & Beda agnoscunt Christum discipulis in Emaus dedisse sacramentum sub specie panis.

Obiectio. Melanchthon in eam incumbit curam cumprimìs, luculentum hunc locum vt possit obscurum efficere. Principiò ait, incertum haberi, vtrũ locus hic de Eucharistia agat, eô quòd Hebraico idiomate panis fractio plerunquè conuiuium significet. Verùm hac de re ille interìm cũ Chrysostomo, Theophylacto, Augustino & Beda altercetur & disputet. Porrò quilibet è religione Christianus ex Euãgelistæ verbis haud difficulter animaduertere potest, non hîc prophanum ab eo conuiuium describi.

Dilutio.

Quod cùm Melanchthon quoquè aduerteret, ait, se interìm nihilo seciùs puulgatã veterum persuasionem, Christũ illis duobus Eucharistiã p̃buisse, nolle rep̃hendere: vt tñ nihilo minùs locũ hũc eluderet, ad tropos suos se recepit, dicens eam orationem synecdochicõs accipi oportere: id est, per panem, tanquàm per partem, totũ cõuiuium, atq; ità panem simul & vinum intelligi debere. Sed hanc synecdochen verba Euangelij & contextus ipse sermonis neutiquàm patiũtur. Euangelium testatur, duos hos vndecim Apostolis Hierosolymis congregatis narrâsse, vt cognouerint Dñm in fractione panis, siue in frangendo pane, quod nimirùm de vino accipi nõ potest: immò simulatquè in fractiõe panis agnouerunt eũ, euanuit subitò ab oculis eorũ, nec dubiũ, quin antè, q̃ poculũ aliquod in manus sumeret

Obiectio.

Dilutio.

meret ac bñdiceret:id quod veteres,& inprimìs Auguſtinus & Beda pſpicuè ſatìs innuunt.Quamobrẽ locus hic ſynecdochẽ nulla ratione admittit:nec quiſquã tñ ire inficiàs auſus erit, Dñm hic ex veterum ſententia Patrũ, non dimidiatũ, ſed integrum hiſce duobus ſacramentum porrexiſſe.

Et Melanchthon quidem hocipſum non ignorans, tandèm hoc pacto Eccleſiã oppugnat.Ponamus,inquit,ſolũ panẽ hîc eſſe porrectum,nec tñ indè ſequit̃,Eccleſiã ea eſſe authoritate, vt aliquã ſacramenti partem penitùs poſſit interdicere. Sed hoc eius cauillũ multò etiam minus habet roboris aut virium, vtì infrà in Conſtantieñ & Baſileeñ Conciliorũ decretis defendendis prolixè docebimus. Itaq; iam ad alia eius generis teſtimonia noſtra procedit oratio. Obiectio. Reſponſio.

Euangeliſta Mattheus dubiũ nõ eſt,quin p̃ter Euangelium Græcè ab ipſo ſcriptũ,etiam Hebraicè Euangeliũ cõſcripſerit, quod ſecundùm Hebræos dictũ fuit,quodq; D. Hieronymus in bibliotheca Cæſarienſi repertum,poſtmodùm græcè Latineq; vertit,quo etiã Origenes ipſe crebrò vſus eſt,teſte eodẽ Hieronymo lib.de Eccleſiaſt.Scriptoribus in Iacobo fratre Dñi.Ex hoc Euangelio citat ibidèm D.Hieronymus ea q̃ ſequuntur, q̃ cum illo Luc.24. loco ſatìs p̃ omnia conſentiunt.Matthæus(inquit Hierony.)ſic refert: *Dominus autem cùm dediſſet ſindonem ſeruo ſacerdotis, iuit ad Iacobũ,& apparuit ei.Iurauerat enim Iacobus ſe non comeſturum panem ab illa hora, qua biberat calicẽ Domini,donec uideret eum reſurgentẽ à mortuis.* Rurſumq; *poſt paululũ:Afferte,ait Dominus,menſam & panẽ. Statimq; addit:* Tulit *panem,& benedixit,ac fregit,& dedit Iacobo iuſto,& dixit ei: Frater mi, comede panẽ tuum,quia reſurrexit filius hominis à dormiẽtibus.* Obſerua, q̃ pulchrè inter ſe conſentiant Matthæi & Lucæ verba, in hiſce Domini factis referendis.Nec dubium,quin ea verba, Comede panem tuum,poſtq̃ illum Dñs benedixerat, & ſacratiſſimis manibus ſuis fregerat,hîc ſingularem quandam habeât emphaſim:tanquàm diceret Dñs:Non eſt panis vulgaris,ſed tuus panis, quẽ ſolum tu eſuris. Quẽ in modum etiã D.Ignatius Epiſtola ad Romanos ſcribit: *Non comedam eſcam corruptionis:panem Dei volo* &c. Vide ſuprà fol.80. Euangelium Matthæi ſecundùm Hebræos. Dominus Iacobo iuſto dedit Euchariſtiam ſub vna ſpecie.

Neq; veriſimile eſt,Dñm hîc Iacobo vini ſpeciem præbuiſſe,cùm

panem tantùm adferri iusserit, quem mox benedixit & fregit: nec facilè credi possit, D. Iacobum id temporis domi suæ vinum habuisse, quandò de illo Egesippus testatur, eum vinum nunquàm bibisse, prçterquàm in cœna Domini. Itaque hoc ego ceu altero argumento id testatum volo, Dominum ipsum haud obscurè nobis significâsse, Communionem vnius speciei, ipsius institutioni nihil esse aduersam, sed pro sufficienti meritò habendam.

Apostolos sæpius vsos cōmunione sub panis specie.

Porrò etiam Apostolos Domini idem posteà de illa sensisse, primò locus ille Act. 2. indicat, vbì mox ad ea verba, Qui ergò receperunt sermonē eius (Petri,) baptizati sunt &c. ista subijciuntur: Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Qui locus dubio procul de Eucharistiæ communicatione rectè accipitur, præsertim cùm Dionysius ille vetustissimus testetur, Apostolos huic V. Sacramento præcipuè ac peculiariter Synaxios, id est, cōmunionis vel cōmunicationis vocabulū imposuisse, idq; eas ob causas, quas in Ecclesiastica Hierar. parte 1. cap 3. cōmemorat: atque etiā ex illorū institutiōe fidelibus mox à baptismate traditam eucharistiam, vt eodem libro cernere est cap. 2. par. 3. *In fine, inquit, omnium pontifex ità perfectum ad sacratissimā Eucharistiam uocat, atque cōsummantium illi sacramentorum communionem deificam tradit.* Quin ipsa Euangelistæ verba luculenter inprimìs innuunt, de qua communicatione loquatur, quandò illam mediam ponit inter dispensatiōem doctrinæ Apostolicæ, & communes preces. Nam propter hæc tria cœtus Ecclesiastici ab Apostolis, vt notū est, instituti sunt, videlicet doctrinæ, communiōis & oratiōis causa. Prætereo hîc glossam interlinearem, & Nicolai Lyrani in eundē locum commentaria: itemq; homiliam D. Thomæ Aquinatis, quam nos solenni die V. Sacramenti publicè in templis legimus, in qua inter cætera etiam hæc habentur: *Sacramenti huius institutionem illo specialiter tempore recolimus, quo Spiritussanctus discipulorū corda edocuit ad* plane *cognoscenda huius mysteria sacramenti. In eodem autem tempore cœpit hoc sacramentū à fidelibus frequentari: quia legitur in Actibus Apostolorum, q̄ erāt pseuerantes in doctrina Apostolorū, & communicatione fractionis panis & orationibus, statim post Spiritussancti missionem.*

valiâs, plenè

Quæ

Quæ quidem vir iste beatus & impensè doctus, non è suo commentus est cerebro, sed ex commentarijs vetustissimorum patrum, quos ille ferè præ alijs omnibus suæ ætatis doctoribus habuit, ac miro studio lectitauit, collegisse putandus est. Immò verò etiam damnati illi Vualdenses in confessione ad Vladislaum confessi sunt, locum húc de V. Sacramento accipi oportere. Atqui solius fractionis panis hîc mentio fit. Huc accedit, quòd vix credibile videatur, (quandoquidem hoc loco textus de tribus millibus, & cap. 4. de quinque millibus recèns baptizatorum agit) hos omnes mox à baptismate, & ꝑtereà in cõmunibus cœtibus vel cõgregationibus, prçter cõmunicationem fractionis panis, semp etiã ab Apostolis calicẽ Dñi accepisse.

Sunt eius generis loci alij in Actis Apostolicis, putà Act. 20. vbi sic habes: Vna autem sabbati cum cõuenissemus (Troade) ad frangendũ panẽ, Paulus disputabat cum eis (qui eum secuti erant.) Quod nõ de ꝓphano aliquo conuiuio, sed de sacra cõmunione accipiendũ esse, vel indè licet colligi, ꝙ hîc ait, Vna sabbati cùm conuenissemus ad frangendũ panẽ: qua die certè olim Christiani potissimùm doctrinæ, communionis, communiũ precationũ, & eleemosynarũ in pauperum vsum conferendarum vel colligendarum conuenire solebãt. 1. Cor. 6. Sunt etiã quidã ex Patribus, qui illũ quoquè locũ Act. 27. vbi Paulus imminente naufragio refertur sumpsisse panem, gratias egisse, fregisse & manducâsse, de Eucharistia accipiendũ putent: potestq; fieri, vt posteà hoc exemplo Christiani per mare iter facturi, Eucharistiã secum sumpserint, vt si in discrimen venirẽt, absq; communione non exirent è corpore: id quod suprà in secundi articuli testimonijs videre licet, & infrà etiam latiùs attingetur.

Locũ Act. 20. meritò de V. Sacramento accipi debere

Locus Act. 27.

Fol. 442. & sequent.

Nec cuiquã mirũ videri debet, ꝙ cùm Apostolus 1. Cor. 11. Corinthijs suis cœnæ Dñicç institutionẽ sub vtraq; specie tradat ac referat, ipsiq; ꝑtereà Corinthij sub vtraq; specie communicârint, nihilo minùs ille nõnunquàm pro re nata vel præsenti conditione sub vna tantùm specie communicârit: quandoquidem citra dubium vllum Eucharistiã sub vna specie pro integro sacramẽto habuit, vt ex eius identidèm repetitis verbis 1. Cor. 10. animaduerti licet, quibus ait: Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes quidem de vno pa-

Mirũ videri non debere, Apostolum modò sub vtraq;, modò sub altera specie communicâsse.

ne participamus: quo loco, vt suprà annotatum est, nullam facit calicis mentionẽ. Itemq; ex 1. Cor. 11. vbì disiunctiuè dicit: Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, &c. vt in superioribus fusiùs indicatum est. Equidem non ignoro, his locis ex Actis Apostolicis prolatis, apud refractarios nihil posse effici, quippe qui locis alijs multò his illustrioribus & clarioribus caliginẽ offundere nitantur. Itaque ea porrò testimonia in medium adferam, quæ omninò luculenta & perspicua sint, nec vlla ratione possint eludi.

Eucharistia à Romanis Pótificibus quódàm pro extraneis episcopis asseruata, & eis aduenientibus transmissa, itemq; p paræcias ꝑpter hæreticos directa, altera tãtùm sacramenti speciés fuit.

Principiò quidem Eucharistiã sub altera specie iamindè ab Apostolorum temporibus diù admodùm in Christi Ecclesia pro Episcopis vel presbyteris aliundè aduentantibus, alijsque fidelibus asseruatam esse: eandemque propter illorum temporum hæreticos per Ecclesias directam esse, nè Catholici illis in locis catholica communione priuarentur, iam suprà non semèl annotauimus: videlicet inter cætera, vt Irenæus Polycarpi eius, qui Iohannis Apostoli auditor fuit, discipulus quadam epistola id temporis beato Victori Romano Pontifici scripta testetur, Romanæ sedis antistites, olim presbyteris vel Episcopis Ecclesiarum Romam venientibus Eucharistiam solenniter transmisisse, atq; hoc ipso illis immanissimarum persecutionum & multigenarum passìm ortarum hæresum temporibus certiores se reddidisse, illos episcopos vel presbyteros vnius secum fidei & Catholicæ communionis esse. Hæc autem ità asseruata Eucharistia, non dubium quin altera tantùm V. Sacramẽti species fuerit. Vide suprà fol. 429.

Docet idem & planum facit illa *Melciadis Pontificis & martyris ꝓuisio, qua constituit, vt ex consecratis episcopi oblatiões propter hæreticos dirigerentur per Ecclesias*, vt habes suprà fol. 429. Quod non potest ad vtranque speciem referri, sed de altera duntaxat, nempe panis, (quãdoquidẽ vini species neq; ad eiuscemodi p Ecclesias dirigendi vsum absq; magno periculo asseruari, neq; eo pacto dirigi vel circunferri potuisset) necessariò accipiendum est.

Episcopis aliquò profectis, olim missum erat diaconis af-

Prætereà hanc V. Sacramẽti sub altera specie asseruationẽ testatur etiam prima illa sancta vniuersalis Nicena Synodus, dũ Canone 14. disertis verbis ità statuit: Quòd si non fuerit in præsenti vel episco-

episcopus vel presbyter, tunc ipsi (diaconi) *proferant & edant sacram communionem.* Vide suprà fol. 435. Quod non potest non necessariò de vna duntaxat specie accipi, cùm non possit altera vini species breui elapso temporis spatio absque suî corruptione seruari.

Seruatam Eucharistiã sub altera specie porrigere.

D. Hieronymus vetustum hunc morem probat adhuc euidétiùs, ad Euagrium de septé Ecclesiæ ordinibus scribens his verbis: *Si fortè vsus exegerit, vt venientes ad Ecclesiã sacerdotes* (episcopos vult intelligi) *eisdem horis, quibus aut oblatio parata non sit, aut non possit offerri, non debere episcopum repudiare Eucharistiam presbyterorum,* si ponatur in altari. Quę hauddubiò de Eucharistia sub altera panis specie accipiéda sunt.

Deindè secundò, paulò post Apostolorum tempora diù satìs id in more positum fuisse, præsertim sæuissimis Christianorum persecutionibus atrociter grassantibus, vt Eucharistia sub altera duntaxat panis specie nonnunquàm sub multis particulis ab Ecclesiæ præpositis daretur fidelibus, mundissimis linteolis inuoluta, domum reuerenter ac deuotè absportanda, atq; ibidèm opportuno tempore pro ipsorum deuotione percipienda, prisci illi patres, quos suprà in altero de asseruanda Eucharistia articulo primario citauimus, multis testantur modis. Tertullianus quidem libro secundo ad Vxorem, & libro de corona militis, Item libro de Oratione. Vide suprà fol. 429. Quæ loca non possunt non de altera panis specie accipi, quòd vini species tam diù se asseruari non patiatur: id quod idem Tertullianus his ad vxorem verbis non obscurè significat: *Non sciet maritus* (de ethnico loquitur, si illi post ipsius obitum nubere velit) *quid secretò ante omnem cibum gustes: & si sciuerit panem, non illum credet esse qui dicitur.*

Eucharistia olim à sacerdotibus in ecclesia data fidelibus, præsertim persecutionũ tépore domũ absportanda, altera tantùm speciei fuit.

Clariora huius rei testimonia extant apud Cyprianum Sermone de lapsis, vbì etiam hæc ab illo referuntur: *Cùm quadam,* inquit, *arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentâsset aperire, igne indè surgente deterrita est, nè auderet attingere.* Quod dubium nó est de altera Eucharistiæ specie accipi oportere. Narrat ibidèm aliam quandam fœminã, quæ in persecutione à fide defecerat, cùm corpus Christi sumpsisset indignè, *non cibum, sed gladium sibi sumpsisse.* Refert & de alio quodam, *quòd cùm fidem abiurâsset, sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus fuerit latenter accipere,* (scilicet in manus, vt

Cypriani testimonia de V. Sacramento sub altera specie.

illorum temporum mos erat) *sed sanctum Dei edere & contrectare non potuerit, cineremq́, ferre se apertis manibus inuenerit.* vbì mox addit: *Documento vnius ostensum est, Dominum recedere cùm negatur: nec immerētibus ad salutem prodesse quod sumitur, cùm gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente, mutetur.* Cernis hîc Dominum & gratiam salutarem sub vna tantùm specie realiter fuisse, priusquàm indignus ille eam attrectare præsumeret. Vide suprà fol. 431.

Obiectio. Melanchthon aduersùm nos profert Cyprianum lib. 1. Epist. 2. de martyribus laicis ità scribentem: *Quomodò docemus aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?*

Dilutio. Verùm hoc loco non agit Cyprianus, vtrùm laicis calix necessariò porrigendus sit: sed num illis, qui quandoq; in persecutione à cōfessione Christi prolapsi fuerint, martyriū denuò obituris priusquàm plenam egerint pœnitentiam, vel satisfactionem impositam absoluerint, Eucharistia quæ ea tempestate sub vtraq; specie vtplurimùm dabatur, deneganda sit. Concludit autem non esse negandam, quādoquidem iam pro fide certare & sanguinem suum fundere constituerint. Porrò alioquì Cyprianum alterius speciei cōmunionem pro sufficienti non habuisse, à vero alienum est, cùm paulò antè ex Sermone de Lapsis probatum sit, eam etiam ipsius æuo vnà cum vtriusque speciei communione in vsu fuisse.

Præterea vt sanctus martyr Tharsytius, pro eo, quem diximus, more persecutionis tempore obseruato, Eucharistiam hauddubiò sub vna specie portauerit, & cùm gentilibus eam dare nollet, ab illis peremptus sit, vtq; illi nihil de Eucharistia apud illum inuenire potuerint: qui tamen si sanguinem ille portâsset, vasculum saltem reperissent: vide sup. fol. 431. Verba historiæ eiusmodi sunt: *Tharsytium acoluthum Christi corporis sacramenta portantem mactauerunt, donec exhalaret spiritum.* Itemque vt martyr Hilaria V. Sacramentum, quod apud se sub altera specie clàm asseruâsse videtur, ante suum è corpore excessum in ipso martyrij loco sumpserit, suprà videre licet fol. 434.

D. Hieron. in Apologia aduersùs Iouinianū haud dissimiliter testaſ sua etiamnū ætate fideles Romæ apud se domi habuisse corpus Christi, non dubium quin sub altera specie, & communicâsse seipsos.

Et

Et quid necesse est multis testimonijs? D. Basilius & Cyrillus antiquissimum hunc sub altera specie communicandi morem nimis quàm luculenter testantur: idque non obitèr, sed de industria: reijciuntq; illos, qui diuersam amplectantur opinionem. Basilij verba sunt hæc: *Illud autem, in persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam, non præsente sacerdote aut ministro* (id est, diacono) *communionem propria manu sumere, nequaquàm esse graue, superuacaneum est demonstrare, propterea quòd longa consuetudine, hoc ipso rerum vsu confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes, vbi non est sacerdos, communionem domi seruantes, à seipsis communicant. In Alexandria verò & in Aegypto, vnusquisque eorum qui sunt de populo, plurimùm habet communionem in domo sua.* Vide suprà in 2. Articulo primario. Hæc nimirùm non nisi de alterius speciei communione possunt accipi, quandoquidem vini species illis præsertim calidis regionibus in eremis tam diù seruari neutiquàm potuisset. Estque hoc quoquè cumprimis memorabile, quòd ait eum morem iam tum ipsius æuo non herì aut nudiustertiùs natum, sed iam olim ante hominum memoriam longa cõsuetudine & rerum vsu confirmatum fuisse: quo Melanchthonis argumenta planè conuelluntur.

Hoc Basilij testimoniũ tã illustre est, vt illud Aduersarij nullo pacto cõfutare queant: pterea q; pcedẽtiũ & sequentiũ Patrũ testimonijs lucẽ affert.

Basilius testatur cõmunionem alterius speciei longè ante ipsius ætatem diutissimè in vsu fuisse.

Vt aũt idẽ vir sanctus Eucharistiæ alterã speciẽ asseruãrit, & colũbæ aureæ, pendenti super altare imposuerit, suprà dictum est fol. 438.

Cyrillus grauiori magisque seria oratione agit de asseruatione Eucharistiæ, nec dubium quin sub altera specie. Scribens enim Calosyrio Episcopo, *Audio*, inquit, *quòd dicant mysticam benedictionem, si ex ea remanserint in sequentem diem reliquiæ, ad sanctificationem inutilem esse. Sed insaniunt hæc dicentes. Non enim alius fit Christus, neque sanctum eius corpus immutabitur: sed virtus benedictionis, & viuifica gratia manet in illo.* Vide suprà fol. 445.

Cyrillus eorũ arguit insaniã, qui non credunt Christi corpus asseruari posse.

Interìm tamẽ negari nõ potest, morẽ hũc iã crebrò memoratũ, quo fidelibus Eucharistię altera pars à sacerdotib' in ecclesia dari solebat, vt eã domũ absportarẽt, &c. q quidẽ psecutionũ occasiõe in Chrĩ Ecclesia primùm seruari cœperat, deindè psecutionibus sopitis, ratione cõperti abusûs in qbusdã Cõcilijs, psertim Cæsaraugustano, & Toletano 1. abrogatũ esse, vt sup. fol. 451. & seq. attigimus: at nihilo minùs eadem Cõcilia id irrefragabiliter indicant, communionem alterius

Cõcilia illa, à quib. post psecutionũ tẽpora dictus mos abrogatus è, testãtur communionẽ alterius speciei tũ vsu gaũisse.

speciei

ſpeciei ſemper pro ſufficienti habitam, atque id tẽporis pro ſufficiẽti ſumptam atq; vſurpatam. In Concilij Cæſaraugustani Canone 3. ſic habetur: *Eucharistiæ gratiam ſi quis probatur acceptã non cõſumpſiſſe in eccleſia, anathema ſit in perpetuũ.* Et in Toleta. 1. Cã. 14. *Si quis acceptã à ſacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.* En canones iſti indicant, ea tempeſtate communionem alterius ſpeciei interdùm dari ſolitam. Si enim illis, qui V. Sacramentum à ſacerdote acceperant, & quandoquè poſteà eodem ſuperſtitiosè & horrendum in modum abuſi fuére, etiam calix miniſtratus fuiſſet, qui fieri poterat, vt Euchariſtiam non ſumerent? Itaq; etiam hinc nullo poteſt negocio animaduerti, quo loco illis temporibus communio alterius ſpeciei habita ſit, vtq́ue in vſu fuerit & permanſerit.

Olim fideles pelago vel periculoſis itineribus ſecõmiſſuri, Euchariſtiã ſecũ tulére ſub altera ſpecie, quam neceſſitate ſe offerẽte ſumerent.

Tertiò, Chriſtianos non modò in ædibus ſuis apud ſe diligenti cura aſſeruatam habuiſſe alteram Euchariſtiæ ſpeciem, verùm etiam cùm periculoſa eſſent ingreſſuri itinera, maximeq́ue pelago ſe commiſſuri, reuerenter inprimìs & cuſtoditè in orarijs, id eſt, mundis linteis ad collum ligatis ſecum accepiſſe, idq́ue non abſque ingenti fiducia erga præſentem illic Dominum ſuum: eius rei præclarum habes teſtimonium ex Ambroſio de ipſius fratre Satyro ſuprà fol. 442. & ſeq. Inſpice ac perlege illud haud oſcitanter, & reipſa comperies etiã Ambroſij tempeſtate Communionem vnius ſpeciei vſurpatam, Euchariſtiæq́; alteram ſpeciem pro integro Sacramento habitã: Chriſtũ quoquè Deũ ac Dominũ noſtrum ceu vnicũ præſidium noſtrũ in ea imploratum, idq́; non abſque impetratione ſperatæ & optatæ opis & auxilij. Eiuſdẽ modi teſtimonia Euchariſtię à fidelibus mare nauigaturis aſſumptæ, ex D. Gregorij vita habes ſuprà fol. 450.

Euchariſtiæ altera ſpecies pro ægrotis ſemper in Eccleſia aſſeruata eſt.

Quartò, ab ipſis penè Eccleſiæ incunabulis Euchariſtiam ſub altera ſpecie pro ægrotis ſemper aſſeruatã, eius æquè certa & illuſtria teſtimonia ſuprà in ſecundo Articulo primario de Euchariſtiæ aſſeruatione prolata ſunt: & primò quidẽ Dionyſij illius Alexãdrini ex Euſebio fol. 433. quod infrà fuſiùs explicabitur. Deindè ex ſacroſanctа Nicena Synodo, ſup. fol. 435. Item ex Amphilochio ſup. fol. 438. Atque ex Paulino in vita D. Ambroſij, vbi iſta leguntur: *Horatus ſacerdos eccleſiæ Vercellenſis, cùm in ſuperiora domûs ſe ad quietem compoſuiſſet, tertiò vocem vocantis ſe audiuit, dicentiſq́; ſibi: Surge, feſtina, quia modò eſt re-*

est recessurus. Qui descendens, obtulit sancto Domini corpus. Quo accepto, ubi glutiuit, emisit spiritum, bonum uiaticum secum ferens. Suprà fol. 444. Habes itidèm de asseruatione alterius speciei pro ægrotis clara & luculenta testimonia, quę non possint vocari in dubium, ex 11. Toletani Concilij Canone 11. Suprà fol. 451. Ex Beda in vita Vuilfridi, & in vita Hildæ Abbatissę. Item ex Concilio Rheméñ, suprà fol. 455. Ex Vuormatiensi quoquè Concilio, suprà folio eodem. Et ex magno illo Concilio Lateraneñ, ibidèm, ac postremò ex Canone Honorij tertij eodem loco citato.

Prætereà hunc in vsum olim Ciboria, vt vocant, præparata & confecta, suprà videre est fol. 440. necnon alia quędam vascula turrium instàr, cuiusmodi hodieq; apud nos sunt: itemque Eucharistiam sub altera panis specie in eiusmodi vasculis in episcopio diligenti custodia asseruatam, eam nimirùm ob causam, vt si quis nocte morbo corriperetur, episcopus vel sacerdotes illius apud se Eucharistiam semper paratam haberent: deniquè id genus vascula cum Eucharistiæ altera specie, Episcopo publica Missarum solennia in basilica celebraturo, ex episcopio prolata, atque in altari posita esse, horum sanè irrefutabilia testimonia habes ex Concilio Turonensi 2. cap. 3. suprà fol. 449. Ex Gregorio Turoneñ, fol. 450. Ex Bracareñ Concilio, suprà fol. 452. Et ex libro pœnitentiali, libroque Decretorum D. Burchardi, fol. 454.

Ciboria argumento sunt, Eucharistiam sub altera specie asseruatã.

Coloniæ Agrippinæ semp Dominicis diebus Eucharistia ex Sacrario allata, in summo altari ante summam Missam ponitur.

Quod igitur Melanchthon contra hunc vsqueadeò vetustũ, apostolicumq; Ecclesię morem, eius videlicet abolendi causa, tam inconsultè consulit, vt quotiès necessitas postulat, sacramentum ilicò consecretur potiùs, quàm pro ægrotis asseruetur, in eo sanè nulla ratione audiendus est. Non enim neque semper, neque passìm Christi corpus confici, & ex ipsius Domini mandato offerri fas est. Id nanque à sacerdote in altari debet fieri opportuno tempore: & sacerdos vnà etiam communicare debet: id quod neque à meridie, neque nocturno tempore illi permittitur. Vide suprà fol. 427.

Melanchthonis consilium incõsideratũ est, ac nulla ratione subnixum.

Quintò, Eucharistiam sub altera specie nedùm pro ægrotis asseruatam, sed etiam rectè adhuc valentibus Christianis tam in Græca quàm Latina Ecclesia crebrò ministratam esse, eius primò certissimum atque clarissimum licebit testimonium petere ex VI. Con-

Tã in Græca q̃ Latina Ecclesia sempet in vsu fuit cõmunio alterius speciei.

ſtantinopolitana Synodo, quod ſuprà habetur fol.449.vbi etiam indicatur,non eſſe moris apud Græcos, vt in ſanctę Quadrageſimæ ieiuniorum diebus,pręter ſabbatum & Dominicā,Euchariſtiam conficiant: reliquis diebus tam ſacerdotes quàm laicos antè conſecratis vti donis:nec dubium quin ſub altera tantùm ſpecie. Neq; enim, illis pręſertim locis, à Dominica ad ſabbatum vſq; vini ſpecies ſeruari poſſit.

In Paraſceue ſacerdotes ſub vna,tantū ſpecie communicāt: qui mos ab Apoſtolorū ætate ſeruatus eſt.

In Latina Eccleſia iamindè ab Apoſtolorum temporibus more cōparatum eſt,vt in ſacra Paraſceue tam ſacerdotes, quàm alij pij Chriſtiani Euchariſtiam ſub ſola panis ſpecie,pręcedenti cœnę Dominicę die conſecrata percipiant, non abſq; ſingulari quodam ſignificante myſterio. Vide ſuprà fol.449.Atq; ea communio ſemper ſufficiens exiſtimata eſt.

Chryſoſtomus hanc cōmunionem ꝓ ſufficiēti habuit.

Vt verò in Græca Eccleſia communio alterius ſpeciei,nempe panis,pro Chriſtiana atque prorſus integra communione ipſius adeò Iohannis Chryſoſtomi tempeſtate habita ſit, Sozomenus teſtatur Eccleſiaſt.Hiſtoriæ lib.8.cap.5. his verbis: *Iohanne Conſtantinopolitanam eccleſiam optimè gubernante,uir quidam è Macedoniana hæreſi uxorem eiuſdem opinionis habebat.Hic cùm Iohannem, quomodò de Deo ſentiendum eſſet,docentem audiſſet,dogma illius laudabat,& uxorem quoquè ut ſecum ſentiret,hortabatur.Cùm uerò illa magis nobilium mulierum ſermonibus,quàm illius conſuetudini obtemperaret, & poſt frequentes admonitiones uir illius nihil effeciſſet:* Niſi, inquit, *in diuinis mihi conſors fueris,neque in uitæ communione poſthàc eris.Mulier hoc audito,& conſenſum(ſimulatè) pollicita,rem eam famulæ cuidam communicat, quam ſibi fidam eſſe iudicabat, illiusq; opera ad fallendum uirum utitur. Circa tempus autem myſteriorum (ſciunt initiati, quid ſit quod dico) illa quod accepit continens,quaſi oratura procumbit: famula adſtans clanculùm illi dat, quod ſecum in manu attulerat.Hoc cùm dentibus admoueretur, in lapidem congelaſcit.Mulier perterrefacta, metuēs nè quid ſibi mali propter eam rem quæ diuinitùs acciderat,contingeret,ad epiſcopum curſu contendit,ac ſeipſam prodens,lapidem oſtendit,adhuc morſi ueſtigia habentem, & materiam incognitam coloremq; admirabilem oſtendentem: ſimulq; ueniam*

Hiſtoria memorabilis.

niam cum lacbrymis petens, uiro ſuo cōſenſuram ſe pollicetur. Quòd ſi hoc cuipiam incredibile uidetur, lapis ille teſtis eſt, qui etiamnùm inter clinodia eccleſiæ Conſtantinopolitanæ aſſeruatur.

Ex hac hiſtoria animaduerti licet, etiā tum temporis Chriſtianos Euchariſtiam ſub altera ſpecie percepiſſe. Voluit enī hæc mulier hac vnius ſpêciei ſumptione viro perſuadere ſuo, ſe & ipſius & ſancti epiſcopi communionem participâſſe.

Præter hęc verò iſte vnius ſpeciei vſus om̄igena illa Eccleſiæ prouiſione, vt videlicet particularum corporis Chriſti reliquiæ ſumēdæ ſint, validiſſimè adſtruitur atq; probatur. Vbì principe loco vetuſtiſſimi Clementis teſtimonium epiſtola 2. ad Iacobum fratrem Dn̄i, nō eſt prætermittendum. Verba eius hæc ferè ſunt: *Presbyter, diaconus & miniſter, cum timore & tremore cuſtodire debent reliquias corporis Dominici fragmentorum, nè ſi negligenter agatur, portioni corporis Dominici grauis inferatur iniuria: & reſidua corporis Dominici, quæ in ſacrario ſunt, conſumere, & à ſumptione ſanctæ portionis ad aliquot horas ieiunare à cōmunibus cibis.* Hoc teſtimonium, quod haud facilè alitèr, quàm de reſiduis V. Sacramēti particulis ſub panis ſpecie poteſt accipi, vide ſuprà fol. 426.

Vetuſti Canones, ſumēdarū reſiduarū corporis Dominici particularū mētionem faciētes, de altera ſpecie loquūtur.

Deindè nec illud prętereundū eſt ex Euagrij hiſtoria teſtimoniū, referētis vt olim Cōſtantinopoli reliquę particulę immaculati corporis Chriſti Dei ac Domini noſtri pueris innocentibus ex ijs qui ſcholas frequentabant, abſumēdę datæ ſint: ſimulq́; narrantis cūprimìs ſtupendum illud miraculum, quod Deus omnipotens eiuſmodi cōmunione in quodā Iudæi puerulo operatus eſt: quod idem etiam Gregorius Turonen̄ recitat. Vide ſuprà fol. 448.

Tū quoq; vſum hūc ſimiliter etiā in Gallijs quōdàm fuiſſe luculēter teſtatur Canon 6. ſecūdi Matiſconen̄ Cōcilij. Vide ſup. fol. 449. Ad hæc Gregoriū 1. nō ſemèl Euchariſtiā ſub altera tātùm ſpecie fidelib⁹ porrexiſſe cum his verbis, Corp⁹ Dn̄i noſtri Ieſu Chr̄i cōſeruet animā tuā, ex ea liquet hiſtoria de incredula quadā Romana matrona, q̄ corpus Chriſti, licèt non credens, ſub altera ſpecie ab illo accepit, & paulò pòſt admirando illo mutatæ ſpeciei panis in carnem cruentam, ad credulitatis gratiam reuocata eſt, vt habes ſuprà fol. 349.

Quibus verbis D. Gregorius Euchariſtiā ſub altera ſpecie dederit.

Bernardum quoquè Eucharistię alteram dũtaxat speciem suis fratribus ministrâsse, Gulielmus abbas in ipsius vita testatur, lib.1.cap.11.ità scribens: *Agebatur solennitas quædam præcipua, & frater aliquis, quem uir sanctus pro secreta culpa ab altaris sacri communione suspenderat, notari timens & ruborem non sustinens, ad manum eius cum cæteris nimiùm præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit: sed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiam, non poterat ad interiora traijcere, & diù multumq; conatus, cùm nullo modo præualeret, anxius & tremebundus clausam ore seruabat. Expleta deniquè hora orationis sexta, patrem sanctum traxit in partem: cuius pedibus aduolutus, cum multis ei lachrymis quod patiebatur, aperuit: & aperto ore, ipsam quoquè Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum, confitentem absoluit, & sinè difficultate recepit dominica sacramẽta.* Ex his discimus D. Bernardum huic fratri, vt proculdubiò etiam alijs om̃ibus, solam panis speciem, non calicem, præbuisse: simul etiam diuina V. Sacramenti sub altera specie vis & efficacia perspicitur.

Historia memorabilis.

Quorsum verò exemplis pluribus opùs est? Ex eoipso, quòd S. Patres totiès mentionem faciunt administratę Eucharistiæ sub altera tantùm specie, tacito calice, vt suprà fol. 548. prolixè indicatum est, nullo licet negotio intelligi, hanc communionem vnà cum illa vtriusq; speciei in vsu fuisse, & pro integra ac salutari semper habitam & existimatam.

Olim cõmunio sub vini tãtùm specie interdùm ministrata.

Sextò, quondàm in Christi Ecclesia communionem non modò sub sola panis specie, sed quandoquè etiam sub sola vini specie ministratam, atq; ità cuiuslibet speciei communionem pro integra & perfecta habitam, sic vt olim indifferenter vel sub vtraq;, vel sub altera specie fideles communicauerint, id primò satìs innuit D. Cyprianus suprà memorato Sermone de lapsis. Sciendum est enim, eius ætate & diù posteà, etiam ipsius adhuc Augustini temporibus, Eucharistiam non illis duntaxat, qui iam adulti essent, sed etiam infantibus dari solitam: idq;, vt equidem videre mihi videor, non sub panis, sed sub sola vini specie: perindè vt illis, qui eiusmodi erant corre-

Vide August. Epi.23.& 107. De Trinita. lib 3. cap.10. De peccatorũ meritis, lib.1. cap.20. cõtra duas epistolas Pelagianorũ lib.1.ca.22.

pti

pti morbis, vt Eucharistia sub panis specie tutò illis porrigi non posset. De cuiusdam enim infantulæ communione, quæ antè à nutrice sua, inscijs parentibus ad idolorum templa perducta, de dæmonum sacrificijs acceperat, hunc in modum scribit Cyprianus: *Vbi verò solennibus adimpletis calicē diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipiētibus cæteris locus eius aduenit, faciē suā paruula instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labijs obturātibus premere, calicē recusare. Perstitit tamē diaconus, & reluctāti licèt de sacramēto calicis infudit. Tunc sequitur singultus & uomitus. In corpore atq; ore uiolato Eucharistia permanere non potuit: sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis uisceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta maiestas.* Hactenùs Cyprianus. & lib. 4. cap. 4 Contra Iulianum lib. 1. cap. 2.

Hic solius calicis fit mentio, qui id temporis, meo iudicio, infantibus sinè panis specie, vt iam dictū est, datus fuit. Si enim puellę huic Eucharistia sub panis specie priùs oblata fuisset, non minùs illam q̄ calicem recusâsset, adeò vt diaconus posteà illi calicem non fuerit pręebiturus. Nec hoc mirum cuiquam videatur, quandò etiam Gratiani scholiastes, De Consecra. Distinct. 4. can. Si qui apud illos hęreticos testatur, etiam ipsius ætate eam apud quosdam fuisse consuetudinem, vt paruulis non Christi daretur corpus, sed sanguis per ora eorum infunderetur. Atquì mos iste, paruulos communicādi in Romana eademq; Catholica Ecclesia prouidenter abrogatus est: licèt eum Græci, teste Lyrano in 6. cap. Iohannis, retinuerint, & Boêmi illum renouare instituerint. Porrò hodieq; in Catholica Ecclesia infantibus à baptismo parùm de ablutione in os infunditur. Est veteris adhuc moris quoddam vestigium. Infantibus quondā solus calix datus. Iohānes Teutonicus Gratiani Scholiastes. Vsus paruulos communicandi abolitus est.

Suprà fol. 433. illud, cuius antè memini, Dionysij Alexandrini testimonium ex Eusebio produxi, de presbytero quodam Alexandrino, qui seni cuidam Serapioni lethali oppresso ægritudine, ità vt triduo sinè voce prorsus iaceret, per puerum, quòd ipse quoquè ægrotans venire non posset, parùm Eucharistiæ miserit, infusumq; iusserit seni præberi &c. Alphonsus Viruesius Episcopus Canariensis, vir insigniter eruditus, in suis contra Melanchthonem Philippicis, Philippica. 17. locum hunc, Parùm Eucharistiæ puero dedit, quod infusum iussit seni præberi, de communione sub specie panis acce-

De qua Eucharistiæ specie accipiendus videatur locus ex Dionysio Alexandrino.

pit,hac ratione,quòd cùm Serapion moribundus & æstuans pręoris ariditate Eucharistiam sub panis specie glutire nequiret, vino aut aqua infundi iusserit presbyter,quô sumi posset ab ægroto. At mihi pro rei & verborum qualitate & conditione probabilius videtur,solam eam vini speciem fuisse. Verùm vtcunquè sit,certum est alteram duntaxat fuisse speciem.

Vt verò ità mihi videatur,Concilij Carthagineñ 4.Canon 76.me mouet,cuius hæc verba sunt:*Is qui pœnitentiam* (publicam) *in infirmitate petit*,(de lapsis vel apostatis loquitur)*si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus uenit,oppressus infirmitate obmutuerit,uel in phrenesim uersus fuerit,dent testimonium qui eum audièrunt,& accipiat pœnitētiam: & si continuò creditur moriturus,reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Quæ itidèm de vini specie accipienda puto.

Cuius etiam maiorem mihi ansam porrigit Concilij Toletani 11. Canon 11.suprà Articulo de Asseruatione Eucharistiæ citatus,qui sic habet ad verbum: *Solet enim humanæ naturæ infirmitas, in ipso mortis exitu prægrauata,tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborū illationibus,sed uix tantundem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu uidemus,qui optatum suis uotis sacræ Communionis expetentes uiaticum,collatam sibi à sacerdote Eucharistiam reiecerūt: non quòd infidelitate hoc agerent,sed quòd præter Dominici calicis haustū, traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire.* Quæ quidem etiā hoc non impropriè significare videri possent,quosdam in ipso mortis articulo tanta oris ariditate premi, vt nihil omninò esculentum queant sumere,atq; ità nec Eucharistiam alitèr, quàm Dominici calicis perceptione,accipere. Verùm vtcunquè sese res habeat, id perspicuè Canon iste indicat,illis temporibus eum fuisse peruulgatum catholicæ Ecclesiæ morem,vt ægrotis non nisi alterius speciei communio præberetur.Quod nullus negare poterit, qui vel vtcunquè Latinè nôrit.

Septimò,quandoquidem non defuère olim,qui persuasum haberent,cùm populo Eucharistia sub panis specie porrigenda esset,priùs ipsam Eucharistiam in Domini sanguinem intingi debere, idq; pro com-

communionis complemento, perindè ac si communio sub panis specie per se non sufficeret, errorem hunc Iulius I. Diui Athanasij patronus & defensor, in suprà citata Epistola ad Episcopos per Aegyptum profligauit his verbis: *Illud verò, quòd complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Euangelio testimonium receperunt, vbì Apostolus corpus suum commendauit & sanguinem. Seorsùm enim panis, & seorsùm calicis commendatio memoratur:* eô videlicet, vt hoc ipso indicetur, quamlibet speciem per se integrum esse sacramentum &c. Porrò cùm deindè †Vitelliani Papæ temporibus quidam consuetudinem hanc iam antè abrogatā instaurare molirentur, rursus abolita est in ęquè suprà memorato Bracarensi Concilio 3. cap. 1. non dubium, quin propter illos potissimùm, qui viatica in ægrotorum vsum asseruata, antè quàm custodienda reponerētur, intingi oportere sentiebāt: ità vt huius Cōcilij mens & sententia fuerit id decernere ac declarare, communionem alterius speciei integram & sufficientem esse, nec illo intingendi complemento indigere: quemadmodùm etiā isthæc Communio & antè & post illud Cōcilium, in Christi Ecclesia, vt abundè docuimus, pro tali habita & piè ac religiosè vsurpata est, ac deindè in Rhemensi, Vuormatiensi, & Lateraneñ Concilijs, atq; Honorij Pontificis constitutione longè ante Constantiense & Basileense Concilia, deintegrò confirmata & approbata.

Iam olim decretum est, ꝓ communiōis complemēto necessariū nō esse panis speciem in Domini sanguinem intingi. De Consecr. distinct. 2. cū omne.

† Id ex Burchardo Vuormatiensi Episcopo ostēdi potest, etsi eius sentētia hac in parte non recipiatur.

Equidem iam amice Lector satìs id me tibi testatū fecisse puto, nō modò primam, verùm etiam secundam regulam, ex illis tribus supradictis regulis, cōmunionem alterius speciei contra Aduersarios nostros fortissimè tueri, approbare, asserere: ità vt nos ea, quā diximus, tantoperè vsitata Ecclesię catholicę praxi & consuetudine meritò fidenterq; niti possimus, vt q̄ non ab annis modò quadringentis, vt Melanchthon ait, sed iam indè ab Apostolorum temporibus, donec Vualdenses, Iohānes Hus & Luterus extitêre, absq; alicuius infestatione perducta sit: sicq; firma ac indubitata tenere fide, hanc cōmunionē rectam, integram, nullique vitio obnoxiam esse. Certè si quid apud Aduersarios Iurisperitorum doctrina ponderis haberet, Domini institutionem iuxta hanc praxim non possent illi meritò non intelligere. Ità enim ait Paulus Iurisconsultus: Si

de interpretatione legis quæratur, inprimis inspiciendum est, quo iure Ciuitas retrò in eiusmodi casibus vsa fuit. Optima enim est legis interpres consuetudo. Quanquàm spes est non omninò pro nihilo hanc eos habituros, quandò etiam Tertullianus eadem ipsa vtitur aduersùs contentiosos illos & refractarios, qui illius æuo contra Ecclesiæ consuetudinẽ schismata & hæreses serere moliebantur. Libro nanq; de Corona militis, Traditio, inquit, tibi prætendetur authrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix: queadmodùm infrà in Constantiensis Concilij defensionem vberiùs adferetur.

Consuetudo optima legis interpres.

CANON, COMPERIMVS, DE CONSECRATIONE DISTINCT. II.

QVI ACCIPIENDVS SIT.

CAP. 29.

Obiectio.

Porrò contra hęc omnia Aduersarij non nisi fragmentum cuiusdam Canonis Gelasij Pontificis proferunt, cùm tamen alioqui non modò fragmenta Canonum, sed integra Concilia & Canones omẽs, (quæ quidem nos, quæ Dei est benignitas, magna ex parte etiamnùm non frustatìm vel particulatìm, sed perfecta minimeq; truncata ac mutila habemus) eo solo nomine, quòd in ijs per censuras Ecclesiasticas crassi illorum errores damnentur, contemptìm & contumeliosè reijciant: adeoq; barbarica quadam planeq; satanica amentia quandoquè in cineres redigere non dubitârint. Hoc verò fragmentum totis viribus mirè iactitant & exaggerant, tametsi absq; verborum immutatione vix aliquã indè verum sensum possunt erüere. Habetur autem in c. Comperimus, de Consecratione Distinct. ad verbum ità vt sequitur:

Aduersarij non æquum faciũt: adducunt testimonia ꝓ se, quorum similia non admittũt contra se.

Comperimus autem, quòd quidam sumpta tantùm corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineãt: qui proculdubiò (quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio unius eiusdemq; mysterij sinè grandi sacrilegio non potest peruenire.

Dilutio. Hunc Canonem Melanchthon non bona fide citat, omittit prorsus (idq;, vt ego sentio, de industria) ea verba, ex quibus solis genuina

huius

huius fragmenti intelligentia poteſt elici, ea videlicet, Qui proculdubiò quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur adſtringi: itemq; dictionem illam, Arceantur, in ſuum commodum mutat in, Abſtineant: & Peruenire, in Accidere: quandoquidem ex verbo illo, Peruenire, commodum ſenſum extrahere non potuit. Equidem non ſum neſcius, D. Thomam Aquinatem non Peruenire, ſed Prouenire, legiſſe, vt apud eum videre licet Par.3. Quæſt.80. Articul.12. Argu.2. tanquàm Prouenire hìc dictum ſit pro Euenire, in cuius locum Melanchthon, Accidere, ſupponit. Verùm hæc Melāchthonis infida citatio non me remorabitur, ſed fragmentum ipſum, quoàd eius fieri poteſt, priùs quàm tota Gelaſij Epiſtola in lucem edita ſit, Germanicis verbis exprimere curabo.

Quòd ſi ità viſum eſſet, poſſem equidem hoc fragmento non magnoperè permoueri, cùm non niſi fruſtulum quoddā ſit ex tota Epiſtola contra certos quoſdam hęreticos ſcripta, quæ hodiè non extat, decerptum & auulſum, retroq; reſpicit ad ea quæ anteceſſerunt: id quod aduerſatiua illa, Autem, initio poſita, ſubindicat: adeò vt non immeritò poſſem dicere: Da totam Gelaſij Epiſtolam, vndè hoc fragmen extractū eſt, & reſponſa reddemus: iuxta illud Celſi Iuriſconſulti conſilium, dicentis, Inciuile eſſe, niſi tota lege perſpecta, vna aliqua eius particula propoſita, iudicare vel reſpondere.

Atquì ità ego non agam: neq; eum quoquè in modum reſpondebo, quo antehàc pleriq; alij, nempe Canonem hunc de ſolis ſacrificantibus accipiendum eſſe: quod reſponſum Melanchthon irridet, & fortaſsìs non omninò citra vllam rationem: ſed ex ipſis huius fragmenti verbis & Canonis cauſa vel occaſione, germanum eius ſenſum & ſententiam proferre tentabo, conuenienter illi Diui Hilarij inſtitutioni, intelligentiam dictorum aſſumendam eſſe ex cauſis dicendi: atque vt ſpero, Melanchthon ipſe huic meæ reſponſioni, non poterit non ſubſcribere & adſtipulari: qua ille doctrina eſt & modeſtia.

Sciendum eſt igitur, temporibus excellentiſſimi illius pontificis Leonis 1. qui plùs minùs 40. annis ante beatum Gelaſium Romanæ Eccleſię fideliter præfuit, Manichęos & Eutychianos quoſdam, cùm in Vrbem irrepſiſſent, eam in curam incubuiſſe, vtì ſuas damnatas hæreſes

Vera ac genuina intelligentia Canonis, Compe-rimus, propter execrabilem Mani.

chæorũ & Eutychianorũ superstitioné confecti. Manichæi. Eutychiani.

hæreses ibidèm clàm introducerent ac propagarent. Manichæi verò, vt notum est, sceleratissimè negabant CHRISTVM humanam carnem & sanguinem nostrum assumpsisse,& verè mortuum esse ac resurrexisse. Eutychiani autem in Dei contumeliam asserebant, verbum mutatum esse in carnem,esseque carnem cælestem siue ætheream,non ex Maria virgine assumptā. Isti execrabiles homines, ne eorum clandestina consilia & machinationes alijs innotescerent ac depræhenderentur,cùm catholicis ad communionem simulatè accedebant,quæ id temporis sub vtraque specie administrabatur, atque cùm catholicis panis speciem sumebant,sed praua animi opinione & persuasione,vt figuram phantastici corporis,quale Manichæi asserebant CHRISTVM gestâsse.Cùm autem mox etiam calix à diacono porrigeretur, subducebant sese, calicem recusantes, eô quòd non crederent Dominũ veram carnem & sanguinem nostrum assumpsisse.Itaque Leo,tanquàm fidus pastor & verus Episcopus,ad cuius officium hoc inprimis pertinet, in irrepentes hæreticos inquirere, & eos antè quàm radices agant,profligare & extinguere,sicut ipse Epistola 2.propter hos ipsos hæreticos scribit his verbis: *Alitèr nobis cõmissos regere non possumus,nisi hos,qui sunt perditores & perditi, zelo fidei Dominicæ persequamur, & à sanis mentibus, nè pestis hæc latiùs diuulgetur,seueritate qua possumus abscindamus:* eam ob rem diligentissimè in illos hæreticos inquisiuit, atque eos hoc arguméto, quòd se,vbì ad calicis communionem ventum esset, à catholicis subducerent,depræhendit:itaque contra illos hac prouisione vsus est, Sermone 4.de Quadragesima: *Abdicant enim se,* inquit, *sacramento salutis humanæ,& Christum Dominum nostrum, sicut in ueritate carnis nostræ denegant natum, ità mortuum uerè & resurrexisse non credunt. Et ob hoc diem salutis & lætitiæ nostræ* (Dominicum intellige) *sui ieiunij mœrore condemnant. Cumq́; ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysterijs, ità in sacramentorum communione se temperant,ut interdùm tutiùs lateant:ore indigno CHRISTI corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò declinant. Quod ideo uestram uolumus scire sanctitatem, ut uobis huiuscemodi homines &*

Vt Velsius aliquandiù Coloniæ.

Episcoporũ præcipuum munus est, in hæreticos inquirere.

his

his manifestentur indicijs, & quorum depræhensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sanctorum societate, sacerdotali authoritate pellantur. Hactenùs Leo.

Huic germano Pontifici paucis pòst annis, vt suprà dictum est, optimus ille Gelasius successit, qui non minùs atquè ille contra has vulpes & lupos vigilauit, teste Platina in vita eius his verbis: *Gelasius Manichæos in urbè depræhensos exilio damnat, eorumq; libros apud basilicam diuæ Mariæ publicè comburit* &c. Cernis iam amice Lector, modò tamen cernere velis, contra quos Gelasius hoc fragmentum scripserit, vtque illud ex Leonis decreto, cui per omnia pulchrè cōsentit, intelligere debeas: non ità sanè, quasi sanctus Pontifex docuerit, quemadmodùm Melanchthon, corpus CHRISTI sub sola panis specie integrum non haberi, vel Eucharistiam sub altera specie non esse integrum sacramentum. Vt enim tute perspicis, Leo Eucharistiam sub panis specie corpus CHRISTI nominat, Gelasius corporis sacri portionem: & vtranque speciem non sacramentū vocat, sed sacramenta. Porrò quandoquidem detestabiles Manichæi vnum atque idem corporis & sanguinis Christi mysterium diuidere conabantur, negare etiam CHRISTVM veram carnem & sanguinē assumpsisse, quod erat Christum (sicut Iohannes ait 1. Iohan. 4.) soluere, atque hoc ipso sese prodebant sacrilega quadam superstitione teneri, beatissimus Gelasius perindè vt D. Leo à sacramentorum communione eos prorsus exclusit. Hæreticorū libri veteri exēplo, Vulcano tradendi.

Qua igitur ratione Aduersarij Canonem hunc in nos catholicos detorquere possunt, qui hoc diuinum mysterium nullo pacto diuidimus, sed fideliter credimus, & publicitùs confitemur corde & ore, sub qualibet specie veram carnem & sanguinē Christi, adeoq; Christum ipsum totum adesse, perindè vt Gelasius credidit? Qua illi frōte nos sacrilegæ superstitionis insimulare queunt? An verò nescij sunt, ea verba quæ certam debeant efficere sententiam, non posse efficere vel operari sententiam illi planè contrariam? Verba quæ apponuntur ad damnationem erroris, non operantur damnationem veritatis. Verùm cùm ille Canon eis neutiquàm fuerit intellectus, Andabatarum more hactenùs in nos incurrerunt: apud

Canon Gelasij plùs pro catholicis q̃ contra illos facit.

cordatos quidem & intelligentes cum maiori ipsorum ignominia & dedecore, quàm nostrî impugnatione. Quanuis enim Leo & Gelasius sub qualibet specie tantundem haberi docuerint, & communioné alterius speciei absq; dubio instàr precedentium Patrum pro sufficienti habuerint, quàdò tamen id temporis cómunio vtriusq; speciei, citra damnationem cómunionis vnius speciei, etiamnùm in vsu erat, pro illorum temporum conditione & necessitate decreuerunt, communionem sub vtraq; specie, quô per eam heretiti, qui illam recusabant, possent deprehendi ac profligari, vsurpari debere: quemadmodùm posteà eundem in modum in Concilio Constantiensi è diuerso decretum est, vt ob multas alias extirpandas hæreses, communio alterius speciei, donec in generali Concilio aliud statuatur, in vsu sit. Ea est enim Ecclesiæ authoritas, vt quotiès necessitas exigit, possit rebus consulere ac prouidere: id quod nos infrà satìs superq; docebimus. Itaq; Canon iste, Comperimus, nõ tam cõtra nos facit, quàm pro nobis: sicq; peruulgato huic certoq; vsui alterius duntaxat speciei, etiam iuxta alteram supradictam regulam, suum manet robur, ac firmitudo.

ETIAM TERTIA REGVLA COMMVNIO ALTERIVS SPECIEI ASSERITVR ET CONFIRMATVR.

CAP. 30.

DEniquè etiã tertia Regula id validissimè adstrui & probari, vsum hunc legitimum, rectum, diuinum & Christianum esse, quandò non solùm scripturæ diuinæ & S. Patrum testimonijs, prætereaq; praxi & recepta catholicæ Ecclesię consuetudine, verùm etiam certa experientia docemur atq; reuincimur, Eucharistiam sub altera specie tantundem in se realiter complecti, atquè communióem speciei vtriusq;, eandemq; diuinam habere vim & efficientiam, id equidem certis quibusdam diuinitùs designatis miraculis, hoc ipsum liquidò testantibus, planum facere conabor: sumpto ab illis initio, quibus corpus pariter & sanguinem, totumq; Christum sub altera specie æquè integrum & perfectum esse, atquè sub vtraq;, adstruatur.

MIRA-

MIRACVLA DIVINA PERSPICVE TESTANTIA, CORPVS SIMVL ET SANGVINEM SVB ALTERA SPECIE ADESSE SVBSTANTIALITER.

Pius ille Paschasius libro de corpore & sanguine Domini, CAP.31. Nemo, inquit, *qui sanctorum uitas & exempla legerit, potest ignorare, quòd sæpè hæc mystica corporis ac sanguinis sacramẽta, aut propter dubios, aut certè propter ardentiùs amantes Christum, uisibili specie in agni uel pueri forma, aut in carnis & sanguinis colore monstrata sunt, ut qui latebat in mysterio, pateſceret in miraculo.* Quæ quidem sic ab illo scripta, verissima sunt.

AMPHILOCHIVS Iconij episcopus in Vita D. Basilij Magni, vt iam suprà relatum est Articulo 1. cap. 45. annotauit, *Hebræum quendam perindè ut Christianum se populo admiscuisse, cùm Basilius diuinum ageret ministerium, ut officij ministerium exploraret: uidisseq́; eum infantem in partes diuidi in manibus S. Basilij. Et communicantibus omnibus, uenisse & ipsum Hebræum, datamq́; ei hostiam, ueram carnem factam &c. Denique tanto miraculo permotum, credidisse cum uxore & omni domo sua.*

Nota, Hostiæ Mutatio Eucharistiæ in verá carnem.

Porrò vt ad preces D. Gregorij I. ob corrigẽdam matronæ cuiusdam Romanę incredulitatem, portio Eucharistiæ sub specie panis in veram & visibilem cruẽtamq́; carnem conuersa sit, vtq́; eam ob rem etiam fœmina illa ab ea incredulitate liberata, & populus in vera fide confirmatus fuerit, suprà relatum est fol. 349.

Hic Vincentius petẽte & sumptus ministrãte rege Francorũ, vt ait Tritthemius, sua cõscripsit opa.

Vincentius Bellouacensis Speculi historialis lib. 30. cap. 24. eius generis permulta recensct miracula, quæ ipsius ætate Deus ob fideles suos aduersùm hæreses, quę tum sub Philippo Gallorum rege cõtra Eucharistiæ veritatem extiterant, confirmandos declarârit: atque inter cætera eiusmodi refert historiam: *Anno Domini M. CLXXXI. apud Aureliam die Dominica circa festum B. Laurentij, presbyter celebrans parauerat duas hostias propter uiaticum, & processerat usque ad oratiõem Dominicam: uidet illam quam manibus tenet, rubeo colore suffu-*

*sam,& sanguinem ex ea inter digitos profluentem, eamq; super altare in tribus locis transponit:& in singulis quantum ipsa continet,tãtundem sanguine purpuratur. Populus accurrit, miratur sacerdos, illam sumit quam ipse parauerat reponendam. Rex autem Philippus, qui non longè est, accurrit, & uidet hostiam in forma carnis uiuidæ, & super corporale sanguinis guttas, siue etiam notas, cùm transponeretur hostia, ad modum hostiæ circulatas. Post modicum apud castrum Carolam,itemq; apud Saronam oppidum,& rursum in territorio Vindocinensi, atque iterùm apud Atrebatum simile accidit.Hæc autem acciderũt propter hæresim in Vasconia pullulantem.*Hęc Vincentius.Crede mihi lector,rex ille Philippus falsis miraculis non sibi passus esset impòni.

Huiuscemodi miraculorum passìm editorum atque perspectorum,ex veris & fide dignis historijs ingens posset copia produci: sed breuitatis studio inpræsens sat habebo id commemorâsse,quod Alexander Halesius siue Halensis,vir insigni tum pietate, tum eruditione,4.Parte Summę Theologicę,quam iubente Innocentio 4.Pontifice conscripsit, his verbis annotauit: *Aliquibus religiosis,* inquit, *petentibus & instantibus, ut sub utraque specie sumerent sacramentum, sacerdote quodam pio cantante, cùm faceret fractionem,*(id est, hostiam frangeret)*concauum patenæ totum uisum est repleri sanguine: ad quod obstupuerunt ipse & circunstantes. Sed cùm coniungeret partes hostiæ, totum uisum est reintrare: & petitioni & tentationi illorum fuit satisfactum,*(ità videlicet, vt deincèps communione alterius speciei benè contenti essent, nec vtriusq; speciei administrationem appeterent.)

Quidam olim communionẽ vtriusq; speciei petentes, diuinoquodã miraculo indè reuocati sunt.

VT ITIDEM DIVINIS MIRACVLIS CONFIRMANDVM SIT, EVCHARISTIAM SVB ALTERA SPECIE NON MINORIS ESSE DIVINAE EFFICACIAE ET EFFICIENTIAE, ATQVÈ SVB VTRAQVE.

Diuus

CAP. 32.

Diuus Paulus Apostolus 1. Cor. 11. subindicat, Patresq; passim docent, vt crebrò antè dictum est, religiosam ac deuotam Eucharistiæ perceptionem, sumentibus corporis & animæ salutem feliciter adferre, cunctasque vires satanæ efficaciter & actu ipso profligare: atque è diuerso indignam Eucharistiæ sumptionem accipientibus cumprimis noxiam & exitiosam, nec rarò diuina vltione & animaduersione mox mulctatam esse. Iam si probari possit, manifestam Dei vindictam & animaduersionem non minùs alterius, quàm vtriusque speciei indignam communionem identidèm esse consecutam, atque è contrario diuinam virtutem non minùs per alteram Eucharistiæ speciem in salutem fidelium, quàm per vtranque operatam esse: certè nullus ambigere poterit, communionem hanc alterius speciei non minoris faciendam esse, quàm vtriusque. Atquì diuina vltione æquè plexam esse alterius speciei indignam sumptionem, atque vtriusque, Diuus Cyprianus locuples testis est Sermone de Lapsis, quatuor illis, quorum antè meminimus, terribilibus referendis exemplis. Quorum primum est fœminę illius, *quæ cùm arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentâsset aperire, igne indè surgente deterrita est, nè auderet attingere.* Secundum, alterius cuiusdam fœminæ, *quæ in persecutione fidem abiurârat: quæ*, vt Cyprianus ait, *ætate prouecta, & in annis adultioribus constituta, sacrificantibus latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & uelut quædam uenena lethalia intra fauces & pectus admittens*, (cùm non nisi vnam speciem sumpsisset) *angi & anima exæstuante concludi postmodùm cœpit: & pressuram iam non persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diù non fuit nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen: quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.* Tertium, infantis cuiusdam, quod suprà relatum est. Quartum, viri sacrificio maculati, *qui cùm partem cum cæteris ausus esset latenter accipere, sanctum Dei edere & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus inuenit.* Vbì mox subiungit Cyprianus: *Documento unius ostensum est, Dominum recedere cùm negatur:*

Aequè dirè plectuntur, qui alterius speciei cómunionem indignè accipiũt, vt illi q vtriusq;.

nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, cùm gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente, mutetur.

Huc etiam pertinet illud suprà memoratum miraculũ, quod Macedonianæ fœminæ temporibus D. Chrysostomi accidit.

In Vita quoquè S. Syri episcopi annotatum legimus, *cùm die quadam celebraret,* (id est, Missæ sacrum faceret) *Iudæum inter Christianos ad communionem accessisse, ut sacram sumens Eucharistiam, in lutum deijceret: sed mox ut eam ore suscepit, clamoribus diris testatum se ignem ore accepisse, cruciatusq́; ardentissimos pati.*

Huc item etiam illud facit diuinum miraculum, ex D. Bernardi vita lib. 1. cap. 11. allatum suprà fol. 628.

Neq; verò isthuc punctum ab experientia fusiùs probari indiget, quandò Apostolus tam luculẽtum illi dicit testimonium his verbis: 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, nõ dijudicans corpus Domini: quod perindè est àc si dicat, eum qui manducat vel bibit indignè, contra se Dei iudicium & vltionem prouocare.

Eosdẽ salutares effectus pij in altera specie, quos in vtraq; cõsecuti sunt.

Cõtrà verò homines pij ac religiosi ex altera Eucharistiæ specie diuinos illius effectus omnes, non minùs quàm ex vtraq; percepêre. Id quod principiò docet communio illa Serapionis Alexandrini, suprà fol. 433. recitata. *Cùm impleta esset solẽnitas,* (inquit Dionysius apud Eusebiũ) *uelut catenis quibusdam uinculisq́; diruptis, lætiorem iam spiritũ reddidit. Ex quo constat certissimè, huius boni auxilio neminẽ debere fraudari.* Hactenùs ille.

Itemq́; illud, quod D. Ambrosius de fratre suo Satyro narrat, vt is virtute alterius speciei Eucharistiæ è naufragio mirabiliter seruatus sit. Suprà fol. 442. Atq; etiam miraculum illud, quod Deus in Iudæi cuiusdam filiolo, qui in furno ardenti Eucharistiæ virtute illæsus seruatus est, declarare voluit, vt habes suprà fol. 448.

Quàm insigne miraculum virtute alterius speciei eiusdem V. Sacramenti D. Benedictus circa quendam vita functum monachum, cuius sepulturam, quòd D. Benedicto immorigerum se præbuisset, terra ferre noluit, perpetrârit: itemq́; D. Agapetus in quodam muto & claudo, qui corporis Dominici beneficio loquendi gradiendique

officio potitus est: ex 2. & 3. lib. Dialo. Gregorij discere licet, & suprà annotatum est fol. 506. Vt prætereà D. Bernardus eadem virtute immaniter fascinatos & à dęmone occupatos homines, à terribili tetrorum spirituum infestatione & sæuitia liberârit, atque Aquitaniæ tyrannum ad Christianam concordiam & obedientiam reduxerit: præsertim autem, vt in adiurando dæmone corpus Dominicum in patena tenens cum ingenti spiritûs feruore his verbis vsus sit: *Adest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas: iam resiste, si potes. Adest ille, qui pro nostra salute passurus, Nunc,* inquit, *princeps huius mundi eijcietur forâs. Hoc illud corpus, quod de corpore uirginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod uidentibus discipulis ascendit in cælum. In huius ergò maiestatis terribili potestate, tibi spiritus maligne præcipio &c.* Vtque itidèm in comminatione tyranni Aquitaniæ, in pręsentia V. Sacramenti sub altera specie ità dixerit: *Eccè ad te processit filius uirginis, qui est caput & Dominus Ecclesiæ quam tu persequeris. Adest iudex tuus, in cuius nomine omne genu curuatur, cælestium, terrestrium & infernorum. Adest iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deueniet. Nunquid & ipsum spernes?* &c. Obserua hic Lector, num species vel partes Sacraméti, vt Melanchthon loquitur, inseparabiles sint, & an corpus Christi sub altera specie, integrum vel dimidiatum sit Sacramentum.

D. Bernardus in altera Eucharistiæ specie agnoscit Deum ac Dominum suum Christum Iesum.

Philipp. 2.

Postremò vt virgo sanctissima Clara, vi alterius speciei sacrosanctę Eucharistiæ, in qua Dominum re vera præsentem, deuotè inuocauit, Saracenos Assisium obsidentes perterruerit, adeò vt confestìm diuina virtute adacti obsidionem soluere & aufugere cogerentur: Hæc, inquam, omnia suprà videre licet fol. 509. 510. 511.

Atque hæc omnia iam memorata, sanè diuina sunt miracula & facta admiranda, quæ Deus virtute alterius speciei Eucharistiæ per sanctos suos, quorum etiam verę fidei & sanctæ conuersationi testimonium perhibuit, hactenùs effecit & etiamnùm quotidiè efficit, ijsipsis nos certos securosq; reddens, communionem alterius speciei veram, legitimam, integram & salutarem esse. Nec est, quod è diuer-

Aduersarij instar maiorū suorū omnia diuina miracula irrident.

so te moueat, hæc atque eius generis alia certa notaque miracula & Dei stupenda opera Aduersarios nostros, haud alitèr atquè Iudæos & Ethnicos incredulos, impiè deridere ac subsannare. Eo enim ingenio omnes illorum semper fuére maiores, qui (Hieronymo aduersùs Vigilantium teste, in morem gentilium, impiorumque Porphyrij & Eunomij, has dæmonum præstigias esse confinxerunt, & nō verè clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. Vide ea quæ suprà fol. 524. contra hanc eorum amentiam allata sunt, maximè ex D. Ambrosio.

CAP. 35. ἀνακεφαλαίωσις hactenùs de hoc Articulo dictorū & assertorū.

ATq; vt hîc finem aliquem faciam, equidē Lector amice iam in confirmationē prioris partis Quarti huius primarij Articuli ex scripturis sacris, itidemq; ex concordi sanctorum Patrum consensione, deniquè ex catholicę Ecclesię praxi & vsu hęc puncta sequentia, alia post alia, plana atque testata feci, videlicet, Dominum in sacrosancta cœna sua, cui solos duodecim Apostolos suos adhibuit, Eucharistiæ sacramentum non eodem momento temporis, nec omninò simul, sed primò sub panis specie seorsum, ac deindè sub vini specie æquè seorsum instituisse: atque hoc ipso, itemque diuinis illis suis diuersę siue discretæ institutionis verbis, atque aliâs etiam alibì diuina doctrina sua id nobis perspicuè ac luculenter significâsse & innuisse, sub vnaqualibet specie tantundem esse re ipsa, & effectu, siue substantialiter & efficienter, quantum sub vtraque. Prætereà vtranque hanc speciem non modò in sacramentum, sed etiam nouum noui Testamenti sui sacrificium loco omnium veteris Instrumenti sacrificiorum, instituisse ac ordinâsse, nouumque sacerdotium in veteris locum subrogâsse: porrò ob eius administrationem & executionem noui sacerdotij, iam dictos duodecim Apostolos suos, qui tum temporis soli, vt diximus, circa illum erant, noui testamenti sui sacerdotes speciatìm ordinâsse, eisque & eorum successoribus sacerdotibus, deincèps in illorum locum legitimè vocandis, hisce suis verbis, Hoc facite in meî commemorationem, triplicem contulisse potestatem, quæ quaslibet alias potestates longo post se relinquat interuallo, Nempe, Carnem & sanguinem eius conficiendi & consecrandi, eaque vbi consecrata sint, deindè Deo

patrì

patri cælesti pro Christianis omnibus offerendi, atque postremò post immolationem eadem sumendi, alijsque fidelibus id deuotè petentibus, pro eo atquè par est, dispensandi ac impertiendi. Ad hæc sacrificij integritatem vtranque speciem reposcere, cùm sinè illarum immolatione cruentum corporis & sanguinis Dominici, semèl pro nobis in cruce fusi sacrificium, cuius hoc altaris sacrificium imago est, non perindè euidenter repræsentetur. Atquì ad integram corporis & sanguinis eius perceptionem, non itidèm vtriusque speciei administrationem necessariò requiri, quandoquidem sub altera specie tantum porrigitur, quantum sub vtraque: quanquàm sacerdotes, qui sub vtraque specie sacrificium peregerunt, etiam vtranque sumere debent. Cùm autem, vt iam dictum est, sub altera tantundem & porrigatur & accipiatur, quantum sub vtraque specie, atque eam ob rem vtraque species communioni non sit necessaria: tum quoquè Dominus apostolos suos & eorum successores, Ecclesię suæ pręfectos, mysteriorũ suorum dispensatores suosq; œconomos fecerit, ijsdem etiam ratione huius dispensationis ac ministerij, quo funguntur, eam collatam esse potestatem, vt non sacrificãtibus possint Eucharistiã siue sub altera, siue sub vtraq; specie, pro re nata & temporum conditione, salubriter administrare: neq; huiusmodi Eucharistiæ sub altera specie administratione diuinæ suæ institutioni quicquam detrahi, aut agi contra illam: idque ob tres certas, & quibus falli non possimus, rationes: Primò quidem, quòd tum per seipsum, tum per Apostolum suum Paulum luculenter significet, sub altera specie non minùs se dare substãtialiter, quàm sub vtraq;. Secundò, quòd in confesso sit, communionem hanc alterius speciei interdùm ab ipso Domino, ac deindè ab eius Apostolis horumq; proximis & alijs successoribus in Catholica Ecclesia identidèm administratam, semperq; pro sufficienti habitam. Postremò, quòd multifarijs diuinitùs declaratis miraculis sæpenumerò certos nos securosq; effecerit nõ minus nos sub altera habere specie, quàm sub vtraq;: cumq; dignè alteram sumimus speciem, tantundem ex illa ad nos redire vtilitatis, & è diuerso ex ea indignè percepta, non minùs nos detrimenti & exitij capere, quàm si vtraque specie potiti essemus. Hæc, inquam, eorum quæ in hoc Articulo

Videlicet 1. Cor. 10. vbi sic ait: Vnus panis & vnũ corpus multi sumus: omnes quidẽ de vno pane participamus. Et 1. Cor. 11. vbi sic habet: Qui manducat aut bibit indignè, iudiciũ sibi mãducat & bibit, non dijudicãs corpus Domini.

hactenùs à me affirmata & afferta sunt, summa quædam est, & nisi me fallunt omnia, poterunt hæc pijs quibusq; sufficere & satisfacere. Superest iam, vt alteram huius Articuli primarij partẽ asseramus: putà, Constantiense Concilium, quod Aduersarij eo nomine, quòd vtriusque speciei vsum interdixerit, acerrimè ac odiosissimè oppugnant, nullo iure vel ratione contemni, criminari, atque proscindi posse.

COMMVNIONEM ALTERIVS SPECIEI, IN CONSTANTIENSI ALIISQVE POSTERIORIBVS CONCILIIS, OB MVLTAS EASDEMQVE GRAVISSIMAS ET VRGENTISSIMAS CAVSAS, IN SCRIPTIS DIVINIS PROBE FVNDATAS, IVRE MERITOQVE APPROBATAM ESSE, DONEC ALITER GENERALIS CONCILII DECRETO PROVIDEATVR.

CAP. 34. MElanchthon, Bucerus, Friccius, & reliqui Aduersarij omnes, dum se intelligunt scriptis diuinis & cõsonis catholicę Ecclesiæ testimonijs perurgeri, tandèm ad calumniandum Constantiensis Concilij decretum sese conferunt. Fingamus sanè, inquit Melanchthon, liberum esse vti vna parte aut ambabus, quomodò poterit prohibitio defendi? Bucerus præ cæteris idem argumentum multis ijsdemq; phaleratis instructũ verbis obijcit. Fatetur quidem principiò, Christi Ecclesiam in quibuslibet rebus & speciebus externis, etiam ab ipso Deo ordinatis & præceptis, pro occurrente necessitate & conditione dispensandi habere potestatem & authoritatem. Cùm enim eiusmodi in hominum salutẽ & vtilitatẽ institutę sint, Ecclesiã quoquè in illis posse moderari ac dispensare, prout incidens necessitas vel conditio poscere videatur. Qua in re non admodùm ille à sanctis Patribus, præsertim D. Bernardo lib. de Pręcepto & Dispensatione, dissentit.

Bucerus quã authoritatem Ecclesiæ tribuat.

Atquì

Atquì deindè ille Concilium Constantiense immaniter calumniari incipit: ait idem Concilium hac dispensandi authoritate non rectè neq; pro eo atquè par erat vsum, non congrua aliqua aut quæ tolerari possit, Communionis gratia, moderationem ac ordinationem adhibuisse, quod alioquì Ecclesiæ permissum sit, sed magna temeritate integrum Sacramētum tulisse è medio, illudq; Dei populo subtraxisse, quod tamen neq; angelos, neq; homines (cùm sit Dei verbo, præcepto & institutioni planè cōtrarium) facere æquum sit: tum etiam, quòd nulla omninò ratio idonea extiterit, Christi populo calicem Dominicum ità, vt ipse ait, prorsus eripiendi.

Buceri calumnia.

Quæ illius calumnia vt omnibus in prospectu sit, id initiò nôsse fuerit operæ precium, adeoq; necessarium, ecquidnam Concilium Constantiense permouerit, vt de hoc Articulo eum in modum, quo factū est, & tractaret & decerneret: cùm teste Hilario, Intelligentia dictorum ex causis sit assumenda dicendi. Id verò ex fide dignis historijs certò potest intelligi ac animaduerti, vt iam dicturi sumus.

Temporibus Vuencesllai Romanorum & Boëmorum regis, (qui sanè incuriosus ac negligens princeps fuit, neq; religiôis, neq; regni negocia ea qua oportebat diligentia curans) Pragæ in Boëmia perniciosissima extitit cōtentio inter Germanos, qui in ea vsq; tempora rexerant Scholam vel Academiam Pragensem, & Boëmos, quos id ex inuidia malè habebat. Ex quibus vir quidam genere nobilis, Iohannis Vuiclephi libros, quos ex Anglia Pragam absportârat, illis potissimùm legendos accommodauit, qui Teutonicorum odio tenebantur: inter quos Iohannes Hus præcipuus fuit. Is cùm in peregrinas opiniones & res nouas esset auidus ac propēsus, cupidè admodùm Vuiclephi doctrinam complexus est, eaque Teutonicos vexare magistros cœpit, sperans hac re illos permotos, Academiam relicturos. Quod cùm illi cecidisset ex animi sententia, publicè concionari cœpit. Cumq; se libenter audiri animaduerteret, multa de libris Iohannis Vuiclephi in medium attulit, asserens in eis omnem veritatem contineri: adijciensq; crebrò inter concionandum, se, postquàm ex hac luce migrâsset, in ea loca proficisci cupere, ad quæ Vuiclephi anima peruenisset: quem virum fuisse bonum, sanctum, cæloque dignū non dubitaret. Itaq; huic Iohanni Hus cumulatìm sese iunxêre, quot-

Vt Conciliū quadā necessitate adactū sit, hoc de Articulo decernere.

At Melanchthon ipse fatetur Vuiclephum crassos quosdam & è spiritu vertiginis profectos errores habuisse. Vide eius locos cōmunes de Potestate Ecclesiastica.

Isthæc Secta omniū hodiè grassantiū sectarū quod-

dã fuit seminarisi, dãnata in Concilio Romano, Tolosano, & anteà per Gregorium 9. ca. Excommunicamus. 2. de Hæretic.

quotquot seditionibus rebusq; nouis studebant, & infensis in Clerum erant animis, atq; indiscriminatim in omnes bonos iuxtà àc malos sacerdotes probra iactare cœperunt: deniquè à catholica Christi Ecclesia temerè discedentes, iampridèm damnatæ Vualdensium factioni nomen dedêre. Huius autem Vualdensium sectæ author fuit quidam Petrus Vualdo, homo laicus & ciuis Lugdunensis in Gallijs, q cùm à catholicę Ecclesiæ sentẽtia & institutis siue decretis defecisset, perplures eius dogmata amplexi sunt, dicti Vualdenses, & Pauperes de Lugduno, itemq; Leonistę & Insabbati: qui sacra Biblia vernacula ipsorum lingua reddita lectitantes, asserere non dubitabant, quæcunq; in eis expressè non haberentur, ea nõ nisi meræ imposturæ loco habenda. Interpretabantur autem illa pro suo cerebro & laico iudicio: sicq; factum est, vt in complures fœdos errores & hæreses, quarum pleræq;, quod inficiàs ire nemo potest, manifestè seditiosæ sunt, prolaberentur.

Non poterit hæc negare ne ipse quidẽ Illyricus, quã tunuis Vualdensibus faueat.

Aliquot Vualdensium errores.

Inter alia quidẽ etiã hæc illi docuêre, sacros Ordines vel Ordinis sacramentum in Ecclesia rem nullius esse momenti: Christum vnicũ & solum esse Pontificem, qui inuisibiliter creet sacerdotes, eos qui eius verbum prędicare nôrint: Quemlibet laicum, immò & fœminã, modò ea Christi verba, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, &c. pronunciare nôrit, Eucharistiam posse conficere, idq; passìm & nunq̃ non, nulla loci vel temporis habita ratione vel discrimine: Ad salutem necessariam esse vtriusq; speciei perceptionem: Eucharistiæ sacramentum tum solùm confici debere, cùm sacerdos & populus pariter congregati sunt eius sumendi causa: Sacramentum non in sacerdotis indigni manibus, sed in ore sumentis effici vel confici: Panem & vinum in Verum Christi corpus & sanguinem non transferri, sed verum corpus illic adesse subsistentia duntaxat & virtute sacramentali, id est, tantùm symbolicè per præsentem ipsius gratiam, vt olim in manna: cumq; non sit illic Christus realiter, substantialiter & personaliter præsens, sed ità duntaxat in cælo sit, non debere eum in sacramento adorari: Missam & sacrificationem sacerdotis in altari, erroneam prorsusque infrugiferam esse &c. quos nimirùm aliosq; eorum errores probè compertos habẽt, qui in historijs versati sunt, præci-

Argumenta Vualdensium ferè oĩa cõtra veritatẽ corporis Christi in Eucharistia, habes in Responsione excusatoria fratrũ Vualdensium ad Vladislaum.

præcipuè verò, qui eorum confessionem, excusationem & apologiam, quam Vladislao scripsère, studiosè perlegerunt. His autem illorum erroribus deindè admodùm assimiles fuère Vuiclephi errores, præsertim qui ad Eucharistiam pertinent, vt suprà annotatum est fol. 394. Cùm ergò Iohannes Hus Vualdensium & Vuiclephi errores serere cœpisset, antè, quàm articulum illum de sumenda Eucharistia attigisset, Pragensis Episcopi iussu vrbe illa excedere compulsus est. Itaque in patriam se contulit, ibique, quòd loci eius Dominus ipsi faueret, grandem sibi populi numerum adiunxit.

Intereà Petrus quidam Dresensis, Misnia oriundus, (qui anteà Pragæ literis operam dederat, sed propterea quòd Vualdensium esset errores amplexus, è Misnia proscriptus erat) Pragam redijt, puerorumque docendorum curam suscepit. Erat tum Pragæ Iacobellus Misnensis, huius Petri conterraneus, isque concionatoris officio fungebatur. Cumque haud vulgaris eius esset existimatio apud populum, Petrus iste eum adijt, & initiò eruditionis & sanctitatis eius nomine mirè eum extulit: tandèm verò adiunxit, non se satìs admirari posse, quòd ipse vir tam idoneus & egregius Ecclesiastes crassum illum hactenùs non aduertisset errorem, quo Ecclesia tamdiù occupata fuisset, videlicet, quòd populo sub altera tantùm specie Eucharistia porrigeretur, cùm tamen CHRISTVS Iohannis sexto disertis verbis iusserit carnem ipsius vt edamus, & sanguinem bibamus. Istiusmodi oratio vsqueadeò grata fuit Iacobello, licèt alioquì schisma iam impenderet, vt quamprimùm cœperit populum accuratè adhortari, nè se calice priuari paterentur, quòd sinè illo nemo possit saluus fieri. Huic Iacobello Iohannes Hus & eius assectæ omnes subscripsère: haud mediocriter exhilarati, articulum eiusmodi aliquem se reperisse, vt ipsi autumabant, quem ipsis Domini verbis facilè fucare possent, eiusque perpetua apud vulgus commemoratione & exaggeratione, Romanam Ecclesiam, tanquàm quæ in hoc turpiter errâsset, publicè calumniari & in contemptum adducere: vtì hæc tum Aeneas Syluius in Historia Boëmica, tum scriptores alij lùculenter annotârunt.

Petrus Dresensis.

Iacobellus Misnensis.

Iohânes Hus, ambitiosus, inconstans & contentiosus fuit, vel etiā Iohānis Stūpften scripta aduersùs Cōstātiense Cōcilium nupèr edita, satis innuunt.

Quandò verò ijsdē tēporibus, horrendi illius schismatis amouēdi

causa,

causa,quod eo nomine ortum erat,quòd ob discordes electiones tres simul pro veris Christi vicarijs & Petri successoribus se haberēt in Christi Ecclesia,non absq; illius perniciosa distractione & maximis incommodis,Concilium Constantiense ex toto orbe Christiano coactum est,(multis modis instante,nec vllis vel profectionibus, vel laboribus ac molestijs parcente celeberrimo illo ac Christianissimo Imperatore Sigismūdo, posteaquàm fratri eius Vuēceslao Romani regis dignitas abrogata erat) cui certè,vt historiæ referunt, vt minimùm quinq; Patriarchæ,33.Cardinales,47.Archiepiscopi, 228. Episcopi,& 217.sacræ Theologiæ, & 361. Iuris vtriusque Doctores cùm multis alijs ex Oriente & Græcia præclaris viris interfuêre: idē illud Concilium,quandoquidem CHRISTI Ecclesiæ ad pacem reuocandæ & conciliandæ causa coactum erat,neque potuit neq; debuit committere,immò verò etiam modis oīibus eò conniti potiùs debuit,vt exortum apud Boēmos dissidium & schisma,suo(i.Concilij eius)decreto & sententia,Deo fauente & auxilium ferente,sopiretur.Cumq; id temporis in Boēmia duo isti auticuli maximè controuersiosi essent,primò quidem,Christi corpus semper & vbiuis locorum & nullo non tempore consecrari,atq; etiam non ieiunis porrigi posse:Deindè communionem vtriusq; speciei ad salutem esse necessariam,communionem verò alterius speciei sacrilegam esse, Patres illi hosce Articulos in manus sumpsêre,atq; Doctoribus tum Theologis, tum Iuris Pontificij summo studio excutiēdos expendēdosq; tradidêre,atq; post eiuscemodi accuratam examinationē ac deliberationem,demùm Sessione XIII. communi atq; concordi omnium sententia hunc in modum de illis statuerunt atq; decreuerunt.

Constantiēse Concilij instante Christianissimo Imperatore Sigismundo, amouendi schismatis perniciosi causa habitum est.

DECRETVM CONSTANTIENSIS CONCILII.

CAP.35.

CVm in nōnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant,populum Christianum debere sacramentum Eucharistiæ sub utraq; panis & uini specie suscipere, & non solùm sub specie panis, sed etiam sub specie uini, populum laicum passim com-

communicent etiam post cœnam, uel aliàs non ieiuni, & communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur: hinc est, quòd hoc præsens Concilium sacrum generale Constantiense in Spiritusancto legitimè congregatum, aduersùs hunc errorem saluti fidelium prouidere satagens, matura plurium Doctorum tam diuini quam humani Iuris deliberatione præhabita, declarat, decernit & diffinit, quòd licèt Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis administrauerit sub utraque specie panis & uini hoc uenerabile sacramentum, tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum authoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat, quòd huiusmodi sacramentum non debet confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis, à Iure uel Ecclesia concesso uel admisso. Et sicut hæc consuetudo ad euitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quòd licèt in primitiua Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, posteà à conficientibus sub utraque, & à laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissimè credendum sit & nullatenùs dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie uini ueraciter contineri. Vndè cùm huiusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis patribus rationabiliter introducta, & diutissimè obseruata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ authoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hanc consuetudinem aut legem obseruare, sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum: & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquàm hæretici arcendi sunt & grauiter puniendi per Diœcesanos locorum seu officiales eorum, aut inquisitores hæreticæ prauitatis in regnis seu prouinciis, in quibus contra hoc decretum aliquid fuerit forsan attentatum aut præsumptum, iuxta canonicas & legitimas sanctiones, in fauorem Catholicæ fidei contra hæreticos & eorum fautores, salubriter adinuentas.

Nota, Sine authoritate Ecclesiæ mutare nō licet.

Hactenùs Constantiensis Concilij Decretum.

HAVD DISSIMILE DECRETVM GENERALIS CONCILII BASILEENSIS.

CAP.38. PRoximum huic Basileense Concilium, isthuc Constantiensis Synodi decretum renouauit, atque etiam fusiùs declarauit Sessione XXX. his verbis: *Sacrosancta generalis Synodus Basileensis, in spiritusancto legitimè cōgregata, uniuersalem Ecclesiam repræsentās, ad perpetuam rei memoriam. Vt lucidiùs uideatur pro declaratione catholicæ ueritatis, quid circa perceptionem sacræ Eucharistiæ tenendum sit, & agendum pro utilitate & salute populi Christiani, post diligentem perscrutationem diuinarum scripturarū, sacrorumq; canonum & doctrinarum à sanctis patribus & doctoribus traditarum, in hac sancta Synodo longis temporibus habitam, consideratisq; omnibus quæ pro declaratione huius rei consideranda fuerunt, decernit & declarat eadem sancta Synodus, quòd fideles laici siue clerici communicantes, & non conficientes, non adstringuntur ex præcepto* Domini *ad suscipiendum sub utraque specie, panis scilicet & uini, sacrum Eucharistiæ sacramentum. Sed Ecclesia quæ regitur spiritu ueritatis secum manente in æternum, & cum qua* CHRISTVS *manet usque ad consummationem seculi,* Matt.28. *(sicut ait diuina scriptura) ordinare habet, quomodò ipsis non conficientibus ministretur, prout pro reuerentia ipsius Sacramenti & salute fidelium uiderit expedire. Siue autem sub una specie, siue sub duplici quis communicet secundùm ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ, proficit dignè communicantibus ad salutem.* Nec ullatenùs ambigendum est, *quòd non sub specie panis caro tantùm, nec sub specie uini sanguis tantùm, sed sub qualibet specie est integrè totus* CHRISTVS. *Laudabilis quoquè consuetudo communicandi laicum populum sub una specie, ab Ecclesia & sanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenùs diutissimè obseruata, & à* Obserua, Sine authoritate Ecclesiæ immutare. *doctoribus diuinæ legis, sacrarum scripturarum atque canonum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda est, nec alicui licitum est eam reprobare, aut sinè authoritate Ecclesiæ ipsam immutare.* Hucusquè Basileeñ Concilij decretum.

Hisce

Hisce duobus Concilijs potissimùm Germanicæ nationis nomine, Archiepiscopi, Episcopi, & reliqui eò pertinentes prælati plerique omnes per seipsos, alij per suos, vt vocant, procuratores vel legatos, atque præter hos ex diœcesibus & Academijs eiusdem Germanicæ nationis omnibus doctissimi quique grandi numero intersuêre: adeoque etiam Imperator ipse Romanorum, & omnes Imperij tum electores, tum alij principes, cæterique insignes magistratus & ordines, ceu eorundem Conciliorum præcipui promotores, propugnatores, patroni & asseclæ siue assectatores ac studiosi, frequentes admodùm adfuerunt, cunctique hæc Decreta ceu pia & verè Christiana cum alijs illic præsentibus Christiani orbis nationibus amplexi sunt, eademque deincèps Christianorum omnium consensu & adstipulatione, (dempta Boemorum) vbiquè magna concordia seruata sunt, nullo quicquam contradicente, donec Luterus tandèm ortus est, qui tamen ipse initiò hæc eadem Decreta aduersùs Boëmos (vtpotè quos tum pro schismaticis haberet) acerrimè vindicauit.

Constantiensis & Basileësis Conciliorum Decretis pcipuè Germanica natio vnà cum alijs Christiani orbis natiõibus ibidèm congregatis, præsente Romanorum Imperatore, consensit.

DECRETVM CONCILII FLORENTINI.

CAP. 39.

Iisdem propè temporibus in magna illa Florentina Synodo sub Eugenio quarto, cui Constantinopolitanus Imperator cum Iosepho eiusdem vrbis Patriarcha & Orientis Episcopis, vnaque Armeni intersuêre, vt est suprà relatum fol. 394. idem diffinitum atque decretum est his verbus: *Totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie uini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & uini consecrati, separatione facta, totus est* CHRISTVS, (præsens substantialiter.)

Consimile Decretũ Florentini Concilij, præsente Constantinopolitano Imperatore & Episcopis Orientis.

MANIFESTAE ADVERSARIORVM CALVMNIAE ADVERSVM ISTHAEC CATHOLICA CONCILIORVM DECRETA.

CAP. 40.

Buceri proiecta & impudens audacia.

EQuidem sæpenumerò admiratus sum, Bucerum eò impudẽtiæ progressum, vt contra has generales Synodos tam procaciter & audacter scribere non dubitaret, videlicet, eas ipsas hisce quæ iam attulimus, decretis suis, Christi Domini diuinam institutionem, ordinem & mandatum temerariè abrogâsse, & integrum Sacramentũ æternò prohibuisse ac sustulisse è medio, idq; absq; vlla commoda vel ęqua ratione &c. cùm tamen quę illis Decretis continẽtur, quod ipse quoquè haud dubiè nõ ignorauit, mendacij eum euidentissimè coarguant. Verum est enim, nec quisquã inficiari potest, Concilia hęc mandatum & institutionem Domini, vtì ea iuxta sacros Canones & catholicam Christi Ecclesiæ doctrinã intelligenda sint, declarare & explicare duntaxat. Id verò Bucero est Domini mandatum & institutionem prorsus irrita fecisse & abrogâsse. Docent inter alia, hæc Concilia & præcipiunt, vt sacerdotes V. Sacramentum sub vtraq; semper specie conficiant & accipiant: idq; Bucero est integrum sustulisse Sacramentum. Declarant Concilia & testantur hunc morem sub altera specie tantùm, nedùm laicis, sed etiam Clericis non conficientibus præbendi Eucharistiam ob multa vitanda pericula & scandala, in Christi Ecclesia diutissimè obseruatum: cumq́ue eadem pericula & scandala id temporis etiam cumulatiùs quàm anteà existerent, decernunt propterea hanc consuetudinem nulli fas esse pro sua libidine vel libito reprobare, aut sinè Ecclesiæ authoritate immutare, donec Ecclesia alitèr ordinet: hoc verò Bucero non est, Dispensatione & ordinatione (quam ipse quoquè fatetur Ecclesiam pro re nata vel occurrente necessitate & cõditione adhibere posse) vsum esse, sed populo Christi integrum Sacramentum æternò eripuisse ac interdixisse. Deniquè Concilia eadem non paucas, sed permultas easq; grauissimas, benè fundatas, necessarias & quibus meritò permoueri debuerint, horum decretorũ suorũ causas & rationes prolixè adferũt, vt cordatus quisq; illis perlegendis perspicuè animaduertit: at tamen Bucerus ea nulla iusta aut rationabili causa egisse ac statuisse vel decreuisse affirmat, nec sacrilega ea Concilia appellare veretur. Quæ quidem si non sunt immanes calumniæ, quæ tandèm erunt? Verùm quid non audet animus odio & inuidentia semèl occæcatus & occupatus? Buceri

Buceri calumniæ reteguntur.

ceri certè & eius similium conatus omnes eò vel maximè destinati sunt, vt generalibus Concilijs, atq; ità Catholicę Christi ecclesię, per Concilia repręsentatę, pódus omne & authoritatem detrahāt. Quòd si illi impetrent, (Deus id auertat) iam planè ab illis stat victoria. Tum enim docere eis licebit, quicquid erit libitum: & quæ docuerint, ea sana esse omnia necessum erit: quandoquidem decreta omnia abolita erunt, & sancto spiritui os pręclusum erit, nè vtì olim solebat, in Concilijs loqui possit. Sed hanc calamitatem à nobis Deus abesse velit, præstetq; vtì nè vnquàm hoc doctore & consolatore destituamur, Christumq; in nostris conuentibus & concilijs atq; congregationibus ad finem vsq; seculi nobiscum habeamus, sitq; verū semperq; permaneat illud Apostoli 1. Cor. 14. Cæteri dijudicent. Et illud Actorum 15. Visum est Spirituisancto & nobis.

Aduersariorum scopus.

Augusti. de Baptismo cōtra Donatistas lib. 1. cap. 18. & lib. 7. passim.

Matt. 28.

DECRETORVM VTRIVSQVE CONCILII, PVTA, CONSTANTIENSIS ET BASILEENSIS, ACCVRATA ASSERTIO, QVA SINGVLATIM DEFENDVNTVR, QVAE IN EIS CONTINENTVR.

CAP. 41.

VT verò fœda hęc partis aduersæ, qua Christi Ecclesiam infestant, calumnia modis omnibus in prospectu sit, ipsa agè Decreta in manus sumamus, ea à capite ad calcem vsque expendamus, planumq; faciamus, ea omninò in verbo Dei & Catholicæ Ecclesię doctrina esse fundata: & quæ in illis à Patribus statuta ac diffinita sunt, eosdem Patres pro collata illis à Christo potestate & authoritate, eo pacto statuere ac ordinare potuisse.

Constantiense Concilium, vt est antè dictum, de duobus diuersis Articulis decernit, Primò quidem V. Sacramentum non post cœnam, vel à cœna, sed à ieiunis sacerdotibus confici, itemq; illis duntaxat, qui ea die nihil cibi sumpserint, porrigi debere: nititur autem hac in re Concilium vetustissimorum canonum authoritate, & tam longa, eaq; laudabili Ecclesiæ consuetudine. Secūdò, sufficere com-

munionem alterius ſpeciei non conficientibus: Approbat quoquè hunc Eccleſiæ morem, vtpotè ad illud vſq; Conciliũ diutiſſimè laudabiliter obſeruatum: & nouem bene fundatis expreſſiſq; rationibus, infrà enumerandis, ſeſe tuetur.

CONSTANTIENSE CONCILIVM DE PRIMO ARTICVLO RECTE STATVISSE AC DECREVISSE.

CAP. 42.

1. Cor. 11. Quod à primis Eccleſiæ initijs placuit Spirituiſanĉto, id de primo Articulo Conſtātiæ decretum eſt.

Quæ de primo Articulo Conciliũ Conſtantienſe decreuit, noua non ſunt, ſed Spiritui ſanĉto ab ipſis adeò Eccleſiæ incunabulis, (maximè poſteaquàm D. Paulus abuſus illos qui circa cœnam Domini inciderant, correxerat) vt ità fieret placuit. Teſtatur id D. Auguſtinus libro Reſponſionum ad Ianuarium, quæ eſt Epiſtola 118. & quidem euidentiſſimè his verbis: *Illud magis mouere potuit homines, utrùm iam refecti die illa uel offerrent uel ſumerent Euchariſtiam, quòd in Euangelio dicitur: Cùm autem illi manducarent, accepit IESVS panem & benedixit: cùm etiam ſuperiùs dixiſſet, Cùm ſerò factum eſſet, recumbebat cum duodecim, & manducantibus eis dixit, quoniam unus ex uobis me tradet. Poſt enim tradidit Sacramentum. Et liquidò apparet, quandò primùm acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt uniuerſæ Eccleſiæ, quòd à ieiunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spirituiſanĉto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideò per uniuerſum orbem mos iſte ſeruatur. Neque enim quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum conuenire debent, aut, ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere. Nanque Saluator quò uehementiùs commendaret myſterij illius altitudinem, ultimum hoc uoluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Et ideò non præcepit quo deinceps ordine*

Ex hoc, intellige, poſtq̃ D. Paulus 1. Corint. 11. ità ordinauit.

1. Cor. 11. Cur Dominus Sacramētum cœnatis diſcipulis ſub finē vitæ de-

dine

dine sumeretur, ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Et post pauca: *Apostolus statim subtexuit, Cætera autem, cùm uenero, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem uniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diuersitate uariatur.* Hæc ille.

derit:& cur eű modű discipuli mutarint.
Authoritas, Ecclesiæ præfectis à Christo relicta.
Ordo Missæ nostræ ex D. Pauli ordinatióe manauit.

Quæ cùm ità se habeant, Constantiense Concilium de primo, qué diximus, Articulo certè nihil decreuit aliud, quàm quod ab initio hac in parte fieri placuit Spirituisanćto: nempe vt sacrifici, vbi cibű sumpserint, non conficiant Eucharistiam, nec alijs non ieiunis eam porrigant. Quandò igitur Aduersarij suo more hunc Articulum sibi oppugnandum sumunt, non illi Constantiensi Synodo, sed ipsi sanćto spiritui refragantur: perindè vt eorum patres Vualdenses quandoquè fecêre. Augustinus quidem disertis verbis eos Ecclesię calumniatores vocat: non est igitur quod mihi imputare velint. Indè verò quòd mos iste in Catholica Ecclesia per vniuersum orbem semper seruatus fuit, illud infert, cum ab Apostolis ex Sanćtispiritûs instinću promanâsse. Atq; hoc est, quod Concilium ait modum illű quo Christus post cœnam Eucharistiam administrauit, sacris canonibus, posteà ex Sanćtispiritûs instinću conditis, & laudabili ac approbatę Ecclesiæ consuetudini non obstare: hoc est, Christi institutionem & S. Canones inter se minimè pugnare. Memorabilius illud est, quod vir sanćtus dicit neminem hunc approbatum & laudabilem Ecclesię moré calumniari debere, eô quòd dominus seruârit hunc locű & authoritaté apostolis suis, disponédi & ordinádi, quo deincèps ordine V. Sacramentű sumeretur, vtpotè per quos dispositurus erat ecclesias. Illud quoquè quod ait: Ex illis verbis Apostoli, Cętera, cùm venero, ordinabo, intelligi datur, Missę ordiné, siue totum illű agendi ordinem, quo Chri corpus conficitur & offertur, vt ille semper in Ecclesia vsurpatus fuit, ab ipso Paulo Apostolo ecclesijs traditű esse. quod idem Augustinus etiã alibì docet ipsis Apostoli verbis 1. Tim. 2. (quæ cum Ecclesiæ more & vsu confert) Epistola 59. ad Paulinum: atq; in Dionysio quoquè Ecclesiasticę Hierarchię cap. 2. perspicuè videre licet cuilibet non planè oculis capto.

Augustinus Aduersarios vocat calűniatores Ecclesiæ.
Quid ea Decreti verba, Tamé hoc nő obstãte, significent.
Damasus in c. Violatores. 25. q. 1.
Quæ ecclesiæ ordinat, authoritate ipsi à Christo tradita ordinat.
Ea verba, Cætera, cùm venero, dispo nã, qd nobis innuant.

Séper tum in occidentali, tum oriẽtali Ecclesia magnæ impietatis loco habitũ est, Eucharistiã non ieiunum velle percipere.

Et nè quis cogitet, primum hunc Articulum non multum habere momenti, audiat ille quàm seriò ac seuerè nedùm in Occidentali, sed etiam orientali Ecclesia illi obseruando inuigilatum sit. Aemuli & hostes D. Chrysostomi, qui eum contra ius fasq; in exilium egerũt, inter omnes alias calumnias vix vllam atrociorem, quam illi obijcerent, licèt per mendacium, confingere potuerunt, quàm quòd V. Sacramentum non ieiunis præbuit. Quam ille calumniam oratiõe grauissima retundit, ità scribens Cyriaco episcopo exuli: *Multa quidem aduersùm me confinxerunt & dixerunt, quòd ad communionem non ieiunos receperim. Et si quidem hoc feci, expungatur nomen meum ex albo episcoporum, & non scribatur in libro orthodoxæ fidei. Quoniam eccè si tale quid admisi, abijciat me etiam Christus è regno suo.* Hæc ille.

Aduersariorũ manifesta impietas.

Disce ex his, quàm immanis criminis loco Chrysostomus habuerit, si quis hanc ordinationem transgressus esset, vt quã dignam quoquè censeat, cuius nomine quis è libro vitæ deleatur. Atquì Aduersarij nostri hæc planè irrident. Cernere est apud illos cõcionatores, qui nũquàm nedùm ad sacerdotium, sed nec ad infimum quidem ordinis ecclesiastici vel clericatûs gradum legitimè promoti vel vllis sacris initiati sint: quos dubium non est, sacram liturgiam non ità exequi, vt à Paulo & Ecclesia sancitum & ordinatum est: non enim consecrant, non sacrificant vel offerunt, vtì nec possunt, vt est suprà annotatum fol. 572. Nulla neque temporis neque loci habita ratione plerunquè frustum panis in marsupium vel peram conijciunt, à prandio vel cœna, ventre benè farto, ad alios æquè potos in illorum priuatas ædes sese conferunt, in panem ea sola Pauli verba, quibus is vt à Domino sacramentum institutum sit refert, pronunciant, nulla vtuntur inuocatione, ac multo etiam minùs forma ecclesiastica, sicque porrò panem, in quem non nisi historica protulere verba, pro Christi corpore porrigunt, quem tamen plerunquè ipsi vnà nõ percipiunt. Hoc verò sitne è diametro contra Christi institutionẽ, sanctispiritûs certam & expressam voluntatem, Paulinam dispositiõem vel ordinationem, & S. Ecclesiæ peruulgatum morem & consuetudinem venire & agere, equidem cuilibet pensitandum relinquo. Et hactenùs quidem de primo Decreti Constantiensis Concilij Articulo egisse

so egisse satìs sit. Iam agè etiam alium de communione alterius speciei articulum excutiamus.

DECLARATIONEM ET DECRETVM DE COMMVNIONE ALTERIVS SPECIEI EVCHARISTIAE, IN OMNIBVS SVIS MEMBRIS SIVE ARTICVLIS BENE FVNDATVM ESSE.

EST ea nimìs quàm impudens calumnia, quam Bucerus antè dictis duobus Concilijs facit, asserens ea de communióe ità statuisse ac decreuisse, vt deincèps nulla alitèr decernédi relicta sit facultas: cùm tamen decreta ipsa eorum cóciliorum in articulis suis omnibus causas, quibus Patres rectè, Christianè ac omninò iurè permoti sint ità decernere, secum adferant & complectantur: quæ sanè eiusmodi sunt, vt nec Buceri, nec vllius Aduersarij faciem reformident. Sunt autem hi illorum decretorum vel declarationum articuli. CAP. 43. Noue articuli conciliorú horú decretis declarati & diffiniti.

Primus est, in Christi Ecclesia nunquàm in dubium reuocatú esse, sub qualibet Eucharistiæ specie, Christi veram carnem & sanguiné, adeoq; Christum ipsum totum & integrum adesse. I. Articulus.

Articulus hic suprà fol. 546. ex scriptis diuinis & ipsius Dñi verbis, atq; etiã Catholicę Christi Ecclesiæ testimonijs catenùs assertus est, vt meo quidem iudicio cuilibet ea satisfactura sint.

Secundò in his Concilijs declaratú ac diffinitum est, Christianos, siue laici sint, siue clerici, religiosi vel seculares, qui cómunicent tantùm, non etiam conficiant, Domini præcepto nó obligari ad Eucharistiam sub vtraq; panis & vini specie percipiendam: sed Ecclesiam, quæ regitur spiritu veritatis secùm manente inæternùm, & cum qua Christus manet vsq; ad consummationé seculi, ex ipsi tradita authoritate, ordinare & pręscribere habere, quo pacto non conficientibus ministranda sit, vtì tum pro reuerentia ipsius Sacramenti, tum salute fidelium viderit expedire: siue autem sub altera, siue sub vtraq; specie quis communicet secundùm ordinationem Ecclesiæ, proficere dignè communicantibus ad salutem.

Hæc equidem suprà fol.367.& sequentibus æquè abundè probata sunt. Docui illic ea præceptiua Domini verba, Hoc facite in meam commemoratiōem, duodecim Apostolis & eorum successoribus sacrificis vel sacerdotibus propriè ac peculiariter dicta esse: quibus verbis non indiscriminatim omnibus, sed illis duntaxat tres suprà annotatas potestates (putà, corpus ipsius & sanguinem sub vtraque specie conficiendi, cælesti patri offerendi, ac posteà sumendi & alijs fidelibus, Eucharistiam deuotè petentibus, sic vt par est, impertiendi ac administrandi) contulerit ac demandârit: ità vt hoc mandatum longè alitèr pertineat ad sacerdotem conficientem, quàm illos, qui Eucharistiam tantùm sumere velint. Ad sacerdotem enim pertinet, tanquàm qui hoc ipso mandato legatus & dispensator Dei institutus sit, vt id Christi vice conficiat & expleat: idq; non sumendo dũtaxat, verumetiam, & id quidem præcipuè, consecrando & offerēdo Sacramento sub vtraq; specie: quam ob rem etiam sacerdos Christi nũcupatur. Ad alios verò, tanquàm ad illos, ad quos sacerdos dispensationis mandatum acceperit. Vndè iam confestìm discrimen hoc appâret & elucescit, sacerdotem quidem, vt qui vtranque speciem ceu publicus Christi & Ecclesiæ eius minister, ob repræsentandum cruentum illud semèl in cruce litatum sacrificium, quo caro & sanguis Christi separata sunt, pro Christianis omnibus obtulerit, etiã vtranque speciem deindè sumere debere: siquidem id immolatio vel sacrificatio ipsa ex diuinæ legis præscripto iurè postulat. Illis verò, qui sacerdotis ministerio functi non sint, sed Eucharistiam sumere duntaxat cupiant, satìs esse, si V. Sacramentum sub altera specie percipiant: quòd sub illa & carnem & sanguinem Christi & Dominum ipsum cum cunctis illius largissimis charismatîs perfectè accipiant, atque vna tantùm specie sumenda illud agant, quod Christianæ Ecclesiæ, (penès quam potestas & authoritas est, à Christo ipsi tributa, ea ratione Sacramenta dispensandi, & commodissimè & rectissimè fieri posse perspexerit) vsui & consuetudini magìs consentaneum sit, Eodem loco etiam illud ex sacris literis vt Patrum testimonijs planum feci, vtramlibet communionem, siue sub altera, siue sub vtraque specie, modò ex Ecclesiæ præscripto & ordinatione fiat, eiusdem esse virtutis & energiæ, & cuilibet sumenti

Discrimē inter conficientem sacerdotē & alios cōmunicantes.

profi-

proficere ad salutem: quæ nimirùm probatione vlteriori non indigent.

Tertiò hisce Decretis declaratur, communionē hanc alterius speciei, in Ecclesia Catholica semper pro Christiana & sufficienti habitam esse. 3.

Isthuc itidèm iam antè in trium illarum minimè dubiarum Regularum assertione & explicatione non minùs, atquè superiora duo, tum scriptis diuinis, tum Patrum authoritatibus, tum multigenis iisdemq; verissimis & indubitatæ fidei exemplis vsqueadeò testatum fecimus, vt equidem mihi persuadeam, neminem id deincèps impetiturum, apud quem tamen Christi Ecclesia vlla in existimatione & authoritate sit.

Sequuntur iam aliæ eorundem Conciliorum declarationes & diffinitiones, quarum rationes paulò sunt vberiùs explicandæ.

Quartò enim declaratur, licèt in primitiua Ecclesia V. Sacramentum à fidelibus sub vtraque specie receptum sit, tamen hanc consuetudinem ad euitandum quędam pericula & scandala rationabiliter introductam, vt à conficientibus quidem sub vtraque, à laicis verò tantùm sub panis specie accipiatur: eamque consuetudinem iam tum antè Constantiense concilium fuisse diutissimè obseruatam, & à doctoribus diuinæ legis à longæuo tempore commendatam. 4.

Quintò declaratur, Ecclesiæ Christi ex accepta authoritate ordinandum statuendumque incumbere, quo pacto V. Sacramentum non conficientibus ministrandum sit, prout pro ipsius reuerentia Sacramenti & salute fidelium viderit expedire, maximè verò ob imminentia pericula & scandala præcauenda. 5.

Sextò, innuunt ea Concilia, antè ipsa, præsertim verò ipsorum temporibus, propter communionem varia extitisse offendicula, hæreses, & errores, quibus necessè fuerit generalis Concilij decreto obsistere & ire obuiàm. 6.

Septimò, æquè significant & indicant, permulta eaque grauia in dispensando calice tum occurrisse pericula; quæ cùm ad immanem V. Sacramenti prophanationem, contumeliam atque 7.

contemptum, & ipsorum abutentium damnationem spectarent, nō minùs necessè fuerit itidèm amoliri.

8. Octauò decernitur ac declaratur, iam dictam laudabilē consuetudinem laicis & nō conficientibus sub altera tātùm specie Eucharistiam ministrandi, à Christi Ecclesia & sanctis patribus rationabiliter, vt antè dictum est, introductam, atque etiam ante Constantiensem Synodum diutissimè obseruatam, deincèps pro lege habendam esse, quam nulli liceat reprobare, vel sinè Ecclesiæ authoritate mutare.

9. Nonò decernunt, erroneum censeri debere, si quis dicat hanc consuetudinem aut legem obseruare, sacrilegum vel illicitum esse: & pertinaciter diuersum siue oppositum præmissorum, id est, articulorum iam declaratorum asserentes, tanquàm hæreticos arcendos & grauiter puniendos.

Horum postremorum sex Articulorum veras ac solidas rationes, tametsi ex præcedentibus sequuntur, ob futilia tamen Aduersariorum cauilla tanto luculentiùs diluenda ac retundenda paulò latiùs depromam.

ASSEVERATIO SIVE PROBATIO IIII. ARTICVLI, VIDELICET, DIVTISSIME ANTE CONSTANTIENSE CONCILIVM MORE ECCLESIAE COMPARATVM FVISSE, VT LAICIS ALTERIVS SPECIEI COMMVNIO PRAEBERETVR.

CAP. 44. QVandoquidem ad extremum Aduersarij negare nō possunt, Communionem alterius speciei non modò vltimis temporibus, sed iam indè ab initio & ipsa adeò Apostolorum ætate, cùm etiānùm fidelibus in cōmunibus præsertim ecclesiasticis cœtibus & congregationibus cōmunio vtriusq; speciei administraretur, pter eā pro re nata & emergente conditione in vsu fuisse: maximè D. Basilio testante, eiusmodi vsum siue morē etiā ipsius ęuo Alexādrię & in Aegypto suprà q̄ quisquā meminisse posset, obseruatū fuisse, vt est suprà annotatū: tādèm

cò illi

eò illi se conferunt,vt affirmare non dubitent, etiamsi ità sit, tamen liberum tum fuisse fidelibus siue sub altera, siue sub vtraque specie communicare: eam verò Christianam libertatem extremis demùm temporibus,quadam obrepente consuetudine, quæ tñ ad quadringentos annos pduci non possit,ipsis cōtra ius fasq; ereptā esse.quanuìs autem nihil necesse sit hac de re magnoperè cum illis digladiari, quòd illi negare nō possint, Communionem alterius speciei semper pro sufficienti habitam,& identidèm vsurpatam esse: at tamen vt ex abundāti doceamus,morem hunc laicos sub altera tantùm specie cōmunicandi,non quadringentorum duntaxat annorum, sed longè etiam vetustiorem esse,equidem committere non possum,quin hoc loco commemorem ante annos 430.sub Imperatore Henrico 4. vixisse præclarum illum & pium Rodolphum Abbatem S. Trudonis, quē Abbas Tritthemius lib.de Scriptorib' Ecclesiasticis huiusmodi prædicatione effert, *Quòd uir fuerit in diuinis scripturis iugi exercitatione peritus,& in secularibus literis haud infimè doctus, carmine ualens & prosa,nec opere minùs quàm scientia clarus.* Is verò luculenter prodit morem hunc non ante ipsius modò ætatem in Christi Ecclesia receptum fuisse,sed etiam legis instàr obseruatum. Cuius rationem hisce reddit versibus:

Hic & ibì cautela fiat,nè presbyter ægris
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi.
Nam fundi posset leuiter,simplexq; putaret
*Quòd non sub specie * sit totus Iesus utraq;.* * Al. totus Iesus esset vtraque.

Cernis hìc ante huius viri æuum,& tanto ante annos quadringētos tempore pro lege seruatum esse,vtì nè sacerdos laicis calicē porrigeret,ob sanguinis Christi cauendam effusionem,quæ eo casu facilè posset accidere:& nè simplices sibi persuaderent,non sub qualibet specie totum Christum haberi. Non quidem Rodolphus iste hanc primus prouisionem & cautionem fecisse putandus est,cuius vtpotè priuati hominis,nō ea esset authoritas: sed morem ille vetustum retulit,ante ipsius tempora vsurpatum,quem etiam duabus non contemnendis rationibus probauit.

Eum autem non multò pòst secuti sunt aliquammulti præcellen-

tes Theologi, de quibus verè dici possit, Etsi imperiti sermone, non tamen scientia, quorum alij ducentis, alij paucioribus annis Cõstantiense Concilium antecesserunt: ij videlicet, Alexander Halesius, Petrus Tarentasius, posteà Romanæ sedis antistes, Albertus Magnus, Thomas Aquinâs, Eustachius, qui & Bonauentura, Iohãnes Dunsus, qui & Scotus, Nicolaus Lyranus, Petrus Paludanus, Thomas Argentinâs: qui omnes & plerique alij id magna concordia indicant, non ipsorum ætate demùm hanc consuetudinem extitisse, sed longè antè supra omnem hominum memoriam receptam fuisse: eamq; laudant, ceu ob causas admodùm rationi cõsentaneas & vrgentissimas, vsurpatam. Eorum autem testimonia hoc loco adferre nolim, quòd Aduersarij illos insignes & egregios viros apud vulgus in contemptum immeritò adduxerint: quanquàm non possunt illi eorum respuere testimonia, quatenùs moris huius antiquitatem probant. Nec quisquam horum Patrum, quorum nonnullos deus, cùm è viuis excessissent, diuinis suis miraculis ornauit, quicquam in cuiusquam vel gratiam vel odium scripsère, sed ea duntaxat, quæ ipsi pro certis & indubitatis haberent.

Horũ patrũ quàm sit fide digna asserctio.

Atq; hoc loco non parùm ego Bucerũ demiror, quòd cùm ille tam insignis Thomista fuerit, vt eius in Psalterium Felina Commentaria probant, nihilo minùs audacter scribere non dubitet, nulla vnq̃ vera Christi membra, nedùm Christi Ecclesiam, huic consuetudini assensisse. Si nanq; ità se res habeat, conficitur indè, Christũ & ante & post horum Patrum tempora ad Cõstantiense vsq; Concilium, atq; indè ad nos vsq;, aut minimùm certè donec Hus & Luterus articulũ hũc, quem tamen Luterus ipse primò propugnauit, sibi impugnandum sumerent, toto Occidente nullam habuisse Ecclesiam: prætereaque cùm tot seculis toto Christiano orbe in Occidente laici in cõmunione alterius speciei vsq; adeò acquieuerint, & huic cõsuetudini absq; vlla contradictione assenserint, eos om̃es ea causa vera Christi membra neutiquàm fuisse. Ecquid verò Bucerus in veram Christi Ecclesiam, ab ipso desertam matrem suam, non modò scribere, sed vel cõminisci contumeliosiùs potuisset?

Buceri commentaria in Psalteriũ, Felini nomine falsò inscripta, & primogenito regis Gallorũ nuncupata. Vide de his Erasmũ in Pseudoeuangelicos ad Vulturiũ.

Huc accedit, si quidem Græci eos pro veris CHRISTI membris

Græci cõmunioni alterius

bris non habuissent, qui huic legi vel consuetudini subscripserant, illos proculdubiò (vt qui primùm Constantiensi, mox etiam Florentino Concilio cum suo Imperatore & Patriarcha frequentissimi interfuerint) horum Conciliorum decreta minimè dissimulaturos, sed illis sese oppositituros fuisse: quod tamen ab illis factum non esse, euidenter docet decretum Vnionis traditum Armenis, ab ijsdemq; receptum & approbatum. Specie nihil cótradixere.

Qui verò potuissent Græci huius consuetudinis & vsus impugnationem suscipere, cùm etiam ipsi non rarò sub altera tantùm specie Eucharistiam percipiant? cuius rei suprà allatum est testimonium ex VI. Constantinopolitana Synodo, fol. 449. Tum etiam sacerdos Græcus, quotiès sacris operatur, non communicantibus panem duntaxat, vndè Eucharistiam accepit & consecrauit, scissum in frustula, ceu communionis symbolum quoddam, edendum porrigit: quem illi Græcè ἀντίδωρον vocant. Meminit eius Basilius quoquè, itemque Chrysostomus in Liturgijs suis. Quod sanè argumento est, eos Communionem alterius speciei pro sufficienti habere.

Porrò etiam ea in re Bucerus & Melanchthon Romanis Pontificibus iniuriam irrogant, quòd illos aiunt extremis demùm temporibus populo calicis vsu interdixisse, sicque veram de Christi sanguine, hominum peccata diluente, doctrinam aboleuisse. Vt enim semper adhuc crediderit, atque etiamnùm credat Romana Ecclesia, remissionem peccatorum virtute sanguinis Christi fieri, id præcipuè testantur libri Sacramentarij Ecclesiæ Romanæ: atque alioquì pijs omnibus probè cognitum est. Quòd verò Pontifices Romani ante Constantiense Concilium vtriusque specie communionem expressè prohibuerint, in eius rei documentum Aduersarij hactenùs nec iota vnum proferre potuerunt. Constantiensis Synodus non ad vllius Pontificis decretum se refert, sed ad peruetustum morem, ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introductum & diutissimè obseruatum. Buceri & Melanchthonis calumnia in Romanos Pontifices.

Cùm, inquit Cóstantiése Cócilium, *huiusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis*

sanctis Patribus rationabiliter introducta & diutissimè obseruata sit. *Item Basileense: Laudabilis quoquè consuetudo communicandi laicum populum sub una specie, ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenùs diutissimè obseruata, & à doctoribus diuinæ legis, sacrarum scripturarum atq; Canonum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda est,* &c.

Romani Pontifices neque in Constantiensi, neque in Basileensi synodo alterius speciei communioné obtrudere potuere.

Neq; potuêre Romani Pontifices in Concilio Constantiensi alterius speciei communionem obtrudere, quòd Concilium id temporis, cùm de hoc Articulo decerneret, nullum ex illis tribus, quorum quilibet in schismate Pontifex haberi voluit, pro pontifice haberet: vtì etiá ijsdem omnibus posteà ea dignitas ibidèm abrogata est. Quæ autem tum in isto, tum Basileensi Concilio, (quod etiam Eugenium 4. Pontificatu mouere tentauit) præsentibus & subscribentibus Episcopis omnibus & alijs Germanicæ nationis legatis decreta sunt, ea nimirùm post maturam & accuratá Articuli huius examinationem ac deliberationem decreta sunt: cui examinationi ac deliberatiôi interfuêre totius Christiani orbis viri eruditissimi, qui tum ad Concilia illa conuenerant. Inter quos in Concilio Constantiensi fuêre viri illi insignes, Petrus ab Aliaco, Episcopus Cameracésis, qui Synodo eidem librum suum De Emendatione Ecclesiæ obtulit: Iohannes Gerson, qui eximiæ eruditionis & zeli sui nomine nô immeritò magnis celebratur encomijs: Nicolaus Clemanges, Archidiaconus Baiocensis, qui itidèm libellum de corrupto Ecclesię statu ea tempestate edidit. Itemq; Vincentius Ferrarius, relatus posteà inter Sanctos: atque eius generis complures alij viri, qui tum temporis sanè neque Pontifici, neque Imperatori, vt alia eorundé Conciliorû Decreta satis probant, in illis quæ ad fidem & Ecclesiæ reformationem pertinent, nihil prorsus blanditi & adulati sunt. Immò non dubites Lector, hosce viros atque eorum similes potiùs passuros fuisse in mille se partes distrahi atque discerpi, quàm vel vni assentire Decreto, cui qui subscriberet, verum Christi membrum non esset.

Petrus ab Aliaco.

Iohánes Gerson.

Nicolaus Clemanges.

Vincentius Ferrarius.

Certus sum enim non eos tales fuisse, quales hisce nostris calamitosis temporibus plurimi sunt, qui Verbum Dei sui compendij causa peruer-

peruertunt,permiſcent,adulterant ac nundinantur:ſed eiuſmodi illi fuêre,qui ex ſynceritate,ſicut ex Deo coram Deo in CHRISTO loquerentur,vt Apoſtolus docet ſecundæ Corinth. ſecundo, & Diuus Petrus 1.Pet.4.

Sed neque illud vel minimo argumento docere poterunt Aduerſarij,ecquidnam tamen Romanos pontifices permouere potuerit,vt alterius ſpeciei cõmunionem vi quadam inuehere conarẽtur,vt hoc ipſo CHRISTI ordinationem dedita opera deſtruerent: quandò nihil omninò hinc ad eos vtilitatis vel commodi redire potuit, atq; iiſdem Romanis pontificibus perindè ſit,modò alioquì abſque vllo periculo & ſcandalo piè & reuerenter poſſit fieri, vtrùm laici ſub altera vel vtraque ſpecie communicent. Deniquè nec illud affirmari poteſt, hac communicandi differentia vllam laicorum ſpectari vilipenſionem,cùm non vulgares modò ſacrifici, ſed etiam ſummi Pontifices, itemque Epiſcopi,quandò ipſi non ſacrificant,communione alterius ſpeciei contenti ſint. Itaque non niſi mera quædam,prorſusque commentitia ac liuida ea calumnia eſt, qua Aduerſarij Romanis Pontificibus,vt vulgus in eos concitent, iſthuc affingere nituntur. Quod autem in generalibus Concilijs hinc decretum & diſſinitum eſt, non eſt id citra vllum dubium contra CHRISTI ſpiritum, ſed ex ipſo CHRISTI ſpiritu decretum. Verùm hæc de introducta hac peruetuſta Eccleſiæ conſuetudine dixiſſe ſufficiat.

Romani Pontifices nihil habent lucri vel commodi ex alterius ſpeciei communione.

QVINTI ARTICVLI PROBATIO, NEMPE CHRISTI ECCLESIAE ID INCVMBERE, VT QVO PACTO NON CONFICIENTIBVS, OB IMMINENTIA PERICVLA ET SCANDALA PRAECAVENDA, EVCHARISTIA MINISTRANDA SIT, PRAESCRIBAT.

CAP. 45.

IAm antè, cùm tertiam illam facultatem siue potestatem ad Eucharistiæ dispensatiorem pertinentem, à Christo discipulis his verbis, Hoc facite in meam cōmemorationem, traditam ac demandatam, explicarem, ex ipsius dn̄i & Apostoli verbis luculēter satis indicaui, ecquidnam vicariorum & dispensatorum Christi, quibus ille sua mysteria dispēsanda commisit, officium ac ministeriū reposcat & possit: & speciatìm quidem Vicarios hos siue dispensatores, vi demandatę ipsis pręsidentiæ & administrationis nō adeò absolutè ad mandati literam vel verba ipsa adstringi & obligari, vt pro re nata vel præsenti conditione nullam omninò moderationem adhibere possint: cùm alioquì non sint pro veris habendi dispensatoribus & œconomis, quorū fidei & prudentiæ concreditum & commissum est ità dispensare & erogare, vt res postulare videtur: sed potissimùm eos ad institutionis finem siue scopum & ad ipsam dn̄i voluntatem intentos esse debere, ità vt illi siue secūdùm literam, siue alitèr tali ratione, qua tantundem re vera & actu ipso, siue realiter & actualiter fiat & administretur seu porrigatur, satisfaciant: id quod eo loco multis Dn̄i factis atq; dictis, ad Sacramentorum præcipuè dispensationem & administrationem pertinentibus, ex scripturis sacris & Patribus planum feci.

Ministerium dispensatoris quid exigat.

Bucerus.

Atq; ab hac sententia nec Bucerus quādoquē prorsus abhorruit, vt qui in suprà memorato illo suo libro ꝑtensæ confutationis Christiani Antididagmatis, editi ab insigni Capitulo maioris ædis vrbis huius Colonień &c. vltrò ipse confiteatur, esse id Ecclesiæ Christi, in quibuslibet rebus externis, etiam diuinitùs præceptis atq; cōstitutis, interdùm dispensare, atq; eo pacto moderari & ordinare, vt finis obtineatur, & diuinæ voluntati fiat satìs. Cùm enim externa omnia homini, cuius saluti destinata & pro cuius salute instituta sunt, vsui ac bono esse debeant, ea haud dubiè Ecclesiam esse authoritate, vt in eiusmodi nonnunquàm dispensare ac moderari possit, quemadmodùm dn̄s in Sabbati obseruatione fecerit. Dispensare enim, si propriè loqui velímus, nihil esse aliud, q̄ quippiam in finem suum commodè dirigere, idq; pro rerum, temporum, locorum, personarum conditione, vt is tantò aptiùs obtineatur.

Bucerus & Melāchthon suis verbis re uincūtur, Ecclesiā ea qua fecit, ratione de communione posse cōstituere.

Melāchthon.

Quod idem ferè etiam Melanchthon fatetur, libello de Vsu integri Sa-

gri Sacramenti ità scribens: *Addam & illud: Concedit* (libertas Euangelica) *in casu impossibilitatis dispensationem credenti, ut si qui martyres catechumeni interiecti sunt ante baptismum, id non est abolere ministerium, sed adhibere dispensationem in speciali casu: ut Machabæi non abolebant legem de sabbato prælianses, sed in casu necessitatis dispensationem adhibebant.* Immò verò eodem libello cùm suprà scripsisset, Ecclesiam neque materiam, neque formam sacramentorum mutare posse, postcà ostendit non planè ipsi displicere Rutenos, apud quos vinum non nascitur, non vinum, sed hydromeli, quod medonem vocant, consecrare, nulla eius habita ratione, quòd CHRISTVS sinè dubio vinum aqua mixtum, calicis materiam esse voluit, vt tum Euángelistæ testantur, & Cyprianus probat libro secundo Epist. tertia, Neque adextremùm diffitetur, Apostolos quandoquè in CHRISTI nomine baptizasse: itemque admitti posse, CHRISTVM duobus illis discipulis in Emaus Eucharistiæ alteram duntaxat speciem præbuisse: adeò vt vterque, tum Melanchthon, tum Bucerus, ea propemodum omnia admittat, quæ antè dictus quintus Articulus, vel quinta ratio eorum quæ in antè memoratis Concilijs decreta sunt, complectitur: maximè si perpendere velímus, casus imminentium scandalorum vel periculorum, casus esse necessitatis. Et certè casus necessitatis non minoris, quàm Machabæis impendebat Sabbato pugnaturis: cùm id posse dicamur, quod sinè scandalo & periculo prophanationis mysteriorum CHRISTI possumus. Atqui vt nihilo minùs illi Concilia impotenter ac temerè oppugnare & calumniari possint, confingunt & comminiscuntur iis decretis nullam dispensationem, id est, congruentem moderationem, sed perpetuam prohibitionem factam esse, qua libertas Euangelica non cõmunita & defensa, sed prorsus oppressa sit, & ministerium, quod ad integrum Sacramentum, vt Bucerus ait, aut certè dimidiam illius partẽ attinet, vt Melanchthoni placet, planè abolitum & obrutum, & lex diuina abrogata sit. Atq; hoc illi quãtùm maximum possunt exaggerant.

Aduersariorum calũnia.

Verùm si à Melanchthone tantum æqui ac boni impetrare liceret, vt isthæc decreta æquis oculis inspicere, & haud perperã intelli-

In Cóciliorũ decretis neutra species omninò abrogatur, sed altera dũtaxat, donec aliud decernatur, instituitur.

gere velit, tandèm ille non posset non fateri, nullam in illis perpetuã prohibitionem, multò etiam minùs vllam diuini præcepti oppressionem & abolitionem, sed congruentẽ duntaxat dispensationem, ordinationem & moderationem, ità vt res vel conditio præsens exigere visa fuit, adhibitam esse: qua sanè vtraq; species nó est abolita, sed tanquàm necessaria tum sacrificationi vel oblationi, tum etiam communioni, quantùm ad conficientem sacrificium, ceu communem personam attinet, decreta ac diffinita est. Quantùm autem ad eos qui non conficiunt & ad laicos pertinet, calicis communio ob multa cauenda scandala & pericula non perpetuò, sed donec Ecclesia secùs constituat, & eæ possint viæ & rationes reperiri, quibus effectũ sit, vt isthæc non sint formidanda pericula & scandala, interdicta est. Quare nihil omninò detrimenti vel incómodi accedit credentibus, quãdò eiusmodi communione non minùs quàm conficientes sacrifici re & effectu ipso percipiunt. Non igitur, vt equidem sentio, perpetua isthuc dici potest prohibitio, abrogatio, deletio, vt Melanchthoni scribere libitum est: sed quædam duntaxat congruens dispensatio, ordinatio ac moderatio.

ECCLESIAM EA ESSE AVTHORITATE, VT EXTERNA OMNIA ETIAM DIVINITÙS MANDATA VEL IVSSA, OB HAERESES, OFFENDICVLA ET PERICVLA IMMINENTIA MODERARI POSSIT.

CAP. 46.

In externis potest Ecclesia nedũ speciales, sedetiã generales moderationes & ordinationes adhibere, prout necessitas impendens poscere videtur.

EA verò Christi Ecclesiã authoritate & libertate semper præditã fuisse, eaq; authoritate ꝑpetuò irreprẽhésibiliter vsam esse, vt dum ex abusu externorũ nonnunq̃ crassa scandala & hęreses existerẽt, aut grauia ꝑicula ad Dei & sacramétorũ ei contemptũ spectantia, vel Christianos à diuinę ordinatióis obtinẽdo fine & attingendo scopo prępedientia consequerentur, (vtì nulla externa tam bona esse possunt, quin illis abuti quis possit: immò quanto ea potiora sunt, tanto eorum abusus sit immanior) semper

ipsa

ipsa Ecclesia non solùm in casu necessitatis speciali per indulgẽtiam, sed & generali per legẽ,dum ea necessitas durabit, valituram, externorũ administrationem ea ratione moderari & præscribere potuerit & possit,ac debeat, quô eiusmodi scandala, hęreses & pericula prę-caueantur,ac nihilo minùs Christiani vera diuinorum munerũ substantia neutiquàm fraudentur,id nimirùm tam est compertum illis, qui nonnihil in ecclesiasticis rebus versati sunt, quàm quod compertissimum.

Vide August. lib. I. contra Cresconium Grammatic. cap. 33 & sequent.

Atq; hoc ipsum, maximè quòd ad huius V. Sacramenti administrationem attinet,ab Apostolo luculenter & perspicuè satìs indicatur I.Cor.II.quo loco ob duas hasce causas,putà schismata & hęreses,itemque V.Sacramenti prophanationes & cõtemptum, (siquidẽ hæc vtraq; apud Corinthios iam irrepserant)modum & ordinem eis præscribit,vt deincèps cœnam Domini in Christiana animorum cõspiratione & concordia sanctè & religiosè seruare debeant. *Hoc autẽ,* inquit, *præcipio, non laudans, quòd non in melius, sed in deterius conuenitis. Primùm quidem conuenientibus uobis in ecclesiam, audio scissuras esse inter uos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in uobis.*

Quãdoquidẽ apud Corinthios hæ duæ causæ, hæresis & abusio extabant, Apostolus illis præscribit, vt porrò gerere se debeant.

Hæreses.

Habes hîc primam causam,quæ ordinationem & prouisionẽ quãdam circa Eucharistiæ administrationem postularet. Nanq; etiã D. Ambrosius illic testatur,pseudoapostolos inter Corinthios dissẽsiones semināsse, vndè offendicula multa profecta erant,quibus à salutari huius V.Sacramenti vsu præpediebãtur. Vbì enim dissensio est, inquit Ambrosius,nihil rectum est.

Addit indè Apostolus: *Conuenientibus ergò uobis in unum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis? &c.*

Discis hinc etiam alterum prophanatiõis,abusûs & cõtemptionis Eucharistiæ vitium.Atq; etiam porrò docet,quandoquidem his implicati vitijs,corpus Domini ab alijs escis non dijudicāssent, idcircò eos illud non ad salutem,cuius tamen causa à Domino V.Sacramen-

Abusus.

tum institutum erat, sed ad iudicium & damnatiōem accepisse. Eiusmodi igitur heresum, dissensionum & abusuum amouendorū causa ibidèm, iuxta Augustini sententiam, ordinat & prescribit, vt quàuis Dominus partìm inter cœnandum, partìm à cœna sacramentum suum instituerit & porrexerit, ipsi tamen deincèps cælestem hunc cibum mensis suis & communibus cibis non misceant, sed in ecclesia Christi sumant, ac deindè domi suę, si esurierint, alias escas edant & bibant: itemq; vt nè quis Eucharistiam percipiat, nisi priùs sese probârit, quod Basilius & alij Patres, vt suprà dictum est, ità accipiunt, nisi ante omnia sese explorârit, num fides sua de huius V. Sacramenti veritate recta ac firma sit, ità vt veram ac realem Domini Iesu carnem & sanguinem in eo haberi nihil ambigat: deindè, an corde contrito ac pœnitenti, & diuino flagranti amore accedat. Si enim absque eiusmodi probatiōe Eucharistiam percipiat, Apostolus eum indignè accedere ait, & siue corpus edat, siue sanguinem Domini bibat, vtriusque & corporis & sanguinis reum fieri. Vbì ad extremùm, vt suprà annotauimus, hæc addit: Cętera, cùm venero, disponam. Ex his igitur animaduerti licet, dum hereses & schismata aut etiam abusus circa Eucharistię administrationem emergunt, ecclesiæ prefectos & pastores ex officio obligari, vt oportunis, congruentibus ac salutaribus ordinationibus & constitutionibus illis eant obuiam, atque eiusmodi modum præscribant, quo tam crassa vitia, quibus institutionis finis impeditur ac euertitur, è medio tollantur, corpusque Christi in fidei vnitate sanctè, reuerenter, salutariter & citra offendiculū, ità vt commodissimè fieri possit, fidelibus ministretur.

1. Epistola 118. ad Ianuariū.

2.

Apostolus promittit se latiùs ordinaturū ac præscripturū, vt Eucharistia danda & sumenda sit.

QVOTIES HAERESES NATAE SVNT, EO QVOD HAERETICI REBVS EXTERNIS LEGE SANCITIS, TANQVAM EAE OMNINO AD SALVTEM NECESSARIAE ESSENT, LICET VERITAS ALITER SE HABERET, AVT SOLI LITERAE INSISTERENT, E DIVERSO EVM SEMPER CATOLICAE ECCLESIAE MOREM FVISSE, HVIVSMODI TEMERITATI ET PERTINACIAE CONTRARIIS LEGIBVS OBVIARE.

Nimi-

CAP. 47.

NImirùm fecisse id Ecclesiam, primam illam ob causam, doceri facilè potest. Cùm enim ob externa quædam, etiam diuinitùs iussa, hæreses & schismata orirentur, ità vt hæretici illa externa in suæ hæreseos confirmationẽ & propagationem contra Ecclesiæ peruulgatum morem & consuetudinem adeò exaggerarent, tanquàm sinè illis nemini liceret æternam adipisci beatitudinem, atque eo nomine Christianos alios criminari instituerent: sẽmper catholica Christi Ecclesia eiusmodi præfractæ heret corum temeritati ac proteruię magno zelo perquàm seriò iuit obuiàm, illorum pertinacem sententiam & iudicium, catholicæ traditioni & longæ consuetudini contrarium castigauit, atque contra illos definiuit & decreuit, quænam in Sacramentorum administratione & alijs rebus externis ad æternam capessendam salutem omninò vel necessaria, vel non necessaria sint: idque ob duas præcipuè rationes: Primò quidem, quòd hæreticorum proteruia & schismata vel scissuræ in Christi Ecclesia, quam vnam & indistractam esse necessè est, nullõ pacto tolerari queant: Secundò verò, quòd hæretici, si sua iactatione, insolentia & insultatione rem tandèm eò perducerent, vt quæ illi ad salutem prorsus necessaria esse volunt, neque tamen ità necessaria sunt, nos catholici æquè atquè illi obseruãda recipere cogeremur, iactitaturi essent se nostrã catholicamq; doctrinã, vetustamq; Ecclesię consuetudinem consutâsse ac subruisse, nosque Catholicos ipsis herbã porrexisse. Quò sanè om̃es eorum curę & cogitatiões vel maximè intentę & destinatę sunt. Atquì si id illis succederet, iam de Ecclesia actum esset: quemadmodùm D. Gregorius docet Registi lib. 1. Epist. 31. atq; etiam beatus ille Germanus Constantinopolitanus Episcopus, scribens hũc in modum Thomæ Claudiopolitano Episcopo: *Ante omnia uerò prouidendum est, nè à sentẽtia permuteris,* (id est, nè hęreticis concedas quippiam ad salutem prorsus necessarium, quod tamen catenùs non sit necessarium) *nè ex hoc inimici nostri & hostes crucis Christi, supercilium eleuent contra fidem nostram, dicantq;: Hucusquè Christiani errârunt.*

Quotiès hæretici quippiã externũ ceu saluti planè necessarium, cõtra receptũ morem produxere, semper illis Ecclesia se opposuit, & cõtraria sanciuit.

Epistolã habes Synodi Nicenæ 2. sed ordine septimæ, Action. 4.

Possunt, inquam, hęc facilè doceri, etiam certissimis exẽplis, quæ in promptu permulta habemus, partìm iam suprà citata, præter quæ

etiam

etiam pleraq; alia referētur. Indè verò exordiri libet, quòd primùm illud Conciliū, à sanctis apostolis propter legalia Hierosolymis habitum, Act.15. & Epistolæ Pauli nobis proponunt. Quòd ad Concilium illud attinet, in confesso est, eius cogēdi ansam præbuisse quosdam ex Iudæa Antiochiam profectos, qui docebant fratres, qui illis in locis pleriq; omnes ethnici erant: Quia nisi circuncidamini secundùm morem Mosis, non potestis saluari. Quæ res cùm magnę cuiusdam apud credentes dissensionis materiam præberet, Concilium illud celebratum est: in quo tandèm multa disquisitione facta, gentiles soli legalium obseruandorum onere disertis verbis liberati & exempti sunt, demptis tamen quibusdam necessarijs, vt ipsum decretum gentibus missum exprimit his verbis: *Visum est Spirituisancto & nobis, nihil ultrà imponere uobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis uos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes uos, benè agetis.*

Primi Concilij Apostolici decretum.

Atq; hæc exceptio de sanguine & suffocato, posteà in canonibus Apostolorum, Cano.62. & multis alijs canonibus & concilijs renouata est, cuius etiam Tertullianus in Apologetico cap.9. meminit. Iudæi verò in eo Concilio legalium onere expresè non sunt exempti. In eodem enim decreto Iacobus Hierosolymitanus episcopus, & illi Concilio pręsidēs, his quoquè verbis vsus est: *Moses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.*

Hoc autem Apostolicum decretum Paulus & Barnabas, quocunquè venissent, denunciàrunt, præcipientes illud custodiri, vt habes Actor. 15. & 16. Paulus quoquè Timotheum filium mulieris Iudęæ fidelis, ipse circuncidit: & Aquila secundùm legem totundit sibi in Cenchreis caput: habebat enim votum, Actor.18. Immò Actor.21. refertur Diuus Iacobus Paulo, cùm postremùm Hierosolymam venisset, ità dixisse: *Vides frater, quot millia sunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Mose, eorum qui per gentes sunt Iudæorum, dicens non debere eos circuncidere filios suos, neque secundùm consuetudinem ingredi. Hoc ergò fac, quod tibi dicimus, &c.*

&c. & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.

Et Paulus ex D. Iacobi cõsilio recipit in se votum, radit caput suũ, purificat se cum alijs quatuor viris, annunciat expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoq; eorum oblatio.

Agè iam animum aduerte. Apostoli in Concilio decreuerunt, vt baptizati gẽtiles, inter alia obseruatu necessaria, à sanguine & suffocato abstinerent. Atquì cùm posteà curiosi quidam nimiùm id vrgerent, perindè àc si perpetuò ac omninò saluti consequendæ necessarium foret, cùm tamen Apostolorum duntaxat ætate ob lucrifaciendos Iudæos fuerit necessarium, deindè Ecclesiæ permissu abolitum est. Itaque hodieque sanguine & suffocato vti, nulla hominibus religio est. Nihil enim hac re admittitur contra finem illum quem Apostoli spectàrunt, tametsi contra ipsam literam venitur. Nec illud obscurum est, quam moderationem erga idolothyta Apostolus adhibuerit 1. Cor. 10. neque tamen contra Apostolorum decretum venisse putandus est.

Quibusdã illã legem de non edẽdo sanguine & suffocato nimiũ vrgentibus, Ecclesia permisit diuersum fieri.

Quandò igitur Apostoli & Ecclesia Christi id temporis in Concilio suo duo hæc pro Christiana libertate non necessaria obtinendæ saluti, tamen ceu necessaria vt minimùm ad tempus aliquod obseruanda præscribere & iubere potuerunt, vtì scandala eorum qui ex Iudaismo recèns ad CHRISTVM conuersi erant, anteuerterent: cur non multò etiam magìs eadem CHRISTI Ecclesia in Constantiensi Synodo calicis dispensationem (non conficientibus, modò alioquì corpus Christi sub altera specie dignè percipiant, nihil ad salutem necessariam) aliquandiù donec aliud decernatur amouere potuit, ob multa eaque horrenda offendicula & ipsius V. Sacramenti prophanationes auertendas? cùm longè plus sit, rem non necessariam pro necessaria Ecclesiæ imponere, quàm non omninò necessariam ad tempus suspendere. Verùm alia iam dictæ ecclesiasticæ consuetudinis exempla proferre pergamus.

Cùm Apostoli quædã non necessaria seruãda præscripserint, etiã Ecclesia potuit nõ necessariam calicis dispensationem ad tẽpus remouere.

In confesso est, tametsi Apostolus Paulus initiò Decretum istud Concilij, quo Iudæis permissum est obseruare legalia, in Ecclesijs omnibus, ad quas peruenerit, ipsus denunciauit & custodiendum seruandumque præcepit: at tamen cùm posteà quidam ex circuncisione

Quãdoquidẽ nõnulli circũcisionẽ, quam Apostoli expressè nõ abrogárant, ceu

necessariū vrgere voluerunt, Apostolus eā expresse vetuit.

ad Petrum, Iohannem & Iacobum se referrent, quò Galatas possent reuocare ad legalia, tanquàm eorum obseruatio saluti consequendæ necessaria prorsus foret, acerrimè illum sese opposuisse: cumq; anteà ipsus illis rebus, tanquàm alioquì non malis in seipsis, vsus esset, Galatis tamen grauissimè prohibuisse, nè deincèps eas obseruarēt. Verba Apostoli hæc sunt: Eccè ego Paulus dico vobis, quoniam si circūcidamini, Christus vobis nihil proderit. Gala. 5.

Qua ex re perspici facilè potest, Apostolus dispensationi siue œconomiæ ipsi à Domino demandatę & concreditæ quàm egregiè satisfacere nouerit, videlicet, vt in finem ille potiùs, quàm externorū exactam nimìs obseruationem, intentus fuerit, idque solùm, quod ad vtilitatem & ædificationem faceret, pro re nata & pręsenti conditione diligentissimè administrârit. *Dispensatio*, inquit ille 1. Cor. 9. *mihi credita est.* Et post pauca: *Nam cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem: Et factus sum Iudæis tanquàm Iudæus, vt Iudæos lucrarer: ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, (cùm ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege erant, lucrifacerē: ijs qui sinè lege erant, tanquàm sinè lege essem, (cùm sinè lege Dei non essem, sed in lege essem CHRISTI) vt lucrifacerem eos qui sinè lege erant. Factus sum infirmus infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.*

Paulus ꝑbus dispensator Dei.

Finis dispensationis siue œconomiæ, est homines lucrifacere.

Quod totū eò facit, vt dispēsatores Dei nouerint, se id potissimùm attendere debere, num id quod Ecclesiæ hostes pro suo cerebro prorsùs extorquere volunt, saluti omninò necessarium sit. Si enim ex Dei verbo & catholicæ Ecclesię doctrina comperiatur illud non planè ad salutem necessarium, Ecclesię pręfecti & pastores ob tuendam & retinendam Christianam libertatem, & amouendos errores & pericula emergentia, debent hoc suo decreto & diffinitione declarare, nec vllum aduersariorum peruicaciæ locum præbere.

Rixosis quibusdā asserentib. baptismū īmersibis necessariū esse, diffinitū est, baptismū aspersū sufficere.

Indè adeò est, quòd tametsi ea Domini verba, Euntes baptizate &c. pro genuina sua significatione id exigunt, & ipsa etiam Apostoli verba Roman. 6. Iuculenter admodùm idem innuunt, debere homines totius corporis immersione baptizari, postmodùm tamen ob rixosos quosdam, baptismum non immersione, sed adspersione colla-

tum

tú (licèt is quoquè in Christi Ecclesia more receptus sit) temerè oppugnantes, decretum est, eiusmodi baptismum ad salutem sufficere. Vide suprà.

Eundem in modum quamuis illa Domini verba, Baptizate eos in nomine Patris & Filij & Spiritussancti, iuxta literam, vt ex interpretatiõe Canonum Apostolicorum & vetustissimorum Patrum potest colligi, trinam immersionem in cuiuslibet personæ summę illius Trinitatis nomine singulatìm reposcant, deindè tamen in Concilio Toletano 4. Can. 5. decretum eiusmodi editum est: *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum,* (de Ariano dogmate loquitur, quod inæqualitatem trium S. Trinitatis personarum impiè adstruere nitebatur) *simplam teneamus baptismatis mersionem.* Et Gregorius Regest. lib. 1. Epist. 41. ad Leandrum Hispaniarum episcopum superiùs citata: *Dum in tribus,* inquit, *personis una substantia est, repræhensibile esse nullatenùs potest, infantem in baptismate uel tèr, uel semel immergere: quandò & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest diuinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hucusquè ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud nos esse non censeo: nè dum mersiones numerant, diuinitatem diuidant, dumq; quod faciebant faciunt, se morem nostrum uicisse glorientur.* Hactenùs Gregorius: cuius rescriptum hauddubiè secutum est Concilium illud Toletanum.

Plerisque dicẽtibus, trinã immersionẽ in baptismo necessariam, decretũ est vt vna tantũ fieret, ob vitandum dogma hæreticum.

Nec huic absimile est, quòd Diui Cypriani ætate quidam pertinaciter ea in sententia persistebant, quandoquidem baptismus in locum circuncisionis institutus esset, nec ante octauum diem infantes circuncidi consueuissent, etiam Christianorum infantes ante diem octauum baptizari minimè debere. Verùm cùm contentiosi isti hac re Ecclesiæ morem, vt quæ iam tum illis quoquè temporibus infantes simul atquè in lucem editi fuissent, salutari expiaret lauacro, carperent ac suggillarent, Diuus Cyprianus aduersùm illos Concilium coëgit, statuitque octauum diem ob baptizandos infantes expectandum non esse. Consule epistolam Concilij LXVI. Episcoporum ad Fidum fratrem, lectu sanè dignam etiam propter Anabaptistas, qui illa fortissimè confutantur & condemnantur.

Cùm quidam ptinaciter affirmarent, vt olim ante octauũ diẽ nõ fuissent circũcisi infantes, ità nec baptizari debere, contrariũ sancitum est.

Præterea licèt in aperto sit, in decalogo septimi diei ferias à Deo cumprimis seriò & grauissimè iussas celebrari, atque tum Dominum ipsum, tum eius Apostolos aliquandiù post illius in cælos ascensionem eas ferias ità obseruâsse, Act. 13. 15. 16. 17. & 1. Corin. 16. at nihilo minùs illæ feriæ septimi diei in octauum diem, nempe Dominicum, translatæ sunt, idque etiam ipso Apostolorum æuo, vt videre est Apocal. 1. illique hæreticorum loco habiti sunt, qui traderent Sabbatum ex Mosaicæ legis præscripto coli debere: quales erant Hebionitæ & Audiani. Vide Theodoretum in Compendio Hæreticarum fabularum lib. 2. Titulo, De alijs Hebionitis, & Augustinum de Hæresibus ad Quoduultdeum, Hæresi 50. Ijdem verò hac de causa nonnunquàm Sabbatarij vocantur. Sic etiam tametsi quidam ex antiquissimis testantur Iohannem Euangelistã Pascha celebrâsse 14. die mensis primi, conuenienter legi Mosaicæ: quandò tamen quidam obstinato animo asserebant ità fieri oportere, in multis Orientis Concilijs per omnes penè prouincias, itidemque in Synodo Romæ sub D. Victore habita, ac deindè in Niceno Concilio planè contrarium sancitum est atque decretum: videlicet Pascha nullo alio quàm Dominico die, quo Dominus resurrexit, esse celebrandum. Vide Eusebium Ecclesiast. Histo. li. 5. cap. 23. Qui verò æquè peruicaces esse perrexêre, non alio quàm hæreticorum loco habiti sunt, dicti Tessaradecaditæ, vel, Quartadecimarij. Vide Epiphanium, Augustinum & Theodoretum de Hæresibus.

Propter Hebionitas & alios Iudaizantes sabbati feriæ in Dominicã trãslatæ sunt.

Licèt D. Iohãnes Euangelista Pascha semper celebrârit 14. die mẽsis primi, idẽ tamen postea vetitũ est eandem ob causam.

Quanuìs item per se nullum sit peccatum, viros in ecclesiasticis cœtibus velato capite, & mulieres non velato capite orare, quandò tamen Ecclesię consuetudo, qua viri Apostolorum tempore aperto, fœminę operto capite precabantur, id minimè ferebat, ac interìm nihilo seciùs contentiosi quidam eam Ecclesiæ Christi consuetudinem impugnabant, eiusmodi temeritatem & petulantiam damnans Apostolus, illum quem diximus morem seruari præcipit, idque seriò admodùm: idemque præceptum his verbis concludit: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

Quidã morẽ Ecclesiæ oppugnãtes, ab Apostolo damnati sunt.

Adhæc tametsi bonum est & conducibile, absque tamen temeraria Christianæ libertatis condẽnatione, perpetuis corpus macerare ieiunijs,

nijs, vt Annam illam viduam Lucæ 2. eo nomine nō mediocriter cōmendatam ſcimus, itemq; ab ipſo Domino Iohannē Baptiſtā, Matt. 11. ità dicente: Venit Iohannes neq; manducans neque bibens: propter Manichæos tamen & Priſcillianiſtas priuatum quendam & ab Eccleſia alienum ſibi morem ſtatuentes, vt qui ipſo Domini natali die & Dominicis diebus proprio iudicio ieiunarent, & quos dies Eccleſia cum gaudio celebrat, ipſi cum mœrore tranſigerent, id ab Eccleſia decretum eſt, neminem Chriſtianum ijs diebus ieiunare debere. Vide D. Leonem Epiſt. 91. ad Turbium, cap. 4.


Non admodùm ab hoc diuerſum eſt, quòd licèt laude dignū ſit, corporis caſtigandi gratia prorſus & æternùm carnibus abſtinere, quemadmodùm initiò Chriſtianos feciſſe teſtatur Euſebius Eccleſiaſt. Hiſto. lib. 5. cap. 1. qn̄ tamen iam dicti Priſcillianiſtæ eſu carniū, tanq̃ ea Dei creatura immunda eſſet, prohibebant, tum temporis in Concilio Bracareñ 1. cap. 32. in diuerſum decretum atq; ſancitum eſt his verbis: *Placuit, ut quicunque in Clero cibo carnium non utuntur, pro amputanda ſuſpicione Priſcillianæ hæreſis, uel olera cocta cū carnibus tamen prægustare cogantur. Quòd ſi contempſerint, neceſſè eſt hos excommunicatos ab officio omnimodè remoueri.* Simile Decretum habes cōtra Tatianos ſeu Encratitas, Concil. Ancyrani cap. 14.

Priſcillianiſtis aſſerentibus eſu carnium neceſſariò abſtinendū penitùs, decretum eſt vt qui ſpontè etiā illis abſtinerent, ſaltē olera eū carnibus cocta prægustarēt, vel ederent.

Huc etiam facit, ꝙ quanuìs illa benedicta Mater Domini nō iniuria Chriſtotocos, id eſt, Chriſti parens dicitur, vt Matthæi 1. cap. ſcriptum eſt: De qua natus eſt IESVS, qui vocat̄ Chriſtus: tn̄ Neſtorianis negare volentibus, ſanctiſſimam virginem Theotocon, id eſt, Dei matrem, ſed ſolùm Chriſtotocon appellari debere, in Epheſina Synodo contra illam hæreſim conſtitutum eſt, vtì nè Chriſtotocos, ſed Theotocos in communibus Eccleſiæ officijs nominaretur.

Propter Neſtorianos vetitum eſt, nè virgo Maria in communibus Eccleſiæ officijs Chriſtotocos, ſed Theothocos vocetur.

Eius generis exempla poſſim ſanè multò plura in medium producere, maximeq; vt Eccleſia eiuſmodi ob cauſas Pſallianos, Audianos, Luciferianos, atq; eiuſmodi duros capitones & ceruicoſos homines condemnârit. Vide Auguſtinum de Hæreſibus, Hereſi, 50. 57. 68. & 81. Verùm illis omiſſis, ad ea iam exempla me conferam, quæ ad rem, quam tractamus, ꝓpiùs accedāt, ad eamq; propriè ꝑtineant.

 3 Nemo

Nemo est qui dubitet, Dominum in sacrosancta Cœna sua Sacramentum corporis sui ex azymo pane confecisse: neq; enim illis azymorum diebus fas erat fermentatum inueniri apud Hebræos, Exo. 12. Itaque fit hinc perspicuum, si quidem in huius V. Sacramenti cōsecratione & dispensatione ea omnia extrinsecùs fieri oporteret, quæ Dominus ipse fecerit, indè nimirùm id consequuturum, Eucharistiam ex fermentato pane confici non posse. Atquì olim Hebionitarum hæresi magna vi denuò increscente, quæ legis Mosaicæ obseruationem volebat planè necessariam, & vnà cum Euangelio legem illam retinendam seruandamque, affirmabatque pertinaciter Eucharistiā ex fermentato confici non posse, quòd omnis oblatio Domino offerenda, absque fermento fieri deberet, Leuitici 2. eam ob rem, vt ea scilicet hæresis posset extirpari, Leo, Romanus Pontifex, teste Richardo Victorino, constituit vt deincèps non in azymo, sed fermentato pane Corpus Christi conficeretur: quod licèt prima facie cum Domini facto & exemplo è diametro pugnare videatur, non tamen cum illius diuina pugnat voluntate. Posteà verò cùm hæc profligata esset hæresis, præceptum hoc & constitutio quoquè mutata est.

Hebionitis vrgentibus, in azymo, vt Dominus fecisset, necessariò confici oportere, decretum est, vt aliquādiù in fermentato cōficeretur.

Richardus Victorinus.

Adeoque propter Gręcos, olim aduersùs Latinam Ecclesiam pertinaciter asseuerantes, non in azymo, sed fermentato conficiendum, & Latinæ Ecclesiæ Catholicos ea causa Azymitas contemptim vocitantes, eius temeritatis & peruicaciæ proterendæ gratia decretum est, vtì porrò in azymo fieret consecratio. Consule Anselmum Cantuariensem Episcopum Tractatu de Fermento & Azymo.

Græcis contēdētibus nō in azymo cōsecrandum, contrà sancitum est, in azymo cōfici debere.

Anselmus.

Adextremùm tandèm in generali illo Concilio Florentino hac in parte Græci cum Romana Ecclesia conspirârunt, ità videlicet, Græcos non curaturos siue azymus, siue fermentatus sit panis, dum modò ex tritico constet, & sacerdos, qui CHRISTI sacratissimum corpus conficit, legitimis sit sacris initiatus, & vbì Missa celebratur, locus sacer sit: vt videre licet ad verbum in Actis huius Concilij Sessione vltima, & in literis sanctæ vniōis. Vndè etiā illud animaduerti licet, Gręcos in hisce duobus postremis tum Vualdensiū, tum eorū qui iam sunt, Aduersariorum nostrorum temeritatē & arrogantiam nō minùs damnâsse & reprobâsse, q̄ Romana reprobârit Ecclesia.

Græcorū cū Romana Ecclesia vnio.

Vide Basiliū Quæstionum cōpendiò explicatarum, Quæst. 310.

Quòd

Quòd si hîc Aduersarij obijcere velint, tametsi Dominus in azymo consecrârit pane, non tamen expresè eum iussisse, vt nos quoq; eiusmodi pane necessariò vti debeamus, (licèt alioquì illi ea Apostoli verba, Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, eò detorqueant & vrgeant, quasi modis omnibus ità faciendum nobis sit, vtì Dominus ipse tunc fecerit) aliud ego insigne proferā exemplum, quod perindè illi refutare non poterunt. Diuus Iohannes cap. 13. sacram pedum ablutionem, quam Dominicæ cœnę includit, hisce verbis describit: *Cœna facta*, &c. *surgit à cœna, & ponit uestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deindè misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum* &c. *Postquàm ergò lauit pedes eorum, accepit uestimenta sua: & cùm recubuisset iterùm, dixit eis: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me, magister & Domine: & benè dicitis, sum etenim. Si ergò ego laui pedes uestros* Dominus *& magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodùm ego feci uobis, ità & uos faciatis. Amèn amèn dico uobis, non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Hactenùs beatissimus ille Iohannes.

Descriptio ablutiōis pedū intra Domini cœnam.

Puto equidē hoc Domini præceptum, quod intra cœnam suis dedit discipulis, si ad externam literam respicere velímus, multò esse seuerius, minusque, vt ità dicam, conditioātum siue cum conditiōe coniunctum, quàm illud, quo ijsdem discipulis ait, Hoc facite, quotiescunquè bibetis, in meam commemorationem, 1. Cor. 11. Illic em̄ habetur, Quotiescunquè bibetis. Hîc verò, Si ego laui pedes vestros Dominus & magister vester, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodùm ego feci vobis, ità & vos faciatis. Item: Non est seruus maior domino suo. Beati eritis, si feceritis ea: tanquàm diceret: Beatitudo vestra in hoc facto vel opere sita est. Quòd si vos mutuò non feceritis, quod ego iam feci vobis, salui esse non poteritis: quemadmodùm verba ea, quibus Dominus ad Petrum vsus est, ìdem penè præ se ferre videntur: Nisi lauero te, non habebis partem mecum.

Præceptum hoc, Et vos debetis alter alterius lauare pedes, iuxta literam acrius esse, § illud, Hoc facite, quotiescunquè bibetis &c.

Et nè Aduersarij dicant, longè aliam esse rationem pedum ablū-

ablutionis,vt quæ ſacramentum non ſit,ipſe Ambroſius libro 3. de Sacramentis, cap.1. ceu ſacramenti loco eam habet aduersùs illos, qui illud humilitatis duntaxat ſignum eſſe volebant.*Aliud* ,inquit, *eſt humilitatis,aliud ſanctificationis.Denique audi,ait,quia myſterium eſt & ſanctificatio.Niſi lauero tibi pedes,*(dicit Dominus) *nõ habebis partem mecum* &c.Eundem in modum etiam Bernardus ſcribit hinc Sermone de Cœna Domini:*Vis autem nôſſe,* inquit,*quia pro ſacramento illud eſt,non pro ſolo exemplo factum?Illud attende, quod Petro dictum eſt: Si non lauero te,non habebis partem mecum.Aliquid igitur latet, quod neceſſarium eſt ad ſalutem, quandò ſinè eo nec ipſe Petrus partem haberet in regno Chriſti &* Dei.*Vide ſi non agnouerit Petrus ſalutare eſſe myſterium, cùm reſpondit:* Domine,*non tantùm pedes meos, ſed & manus & caput.*Hactenùs Bernardus.

Cur ablutio pedum externa ante cõmunionem omiſſa ſit. Quanuìs autem hæc ità ſe habeant,at nihilo minùs Eccleſiæ permiſſione eiuſmodi ſerium de lauandis pedibus Domini mandatum ante Euchariſtiæ miniſtrationem & ſumptionẽ extrinſecùs non obſeruatur:cuius rationem D.Auguſtinus indicat Epiſt.119. ad Ianuarium de Ritibus Eccleſiæ,his verbis: *Nè ad ipſum ſacramẽtum baptiſmi pertinere uideretur, multi hoc in cõſuetudinẽ recipere noluerunt: nonnulli etiam de conſuetudine auferre non dubitauerunt.*Quę meo quidem iudicio,vel ſic accipienda ſunt,nè anabaptiſmum præ ſe ferre videretur,vel nè tanquàm ad baptiſmum neceſſaria ipſa pedum ablutio obſeruaretur.Quanquàm prætereà ibidèm cõmemorat,etiam ipſius ſeculo morẽ hũc in quibuſdã Eccleſijs ſeruatum, non tamen mox à baptiſmo:ſed alios diem tertium octauarum Paſchatis, alios ipſum octauum,vt ità facerent,elegiſſe.Tertullianus aliquot ſeculis eo antiquior,ſic ſcriptum reliquit:Ex ea die(baptiſmatis)lauacro quotidiano per totam hebdomadã abſtinemus. D.Ambroſius loco paulò ſuprà citato refert eam conſuetudinem tum temporis Romanam Eccleſiam non habuiſſe,quòd Romani Pontifices ob nimiam fortaſsìs multitudinem eam declinâſſent.

Quandò verò Aduerſarij id vrgent vehementiſſimè, prorſusque extorquere volunt,non modò à conficientibus ſacrificijs,ſed etiam à laicis

à laicis Euchariſtiæ vtranq; ſpeciem neceſſariò ſumi oportere, nulla habita ratione neque authoritatis, neque tam diuturnæ conſuetudinis Eccleſiæ, atque etiamſi ſub altera ſpecie tantundem ſit & accipiatur, quantum ſub vtraque: eiusque ſuę ſententię hanc ſolam adferunt rationem, quòd litera præcepti Dominici communioné vtriusque ſpeciei prorſus flagitet: equidem ex illis diſcere velim, cur nó æquè iam dictum Domini de lauandis pedibus mandatum vrgeant, quod ille intra Cœnam cùm iam corpus ſuũ eis vellet porrigere, ſuis dedit diſcipulis, præcipiens illud vt exequerentur, quemadmodùm ipſe eis exemplum præbuiſſet. Quod reuerà non minùs eſt præceptũ Domini, atquè illud: nec minùs ſerijs cóſtat verbis, quàm illud. Cur igitur hic Eccleſię eam permittunt authoritatem in externis vt aliquid remittere, vel laxamentum legi dare poſſit, illic verò eam prorſus illi auferunt? Si neceſſarium eſt Euchariſtiæ vtranque ſpeciem percipere, cur non æquè neceſsè eſt, ante perceptionem nobis inuicèm vt pedes lauemus? Quid cauſę eſt, quò minùs in Cœnis ſuis id ipſi ſuæ ſectę hominibus faciant, quemadmodùm Chriſtus in cœna ſua ſuis fecit diſcipulis, faciendumque mandauit? Puto equidem iuſtis de cauſis illos ità compellare nos poſſe: Impendiò vos vrgetis literam vel verba legis CHRISTI, & tamen nemo veſtrûm illis morem gerit. Si penès vos ea eſt authoritas, vt mandatum humilis ac ſubmiſſæ pedum lotionis omittere poſſitis, cur vos infenſis eſtis animis erga matrem veſtram Catholicam Eccleſiam, illique eo nomine vos opponitis, quòd Euchariſtiam illis qui non conficiunt, ſub altera duntaxat ſpecie porrigit? maximè cùm vos illud abluendorum pedum pręceptum nulla ex parte ſeruetis, neque ſecundùm externam ſpeciem, neque iuxta ſpiritalem ſiue myſticam ſignificationem: Eccleſia, verò adminiſtrãdo Euchariſtiam ſub vna ſpecie, Chriſti mandatum actu ipſo exequatur, qñ non conficientibus tantundẽ præbet ſub altera, quantum ſub vtraque ſpecie illi qui conficiunt, accipiunt? Nolite iudicare ſecundùm faciem, ſed iuſtum iudiciũ iudicate. Si veſtro iudicio tam grande piaculum eſt, laicis non niſi alteram Venerabilis Sacramenti porrigi ſpeciem, nec id tamen abſque magnis & grauiſſimis cauſis, cur vobis nulla penitùs religio eſt, diuinum abluendòrum pedum mandatum non ſolùm penitùs omitte-

Aduerſarij hic vel Eccleſiæ authoritatem agnoſcere, vel fateri cogũtur ſeipſos diuinæ ordinationis eſſe trãſgreſſores.

Iohan. 7.

re, verùm etiam sicubì in cœnobijs & collegijs die Cœnæ Domini iuxta Christi verba etiamnùm obseruetur, irrisui ac ludibrio habere? An nō D. Iacobus asserit eum qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factum esse omnium reum? Agedum igitur vel nobiscum in his matris vestræ Ecclesiæ authoritatem agnoscite, vel Domini mandatum, quod in horum altero tantoperè vrgetis, in altero vosipsos minimè seruare fatemini, idque non modò extrinsecùs, sed etiam secundùm id, quod illud externum spiritaliter significat.

Iacob. 2.

Spiritalis pedum ablutio, quæ fit, quam Christus ante communionē exigit à nobis.

Non est enim dubium, quin Dominus ea pedum lotione hoc nobis innuere voluerit, quod posteà Apostolus his verbis expressit & docuit 1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quæ verba CHRISTI Ecclesia ità semper accepit, vt qui ad Eucharistiam accessurus est, priùs suam exploret conscientiam, cum proximo redeat in gratiam, illi libenter ignoscat, ac deindè peccata sua sacerdoti confiteatur & explicet, atque ab illis, postquàm ea quæ satisfactionis loco sacerdos imposuit, recepit, absolui se submissè & humiliter precetur. Neque enim absque peccatorum enumeratione sacerdos scire potest, quid vel ligare, vel soluere debeat. Hæc nimirùm est vera spiritalis pedum ablutio, quam Ecclesia in illius externæ locum ante Eucharistiæ sumptionem semper in vsu habuit, quæque tandèm in magna illa Lateranensi Synodo etiam lege præscripta est. Atquì vos Aduersarij à vestris hominibus ante Eucharistiæ perceptionem nullam prorsus exigitis lotionem, illosque & foris & intùs planè illotos, nescio quo pacto eò accedere sinitis, neque pensitatis tamen quàm hoc ipso CORPORIS & SANGVINIS Domini dirè vos reos faciatis, & tum vobis, tum illis ad iudicium, id quod porrigitis, porrigatis.

Basilius quæstion. cōpēdiò explicatarum Quæst. 288. Necessariū est, inqt, confiteri peccata his, quibus administratio mysteriorum Dei credita est.

Hieron. in Mat. cap. 16.

Aduersarij & externā & internam lotionem omittūt.

Bucerus mirè se torquet, vt hoc Dominicum lauandorum pedū præceptum præteruehi ac præterlabi possit: adfert primò lotionem pedum, actionem per se singularem fuisse, quæ cum cœna nihil commune habuerit. Verùm hoc confutatione non indiget, quandò ab ipso Euangelista confutatur, dum ait: Et cœna facta, &c. Item: Post-

Bucerus hic frustrà se torquet.

quàm

quàm lauit pedes eorum,accepit veſtimenta ſua: & cùm recubuiſſet iterùm.Atque poſteà:Et cùm intinxiſſet panem,dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ.Et poſt buccellam,introiuit in eum ſatanas,&c. Sed ponamus lotionem pedum ſpecialem per ſe actum fuiſſe:at nihilo minùs Iohan.8. etiam ſic negari non poteſt diuinitùs præceptum fuiſſe. Quî ergò poſſit ille(ſi quidem præcepta om̃ia ad literam ſiue extrinſecùs tam exactè ſeruari neceſsè eſt)abſq; magni admiſſiõe peccati ꝑtermitti? Deindè quãdoquidem huic euaſioni ſuæ non ſatis fidit,præceptum illud extenuare molitur,ait pedum lotiõem ſacramenti loco habitã non fuiſſe. Neque nos ignoramus,eam in ſeptem illis Sacramentis non numerari,idq; ob cauſas eruditis haud incognitas. Nullum verò omninò ſacramentum fuiſſe, quod iam in Eccleſia Catholica Confeſſione, Pœnitentia & abſolutione peragatur, id Ambroſius, Bernardus & alij ſancti Patres Bucero neutiquàm aſſentiuntur. Atque hactenùs quidem de pedum ablutione dictum ſit: quæ licèt à Domino præcepta ſit, tamen Eccleſię authoritate extrinſecùs omittitur,

Hæc ego exempla omnia fuſiùs commemorare coactus ſum, Primò quidem,vt Eccleſię authoritas in moderandis Domini pręceptis, quantùm ad externa attinet, indè poſſit perſpici: Secundò verò,vt etiam cauſa illa in proſpectu ſit, quę Conſtantienſe Concilium inter alia permouit, ſuprà dictam perantiquam cõſuetudinem vt eo pacto confirmaret,iuberetque porrò pro lege habendam, donec aliud decernatur:quę nimirùm hęc eſt, vt temeritas & peruicacia hęreticorum,qui ea tempeſtate in Boëmia contra vetuſtum Eccleſiæ morem,pertinaciter aſſeuerabant vtriuſque ſpeciei perceptionem modis omnibus ad ſalutem eſſe neceſſariam, quod tamen verum non eſt,retunderetur & cõpeſceretur,ac nihilo minùs Chriſtianis totum illud re vera ac ſubſtantialiter pręberetur, quod vtraque ſpecies deſignat.Et hæc de Eccleſiæ authoritate dicta ſint, qua illa ob anteuertẽdas propulſandasque emergentes hęreſes & ſchiſmata conſtituere & ordinare habet,vtì V.Sacramentum piè ac ſalutariter & porrigi & ſumi debeat.

EODEM MODO OB PRAECAVENDA IMPENDENTIA PERICVLA ET ABVSVS CIRCA V. SACRAMENTVM, ECCLESIAM ORDINARE HABERE, QVA RATIONE SVMENDVM SIT.

CAP. 48. IAM verò etiam ob cauenda & auertēda quælibet pericula, quę in sanctissimi Sacramenti prophanationem, contemptum & derogationem cedere possint, Ecclesiā eodem pacto administrationi & sumptioni Eucharistiæ suum ordinem & modū & posse & debere pſcribere, quò sanctissimo Sacramēto iustus ac debitus honor habeatur, Christianique non ad iudicium, sed salutem illud percipiant: id nimirùm, vt antè dictum est, Apostolus indicat 1. Cor. 11. & quidem euidentissimè, adeoque eiuscemodi verbis, quibus significet longè satiùs esse, sacrosanctam Eucharistiam neque administrare neque sumere, quàm id facere indignè. Quam ob rem haud dubiè Chrysostomus Homilia 83. in Matthæum his vsus est verbis: *Animam priùs tradam meam, quàm Dominicum alicui corpus indignè: sanguinemq; meum effundi potiùs patiar, quàm sacratissimum illum sanguinē præterquàm digno concedam.* Indè etiam est, quòd vetustissimi Canones quosdam perpetuò communionis gratia priuârunt: vt, qui post fidem baptismi salutaris adulta ætate ad templū idoli idololatraturi accessissent, & fecissent, (scilicet, propria libidine, & nemine cogente) Vide Concilij Eliberini cap. 1. & 2. Nonnullis autem ad exitum tantùm vitæ, id est, in supremo spiritu constitutis communionem permisisse. Vide Concilij Ancyrani cap. 16. & 21. Deniquè plerisq; post diuturnam pœnitentiam. Consule Nicenum concilium, Cyprianū Serm. de lapsis, & epist. 2. lib. 1.

Hanc verò authoritatē esse penès Christi Ecclesiā, testis locuples est D. Augustinus Epistola, quam diximus, ad Ianuarium, vbi sic ferè habet: *Licèt Dominus in Cœna discipulis iam cœnatis & non ieiunis tradiderit Sacramentum, ex hoc tamen placuit Spirituisancto (& eius Ecclesiæ,) ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideò per uniuersum orbem*

orbem mos iste seruatur. Itemq́; Dominus Apostolis, per quos Ecclesiam dispositurus erat, seruauit hunc locum: id est, authoritatem constituendi & ordinandi, vt Eucharistia possit cumprimis congruenter & reuerenter accipi. Atq; indè est, quòd tametsi Dominus ea nocte qua tradebatur, sacrosanctā cœnam suam peregit, postmodùm tamen sanctus pontifex & martyr Telesphorus constituit, vt ob maiorem tanti Sacramenti reuerentiam, *Missarum solennitates ante horam diei tertiam minimè celebrentur: quòd in eadem hora Dominus crucifixus est, & Spiritussanctus legitur descendisse.* Item licèt Dominus panem acceperit, benedixerit, fregerit, & singulis discipulis suam cuique partem in manus sumendam dederit: at nihilo seciùs in maiorem V. Sacramenti honorem, vt quod D. Chrysostomus non semèl horrenda & tremenda vocet mysteria, sancitum est, vt solus sacrificans sacerdos hostiam, quam sumpturus est, ad significandum cruentum illud crucis sacrificium, frangat: alijs autem fidelibus integras det particulas, easque non in illorum manus, etiamsi quondàm in primis Ecclesiæ initijs, quandò longè maior erat Christianorum pietas & deuotio, ità factum sit, sed in ora eorum, nè laici indigna Eucharistiæ contrectatione rei fiant corporis Christi, & sacerdos tanto certior sit, eos qui Eucharistiam accipiunt, etiam in Ecclesia consumpsisse, iuxta Cæsaraugustani Concilij cap. 1. Decretum.

Christus Apostolis seruauit authoritatē ordinandi, vt Sacramētū saluberrimè & dandum sit & accipiēdū.

Quanuis Dominus V. Sacramentū nocte dederit, tamen Ecclesia constituit vt in die Missæ celebrentur.

Christus frangit Sacramentū, dat cuique Apostolo partē suā in manum: at nunc fidelibus integræ hostiæ nō in manus, sed in ora dātur.

SEXTI ARTICVLI ASSERTIO:

QVòD TEMPORIBVS CONSTANTIENSIS ET BASILEENSIS CONCILIORVM MVLTIVARIA TVM SCANDALA, TVM HÆRESES PVLLVLārint, CONTRA QVÆ NECESSARIA FVERIT EORVM CONCILIORVM PROVISIO.

CVm hæc ergò ità se habeant, certumq́; sit Constantiensis Concilij tempore, vt est suprà memoratum, Iohannē Hus & eius asseclas Vualdensium & Vuiclephi hæreses in Boëmia sparsisse, vtì nostra demùm ętate easdem partìm Lute- CAP. 49.

rus, partìm Zuinglius & vtriusq; sectatores in nostram Germaniam inuexerunt, eadem tempestate, cùm iam hæreses istæ in Boëmia existerent, Constantiensis Synodus de ijsipsis, inprimìs autem de duobus antè dictis articulis ferre sentẽtiam ac decernere necesse habuit: neque id alitèr fecit, quàm pro præsenti illorum temporum conditione facere potuerit.

Cur Constantien Synodus de primo Articulo sic decernere debuerit.

Principiò enim necessarium fuit, vt Constantiense Concilium de primo Articulo, nempe, per quem, quibus locis, quo tempore Eucharistia conficienda sit, & non nisi ieiunis eam porrigendam &c: ità vt factum est, decerneret, quô vera Eucharistiæ consecratio & oblatio, vt est illa ab ipso Christo instituta, & indè ab Apostolis ad nos vsque perducta, à Sectarijs in Boëmia tum grassantibus, qui id tẽporis etiã extra Missæ sacrum quouis loco & tempore Christi carnem & sanguinem tum conficere, tum porrigere non dubitabant, non aboleretur & profligaretur: atque etiam vt sacri Canones & peruetusta Ecclesiæ consuetudo, qua Eucharistia pro ægrotis asseruatur, aduersùs illorum nouationes propugnaretur.

Emergentes hæreses cõtra oblationẽ & asseruationẽ Eucharistiæ.

Cur de altero cõmunionis articulo Ecclesiam ità decernere oportuerit.

Secundò, non minùs fuit necessarium, de altero illo articulo communionis alterius speciei, perindè vt factum est, decernere. Cùm enim sequentes hæreses tum existerent, nempe, saluti omninò esse necessarium, laicos sub vtraque specie Eucharistiam percipere: communionem alterius speciei sacrilegam esse: Romanam Ecclesiam ea causa hactenùs crasso laborâsse errore, quòd verba Domini neutiquàm intelligens, aduersùm illa communionem alterius speciei instituisset: cùm prætereà Iohannes Hus Ecclesiæ determinationi & sentẽtiæ submittere se nollet, sed instàr Vuiclephi in eo obstinatus permaneret, non nisi vnam esse Ecclesiam veram & inuisibilem prædestinatorum. Synodus communionem alterius speciei contra laudabilem & antiquissimum Ecclesiæ morem neque abrogare debuit, neque in diuersum præcipere, vt laicis vtriusque speciei communio ministraretur. Nam si id factum esset, etiamsi interim nihilo minùs memoratos damnâsset errores, tamen Hus & eius asseclæ vulgò persuasissent, ex ipsius Concilij Decreto posse animaduerti, doctrinam

Emergentes hæreses communionis ergò.

Vide Articulos Hus in actis Cõcilij Constantien. Sessio. 15.

nam

nam suam, quatenùs assereret communionem alterius quidem speciei sacrilegam, vtriusque verò, saluti necessariam esse, non nisi meram esse veritatem: contrà autem, Romanam Ecclesiam tot seculis hac in re errasse, immò tot seculis nullam Ecclesiam fuisse. Eiusmodi blasphemiæ nulla ratione Synodus ansam præbere debuit, sed illi potiùs suo decreto & diffinitione anteuertere: vt salua sit dictorum illorum veritas, ijsque firma commodetur fides, quibus Dominus pollicitus est se cum sua Ecclesia permansurum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, Matthęi vigesimooctauo, seque missurum nobis Spiritum veritatis, vt maneat nobiscum in æternum, & ducat nos in omnem veritatem, Iohannis decimoquarto. Itemque, Portas inferi non præualituras aduersùs Ecclesiam, Matthęi decimosexto. Quibus item Paulus affirmat, Ecclesiam Dei viui, columnam esse & firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3. Cui nimirùm columnæ, ceu vnico doctrinæ Christianæ præsidio ac propugnaculo, Sancti Patres omnes iam indè ab Apostolis semper innixi sunt, vt præcipuè ex Irenæo & Epiphanio licet discere, eosque omnes execrati sunt, qui procaciter ac temerè dicere non dubitarent, vniuersum mundum esse diaboli, & factum de Ecclesia lupanar: quod Luciferianos dixisse Hieronymus testatur: aut Ecclesiam toto orbe, præterquàm exiguo aliquo angulo, funditùs perijsse, quæ erat Donatistarum vox, aduersùm quos Augustinus in Psalmum sexagesimumquartum, scribit his verbis: Spes omnium finium terræ Deus est: non spes vnius anguli, non spes solius Iudæę, non spes solius Africę, non spes Pannonię &c. In summa, Non debuit Concilium permittere, vt tam multi probi, pij, sancti viri, qui tot seculis populo alterius speciei communionem pia deuotione administrârunt, in cuiusquam animo pro sacrilegis, ex Iohannis Hus sententia, haberentur.

Horrendũ esset, errori illi ansam præbere, quòd Christus quãdoq; ad tẽpus Ecclesiam suam deseruerit.

Ireneus passim, maximè verò li. 4 ca. 42 43. & seq. Epiphanius cõtra hæreses lib 1. Tom. 1. & contra Aërianos, & in Ancorato.

Sed neque illud Synodus pati debuit, vt certa Catholicæ Ecclesiæ doctrina, nempe sub altera Eucharistiæ specie totũ CHRISTVM haberi substantialiter, & salubriter percipi, pessùm iret, sed eam potiùs, quandoquidem in controuersiam vocata esset, expressè declarare, illustrare, & approbatione atque confirmatione communionis

Synodus Cõstãtiẽ. doctrinã illã, sub altera specie tãtũ esse, quãtũ sub vtraque, asserere debuit ac tueri.

nionis alterius ſpeciei aſſerere ac tueri. Niſi enim id præſtitum eſſet, ſed vtriuſque ſpeciei communio ad impotentem illam Iohannis Hus bacchationem permiſſa fuiſſet, priùs quàm ille Eccleſiæ authoritatē agnoſceret, confiteretur que Chriſtum integrum ſub qualibet ſpecie porrigi, ex hoc porrò articulo reliqui omnes Vualdenſium & Vuiclephi aduersùs Euchariſtiam abominandi errores eſſent conſecuti: quemadmodùm poſteà proh dolor (quòd Concilij decretum ſuam non haberet executionem) indè inuecti & introducti ſunt: ij videlicet, Chriſtum non eſſe perſonaliter, corporaliter & ſubſtātialiter, ſed tantùm ſacramentaliter in Euchariſtia: atq; proptereà illū in ea adorari non debere, & id genus alij. Quiſquis enim certò perſuaſum habet, Chriſtum perſonaliter, corporaliter, ſubſtantialiter & naturali exiſtentia in Euchariſtiæ altera ſpecie adeſſe, facilè ille ſecum ſtatuere poteſt, communionem vtriuſq; ſpeciei ad ſalutem non eſſe abſolutè vel omninò neceſſariam. Qui verò ait communionē vtriuſq; ſpeciei ſaluti eſſe neceſſariam, is vtiq;, quicquid alioquì dicat, eiuſmodi veram ac realem præſentiam non credit, ſed tantùm exiſtentiam ſacramentalem, id eſt, ſymbolicè tantùm vel ſignificatiuè illic Chriſtū adeſſe: cumq́; ſpecies panis corpus & non ſanguinem, itemq́; ſpecies vini ſanguinem & non corpus propriè ſignificet, is qui non aliter ſentit & perſuaſum habet, vtranque porrò ſpeciem vrget, tanquā vtraq; ad huiuſmodi ſacramentalem vel ſignificatiuam præſentiam ſiue exiſtentiam omninò neceſſaria ſit.

Errores Vualdenſiū & Vuiclephi.

Qui communionē vtriuſque ſpeciei pertinaciter vrgent, verè non credunt Chriſtū illic eſſe ſubſtātialiter, corporaliter & perſonaliter p̄ſentem.

Qui verò ex Aduerſarijs verbis præ ſe ferūt, credere ipſos corpus Chriſti ſub panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie corporaliter, ſubſtantialiter & naturali exiſtentia haberi, nec tamen concomitantiam admittunt, ideoq; vtriuſq; ſpeciei communioni inſiſtunt, (vt ex eorum grege quidam hîc Coloniæ, quod ſuprà relatum eſt, ait ſe nihil credere præterquàm quod ipſa Chriſti verba propriè ſignificent, nempe ſub panis ſpecie carnem, ſub vini ſanguinem Domini adeſſe) ij nimirùm ter execrandum illum Neſtorij errorem ab inferis reuocant, vt eſt ſuprà pagina 309. &c. prolixè explicatum: ità vt, quēadmodùm hinc licet intelligi, temeraria neceſſariò percipiendæ vtriuſq; ſpeciei aſſertio plures alios errores non poſſit ſecum non adducere.

Aduerſarij fateri nolunt, hac de re vnquā cōcertatū eſſe: atqui hîc diuerſum licet cernere: immò Brētio dicēte, Nō negamus, quin totus Chriſtus tā in pane quàm vino Euchariſtiæ diſpenſetur, Melāchthon cōtrà ſcribit: Partes non

Eſt id quidem in propatulo, ex hac ipſa aſſertione in Boëmia non

vnam

vnam,sed complures,præcipuè verò quatuor horrendas emersisse sectas,putà Thaboritarum,Adamitarum,Orebitarum,& Orphanorũ, teste Aenea Syluio,Historię antè memoratę ca.40.41.43.& 47.Itaq; ex his quilibet aduertere facilè potest,quamobrem antè dicta Concilia ob ea tempestate grassantes hæreses haud alitèr decernere debuerint,atquè decretum sit ab illis. Sunt separabiles, & positis symbolis, adest Christus.

SEPTIMI ARTICVLI ASSERTIO, EORVM CONCILIORVM TEMPESTATE EX CALICIS VSVRPATA COMMVNIONE HORRENDAM EVCHARISTIAE PROPHANATIONEM ET ABVSVM CONSECVTVM.

Qvòd verò Concilia isthæc non minùs ob imminentia pericula,immò iam ob oculos versantẽ Eucharistiæ prophanationem,ità vt decretũ est,diffinire & decernere debuerint,id quidem nemo negare potest, qui tamen earũ rerũ, quæ tum accidêre,conditionem probè cognitam habeat. CAP.50. Equidem iam antè ex Apostolo identidèm indicaui, nullũ ferè grauius admitti peccatum,cuius nomine acrius supplicium peccanti certò expectandum sit,quàm si corpus vel sanguis Domini indignè tractetur.Eam ob rem Patres ab ipsis indè Apostolis, cùm sint treméda, horrenda,adoranda,venerandissima mysteria,semper tradidêre magno cum timore & tremore,adeoq; summa veneratione curandum esse,nè quid indè humi decidat,vel decutiatur in terram, vt ait Tertullianus,quòd is cuius incuria id accidat, corporis & sanguinis Domini reus efficiatur,vt Origenes & Augustinus testantur:& Chrysostomo id vel maximo horrori fuit & abominationi, quòd sanctissimus Christi sanguis in militum Eudoxiæ,qui ipsius Chrysostomi capiendi gratia in ecclesiam irruperant, vestes effusus fuit. Atq; etiam antiquissimi Canones hanc culpam & negligentiam, siue quadam Ante om̃a cauenda est Eucharistiæ prophanatio. Vide sup fol. 279.

improba temeritate, siue per obliuionē admissa esset, anathemate & alijs grauibus pœnis mulctārunt: vt est suprà in 2. Articulo de Eucharistiæ asseruatione prolixè annotatum.

Porrò illorum, quę diximus, Constantiensis & Basileensis Conciliorum temporibus, quod priscę Ecclesię disciplinę, vti etiamnùm, non parùm tum decessisset, ingentia circa calicis communionem pericula extitisse, itemque ex vsurpata calicis administratione horrendam preciosi sanguinis CHRISTI prophanationem esse consecutam, tum quoquè Boëmos illa ipsa crebrò nimìs quàm impiè & sceleratè abusos esse, ex ijs quæ subijcimus, percipere licebit.

PERICVLA IMPENDENTIA.

CAP. 51. Triplicia vel quadruplicia pericula in dispensando Christi sanguine. I.

PRincipiò quidem, quantùm ad pericula hîc occurrentia attinet, id ipsa meridiana luce clarius est, cùm vulgi magna frequentia confluit, & suo more alij alios impellunt, quod post Ecclesiasticæ disciplinæ decessionem factum est, hodieque fieri videmus, non posse tum illis facilè porrigi calicem absque ingenti effundendi & perdendi sacratissimi sanguinis Christi periculo. Vt enim in aperto est, magna in populo varietas est. Sunt viri, fœminæ, senes, iuuenes, discreti, indiscreti, modesti, immodesti, benè & malè morati, intelligentes, rudes, prouidi, improuidi, sani, ægri, & plerunquè eiusmodi correpti morbis, qui cùm sint contagiosi, timendi & cauendi sunt, eosque omnes mirum in modum abominantur. Itaque facilè id potest accidere, vt preciosus Domini sanguis siue quadam sacerdotis, siue sumentium improuidentia, quandoquidem vini species pro sua natura & conditione fluida est, effundatur ac negligatur, vel à quibusdam propter morbidos, qui antè indè biberint, cum horrore quodam & nausea percipiatur.

II. Secundò, quandò venerabile Sacramentum neque pasśim, neque semper consecrari fas est, quod suprà fusè docuimus, si quidem igitur non sub panis tantùm, sed etiam vini specie asseruandum

dum esset, non posset id sanè absque magno fieri periculo. Externa enim vini species, si vel ad breue tempus seruetur, facilè alterari atque eum in modum immutari possit, vt deindè sanguis Christi neq; salutariter, neque reuerenter sub illa queat percipi. Asseruationis pericula.

III. Pericula ob populi frequentiam.

Tertiò euenire potest, vt ob nimiam populi multitudinem, qui plerunquè iam inchoato Missæ officio solet accurrere, sacerdoti vix benè constare queat, quantum vini sibi consecrandum proponere debeat: vbi iam id imminet periculi, vt peracto ferè Missæ sacro, cùm ipse primus sanguinem sumpsit, & populo partìm dedit, propter hominum frequentiam consecrata vini species omnibus sufficere non possit. Eo autem casu, posteà quàm ipse communicauit & ablutionem accepit, si Ecclesiasticæ constitutioni morem velit gerere, denuò consecrare non potest: atque interìm tamen populus omnis communicare volet.

IIII.

Vt silentio præteream, plerisque locis vix tantum suppetere vini, quod ad quotidianam sacrificationem sacerdoti sufficiat: complures etiam inueniri, qui vinum bibere non possint, immò ab illo prorsus abhorreant. Et tamen hæc pericula eiusmodi sunt, vt meritò perpendi debeant. Quisquis enim rebus in diuinis eiusmodi se periculo committit, vndè earum rerum prophanatio & iniuria siue violatio possit consequi, is magno se scelere obstringit.

Verùm contrà Aduersarij, CHRISTVS tamen, aiunt, cùm Sacramentum suum sub vtraque specie institueret, hæc pericula nihil moratus est. Quibus ità respondemus: CHRISTI institutio vt intelligenda sit, atq; vtrùm CHRISTVS præcipiendo mandârit, vt Christiani omnes Eucharistiam sub vtraq; specie percipiant, vel suæ potiùs Ecclesiæ eam contulerit potestatem & authoritatem, vt Eucharistiæ dispensationem pro rerum & temporum conditione salutariter ordinare possit, de his iam antè copiosè dictum est, ità vt ea repetere superfluum sit. Tum verò non ignorant Aduersarij, quàm religiosa reuerentia & disciplina ad dignam diuinissimi huius Sacramenti perceptionem ex ipsius CHRISTI & Apostoli doctrina pertineat. Quæ disciplina si rursus esset instituta ac instaurata, nôssentque Christiani omnes Eucharistiam eo pacto sumere, quo Obiectio. Dilutio.

Apostoli eam ex Domini manibus accepêre, etiam Ecclesiam hæc pericula non adeò anxiam haberent. Quandò verò res secùs habet, Ecclesiæ dispensatio credita & demandata est, ad cuius fidem & prudentiã pertinet, præcauere ac prospicere nè præcipua Domini bona prophanentur, néve quisquam eis abutatur.

PERPETRATAE PROPHANATIONES SANGVINIS CHRISTI.

CAP. 52. CAEterùm pericula hęc apud Boémos sæpè etiam re & actu ipso euenisse, non potest esse obscurum illis, qui Acta inter legatos Concilij Basileensis & Boémos ob Christianã instaurandam conciliandamq; vnionem & concordiam apud * Aegram oppidum, lectitârint. Ea enim Acta id genus exempla non parùm multa commemorant, quæ Patres accurata exploratione & fide dignis antè perpetratorũ scandalorũ testimonijs cõpererint. Atq; inter cætera quidem, quòd ad effusionem attinet, refertur illic, vt quandoquè sacrificus quidam, cùm ad ęgrotũ vtranq; iã cõsecratã speciem per iter apportâsset, atq; ad eum tandèm peruenisset, & ex calice Dominicum sanguinem præbere vellet, nihil in eo penitùs inuenerit: quòd sanguis Domini in itinere per eius incuriam effusus & pedibus conculcatus esset.

*Egram

Cóperta sanguinis Christi indigna effusio.

Aeneas Syluius Dialogo de sacra Cõmunione sub vna specie, quæ est Epistola 130. ad Cardinalem S. Angeli, eiusdemmodi de prophanatione commemorat his verbis: *Nupèr in Praga, vt fertur, puerulus vix anniculus, ab vbere matris ad sanguinem Domini raptus, calicẽ ex manu minùs considerantis sacerdotis arripiens, Sacramentum sparsit in humum.*

Eundem in modum referunt Acta iam memorata, de periculosa calicis asseruatione, certò comperisse Patres, quãdoq; sacerdotẽ quendam Boémicum manè laico cuidam de reliquo sanguine Domini, pridiè eius diei consecrato præbiturum, eam vini speciem vsqueadeò interìm alteratam offendisse, vt laicus præ nimia nausea & fastidio eam retinere nequiret, sed in magnam tanti Sacramenti cõtumeliam reijcere compelleretur.

Cóperta speciei vini alteratio.

Quod

Quòd ad tertium porrò periculum attinet, eadem Acta referunt, non semèl apud Boemos vsuuenisse, postquàm Boemici sacerdotes calicem iam consecrârant & apparârant, persuasum habentes se in dispensatione satìs habituros,totique populi frequentiæ indè ministraturos,vt ob accedentes identidèm alios atq; alios, vel eô etiam, quòd insulsi quidam largiùs è calice biberent,quàm sacerdotes putârant,spe sua frustrati sint. Atquì eo casu sacerdotes illos ex malo peius sępè fecisse,rursùm in calicem vinum infudisse, & alios quidem denuò illud consecrâsse, ità tamen vt neque calicem iterùm Domino offerent,neque indè ipsi biberent,quòd non essent nescij iuxta Ecclesiæ ordinationem se id licitè facere non posse, vt qui iam antè Eucharistiam,& etiam ablutiōem sumpsissent. Itaque dupliciter illi hac in re Ecclesiæ scita & constitutionem transgressi sunt. Alios verò,magìs etiam mentis inopes,vinum non consecratum,quod nimìs quàm horrendum est,in calicem fudisse,idemque non consecratum pro vero Christi sanguine reliquo vulgo præbuisse, eique tam impiè & sceleratè imposuisse. *Explorata pericula ob populi accessionē.* *Aduerte hāc perplexitatē.*

Vt verò aliâs etiam sæpenumerò Boëmi calice abusi sint, horror est auditu percipere. Refert Aeneas Syluius inter alia, Boemorum sacerdotes & concionatores,cùm quodam tempore post multas deiectas Ecclesias & monasteria incensa,30. circiter millia hominū non longè ab oppido Thabor conuenissent,trecentas mensas in patentibus campis erexisse, & ex illis furenti populo sacramentum calicis ministrâsse. Quod qua deuotione & præuia probatione ac exploratione gestum sit,vnusquilibet haud difficilè potest ꝑpendere. Eiusmodi quiddam etiam nostra ætate insani illi Monasteriēses Anabaptistę,ex regis ipsorum,quem sibi creârant, præscripto ac ordinatione perpetrârunt. *Immanis prophanatio sanguinis Christi.*

Narrat ibidèm Aeneas rem aliam longè etiam immaniorem. Singulis fermè diebus,inquit, sacram Eucharistiā per suas ecclesias circunuectabant,(scilicet concionatores illi Hussitæ & populus) Venceslaus consulibus nouæ ciuitatis Pragensis, nè vlteriùs ab hæreticis Dominicum corpus in pompa deferri sinerent, imperauit. At hæretici spreto cōsulum edicto, Eucharistiam per plurimas plateas atque Ecclesias armati circuntulêre, & sublato clamore ingenti, furentes *Alia terribilior sanguinis Christi prophanatio.*

prætorium petiêre. Consules septem, qui remanserant, & cum his iudex vrbis, atque alij nõnulli ciues raptim intercepti, ex altissimis fenestris in forum pręcipitati, lanceis ac verubus irati populi excepti, dirum spectaculum dilaniati prębuére, stante in foro Iohanne monacho impio, & sacrum Christi corpus sanguinario populo ostentãte. Hactenùs Aeneas. Ità illis huius perpetrandę cædis incitamentum fuit calix sanguinis Christi ostensus, eoq; ceu tympano vsi sunt ad tam immanẽ Christiani sanguinis, etiã ꝓprij magistratûs, ꝓfusionẽ.

Deniq; huius assertiõis nomine quàm atrociter sanguinarius ille Zischa sęuiérit & debacchatus sit, neque legi, neque audiri absq; horrore potest. Et est id sanè admirādum, Vualdenses in Responsione sua excusatoria ad Vladislaum regem gloriabundos scribere nõ dubitâsse his verbis: Et quandò Zischa cum tribulis suis non tritu-ràsset ex Boemis & Morauis, Communio sub vtraque specie nõ habuisset locum in hodiernum diem.

Quid gloriaris in malitia &c. Psal. 51.

Agè iam vel quilibet secum ipse perpendat, in quo tamen vel tantillum hęreat timoris Dei aut sanę mentis, an non iam dicta grandia pericula, impiæ prophanationes, horrendi abusus sanguinis Christi Patres illos rationabiliter, iurè ac meritò, adeoque necessariò permouerint, vt Synodico decreto, perindè atquè factum est, in commune consulerẽt: maximè quandò hac ratione & Eucharistię sub sola panis specie perceptione cuncta hęc pericula & abusus omninò excluduntur & euitantur: nec interim tamen minùs tum datur tum accipitur sub hac, atquè sub vtraque specie: neque demùm isthęc alterius speciei communio in memoratis Concilijs recèns instituta & pręscripta, sed tantùm confirmata est, idque iuxta priscę Ecclesię testimonia & antiquissimam consuetudinem.

ARTICVLI OCTAVI DEMONSTRATIO, RECTE AC PROBE DECRETVM ESSE, ECCLESIAE CONSVETVDINEM, HISCE CONCILIIS APPROBATAM, PORRÒ PRO LEGE HABENDAM, QVAM NEMINI FAS SIT ABSQVE ECCLESIAE AVTHORITATE VEL REPVDIARE, VEL MVTARE.

Eccle-

CAP. 53.

ECclesiæ vetustum, approbatum, diuque retentum morem, pro lege habendum esse, cui legi nemini fas sit pro suo cerebro vel priuato iudicio, absque præuia communi sentētia, consensu & decreto temerè ac procaciter sese opponere, ipse Apostolus nos docet 1. Cor. 11. his verbis etiam suprà citatis: *Si quis autem uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

Apostolus iubet nè quid contra Ecclesiæ morem faciamus.

Hanc admonitionem & repræhensionem Tertullianus libro de Corona militis, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius & alij, qui in Apostolum commētaria scripsere, de illis interpretati sunt, qui contra communem Ecclesiæ consuetudinem venire, seque illi opponere nō verētur. Chrysostomi verba hæc sunt: *Sed addidit Apostolus: Neque Ecclesia Dei. Ex quo ostendit, quòd uniuerso orbi terrarum se obijciunt, & oppugnant non obtemperando.* Theophylacto huncin modum loquitur Apostolus: *Cōsuetudinē ipsi eiusmodi nullam habemus, neque ipsa Ecclesia Dei, id est, cæteri fideles ipsi. Quò fit, ut non modò nobis obsistere uideamini, sed Ecclesiæ ipsi. Ad uerecundiam prætereà,* ait idem, *auditores hæc dicta compellunt, nè quid præter Apostolorum consuetudinem factitent.* Theodoretus sic habet: *Sufficit hoc quod dicit, ad refellendos uel maximè contentiosos. Ostendit enim ea non ei soli ità uideri, sed omnibus Dei Ecclesiis.* Augustinus libro de Opere Monachorum cap. 31. haud secùs hæc verba accipit, atquè Constantiense Concilium decreuit, nempe Ecclesię consuetudinem pro lege habendam. Atque in eiusmodi Ecclesiasticæ consuetudinis confirmationem ità dicit: *Quid autem iniquius, quàm uelle sibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare maioribus?*

Vt veteres verba Pauli de Ecclesiæ consuetudine acceperint.

Sed iam ab Apostoli verbis ad Patres veniamus, passìm ex hac & alijs scripturæ sententijs nos instituentes, receptū & approbatū Ecclesiæ morē non alio q̄ legis loco habendū. Atq; vtinā Aduersarios nostros nō tæderet Tertulliani iam dictū de Coron. Milit. librū diligēter euoluere: offenderēt illic hauddubiè, q̄ ipsorū stomacho nō adlubescerent. Hęc aūt ferè summa est: Si qua sit in Ecclesia antiqua consue-

Quòd Aduersarij sua authoritate cõsuetudines Ecc'esiæ abrogant, ac tum demũ disputare volunt, nũ bonæ vel malæ sint, id nulli probari potest.

consuetudo, non debere quenquam illam abrogare, & tum demùm, cùm abrogauit, disputare num iusta vel iniqua sit. Verba eius sic se habent: *Planè sic tamen, ut ratio* (scilicet consuetudinis) *quærenda sit, sed salua obseruatione: nec in destructionem eius, sed in ædificationem potiùs, quò magis obserues, cùm fueris etiam de ratione securus. Quale est autem, ut tunc quis in quæstionem prouocet obseruationem, cùm ab ea exciderit? & tunc requirat undè habuerit obseruationem, cùm ab ea desijt?* Et, *Laudo fidem*, inquit, *quæ antè credit obseruandum esse, quàm didicit.* Et paulò infrà: *Habemus obseruationem inueteratam, quæ præueniendo statum fecit. Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sinè dubio de traditione manauit. Quomodò enim usurpari quid potest, si traditum priùs non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, authoritas scripta. Ergò quæramus, an & traditio non scripta, non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sinè ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exindè consuetudinis patrocinio uindicamus.* Eiusmodi exempla indè multa commemorat Tertullianus, & inprimìs de more administrandi baptismatis & huius V. Sacramẽti: vbi id etiam asserit nos ex traditione & obseruatione in baptismo, vt notum est, plùs respondere quàm Dominus iusserit. Verba eius hæc sunt: *Ampliùs respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit.* Deindè subiungit: *Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam inuenies: Traditio tibi prætendetur authrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit, disces.* Eò adfert locum Apostoli 1. Cor. 11. de velando fœminę capite, quem Apostolus sua authoritate confirmârit, vtpotè ratiõe nitentem. Deniquè sic infert: *His igitur exemplis renunciatũ erit, posse etiam non scriptam traditionem in obseruatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc traditionis, ex perseuerantia obseruationis. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur.* Nec multò pòst etiam hęc addit: *An non putas omni fideli licere cõcipere &*

Multa obseruat Christi Ecclesia, non scripta, sed tradita.

constituere, duntaxat quod Deo congruat, quod disciplinæ conducat, quod saluti proficiat? &c. Eodem libro ante ea, quæ iam indè attulimus, ità scribit: *Ergò nec nullum, nec incertum uideri potest delictum, quod cōmittitur in obseruationem suo iam nomine uindicandam, & satis authoratam consensûs patrocinio.* Hactenùs ille.

Nimirùm contra hanc doctrinam & institutionē Aduersarij nostri agunt horrendum in modum. Neque enim docere illi possunt, Christum vspiàm prohibuisse alterius speciei communionem: nos verò ex ipsius tum dictis, tum factis luculenter probare possumus eam communionem sufficientem esse, tum quoquè semper vsurpatam & inculpatam fuisse, idque exemplis innumeris. Prætereà conducere eam disciplinæ Ecclesiasticæ, & saluti proficere: vt iam antè factum est. Et tamen hanc illi consuetudinem, licet ipsi eam priùs q̄ ab Ecclesia defecissent, commendârint & obseruârint, audaci temeritate reijcere & abolere non dubitârunt: deindè verò requirunt vndè habuerint hanc ipsam consuetudinem siue obseruationem: id quod nunquàm ius fasque fuit.

Aduersarij cōsuetudinē Ecclesiæ sub altera specie communicandi primò abrogant, & tum demùm contra illam disputant.

D. Cyprian⁹ passìm cum Tertulliano pulchrè cōsentit. Sermōe de Ablutione pedum: *Sicut par est*, inquit, *Spirituisancto & Christo diuinitas, ità in suis institutis æqua est authoritas & potestas: nec minùs ratū est quod dictante Spiritusancto Apostoli tradiderūt, quàm quod ipse* (Dominus) *tradidit.*

Cyprianus authoritatē Spiritussancti in Apostolicis traditiōibus, authoritati sacræ scripturæ æquiparat.

Quòd autem nulli fas sit, Ecclesiæ vsum & consuetudinem propria libidine vel temeritate abolere, prolixè docet Epiphanius Tomo 1. lib. 3. ad hæresim 75. sub finem, contra Aërium hæreticum, idq; præcipuè illo scripturę loco, qui est Prouerb. 1. cap. Audi fili sermones patris tui, & nè repudies statuta matris tuæ. Vbì hisce quoq; notatu dignissimis, verbis vtitur: *Assumpsit autem Ecclesia, & in toto mundo assensus factus est.*

Apud Augustinum non modò locis memoratis, sed multò etiam pluribus eadem offenduntur verba, quibus Patres in Decretis horū duorū Conciliorum vsi sunt. Ad Casulanum enim sic scribit: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei, uel instituta maiorum pro lege habenda sunt.* Et ad Ianuarium epistola 118.

Quid faciendum sit, inquit, *si diuinæ scripturæ præscribit anthoritas, non est dubitandum, quin ità facere debeamus ut legimus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam hoc quin ità faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

Distinct. 11. cap. palàm. Contra Faustum quoquè Manichæum lib. 11. cap. 2. *Palàm est,* ait, *quòd in re dubia ad fidem & certitudinem ualeat authoritas Ecclesiæ Catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus usque ad hodiernũ diem succedentium sibimet episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur.* Item libro 7. de Baptismo contra Donatistas: *Id autem sit cura,* inquit, *securæ uocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & Saluatoris IESV Christi uniuersalis Ecclesiæ consensione roboratũ est.* Alibì quoquè lib. de Cura pro mortuis gerenda, eiusmodi consuetudini & recepto mori non minus tribuit authoritatis, quàm scriptis diuinis. Verba eius audiamus: *Sed etsi nusquàm,* ait, *in scripturis ueteribus omninò legeret, nõ parua hac cõsuetudine claret authoritas,* &c.

Beatus ille Petrus Chrysologus Sermone 85. eiusdem cum Augustino sententiæ est, ità scribens: *Christianus animus, quæ sunt Traditione patrum & ipsis roborata temporibus, nescit in disputationem deducere, sed uenerari ea toto desiderat deuotionis eloquio.*

Cùm hæc ergò ità se habeant, quî tandèm Decreta hæc vtriusque Cõcilij eo nomine quouis ꝑtextu haud absurdè possint arrodi & impugnari, ꝙ ea definiãt & statuant antiquissimã Ecclesiæ consuetudinem laicos sub altera specie cõmunicandi, deincèps ꝓ lege habendã?

Obiectio. Argutantur quidem in diuersum Aduersarij, & id genus texũt argumenta: Pontifices Romani, inquiũt, & alij episcopi sibi solis Ecclesiæ nomẽ vendicãt, oĩes suos abusus, Ecclesiæ & noĩe & authoritate tuenť, cùm tñ Propheta dicat: Lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus: & Prophetæ titulum Ecclesiæ, (quem ipsi Aduersarij volunt identidèm in paucis duntaxat pijs hæsisse) episcopis & prælatis Ecclesiæ detrahant, vt cùm Esaias dicit: Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus: Christus quoquè ipse Matt. 15. scribas & Pharisæos his verbis acriter perstringat: Irritum fecistis mãdatum Dei propter traditionem vestram. Denique

Ezech. 7.

Esa. 1.

niquè cùm manifestum sit, vt ipsi aiunt, Concilia crebrò errâsse &c.

Diluti.

Sed has atque id genus alias argutatiões D. Epiphanius & Augustinus paucis quidẽ, sed admodũ memorabilibus verbis suprà allatis refellunt, ijs videlicet: *Assumpsit autẽ Ecclesia, & in toto mundo assensus factus est.* Cùm enĩ de Ecclesię Catholicæ cõsuetudine agimus, non indè agimus, quid quandoq; huic aut illi episcopo pro ipsius persona visum sit: sed quid Episcopi & præfecti Ecclesiarum vbiquè pium & Christianum esse statuerint ac decreuerint, & pij omnes Christiani approbârint, receperint, admiserint, atque porrò vnanimiter obseruârint. Quod certè non potest neque decet pro vulgari quadam hominum doctrina, sed ceu diuinitùs inspiratum haberi. Nam cùm Ecclesię suę Christus promiserit, se futurum cum illa vsq; ad consummationẽ seculi, & p Spiritum suum omnem eam docturum veritatem, si quidem eiusmodi perantiquæ cõsuetudines, maximè illis in rebus q̃ ad animæ salutẽ ptinent, tot vsurpatæ seculis, & à quarunque ætatum siue seculorum pijssimis & doctissimis quibusque atque etiam alijs omnibus concorditer obseruatæ, errori essent obnoxię, consequens fieret, Dominum suæ Ecclesiæ, vt est pollicitus, non perpetuò adfuisse: quandoquidem fideles suos tanto temporũ spatio veritate destitui passus esset: adeoque nullam in terris Ecclesiam habuisset: quod tamen non modò Euangelio, sed illis quoquè sententijs, quas Aduersarij ipsi hac de re contra nos proferunt, planè repugnat.

Quæ ecclesiæ consuetudines pro lege habẽdæ sint.

Matt. 28.

Eę nanque sententię id testatum faciunt, Dominum nunquàm aliquod semen reliquisse, quod nulli vnquàm impietati subscripserit, sed eam feruenti quodam zelo publicitùs ac liberè repræhenderit. Itaque licèt tyrannici illius ac impij regis Achab, qui Prophetas Domini crudeliter trucidârat, & Domini altaria destruxerat, omnemque veram religionem, quantùm quidem in ipso erat, aboleuerat, tempestate ipse ille spiritu feruentissimus Elias persuasum haberet, se solum ex pijs omnibus relictum esse, at tamen diuinitùs illi responsum est: Derelinquã mihi in Israel septẽ millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal. Crede mihi incunctanter, si Dominus id temporis in angusto illo Iudææ orbe etiã sub immanissima illa regis omnium longè impijssimi tyrannide, tot

Deus semper aliquam sibi reliquã fecit Ecclesiã vel paucorũ Deũ timentiũ, qui veritatẽ contra natos errores palàm ac libera voce cõfiteri ac propugnare nõ dubitarẽt.

3. Reg 19.

sibi electorum millia reliqua esse voluit, posteaquàm carnem assumpsit, seque nobiscum permansurum recepit, non pauciores eum sibi electos seruâsse, sub Christianis præsertim regibus & imperatoribus. Neque tamē id affirmare possunt Aduersarij, vllo vnquàm tempore vel ętate communionem alterius speciei ab vllo catholico & orthodoxo doctore esse impugnatam. Nihil ego hîc Vualdenses, neque Iohannem Hus moror: qui tamen hunc morē non antè quàm institutus esset: sed cùm iã passim apud Christianos diutissimè vsurpatus fuisset, sibi oppugnandum sumpsēre. Quo enim loco isti habendi sint, Concilia nobis loquuntur, in quibus Ecclesiæ iudicio & sententia manifestę hęreseos damnati sunt.

Non possunt negare Aduersarij, ab ipsis primis Ecclesiæ nascentis initijs communionem alterius speciei etiam in vsu fuisse, neque hūc vsum illis temporibus à quoquam vnquàm culpatum esse, vt suprà prolixè docuimus: Liceret igitur illis, modò libéret, ea legere, quæ Chrysostomus homilia 40. in Matt. cap. 12. scribit de illa Domini oratione, qua ostendit non malè fecisse Abiathar, cùm daret Dauidi panes propositionis, tametsi non nisi solis sacerdotibus eos edere liceret &c. atque indè sibipsis satisfacere.

Ob priuata Antistitū peccata, non desinit esse Ecclesia.

Nemo equidem it inficiàs, Dei permissu in peccatorum nostrorū pœnam & vltionem interdùm plerosque fuisse episcopos, & fortassis etiam hodiè non deesse, qui functionem suam non probè calleant, neque cognitam habeant, ac multò minùs illi satisfaciant, vt verum sit quod Propheta ait: Sicut populus, sic sacerdos: verùm id procùl à nobis prohibeat Deus, vt Ecclesia eius eò calamitatis & miseriæ vnquàm reciderit, vtì nec vnus idoneus & germanus antistes & pastor superesset, qui & Dei verbum rectè intelligeret, & contra manifestos abusus sese opponere non dubitaret. Sed neque illud quisquã diffitetur, olim sub quibusdã hęreticis & tyrãnicis impatoribus ac regibus nō semèl ꝑmultos apostatas episcopos, quibus plus cordi esset humana gratia, & temporarius honor & opes, quàm veritatis assertio & ꝓpugnatio) dãnata sua conuenticula, absq; legitima eorū, qui tunc temporis Petri essent successores & Romani Pōtifices, sinè quorū authoritate nullū potest celebrari generale Concilium,

Esa. 24.

cilium,conuocatione temerè admodùm habuisse: quæ eam ob rem non Concilia,sed conciliabula appellantur:vt verbi gratia,sub Ariano illo imperatore Constantio,conciliabulum apud Tyrum contra Athanasium, Item Ariminense, Item Arianorum illud in Bithynia, Et illud Antiochenum quoquè contra Athanasium,de quo Socrates in Ecclesiastica Historia inter cętera sic scriptum reliquit: *Sed neque Iulius interfuit,maximæ Romæ Præsul,neque in locum suum aliquem destinauit:cùm vtiquè regula Ecclesiastica iubeat,non oportere præter sententiã Romani pontificis Concilia celebrari.* Vide Tripartitã lib.4.cap.9. Deniquè Ephesinum 2.quod Patres Prædatorium nuncupârunt. At neque tamen vnquàm eiusmodi execrãda cõciliabula habita sunt, quin Deus ijsdem temporibus aliquot semper orthodoxos & catholicos episcopos excitârit,qui talibus hæreticorũ factionibus ardenti erga Deum zelo viriliter sese opponerent, atq; tandèm eas redigerent in nihilũ.

Regula Ecclesiastica vetat cõcilia iniussu Pontificis Romani haberi.

Vllum verò vnquàm œcumenicum Cõciliũ legitimè cõuocatũ, & veritatis declarandę ac illustrandę & morũ castigandorum gratia in Christi nomine coactũ & celebratũ,in suis decretis ad Christianã doctrinã & animarũ salutẽ pertinentibus, prę sertìm quãdò ea decreta à Christiano orbe siue ab Ecclesia vnanimiter deindè recepta sunt,errâsse,id nimirùm Aduersarij nostri nunq̃ ꝓbare vel docere poterũt. Ea enim etiam Augustini sentẽtia est,quòd Episcopi catholicæ Ecclesiæ,eius vice & nomine legitimè cõuocati,in rebus fidei concorditer definiũt,si id deincèps fideles,q oẽs nulli cõcilio simul interesse possunt,absq; cõtradictione recipiãt,illud pro catholicę Christi Ecclesię sententia habendũ. Idemq; viro sanctissimo prę cipuũ est præsidiũ ac propugnaculũ,quo ille pręfractos & seditiosos illos Donatistas oppugnat:nec dubiũ,quin hoc propugnaculũ fortissimè nitatur ipsius Domini verbis Mat.18.itemq; illius primi Apostolici Cõcilij Hierosolymis habiti, Act.15. Itaq; agnoscit ille conciliorum generalium authoritatem in Ecclesia saluberrimam, Epistola ad Ianuarium. Libro quoq; 2.de Baptismo,cap.2.& 3.hoc inter Prouincialia & generalia concilia discrimen facit: *Ipsa cõcilia*, inquit, *quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt,plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sinè vllis ambagibus cedunt, ipsaq; plenaria sæpè priora posterioribus emendantur, cùm aliquo experimento rerum aperitur*

Differẽtia inter generalia & prouincialia concilia.

Decreta cõciliorũ generaliũ ad mores & administra-

tionē ecclesiasticā pertinē tium possunt corrigi, sed non nisi in æquè generali concilio.

quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typo sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana.

Eodem loco respondet Donatistis, prouinciale D. Cypriani concilium, de rebaptizandis illis qui ab hæreticis essent baptizati, pro se allegantibus. Ait enim, *prouinciale, non plenarium, illud fuisse concilium: nec se dubitare, quin Cyprianus eam opinionem suam, uidelicet ab hæreticis baptizatos, denuò baptizari oportere, quod catholica Ecclesia reijcit, libenter fuerit correcturus, & Ecclesiæ authoritati cessurus, si iam illo tempore quæstionis huius ueritas eliquata & declarata, & per plenarium concilium solidata fuisset: & si quis ei demonstrâsset, baptismum Christi sic dari posse ab eis qui forás exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cùm forás exirent.* Nec nosipsi, inquit, *tale aliquid auderemus asserere, nisi uniuersæ Ecclesiæ concordißima authoritate firmati, cui & ipse sinè dubio cederet, si iam illo tempore quæstionis huius ueritas eliquata & declarata, per plenarium concilium solidaretur.*

Augustinus eo loco cōciliorū generaliū authoritatem, ecclesiæ cōcordissimā authoritatem vocat, p quā veritas eliquetur, firmetur ac solidetur.

Vide hîc, quid de generalium Conciliorum authoritate vir iste sanctissimus senserit, & quàm longè ab illo abfuerit, illis vt se opponeret. Nec dubites, quin si Cypriani & Augustini ætate, quādò illi sub altera Eucharistiæ specie non minus esse credidêre quàm sub vtraq;, de hoc communionis articulo quicquam eiusmodi à generali Concilio, quale fuit Constantiense, decretum fuisset, idque præsertim ob multiuarias hæreses, pericula & V. Sacramenti abusus præcauendos, libenter illi in eiusmodi decreto acquieuissent: id quod nullo negocio is sibi persuadere potest, qui animum illorum planè catholicum, mansuetum ac placidum ex eorum monimentis probè exploratum habeat.

Dilutio obiectionis partis aduersæ.

Neque nos humanas constitutiones siue traditiones, siue humanā prudentiam diuino præcepto anteponimus, quod nobis Aduersarij falsò affingunt, sed id solùm nos agimus, vt verba Christi pro illius germana sententia & intentione probè capiātur, eiusq; diuinæ institutiones in verum & ipsissimum scopum suum, quatenùs commodissimè fieri potest, dirigantur ac referantur. Quæ quidē vt fieri debeāt,

Concilia, de quibus inpræsentiarùm sermo nobis est, iam decreuisse ac declarâsse certũ est. Præterea verò etiã illud nos probamus, quandoquidem post præcedentem, eamq; accuratam huius grauissimi negocij deliberationem id declaratum ac pronunciatum est, eiusmodi declarationem & decretum nemini deincèps fas esse absque Ecclesiæ authoritate mutare vel repudiare, modò Augustini & aliorum Patrũ omnium doctrinæ & authoritatibus fides habenda sit.

Nec est ambigendũ, quin ea causa vtrunq; illud Conciliũ sub finẽ decretorum hæc ità expresse commemorârit, quô nouis ac pluribus Ecclesiæ schismatibus & scissuris (citra quas eiusmodi temeraria mutatio attentari non potest) anteuerterent: maximè quòd abominãdo schismati in Christi Ecclesia ante omnia obuiandum sit, in his pręsertim, quæ ad communionem pertinent. Neq; enim illi, qui in communione schisma inuehunt, veram communionem habere possunt, sed ea tum seipsos, tum alios prorsus priuant, atque ab vnitate vnius mystici corporis Christi sese abiungunt & separant: sicque vitam repellunt, & Dei iram contra se prouocant, vt ait Augustinus, itemq; Irenæus, qui longè ante Augustinum lib. 4. contra hæreses, cap. 62. scripsit hunc in modũ aduersùs eiusmodi: *Iudicabit Deus & eos qui schismata operantur, qui sunt immanes, nõ habentes Dei dilectionẽ, suamq; utilitatem potiùs considerantes, quàm unitatem Ecclesiæ: & propter modicas & quaslibet causas magnum & gloriosum corpus Christi conscindunt & diuidunt, & quantùm in ipsis est interficiunt, pacem loquentes, & bellũ operantes, uerè liquantes culicem, & camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correptio, quãta est schismatis pernicies.* Hęc Irenęus. Obserua, vt hic vir sanctissimus malo illi, quo scinditur mysticum Christi corpus, nullum aliud potuit crimen comparare.

Schismati Ecclesiæ nullum malum æquiparari potest.

Psalm. 25. Ierem. 9. Matth. 23.

Equidem prorsus nihil dubito, si Diui Irenæi ætate hæc incidisset lis & controuersia, vt quidam externas Eucharistiæ species totius Ecclesiæ vnitati & concordiæ anteferrent, atque cùm alioquì corpus & sanguinem CHRISTI sub altera specie integrè obtinere possent, (quemadmodùm etiam Brentius & pars maxima Aduersariorum totum Christum sub qualibet specie præsentẽ adesse fatẽtur) nihilo minùs ob solas externas species Chri mysticũ corpus scindere

Brentius in Cõfessione Vuirtebergens.

scindere ac lacerare niterentur, illum iam dictum Christi iudicium siue sententiam in eos esse pronunciaturum.

Hussitarũ & posterorũ eorũ error, Donatistarũ errori assimilis.

Ecquid verò immanis Donatistarum error aliud fuit, quàm quòd à catholicæ Ecclesiæ communione eadem ferè ex causa sese segregârunt? Nam contra administrationem baptismi Ecclesiastici, aliud illi baptisma temerè vsurpârunt, prætereaq; priuatam communioné instituerunt. Quid autem ea de re scribit Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 55? Quid, inquit, *est dementius, quàm sacramentis Domini communicare, & uerbis Domini non communicare?* (verba Domini ea intellige, quibus indicatur, Ecclesiã toto orbe diffusam, ipsius corpus esse). *Hi utiq; dicturi sunt: In nomine tuo manducauimus & bibimus: & audituri, Non noui uos: qui corpus eius & sanguinem in Sacramẽto manducãt & bibunt, & membra eius toto orbe diffusa, in Euangelio non agnoscunt, & ideò cum eis in iudicio non computantur.*

Cómunioné Schismaticorũ non nouit Deus. Matth. 28. Luc. 24.

Eodem modo de nobis catholicis hodieq; Aduersarij loquuntur.

Alio loco, eiusdem scilicet libri ca. 58. Donatistas hac oratione cõpellat: *Nos in Ecclesia Christi non esse, dicere quidem nõ cessatis, sed ostendere nunquàm ualebitis: immò uerò cùm hoc dicitis, non iam nobis, sed ipsi Christo falsi testimonij crimen obijcitis.* Nos *quippe in Ecclesia sumus, quæ ipsius testimonio prænunciata est, & ubi suis testibus attestatus est, dicens: Eritis mihi testes in Ierusalem, & in totam Iudæam & Samariam, & usque in totam terram.* Tanquàm diceret Augustinus: In ea catholica Ecclesia, cui Christus ipse dicit testimonium, nos sumus. Non in vestra sumus, quæ in quodam orbis angulo temerè sese effert ac subrigit: contra quam Christus testatus est, non esse eam suam ecclesiam.

Qui à cõmunione Ecclesiæ catholicæ se segregat, Sacramenta in damnationé accipit. Ephe. 4.

Eodem lib. cap. 108. de Donatistis loquens, N*ec ideò*, ait, *putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia Sacramentorum eius corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus sancta sunt, & eis indigne tractantibus & sumentibus, ad maius iudicium ualebunt. Ipsi autem non sunt in illa Ecclesiæ Christi compage, quæ in membris Christi per connexum & contactum crescit in incrementum Dei.*

Deniquè lib. 3. ca. 40. ità habet: *Omnia Sacramenta Christi non ad salutem, sed ad iudicium habentur sinè charitate unitatis Christi.*

Ex

Ex his ergò omnibus id conficitur, Concilium Constantiense rectè & benè constituisse, antè dictam Ecclesiæ peruetustam consuetudinem pro lege habendam, nec cuiquam fas esse pro suo iudicio & cerebro contra eum morem, & decretum illud quod de eo conditum ac promulgatum est, agere. Neq; enim id citra legis ab Ecclesia matre nostra sancitæ contemptum, authoritatis generalium conciliorũ eleuationem, & horrendi schismatis occasionem fieri possit.

NONI ARTICVLI ASSEVERATIO, VIDELICET, à CONSTANTIENSI SYNODO RECTè SANCITVM ESSE, VT SI QVIS CONTRA MEMORATVM EIVS DECRETVM TEMERè VENIRE VELIT, IS IVXTA CANONICAS ET LEGITIMAS SANCTIONES, CONTRA HÆRETICOS OLIM PROMVLGATAS, PVNIATVR.

QVòd tandèm extremo illo Constantiensis Concilij decreto definitum est, vt illi qui oppositum, id est, diuersam sententiam & opinionem pertinaciter asserere velint, ferendi non sint, sed vt in eos tanquàm hæreticos iuxta canonicas & legitimas sanctiones, siue iuxta sacros Canones & leges ciuiles contra hæreticos salubriter constitutas, animaduertatur, id tametsi ab Aduersarijs acerrimè & contumeliosisimè appetitur, tamen vetustissimorum Patrum cōcordi doctrinę planè cōsentaneum est, & tuendæ Ecclesiasticæ disciplinæ, paci & concordiæ modis omnibus necessarium. CAP. 54.

Aduersarij quidem persuadent hominibus, Constantiensem Synodum id decreuisse, quod è diametro pugnet cum institutione & ordinatione Christi: tũ prætereà præcepisse, vt quotquot huic Christi constitutioni conuenienter agere velint, ij flammis & ferro prorsus deleantur. Sed næ illi hac in re Concilio vim afferunt & iniuriã. Nihil enim ea Synodus contra Christi præscriptum & constitutioné (Aduersariorum impudẽs calumnia.) (Dilutio.)

sanciuit, sed, vt identidèm dictum est, eam tantùm declarat & interpretatur, vt iuxta sacros Canones & vetustissimũ Ecclesiæ morẽ accipienda sit: eosq́; solos damnat, qui huic Ecclesię declarationi pertinaciter sese opponant, ac peruicaciter asserant sub vnaqualibet Eucharistię specie verã Christi carnem & sanguinem, ipsumq́; Christũ totum ac integrũ neutiq̃ haberi: atq; ea causa alterius speciei cõmunionẽ non esse veram ac legitimam: sed singulos quosq; Christianos ex Christi mandato ad vtranq; percipiendam speciẽ modis omnibus obligari: tum, etiam tam diuturnum Ecclesiæ morẽ, quo conficiẽtes sacrifici vtrãq;, non conficientes & laici alteram speciẽ tot iam seculis percepêre, Christi institutioni prorsus repugnare, adeoq; laicorũ sub altera specie cõmunionem omninò sacrilegam esse: ad hæc non placuisse Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti in os Christiani priùs Dñicum corpus intraret, q̃ exteri cibi, sed perindè esse quandò conficiatur & sumatur, siue ante, siue post sumptum cibum: quibus illi id porrò significant, Dñm suis Apostolis & eorum successoribus sacerdotibus minimè præcepisse, vt corpus ipsius à consecratione & ante sumptionem cælesti patri eius semper offerãt: deniquè asserunt pro dato ipsi diuinitùs mandato non esse Ecclesiæ catholicæ, vt quemadmodùm hoc V. Sacramentum illis qui non conficiunt, etiam ob imminentia tum pericula, tum scandala ministrandum sit, ipsa præscribat & decernat.

Quos Concilium Cõstantiense dãnet.

August. Epistola 118.

Num verò homines isti temerarij, qui realem Christi in Eucharistiæ altera specie pręsentiã de industria impugnant, Ecclesię Christi, quæ columna est & firmamẽtum veritatis, tam crassos errores affingunt, suam authoritatem detrahunt & abrogant, perantiquam consuetudinem ceu sacrilegam criminantur, hæreticorum loco habendi sint, eorum iudicio relictum esto, quibus hoc opus meum perlegere libitum erit.

1. Tim. 3.

Sed quicquid tandèm de hisce p̃fractis dogmatistis statuere visum sit, hæret certè in illis culpa schismatis in catholica Ecclesia enati: quod idem Luterus ipse, vt antè dictum est, Boëmis impegit.

Quanuìs autem interìm discrimen quoddam sit inter schisma & hæresim, at nihilo minùs verum, planum atq; perspicuum est, quandò

Pertinaces schismatici p hæreticis habentur.

dò schismatici in sua sententia pertinaci animo persistunt, eos tum in hæreticis numerari,& hęreticorum loco haberi debere: quod nimirùm inter alios in illis Montanistis, Luciferianis & Donatistis videre licet. Quod ad Montanistas attinet, D. Hieronymus Epistola ad Marcellam, Montanum hęreticū non tam impij & dānati dogmatis nomine, quàm quòd ab vsu & consuetudine catholicæ Ecclesiæ temerè discessisset, repræhendit. De Lucifero Caralitano Episcopo in Dialogo contra Luciferianos sub finem scribit, eum ex quodam zelo, sed non secundùm scientiam, fortasśis amore gloriæ & nominis in posteros transmittēdi, à catholica communione se abiunxisse, occasione arrepta ex Concilij Alexandrini sententia, qua constitutū erat ipsius ętate, vt exceptis authoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesię sociarentur, & in pristinum dignitatis gradum restituerentur. Grassante enim Ariana hæresi, plerique Episcopi ex ignorantia lapsi erant in errorem, non tamen erroris authores fuêre. Visum id ità fuit tum temporis illi Synodo, vt Ecclesię dispersæ ac dissipatæ eiusmodi lenitate & indulgentia tantò commodiùs ad vnitatē & concordiā possent reduci. Verùm huic cōstitutioni Lucifer noluit subscribere, sed eam acriter impugnauit, existimans eos Episcopos esse neque posse, neque debere, qui vnquàm in hæresim lapsi fuissent. Itaque in tali articulo Ecclesię, vt ait Hieronymus, in tāta rabie luporum, segregatis paucis ouibus, reliquum gregem deseruit.

Montanistæ.

Luciferiani.

Hæc ferè paraphrasticôs citātur ex D. Hieronymo.

Episcopi, qui ipsi hæresum authores non fuissent, sed malè decepti essent, pœnitētes recepti sunt.

Obserua Ecclesiæ authoritatē quippiā statuēdi, vt Ecclesia dissipata redintegretur, etiamsi id literæ Apostolicæ doctrinæ 1. Timoh. 3. & Titi 1. repugnare videatur, Oportet Episcopū irrephensibilē &c.

Quanuìs autem hæc eius dissensio propriè pro hæresi habenda non sit, atque ipse (teste D. Ambrosio in oratione funebri de Excessu fratris Satyri) ceu pastor bonus anteà pro catholica fide exulârit, & fidei suę reliquerit hęredes, quandò tamen in hac sua segregatione & separatione pertinaci animo perstitit, cum suis sectatoribus, qui Luciferiani dicti sunt, in hęreticorum album relatus est. Huius rationem scribit Ambrosius fratrem suum Satyrum probè percepisse, quam ob rem etiam non mediocriter illum prędicat. Vt autem idem Satyrus V. Sacramenti in orario inuoluti virtute è naufragio miro quodam modo saluus euaserit, suprà ex Ambrosio relatum est, fol. 442. &c.

Nihil prodest, teste Apost. 1. Cor. 13. etiam tradidisse corpus suum ità vt ardeat, si charitas desit.

Satyri, fratris Ambrosij in euitāda hære si & schisinate Christiana prudentia.

Romana Ecclesia semper ꝑ catholica Ecclesia habita est.

Vera fides in schismate esse non potest.

Ephe. 5. 4.

Illis verò hæc Ambrosius subiungit: *Aduocauit ad se Satyrus in portum terrenæ stationis euectus episcopum (eius loci,) nec ullam ueram putauit nisi ueræ fidei gratiam, percontatusq; ex eo est, utrumnam cum episcopis catholicis, hoc est,* inqt Ambrosius, *cum Romana Ecclesia conueniret. Et fortè & ad id locorum in schismate regionis illius ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diuiserat, & quanquàm pro fide exulâsset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putauit tamen fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cuius patiebantur uelut quosdam artus diuidi & membra lacerari. Etenim cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non uidetur ab his exhiberi Christo fides, à quibus euacuatur eius passio, corpusq; distrahitur. Itaq; quanuis gratiæ fœnus teneret Satyrus, & metueret tanti nominis debitor nauigare, tamen eò transire maluit, ubi tutò posset exoluere.* [Intellige eum diuina nostræ salutis mysteria (Nam ante nauigationem perfectioribus mysterijs nondùm initiatus erat) à nullo alio præterquàm catholico Episcopo, qui eiusdem cum Romana Ecclesia communionis esset, percipere voluisse] *Indicabat enim,* ait porrò Ambrosius, *diuinæ solutionē gratiæ in affectu ac fide esse, quam quidē statim, ubi primùm copia liberior Ecclesiæ fuit, implere non distulit. Dei gratiam & accepit desideratam, & seruauit acceptā.* Hucusquè Ambrosius: cuius ex verbis potest perspicuè animaduerti, quo loco schismatici, in suo schismate perseuerantes, habendi sint, quandoquidem hæreticis, apud quos nulla vera fides neque salus est, comparantur.

Epistola. 162.

Ea semp Ecclesiæ Rom. existimatio fuit, vt qui illi nōcōmunicaret, is quoquè à communione catho-

Idque adeò est, quod Augustinus lib. de hæresibus ad Quoduultdeum disertis scribit verbis: *Schismatici, qui dissensionem suam pertinaci animositate firmārunt, inter Hæreticos ponendi sunt.* Hæc ille. Maximè verò in hæreticis numerandi sunt, qui se ab Ecclesia Romana segregant, cui qui non communicat, à catholica sanctæ Ecclesiæ communione alienus est. Ea enim apud veteres semper fuit Romanæ Ecclesiæ authoritas & existimatio, de qua Diuus Hierony-

ronymus ità scriptum reliquit: *Sancta Romana Ecclesia semper immaculata permansit*,(scilicet quòd ad fidem attinet) *& Domino prouidente in futuro manebit*. Quam ille vir sanctus opinionem ex ea nimirùm Domini pollicitatione, quam D. Petro in cœna fecit, haud temerè concepit. Ait enim Dominus: Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Et est id sanè in aperto, si quidē iuxta hanc promissionem Romana Ecclesia in vera fide hactenùs minimè perstitisset, hodiè nullam toto orbe veram Ecclesiam superesse: quod ipsi quoq; Aduersarij, Luterus inprimìs, quandoq; confessi sunt.

licæ Ecclesiæ alienus habetur.

Lucæ 22.

Aduersarij quidem certos quosdam Romanos Pontifices immanissimè proscindunt & criminant: nec secùs erga illos agunt, atquè Cham olim erga Noë parentem suum. Atquì vtcunquè se res de illis Pontificibus habeat, illorum tamen vitia Romanæ Ecclesiæ fidei nihil possunt officere. Quô fit, vt isti suis conuicijs & contumelijs cathedræ D. Petri magnam & vim & iniuriam afferant. *In illum enim ordinem Episcoporum*(vt ait Augustinus epist. 165.) *qui ducitur ab ipso Petro usq; ad Anastasiū, qui nunc eandem Cathedrā tenet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis: quibus Dominus prouidens, ait de præpositis malis: Quæ dicunt, facite &c.*

Gen. 9.

Mat 23.

Verùm vt eò reuertamur, illos qui sua assertione schisma efficiūt, hæreticis esse æquiparandos, idem etiam & vel maximè ex Donatistis potest colligi. Cresconius enim Grammaticus Donatista Augustino id extorquere voluit, errorem qui inter Catholicos & ipsos Donatistas incidisset, schisma potiùs quàm hæresim appellandum, ꝙ vtrisque nulla quidē de articulis fidei, sed de sola communione esset controuersia, &c. Vt verò diuus Augustinus, propterea quòd Donatistæ in suo illo horrendo schismate pertinaciter hęrerent, iam dictam Cresconij argutationem confutârit, videre licet lib. 2. contra eundem Cresconium. Ex cuius verbis luculenter appáret, id quod iam iamque diximus, tum citra vllum dubium esse verissimum, cùm schismatici non modò se separant à Catholicis, sed insupèr asserunt temerè, Sacramenta vt à Catholicis administrātur, vera non esse, nec ad religionē ꝑtinere. Quibus enim, inquit, non eadē sunt sacramēta, illis

Quibus non sunt eadē sacramenta, illis nec eadem religio est.

illis nec vna religio est: vti nec Dõatistis fuit cum Catholicis. Nanq; nec baptismum, nec communionem Catholicorum pro vero baptismo & communione habere voluerunt: vti hodieq; Aduersarij nostram communionem pro legitima & iusta admittere nolunt.

Vide præterea L.1.C.de summa Trin.& fide Cath. quæ est Gratiani, Valentiniani & Theodosij Imperatorũ.

Itaque mirum non est, Christianissimum Imperatorem Iustinianum in nouellis, Constitutione 109. ex hac ratione siue hoc fundamento eiusmodi declarationem fecisse: *Igitur sacram communionem,* inquit, *in Catholica Ecclesia non percipientes ab eius Deo amabilibus sacerdotibus, hæreticos iuste uocamus. Nã licet nomen Christianorum sibimet imposuerint, à uera tamen Christianorum se fide & communiõe separant, Dei iudicio semetipsos subdi cognoscentes.*

Qui nõ cõmunicat Sedi Apostolicæ, quæ Romæ est, pro hæretico habendus est.

Atque eo minus Aduersarij carpere debent, id quod à Lucio 3. Pontifice & integro Pastore decretum est, in c. ad Abolendam, De Hæreticis his verbis: *Vniuersos qui de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, uel reliquis Ecclesiasticis sacramẽtis aliter sentire aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & obseruat, tanquàm hæreticos uinculo perpetui anathematis innodamus.* Quod decretum, quantùm ad anathema attinet, illis Domini verbis fundatum est, quæ sunt apud Matt. 18. cap. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Sentiẽtes aliter & docẽtes de Christi Sacramentis, quàm Rom. Ecclesia, anathemate plectũtur.

Cùm hæc ergò ità se habeant, cordatus quisq; id haud difficulter intelliget, Concilium solida firmaq; ratione permotum, rectè ac benè sub Decreti finem declarâsse, contra eos, qui pertinaciter dictam Ecclesiæ consuetudinẽ & decretum contemnant, tanquàm hæreticos agi debere: præsertim quod eiusmodi peruicax rebellio cum multis est hæresibus coniuncta, vt est suprà explicatum.

Aduersæ partis calumnia.

Nec alio quàm meræ calumniæ, immò insignis & impudentis mendacij loco habendũ est, quod Aduersarij persuadere non vereñt hominibus, Concilium hac Decreti clausula cõmunionẽ vtriusq; speciei, ab ipso Deo institutam, ceu prauã & vitiosam abrogare, & eos omnes, qui Christi mandato cupiant satisfacere, tanquàm schismaticos & hæreticos condemnare, & vt in eos animaduertatur, præcipere voluisse.

Dilutio.

Qua enim ratione Concilium Christi institutionẽ reijceret, cùm eamipsam initiò ceu decreti fundamentũ locârit & adduxerit? Aut

quî

quî tandèm vtriusq; speciei communionem in seipsa damnaret, cùm palàm fateatur, in primitiua Ecclesia Eucharistiæ vtranque speciem fideles percepisse, atque etiamnùm posse percipere, nisi allegata sanè ingentia pericula & scandala, ex calicis communione metuenda, iam extarent? Nullo ergò pacto Christi institutionem reijcit, immò nec ea authoritate est id vt possit: sed eam duntaxat, vt dictum est, interpretatur & declarat, videlicet præcepto Christi de sumẽdo calice nõ quoslibet, sed solos sacrificantes teneri, quandoquidem laudabilis sacrorum Canonum authoritas, & approbata Ecclesiæ consuetudo iampridèm illud declarârunt, quę in eo fundatæ sunt, quòd corpus & sanguis Christi sub vnica panis specie verè contineatur: atque eã ob rem non sacrificantibus sufficere, si Christi corpus & sanguinem sub altera tantùm specie percipiant. Synodus non reijcit cõmunionem vtriusque speciei

Porrò cùm ea Synodus ex CHRISTI institutione decernat, sacerdotes Eucharistiæ vtranq; speciem conficientes & offerentes, eam etiã vtranq; semp sumere debere, nõ potest certè nisi p insignẽ calumniã hoc illi affingi, ꝙ eiusmodi cõmunionẽ dãnet vel reijciat.

Quòd autẽ ad alios tum clericos nõ cõficiẽtes, tum laicos attinet, nec ità quidem perpetuò hęc communio abrogatur, sed suspenditur tantispèr, dum aliud communi Ecclesiæ catholicæ sententia decernatur & constituatur: videlicet, dum ea quæ iam extant pericula & offendicula, priùs commodè amoueri queant.

INQVISITIONEM IN HAERETICOS, A CHRISTO ET APOSTOLIS DEMANDATAM ESSE EPISCOPIS.

VErùm id adeò est, quod Aduersarios pessimè habet, ꝙ eius decreti extremis verbis iubentur episcopi & inquisitores contra ptinaces agere iuxta Canonicas & legitimas sanctiones, in fauorem Catholicę fidei, contra hęreticos & eorum fautores salubriter adinuentas. Oderunt enim inquisitionem in hęreticã prauitatẽ cane peiùs & angue: quô fit, vt hac in parte tam ciuile q̃ Pontificiũ Ius apud illos iniquũ sit: vtì ea Velsius hac in vrbe acerrimè impugnare conatus est. Atquì si hoĩes isti grauissima Christi & Apostolorũ eius pcepta, q̃ illi Episcopis & Ecclesiarũ ꝑ. sidib' de exercẽda Inquisitiõe dedêre, possent expurgare, salua nimirùm res esset. Tum enĩ absq; vllo metu & citra impedimentũ aliquod schisma- CAP. 55. Aduersarij summè oderunt Inquisitionem. Christus & Apostoli episcopis & pfectis Ecclesiæ Inquisitionẽ in hæreticos præcipuè mãdarunt.

ſchiſmata & hæreſes ſuas, quantùm libéret, longè lateq; propagare poſſent. Sed Dominus IESVS id eis permittere noluit. Matthæi 7. potiſſimùm Eccleſiæ præpoſitis ità dicit: Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autẽ ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos. Iohan. 10. præcipit illis, vt poſthabitis quibuſcunque periculis temporarijs, quæ eo nomine poſſint incidere, hiſce lupis ſeſe opponant, dum paſtorem bonum, & è diuerſo mercenarium deſcribit his verbis: *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit & diſpergit oues* &c. Puto equidem hîc Epiſcopis Inquiſitionem mandari, niſi alioquì deſides, viles & impij mercenarij apud Dominum haberi velint.

Paulus Apoſtolus Actorum 20. hoc Chriſti mandatum grauiſſima oratiõe fuſiùs ꝓſequitur & exprimit apud Epiſcopos & presbyteros Epheſinos: *Attẽdite uobis*, inqt, *& uniuerſo gregi, in quo uos Spiritusſanctus poſuit epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſsionem meam lupi rapaces in uos, non parcentes gregi: & ex uobiſipſis exurgent uiri loquentes peruerſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. Propter quod uigilate* &c. Et Rom. 16. *Rogo autem uos fratres, ut obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam uos didiciſtis, faciunt.* Ad Galat. ità precatur & optat: *Vtinàm & abſcindantur, qui uos conturbant.* Titum ſuum docet veri Pontificis munus. *Vt ſit*, inquit, *potens exhortari doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, uaniloqui & ſeductores, quos oportet redargui, qui uniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ nõ oportet, turpis lucri gratia.* Eadem epiſtola ſic habet: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus.* Vt autẽ ipſe in Hymenæũ, Alexandrũ, Philetũ & Hermogenem inquiſiêrit & egerit, & contra eius generis alios agi iuſſerit, vtraq; ad Timotheũ epiſtola ꝓlixè tradit. Ex his Dñi & Apoſtoli mandatis ſerium illud ꝓceptum, hac de re in Cõcilio generali ſub Innocen-

Tit. 1.

Tit. 3.

Paulus Hymenæũ & Alexandrũ tradit ſatanæ, vt diſcant nõ blaſphemare.

1. Tim. 1

2. Tim. 1. & 4.

Innocentio 3.celebrato,episcopis sub pœna depositiõis datum,itẽq; forma inquisitiõis in hæreticam prauitatem, vt ea à sacris canonibus pręscripta est,promanârunt.Eam autem inquirẽdi formam postmodùm Christiani Imperatores,ea ratione permoti, quòd longè grauius sit æternam quàm temporalem offendere maiestatem, legibus & constitutionibus imperatorijs approbârunt,atq; prætereà in pertinaces hæreticos etiam corporis pœnas & supplicia cõstituerunt: neque hodiè aut herì primò institutum est, vt hæretici,dum nihil apud eos efficere potest censura & coërcitio ecclesiastica,p seculares magistratus episcopis & Ecclesię pfectis id requirentibus, coërceãtur. In antiquissima illa ANTIOCHENA Synodo,cap.5.hũc in modũ statutũ est: *Si quis presbyter uel diaconus,contempto episcopo, seipsum ab Ecclesia segregauerit, & priuatim apud se,collectis populis, altare erigere ausus fuerit,& nihilo minùs,episcopo suo exhortante, & semèl & iterùm reuocante, inobediens extiterit,hic modis omnibus damnetur. Quòd si ecclesiam conturbare & solicitare persistat, tanquàm seditiosus per potestates exteras opprimatur.* HOC nanq; Concilium prophanos siue seculares magistratus hîc exteras potestates vocat, quòd id temporis Imperatores & alij magistratus etiamnùm ethnici essent, & nihilo minùs contra hęreticos nonnunquàm implorabantur, vt eorum schismata & hæreses arcerent.Ità enim illis temporibus Aurelianus Imperator interpellatus, hęresiarcham Paulum Samosatenum expulit, vt Eusebius Ecclesiast.Historię lib.7.cap.26.testatur: *Paulus*, inquit, *& sacerdotio abcisus & communione, cùm de domo Ecclesiæ nollet exire,interpellatus Imperator Aurelianus, religiosè satis de hoc sanctèq; decernit, his præcipiens Ecclesiæ domum tradi, quibus Italiæ sacerdotes & Romanus episcopus scriberent.Et ità prædictus Paulus ad cætera mala etiam hoc dedecoris acquisiuit,ut manu publica de Ecclesia pelleretur.*

In Mileuitano quoquè Concilio Patres cap.17. ità statuerunt: *Placuit ut secundùm Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neq; dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur: sed ità maneant, aut sibimet reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.In qua causa legem imperialem petendam promulgari:* (scili- 1.Cor.7.

XXXX cet,

cet, vt ea lege isthæc Concilij sanctio posset manuteneri.) Et esset reuerà hodiè quoquè cumprimìs necessarium, vt iam denuò pro hoc Mileuitano, immò planè Euangelico & Apostolico canone tuendo, noua quædam Imperatoris Constitutio aduersùs Melanchthonem peteretur, vt qui libello illo, cuius titulus est, Examen eorum, qui audiuntur ante ritum publicæ ordinationis &c. ceu nouus legislator hunc aliosque eius generis canones inaudita quadam arrogantia eleuat abrogatq;. Matrimonium enim (quod ille negat esse sacramétum, sed tantùm rem quandam ciuilem) non solùm adulterij perpetrati causa, verùm etiam si maritus quandoquè vxorem ex quadam proteruia vel absque iusta ratione deserat, prorsus dissoluit ac dirimit, & matrimonio iunctos non modò quòd ad mutuam cohabitationem, sed etiam coniugij nexum attinet, planè separat: facitq; illis potestatem noua ineundi pro suo arbitratu coniugia, idque breui atq; insulso quodam duntaxat præcedente processu, vt vocát: quem quidem, vti etiam prætensæ sententiæ formulam, ipse primus composuit, atque de ijs suos ad ecclesiastica ministeria ordinandos, quò passìm res hæc in opus conferatur, (tametsi à nullo, preterquàm ab ipso Melanchthone, huius negocij iudices constituti sint) in memorato suo libello, velut in nouo quodam Thalmud, instituit. Verùm Deus ab hisce regionibus eiusmodi nouas legislationes procùl auertat, vt quę contra leges diuinas permultos horum locorum coniuges sexûs vtriusque, non nisi in adulteros & adulteras, redacturę sint. Mihi quidem, Deo teste, horrori est atque terrori, hunc doctum virum suæ philautiæ vsqueadeò immersum, vt priuata sua iudicia Catholicæ CHRISTI Ecclesiæ iudicijs tam arroganter vbiquè anteferre non dubitet. Indè verò atque ex eiuscemodi nouationibus quid tandèm consecuturum sit, cordato cuique pensitandum relinquo.

Melanchthon matrimonia dirimit.

Matt. 18. 1. Cor. 7.

Cæterùm nouum non esse, vt aduersùs hæreticos & schismaticos seculares magistratus illorum compescendorum causa implorentur, Diuus Augustinus multis admodùm Epistolis testatur, De vi corrigendis hæreticis, nempe Epistola 48. 50. 54. 60. 127. 158. 159. quas propter Donatistas scripsit, quorum vesaniæ & grassationi

Hæreticos iusta secularis magistratûs animaduersione arcédos.

Huss-

Hussitarum furor & bacchatio, vt est suprà dictum, non fuit absimilis. Vt enim Hussitæ Catholicorum communionem repudiârunt, solique Christiani habueri voluerunt, ità Donatistæ Baptismum & communionem à catholicis episcopis & qui ab ijs ordinati essent, administrata reiecerunt, & sibi solis Christianorum nomen vsurpârunt: Ecclesiam verò toto orbe diffusam, à Christianismo alienam censuêre.

Vt autem à Synodo Chalcedonensi Imperatores Martianus & Valentinianus Iunior contra Eutychianos & alios hæreticos requisiti sint, & quàm seueras & acres illi Constitutiones aduersùm istos hæreticos, propositis etiam grauissimis pœnis atque supplicijs, promulgârint, videre est in eiusdem Concilij Actis, Actione 3.6.&14.

Alias Imperatorias sanctiones & constitutiones Constantini Magni eiusdemque primi, & qui eum secuti sunt Christianorum Imperatorum contra hæreticos, quæ prolixè habentur in Codice Iustinianæo, Titulo de hæreticis & Manichęis, pręsertim autem Theodosij Magni & Valentiniani aduersùs Messalianos, Enthusiastas, Donatistas & Audianos, à quibus omnibus Hussitæ non admodùm discrepant: itemque constitutionem Friderici 2. Germani Imperatoris, de statutis & consuetudinibus &c. contra Leonistas, id est, Vualdenses, vel Maiores eorum, aliosque hæreticos editam, quæ etiam In Authen. Gazaros, sub iam dicto Codicis titulo habetur, hac vice huc adscribere nolim. Neque enim operæprecium videtur. Nam si hæc de re latiùs disputare iuuat Aduersarios, cum suo Iohanne Caluino agè disputent, vt qui non modò peculiarem hinc libellum ediderit, hæreticos iure gladij coërcendos esse, verùm etiam ipsus id effecerit, vt Seruetus eius antagonistes, hæresis nomine Geneuæ extremo supplicio affectus sit. Qua re quid ipse sibi significârit, ipsi cogitandum relinquo: equidem nolim magnoperè in ea cogitatione versari. Nouit ipse, quàm grauiter Apostolus Romanorum secundo, appellet eos qui talia agentes, iudicant, & ipsi eadem faciunt, vtque ibidèm illis pensitandũ relinquat, quid à iusto

Libelli titulus est, Defensio orthodoxæ fidei, vbi ostéditur, Hæreticos iure gladij coercendos esse.

iudice Deo ipsi expectare habeant. Sed ego illum missum facio. Satis est mihi id planum fecisse, nec illo decernendo Patres Concilij Constantiensis errâsse, contra prefractos & temerarios Synodici decreti impugnatores, tanquàm hæreticos, ex vtriusque Iuris prescripto agendum esse.

NVM CONSVLTVM SIT, COMMVNIONEM VTRIVSQVE SPECIEI CITRA GENERALIS CONCILII AVTHORITATEM, APVD CATHOLICOS PERMITTI.

CAP. 56.

Quidã de cõmuniõe vtriusq; speciei laicis permittenda nõ absque iudicio loquuntur.

NOn paucos inuenire est hoc nostro æuo, qui putent pro horum ratione temporum, à dictorum Constantiensis & Basileensis Conciliorum decretis tandèm discedere, & vtriusq; speciei communionem populo eam passìm tantoperè flagitanti, liberam permitti oportere: neq; enim alioquì spem esse vulgi sedandi, & in pace atq; concordia retinẽdi, ac multò etiam minùs ea quæ iam grassantur, horrenda fidei & religionis schismata ac dissidia vnquàm componendi. Horum autem, qui ità sentiant, duplex genus est. Alij, apud quos S. Ecclesiẹ authoritas nondùm planè pessùm abijt, sed etiamnùm in aliqua existimatione est, cum iudicio ea de re loquuntur: putant, quemadmodùm duo illa Concilia Constantiæ & Basileẹ celebrata, id temporis consuetudinem Ecclesiæ laicos sub altera specie communicãdi, ob multifaria tum pericula, tum offendicula precauenda confirmârunt, obseruandamq; statuerũt & iusserunt: ità etiam nunc flagitare necessitatẽ, vt à Concilio æquè generali memorata consuetudo ob pacem & cõcordiam inter Christianos serendam atq; conseruandam mutetur, & communio, ablato tamen priùs abusu omni, libera permittatur. Cum huiusmodi quidem ego contẽdere nolim: nanq; etiã sub Articuli exordium id testatus sum, non velle me ire inficiàs, vtì etiam vtriusque sæpedicti Concilij decreta in fine satìs luculenter innuunt ob iustas & rationi consentaneas maximique momenti causas, communionem hanc communi Ecclesiæ authoritate & constitutione vel ordinatione, modò offendicula omnia eo nomine iam grassantium hæresum, & sanctis-

ſanctiſſimi Sacramenti impiæ prophanationes & indignæ abuſiones priùs amotæ ſint, poſſe rurſus cautè permitti.

Alij verò, apud quos Eccleſiæ authoritas exigui aut nullius eſt ponderis, in ea ſunt ſententia, in cuiuſlibet Magiſtratûs poteſtate ſitum eſſe, abſq; præuia authoritate & vnanimi Eccleſiæ aſſenſu, ſubditis ſuis hanc vtriuſq; ſpeciei communionem permittere: & remis velisq; in eam operam incumbunt, vt etiamnùm catholicis principibus, magiſtratibus & Rebuspublicis perſuadeant, vt priuata poteſtate, Eccleſiæ poſthabita authoritate, decreta iam dictorum duorum Conciliorum eleuent ac aboleant, præcipiantq; ſacerdotibus, vt hác Communionem laicis pro illorum voto adminiſtrent. Quibus vt ego aſſentiar, nulla poſſum adduci ratione. Cur autem non poſſim, iam paulò antè in octaui Articuli aſſertione maxima ex parte explicaui. Quandò verò eæ rationes hac tempeſtate, qua religionis noſtrę res longè difficiliori & horribiliori loco ſitæ ſunt, atquè tum erant, plus oportunitatis habere videntur, maiorique numero iam ſuppetunt, viſum eſt contra iſtiuſmodi hominum opinionem & inſtitutũ velut ſummatìm & compendiò eas repetere ac indicare.

Quidã ſecularibus Magiſtratibus & communitatibus ſiue Rebuspublicis nõ rectè, nec bona fide cõſulunt.

Primò quidem manifeſtum eſt, iſtorum hominum curas & cogitationes in id intentas eſſe, vt catholicæ Eccleſię authoritatem, (quãdoquidem Eccleſiæ & Conciliorum generalium authoritas non niſi vna & eadem eſt, vt ſuprà, ex Auguſtino præſertim, oſtendi) planè ſubruant & funditùs euertant. Id verò nihil eſt aliud, quàm colũnam & firmamentum veritatis, vtì Apoſtolus Eccleſiam Chriſti appellat, prorſus velle peſsùm premere, & hæreticis contra eam authoritatẽ, qua ſola poteſt eis obſiſti, ſemper ſeſe impotẽter ſubrigentibus locũ ſpatiũq; prębere ſua falſa & vana dogmata & impoſturas, q̃bus hoĩes ſubdolè faſcinant & ſeducunt, pro ſua libidine propagandi. Nam ſi vnius duntaxat Concilij euerſa ſit authoritas, iam vnà Conciliorum omnium (vt quæ fundamento vno nitãtur, atque indè cuncta robur ac firmitatem capiant) omninò ſubruta erit: & vt Diuus Auguſtinus Epiſtola 8. D. Hieronymo ſcribit, admiſſo ſemèl in tantum authoritatis faſtigium vel minimo errore, ſacræ ſcripturę authoritas omnis collabetur. Quod idem certè de Concilijs generalibus ſentiendum eſt, quæ omnia vna præpotentis Dei potentia & authoritate nitun-

Cõmunionẽ vtriuſq; ſpeciei admittere citra Conciliũ, Eccleſiæ authoritatem abrogare eſt.

tur,& ex Sanctiſpiritûs, qui mentiri neſcit, inſtinctu decernunt, ſi vnum aliquod eorum factum ſit irritum,cuncta eſſe irrita. Cùm autem ea Conciliorum authoritas ſemèl proſtrata eſt, iam ſubrutū eſt vnicum illud Chriſtianæ religionis propugnaculum,quo vno Eccleſia contra inferorum portas conſeruatur,& hęreſes omnes profligātur ac deſtruūtur,teſtibus Irenæo, Tertulliano,Origene, Cypriano, Athanaſio,Baſilio,Hilario,Chryſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino, & ad vnum alijs omnibus.

Seculares magiſtratus non poſſunt generaliū Conciliorum decreta conuellere.

Secundò,conſulunt homines iſti ſecularibus magiſtratibus & Rebuspublicis id vt faciant,quod nedùm in eorum arbitrio & poteſtate ſitū non eſt, ſed etiàm quod nullus Nationalis cōuentus vel Prouinciale Concilium poſſit.Cùm enim antiquiſſima illa laicos ſub altera ſpecie communicandi conſuetudo,in duobus illis Concilijs generalibus,accedente eò vnanimi omnium Chriſtianarum nationū, inter quas Germanica tum certè poſtrema nō fuit,aſſenſu,benè fundatis,planeq; Chriſtianis & vrgentibus rationibus approbata ſit & iuſſa obſeruari, non poteſt ſanè vllus iam Nationalis conuentus, vt Concilia prætercam prouincialia,quæ vt Auguſtinus ait, per ſingulas regiōes vel Prouincias fiunt,& plenariorum Cōciliorum authoritati,quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſinè vllis ambagibus cedere debent,iſthæc vtriuſq; Concilij decreta vlla ratione vel mutare,vel abolere.

De Baptiſmo cōtra Donatiſtas lib. 2. cap. 3.

Vſurpatione communiōis vtriuſq; ſpeciei, Eccleſiæ præfectis & ſacerdotibus diuinitùs collata poteſtas eripitur.

Tertiò,quandoquidem Dominus,vt eſt ſuprà fol.588.& ſequentibus fusè oſtenſum, V. Sacramenti diſpenſationem non laicis, ſed ſolis ſacerdotibus mandauit,vt ea ratione Euchariſtiam miniſtrent, qua S.Eccleſia compererit eam diſpenſationem pro tempore cómodiſſimè & ſaluberrimè poſſe fieri:porrò ſacerdotes ratione ordinationis,officij & votorū nuncupatorū decretis generaliū Conciliorū & Eccleſiæ Chriſti,ſuiſq; eccleſiaſticis ſuperioribus obedientiā oēm præſtare tenentur:ecquid aliud agunt iſti,quos diximus, Conſultores,quàm quòd ſeculares magiſtratus ſuadendo inducere moliūtur, vt Eccleſiæ & ſacerdotibus iam dictam poteſtatē ipſis diuinitùs traditam adimāt,camq; ſibijpſis vſurpatam authoritate vendicent? immò à ſacerdotibus id exigant, vt diuiniſſimam Euchariſtiam (quæ

vel

vel maximè est sacramentum vnitatis, concordiæ & obedientiæ) ad eiusmodi dissipandam ac dirimendam coniunctionem, concordiam & obedientiam, saucia mente & conscientia administrent? Persuaserunt illi laicis, vt iam plerique putent, se propter conscientiam (nolunt enim intellectum suum Catholicæ Ecclesiæ decreto ac definitioni subdere) vtranque Eucharistiæ speciem sumere debere. Ij verò, quos conscientia contra Ecclesiæ decretum agere tantoperè vrget & adigit, etiam aliorum, nempe sacerdotum, qui intellectum suum huic decreto subdidêre, conscientijs ex Christiano officio consulere deberent, cauereque nè illas sauciarent. Non minùs enim, qui Christianus est, id curare debet nè alterius contristet & conturbet conscientiam, quàm suam, vt Apostolus docet 1. Cor. 14.

Quartò, in confesso est hæreses & offendicula, quorum causa Cócilia illa Constantiense & Basileense suprà dicta decreta fecêre, hoc nostro seculo multò cumulatiora extare, quàm vel illorum Conciliorum, vel vllis alijs temporibus vnquàm extiterint. Primò enim execrabilis illa Sacramentariorũ, veram ac realem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia pręsentiam impiè negãtium secta multis modis iam grassatur.

Hæreses circa Eucharistiam iam immaniores extãt, quàm Cóciliorũ illorũ tempore: quæ omnes inordinata Communionis alterius speciei amotione cófirmarentur.

Alij Sacramentum non nisi meram figuram & symbolum esse volunt.

Atq; horum pleriq; aiunt, in Sacramento Christi corpus & sanguinem non adesse substantialiter, sed eorum duntaxat & passionis Christi energiam & efficientiam, in pane & vino credentibus ministrari. Ità Caluinus iampridèm docuit, & Velsius eius sectator iam breui hîc apud nos Coloniæ docere instituit. Atq; ij Sectarij cómunionem vtriusq; speciei vrgent vehementissimè. Cùm enim nó credant in Eucharistia Christum esse corporaliter, sed duas illum tãtùm figuras, alteram corporis, alteram sanguinis sui instituisse, indè inferunt, quandoquidem diuersæ sunt figuræ, vtranq; sumi oportere.

Alij nostrę ętatis sectarij, ore quidem fatentur realem præsentiam, sed diuinam panis & vini in veram corporis & sanguinis Christi substantiam transmutationem negant: aiunt corpus in pane, panis manente substantia, & sanguinem in vino, salua vini substantia, porrigi.

Item

Item, veram ac realem corporis & sanguinis Christi præsentiã, non in diuinæ consecrationis vi & efficacia, sed solùm in vsu & perceptione, consistere.

Item, non singulas species sacramentum esse, in quo corpus & sanguis Christi substantialiter exhibeatur: sed vtranq; speciem non nisi duas esse partes, ex quibus pariter datis sacramentum fiat: sicq; negãt sub alterutra specie tantundem haberi, quantum sub vtraq;.

Item nonnulli eò tendere vidẽtur, quòd in Eucharistia sub specie panis caro tãtùm, & sub vini specie sanguis tãtùm Chri sit absq; eius diuinitate: ea ratione, quòd Christi verba solius carnis & sanguinis, non autem deitatis eius expressam, vt ipsi aiunt, mentionem faciant. Sic sensit quidam ex eorũ numero, qui hac vrbe excedere iussi sunt. Atquì, vt crebrò dictum est, hic Nestorij hæresiarchæ error est execrabilis.

Item Aduersarij omnes, vtranq; speciem tantoperè vrgentes, quãdoquidem, vt ipsi asserunt, in solo vsu & sumptione sacramentũ est, docent si quid indè casu aut alitèr in humum decidat vel distillet, id non esse sacramentum: itidemq; si quid eius asseruetur, non esse sacramentum, sed merum panem: atq; eam ob rem Eucharistiam in arculis vel ciborijs, vt vocant, pro ægrotis asseruari minimè debere.

Item tradunt isti Sacramẽtum quouis tempore, & quamprimùm, etiam extra Missę sacrum, à ministro, licèt iam pranso vel cœnato, cõfici, pręparari, & ante oblationem illis quoquè qui antè cibum sumpserint, posse pręberi.

Item V. Sacramentum non esse noui Testamenti sacrificium.

Item Christum Dominum in illo adorari non debere: qui verò id agant, pro idololatris habẽdos esse: &, quod certè auditus ipse perhorrescit, appellant illud Baal, vitulum aureum, ignem Persicum.

& scelus.

Item detestantur & proscindunt acerbissimè V. Sacramenti gestationem.

Hi atq; eius generis errores alij iam circunferuntur apud Aduersarios, qui propemodùm nihil pręter has abominationes hominibus passim inculcant & ingerunt.

Iam si Communio vtriusq; speciei priùs, quàm isti & eiusdem farinę alij errores abominabiles profligati sint, permissa erit, nimirùm faciet

ciet hoc nō minimùm ad eorum omniū errorum,quibus Aduerſarij iam vbiquè pręualeſcunt,corroborationem,atq; è diuerſo ad Eccleſiæ debilitationem.vt ſilentio pręteream, hoc ipſum ferè innumeris Aduerſariorum hæreſibus & erroribus locum ſpatiumq; ampliſſimum præbiturum paſsìm latiùs ſeſe propagandi ac irrumpēdi. Nôrūt eruditi, qui communionis hęreticorum ſit particeps,eū quoquè hoc ipſo dogma illorum tacitè approbare,& eos,quātùm in ipſo eſt, Eccleſiæ Chriſti victores efficere. Ex hac quoquè permiſſione id haud dubiè conſequetur, vt corpus Chriſti pro ægrotis aſſeruari ſolitum,ex templis om̄ibus paulatìm auferatur: loca quibus illud ſeruatur,deſtruantur:ſanctiſſimum & pijſſimum de V. Sacramēto Miſſæ officium,& celeberrima eiuſdem V.Sacramenti ſolennitas omninò aboleatur,idq; cum horrenda illorum omnium irriſione & condemnatione,qui hactenùs illud officium deuotè ac piè celebrârint, ac deincèps celebrare peroptent.

Communio diſcernit religionem.

Quæ verò pręter eà in Chriſti Eccleſia hac occaſione confuſiones & perturbationes expectandę ſint, prudens quiſq; per ſe nullo negocio diuinare poteſt.Sed hactenùs de hęreſibus & erroribus dixiſſe ſatìs ſit.

Porrò hodiè non minor,ſed multò etiam immanior V.Sacramenti prophanatio extat, q̄ Conſtantienſis & Baſileenſis Conciliorum ætate fuerit:cui quoquè proculdubiò hinc non parùm roboris & virium acceſſurum ſit.An nō horrenda illa prophanatio eſt,quòd Aduerſarij noſtri corpus Dominicum à cęteris eſcis, vtì ex Eccleſiæ inſtitutione deberent,minimè dijudicant ac diſcernunt? Equidē illorum abuſus non vidi,ſed vt pius ille F.Henricus Helmeſius Germipolitanus in Homilijs ſuis Sermone 3. in die corporis Chriſti teſtat̄, hoſtias à plebeculæ cōmunione reliquas,à canibus deuorandas in altari relinquunt,vel muribus rodendas,vel rapidis ventis diſpergendas:& ſi quid vini remanet,hoc effundunt in terram, & pedibus cōculcant,aut morionibus,ſcurris, mente captis tradunt epotandum, vel ipſi in ſuis bibunt ędibus,ſi multū ſuperſit. Quę verò maior poſſit huius diuiniſſimi Sacramenti excogitari prophanatio? Quòd ſi vtriuſq; ſpeciei Cōmunio,vt Aduerſarij tradunt,abſq; pręuia Eccleſiæ in generali Cōcilio authoritate,nō ſublatis priùs hiſce perhorridis pro-

Prophanatio V.Sacramēti iam maior eſt quàm vnq̄ fuerit: itaq; ſi mutatio facienda ſit, cautè proſpiciēdum eſt.

Cōtra hæc vide Cypria.li. 1.Epiſt.10. ad Eucratium,& c.Tribus gradibus, §. Præcipimus, de Conſecra. diſtinct.2.

dis prophanationibus & abusibus, permissa fuerit, eadem profectò hac occasione etiam apud nos Catholicos, quod præpotens & sempiternus Deus auertat, sensìm vi magna increscent: ità vt satiùs sit, eos qui ex animi pertinacia alteram speciem percipere nolint, vsque ad Concilij definitionem à sumenda Eucharistia dehortari, quam ansam illis porrigere, eam tam horrendum in modum prophanādi, eaq; abutendi. Eam enim prophanationem Patres non minoris criminis loco habuêre, quàm Iudæi Christo crucifigendo perpetrarint, vt ex eorum consentaneis testimonijs licet animaduerti.

Inordinatam communiōis vtriusq; speciei permissionē, maioris discordiæ, propagandi schismatis, & impediendi futuri præpediēm Cōcilij occasionem fore.

Quintò, tametsi suprà dicti consultores id prætexūt, huius Ecclesiastici moris mutationem, & Conciliorum illorum abolitionē, paci & concordiæ, tum etiam præparationi cuidam œcumenici Concilij, & pacificæ iam grassantis in fidei & religiōis negocio schismatis ablationi magnoperè conducturā & suffragaturatā: attamen è diuerso id certo certius est, hanc inordinatam permissionem longè maiori inter Christianos dissensioni occasionem præbiturā: adeoq; schisma præsens mira indè accepturum incrementa, deniquè futuro propediēm Concilio eam maxima allaturam impedimenta. Neq; enim vllam habet dubitationem, ea facta mutatione, non modò complures sacerdotes probos, sed etiam laicos fore, qui ægrè admodùm contra Ecclesiæ Catholicæ obedientiam & Cōciliorum decreta acturi sint. Hos verò alij hanc mutationem amplectentes non poterunt non mirum in modum irridere, criminari, proscindere. Tum quoquè sacerdotes, qui conscientia reclamante contra Concilia venire ausi non erunt, suis parochijs vel parœcijs, quarum eis cura demandata est, immeritò priuabuntur: vndè sanè non possit non ingens proficisci discordia & perturbatio.

Atq; illud quoquè suprà iam abundè probatum est, si secùs fieret, eos qui id facerent, hoc ipso à communione aliorum omnium catholicorum huius cęterarumq; nationum, quæ Conciliorum illorū decretis & mori Ecclesiastico etiamnùm adhærent, sese segregaturos: id quod certissimè absque præsentis schismatis mira propagatione fieri non poterit: quod tamen vel maximè cauendum est. Non enim potest vera fides & Ecclesia esse in schismate, dicēte Apostolo Ephesio. 4.

Ambrosius de Excessu Satyri.

sio.4.de Ecclesia: Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus dominus, vna fides, vnum baptisma. Vera Ecclesia nõ est in schismate.

Huc accedit, nõ rectè eam posse dici Communionem, qua se quidã ab aliarum Christianæ religionis nationum communione separant. Ait nanque Apostolus: Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes quidem de vno pane participamus: putà in vnitate & concordia fidei. Vbi enim, vt inquit Ambrosius, dissensio est, nihil rectum est. In cap. 11. 1. ad Corinth. Ac nihilo minùs molestissimum id foret, eiusmodi vsurpata communione tot Christianorum myriades aliarum nationum ob illorũ catholicam Communioné iudicare & condemnare, & idem expectare ab illis, hauddubiè Germanicę nationi non magnæ id laudi daturis, quòd Concilia illa Constantiæ & Basileę habita, iam abrogari pateretur, quæ tamen ipsa olim, præsente Romanorum Imperatore, prę alijs nationibus vel maximè expetierit, defenderit, ac propugnarit.

Vsurpatio huius cómunionis plurimùm obfutura Cócilio.

Postremò dubium non est, quin hęc mutatio breuì futuro Concilio maximum sit impedimentum allatura. Quanto enim nos Germani à cęteris nationibus, ex quibus Synodum cogi necesse erit, antè quàm illa denuò inchoetur, magìs nos alienos efficimus ac segregamus, tanto minùs boni in Concilio efficere poterimus: si non etiam penitùs ea occasione præpediendum sit: quod nè fiat, contentissimis animis orandus est Deus.

Quid Magistratibus hac in re perpendendum.

Propter has aliasque plures maximi ponderis rationes, quas cordatus quisque & intelligens apud se haud difficulter potest colligere, quibuslibet catholicis magistratibus hac in re diligenter prospiciendum incumbit, nè facilè sibi ea persuaderi sinant, quibus magìs magisque augmentando schismati occasionem prębeãt, atq; eo ipso Dei aduersùm se iram & indignationem prouocent.

Obsecro autem, vt quę pro mea simplicitate hîc mihi conscripta sunt, ea nemo in partem peiorem interpretetur. Nam teste conscientia mea, non alitèr scripsi atquè sentio & capio.

Nec pro meo iudicio vllam ego aliam perspicio viam, quàm si Communionem vtriusque speciei omìnò liberam habere visum sit,

vt pro generali Concilio celebrando insistatur, atq; in ipso Cócilio ea cómunio petatur, idq; vnà cum errorum & prophanatióum omium amotione, & necessariç Ecclesiasticç disciplinç instauratione ac institutione. Nec dubium totius Christiani orbis, vnanimi consilio & sententia illud cautè prudenterq; permissum iri, quod ad diuinissimi Sacramenti honorem, & credentium salutem facere queat. Alitèr verò, vt dictum satìs est, fieri non potest. Atq; his ego Articulum hunc de Cómunione alterius speciei, qui inter quatuor primarios Articulos postremus est, absolutum volo: ea spe fretus, me in illo satìs superq; id planum testatumq; fecisse, Communionem hanc Christianam, piam, & inculpatam esse, Synodosq; Constantiensem, Basileensem & Florentinam non nisi quod Christianum sit & catholicæ Ecclesiç doctrinç cósentaneum, decreuisse, meritoq; tantispèr, dum aliud Ecclesia prçscribat & ordinet, id obseruari debere.

Atq; ità inprçsentiarùm huic meo instituto operi, adeoq; quatuor primarijs Articulis, quos Dei fretus auxilio tractádos suscepi, primò quidem de vera ac reali corporis & sanguinis Christi in V. Sacraméto à consecratione prçsentia, tum de Eucharistiæ asseruatione, subindè de illius adoratione, ac postremò de alterius speciei Communione, supremam manũ impono: obsecrans omnes è religione Christianos, vt hanc meam exiguam operam æqui boni consulant, nec sint ad iudicandum prçcipites, nisi priùs omnia accuratè lectitârint, & scripta diuina atq; Patres, quibus ego nitor, quoq; ego me refero, diligenter inspexerint, expenderintq;. Quanq̃ nihilo minùs ego quçcunq; hîc mihi scripta sunt & elucubrata, Catholicæ Christi Ecclesiæ determinationi ac iudicio submitto.

DEO GRATIAS.

INDEX

INDEX RERVM AC VERBORVM, NON QVIDEM OMNIVM, SED QVAE IN HOC pio & egregio D. Gropperi volumine potissimùm tractantur, opera Barth. Poin sedulò congestus, iuxtaq; Literarum seu casuum ordinem summa eiusdē cura digestus.

Meminerit lector, adiectam numeris literam a, indicare superiorem bipartiti folij aut lateris portionem: b, inferiorem: sicubi verò neutra illarum subijcitur, posse indifferenter vtraque in lateris parte, quod quæritur, inueniri. Hoc animaduerso, & restitutis paginarum istarum, 34, 125, 215, 254, 323, 493, sua in loca numeris, erit inuentu, quod Index monstrauerit, haud difficile.

arcæ

Dubia

euange-

figu-

hie-

magi-

minima

nnn

partu-

Pœ-

reuch-

ERRATVLORVM, QVAE OBITÈR DVM INDEX COLLIGERETVR, ANIMADVERSA FUÊRE, CATALOGUS.

Hunc quô & citiùs & faciliùs intelligat, notabit studiosus Lector, duorum diuersorũ numerorum sibi propè aut ferè cohærẽtium priore indicari paginam, posteriori, indicatæ paginæ lineam: dein subijci aut breuiter innui lectionem veram: monitionis interìm eius, quæ suprà Indici præfigitur, de quibusdam in exemplari ipso restituendis numeris, hic non oblitur[us].

35 18 esset 81 15 fran 101 1 xxxix. 107 31 llij ibi.36 à con- 109 18 pop ibid.27 lud ad fi 112 26 sta 155 15 cæte- 158 33 guinis 160 4 IESV 208 31 nẽ 215 2 men 222 14 odám 224 18 sia, 235 33 7ω 263 28 ne, 274 4 fu 285 12 re,q 341 5 tia,qd 363 30 t:N 408 22 SECVN. 417 7 Ane ibid 26 ille 420 20 niste 424 15 Ecclesia iu- 481 35 Diui 509 1 XXVII 525 1 XXXIIII. 616 12 ntis d 553 35 id quod ibi 36 q̃ ab 584 14 pepẽ 585 35 ob rẽ 586 13 ana 607 20 endã 613 6 are,Q 617 1 XXX. 619 14 cùm 621 1 XXX. 623 2 nijs! 625 1 XXX. 627 1 XXX. 629 1 XXX. 631 1 XXX. 633 1 XXXI. 635 1 XXXI. 637 1 XXXIII. 639 1 XXXIIII. 641 1 XXXIIII. 645 1 XXXVI. 672 25 toton-

Eorum quę in marginibus offensa sunt, breuis assignatio.

178 4 simus 267 9 V. 632 4 Cap.31. 636 6 Cap.32. 637 1 Cap.33. 639 1 Cap.34. 644 1 Cap.36. 648 12 Cap.37.

Hæc obitèr feruente opere admissa, corrector Typographicus sibi expetit condonari: id eo faciliùs impetraturum se confidens, quòd propè minùs difficile sit, absque erratis vllis vitã agere, q̃ librũ aliquem in quo nihil sit neui, edere. Quanuis autẽ hæc ipsa ferè minutiora sint, quàm quorum cordatus aliquis egeat moneri, tamen dum vnum & alterum necessariò innuitur, libuit & alia minùs necessaria fideliter assignare, magìs id adeò nè quid dissimularetur quod animaduersum quidem esset, quàm quòd ijs indicandis putaretur quisquam indigere.

Illud studiosis hoc loco clam habere nolumus, absoluto Opere isto, suggestum nobis fuisse ab insigni quodam S. Theologiæ professore, esse in Decreto Constãtien Concilij de Communione speciei vnius locum aliquem, qui propter obscuritatem seu transpositionem verborum

rum aliquot, ipſum D. Gropperũ F. R. dum Opus iſtud Teutonicè primùm ederetur, malè habuerit: eamq́ue ob rem Theologos tum quoſdam ab ipſo conſultos. Sed cùm exemplaria concilij eius hic aut citra Alpes edita, hac in re cõſona eſſent, neque obſcuritati eiuſmodi quicquã opitularentur, non potuiſſe D. Groppero certi aliquid per Theologos ab ipſo hac de re conſultos, tunc temporis referri. Interìm tamen prodijſſe ex Italia quandam Cõciliorũ Epitomẽ, in qua locus ille Decreti ſupradicti multo lucidiùs habeatur. Et quia Decretum illud hoc ipſo in Opere ſuperiùs de verbo ad verbum, vti in exemplaribus hic apud Coloniam excuſis legitur, allegatum eſt, placuit eam diuerſitatem ſeu obſcuritatem, nè quem poſthàc malè haberet, hoc loco paucis indicatam remouere. Poteſt igitur qui vult, ſuperiùs pagina 649. linea 14. ac deincèps, legere ad hunc modum:

Et ſimiliter quòd licèt in primitiua Eccleſia huiuſmodi ſacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraque ſpecie, tamen hæc conſuetudo ad euitãdum aliqua pericula & ſcandala, eſt rationabiliter introducta, quòd à conficientibus ſub utraque ſpecie, & à laicis tantummodò &c.

Hęc qualiacunque eo quo nobis ſuggeſta ſunt, tibiq́ue hic ſuggeruntur, ſtudio & animo ſuſcepturus, benè vale, tertio Calend. Septemb. 1560.

